
NILUS MYSTICUS SEPTEM EFFUSIONIBUS PRETIOSI SANGUINIS D. N. JESU CHRISTI Sacer.


Nilus Mysticus
Septem Effusionibus
Sanguinis.
JESU CHRISTI
sacer



NILI MYSTICI EX PARADISO VOLUPTATIS, SIVE VERBI DIVINI SEPTEMPLICI ALVEO DEFLUENTIS,

ET

TOTIDEM EFFUSIONIBUS PRETIOSI SANGUINIS

D.N. JESU CHRISTI

SACRI;



ALVEUS PRIMUS,

SIVE

Primus Annus Concionum in Dominicas & Festa per annum.



CUM INDICIBUS NECESSARIIS.

AUCTORE

R. P. PHILIPPO KISELIO
FULDENSI, E SOCIET. JESU.

Et ab eodem Moguntiæ, Bambergæ, Spiræ, Herbipoli, Wormatiæ, populo propositus.

Cum Privilegio SAC. CÆSAREÆ ac REGIÆ MAIESTATIS.

BAMBERGÆ,
Sumptibus JOANNIS ARNOLDI CHOLINI.

M DC LXVI.



REVERENDISSIMO ET EMINENTISSIMO DOMINO,

D. JOHANNI PHILIPPO,

SACRÆ MOGVNTINÆ SEDIS ARCHIEPISCOPO, S.R. IMPERII PRINCIPI ELECTORI, PER GERMANIAM ARCHICANCELLARIO, CATHEDRALIUM, WORMATIENSIS, ET HERBIPOLENSIS EPISCOPO, FRANCIÆ ORIENTALIS DUCI,

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

PRima Cathedra Eminentissime PRINCEPS, Domine Clementissime, quam Anno Sæculi hujus quadragesimo secundo, Superiorum meorum jussu, Verbum DEI, ex officio prædicaturus conscendi; fuit *Aulica Moguntina*, sub ANSELMO CASIMIRO, laudatissimæ memoriæ Principe, Eminentiæ Tuæ in Archiepiscopali Sede, Prædecessore; tùm, cùm in eâdem Almâ Universitate, Philosophiæ Cursum profitendo decurrerem: Quo absoluto, deinde per triennium Moguntiæ, tum in Æde Metropolitana, tum in templo

Collegii Societatis JESU, me totum verbi Divini prædicationi impendi. Sub finem anni millesimi sexcentesimi, quadragesimi septimi, veni Herbipolim, & post paucas septimanas Ecclesiæ illius in annum sextum vigilantissimus Episcopus, simul sacræ Moguntinæ Sedis ARCHIPRÆSUL, & S.R. Imperii PRINCEPS ELECTOR, cum ingenti Patriæ gaudio fuisti proclamatus.

Octodecim deinde annis, quibus non Ecclesiarum tuarum tantùm, sed S. R. Imperii, & totius Reipublicæ Christianæ negotia felicissimè administrasti, ego *Herbipoli*, iterum *Moguntiæ*, *VVormatiæ*, *& Spiræ*, ubi Nemetum Ecclesia te METROPOLITANUM; augustissima verò Imperialis Cameræ, Cancellariæq; Collegia, PROTECTOREM & DIRECTOREM agnoscunt, atque venerantur; Concionatoris munere functus fui.

Id, quod me movit, ut Concionum mearum, quas tot annis ad populum tuum, de tuis Cathedris dixi, Annum primum, dum in lucem prodit, EMINENTIÆ TUÆ oblatum, dedicatumque velim.

Nilus meus Mysticus (hunc titulum huic Operi, & secuturis Tomis præfigere placuit) *fontem* quærit, in quem refluat, post *Fontem inexhaustum omnis Boni* in cœlis, in terris mihi placuit FONS SPECIOSUS gratiarum. Tum *Nilus* maximè exundare fertur, cum Sol in Zodiaco ingreditur signum Leonis. *Nili mei Spiritualis, sive Mystici* exundationem, si quæ illa est, inter

ter aſtra, adſcribo *Soli Juſtitiæ*: in terris *Leoni*, Fontis Speciosi inter rupes *Cuſtodi*, cujus liberaliſſimis undis irrigatus, magnis laboribus par fui. Ægyptii *Nilum* appellarunt *Cor ſuum*; ſi *Nilus meus Myſticus*, ſive ſacrę, ſuper verbum Divinum lucubrationes, cor meum, ſive theſaurus, portio, & ſubſtantia mea dici poſſunt; *ex corde*, hoc *cor meum*, Eminentiæ Tuæ ſacratum eſſe cupio.


Non me fugit, Eminentiſſime Princeps, Auctores in ſuis Dedicationibus excurrere fuſiſſimè in laudes, meritaque Mecœnatum, quorum favorem, atq; patrocinium quærunt. Sed & hoc non ſum neſcius, *Celſiſſimæ Tuæ Eminentiæ*, ſummum eſſe encomium, quod laudes tuas oderis, præterquam, quod tota Europa illas loquatur. Loquerer nihilominus & ego, niſi viventis, & tanti *Principis* nota Modeſtia, ne faciam, prohiberet. Itaq; ſilebo; paucis tantùm voculis, hunc librum ad *Eminentiſſimæ Celſitudinis Tuæ* pedes, cum demiſiſſimo manuum oſculo depono, ut Poſteri in illius veſtibulo legant, quod fuerim,

Celsissimæ Tuæ Eminentiæ

humillimus Servus

PHILIPPUS KISELIUS Soc. Jesu.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM, ET POTESTAS TYPOGRAPHO FACTA A R.P. PROVINCIALI PROVINCIÆ RHENANÆ SUPERIORIS SOCIETATIS JESU.



Um Sacræ Cæsareæ Majestatis decreto, omnibus & singulis Typographis, & Bibliopolis, ac aliis quamcunq; librariam negotiationem exercentibus serio, firmiterque inhibeatur, ne quisquam ullos libros à nostris Patribus hactenus editos, vel imposterum edendos, intra S. R. Imperii Regnorum, Dominiorum, suæ Cæsareæ Majestatis Hæreditariorum fines, simili, vel alio characteris genere, aut forma, sive in toto, sive in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut aliò etiam impressos adducere, & distrahere, concedo ego Nicolaus Lutz, Societatis JESU, *per Rheni superioris Provinciam Præpositus Provincialis, potestate mihi ad id facta ab admodum Reverendo Parte Generali* Joanne Paulo Oliva, *Ioanni Eliæ Höffling Bibliopolæ Bambergensi, facultatem excudendi Nili Mystici Alveū primum, sive primum Annum Concionum in Dominicas, & Festa; Item duodecim scintillas, sive totidem Exhortationes per singulos Menses anni, ad Sodales Congregationis Christi in cruce Agonizantis, à R. P. Philippo Kiselio Societatis nostræ Sacerdote conscriptas. In cujus rei fidem, hoc ei testimonium dari curavi.*


Bambergæ 8. Junij. Anno 1666.

Hoc prædictum Privilegium Cæsareum concessit Joannes Elias Höffling Joanni Arnoldo Cholino.



Nicolaus Lutz.

ALVEI PRIMI,
SIVE
CONCIONUM
IN
Dominicas ab Adventu uſque ad Pentecoſten,
PARS PRIMA.



CONCIO I.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus, venit tibi mansuetus. Matth. 21. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

HÆc Concio variis argumentis, locisque ex sacra scriptura, probat Mysterium Incarnationis Filii Dei, Humano generi fuisse plane necessarium, adeo ut nemo nisi Christus, sive Deus Homo, & Homo Deus hominem condigno pretio potuerit redimere.

§. 1. *Querela de ingratitudine hominum, erga Deum, pro collatis beneficiis.*
§. 2. *Cur institutus sit Adventus.*
§. 3. *Propositio.*
§. 4. *Mysterium Incarnationis est ineffabile.*
§. 5. *Humilis fides potest scrutari.*
§. 6. *Conari debemus de illo loqui, quantum possumus.*
§. 7. *Lapsus Adami.*
§. 8. *An genus Humanum perire debuit, vel Iustitiæ satisfieri.*
§. 9. *Mirabilis modus, quo Divina Iustitia satisfactum est.*
§. 10. *Prosopopœia Iustitiæ exigentis condignam satisfactionem.*
§. 11. *Consilium Divinæ sapientiæ.*
§. 12. *Deus Homo potuit satisfacere.*
§. 13. *Elisæus fuit pulcra figura.*
§. 14. *Applicatio.*
§. 15. *Verba S. Augustini.*
§. 16. *Alia figura ex Daniele.*
§. 17. *Prosecutio.*
§. 18. *Alia figura.*
§. 19. *Figura ex Apocalypsi de Agno & Leone.*
§. 20. *Quis fuerit ille liber.*
§. 21. *Sententia Origenis.*
§. 22. *Nulla creatura potuit illum librum aperire.*
§. 23. *Sed Leo Agnus.*
§. 24. *Applicatio.*
§. 25. *Symbolum Archiducis VVilhelmi Leopoldi.*
§. 26. *Agno sit laus.*
§. 27. *Symbola gratitudinis, quam Deo debemus.*
§. 28. *Prosecutio.*

§. 1. *Querela de ingratitudine hominum erga Deum, pro collatis beneficiis.*

VEreor Aud. ne ansam nactus sim hodierna luce conquerendi cum Salviano l. de provid. *Generale ferme est omni homini, ut Deo ingratus sit, ins itoq; hoc & quasi nativo malo, se Deo debitorem esse non agnoscat.* Ingens est beneficium creatio hominis, ad finem tam nobilem atque eximium, sed solenne ferme est, ut nec gratus sit homo, nec agnoscat, quantum pro illo beneficio Creatori suo debeat. Idem de redemptione, & innumeris aliis beneficiis verissimum est. Imo teste Oleastro *sunt multi peccatores, qui in mediis beneficiis benefactori offensam & ingratitudinem parant.*

§. 2. *Cur instituentum sit Adventus,*

Opportune igitur suis consultum voluit sancta Mater Ecclesia, quæ ut quoad beneficiorum omnium excellentissimum, & aliorum fontem, Incarnationem Verbi, turpissimam hanc ingratitudinis notam averteret, Adventum instituit, sive elegit quatuor septimanas, quæ Natalitia Servatoris nostri festa præcedunt, ut & hoc beneficium, sive Adventum Filii Dei in hunc mundum præcipua quadam devotione recolamus, & gratos nos, memoresque tantæ gratiæ ostendamus. Ob eandem plane causam hodierna Dominica, quæ est prima Adventus, legitur Evangelium de ingressu Christi in Hierusalem, ut is alterum, Filii Dei in hunc mundum nobis ob oculos poneret. Hoc sensu, hæc Evangelii verba, *Dicite filiæ Sion, &c.* explicat Sponsa Cant. 3. v. 11. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis suæ.* Ad literam sermo est de nuptiis Salomonis; Mystice hic Salomon est Christus Jesus Salvator mundi, cujus mater immaculata Virgo: Diadema, sive corona nuptialis Sanctissima Sponsi Humanitas, quam mater illi impertiit, cum in ejus utero, obumbrante Spiritu S. ex purissimo sanguine *verbum caro factum est.* De quo ita S. Ambr. *Uterus B. Virginis Mariæ coronavit, cum formavit.*

§. 3. *Propositio.*

Verum ipso in exordio involvo filum dictionis meæ, difficillimo sed gratissimo divinæ Incarnationis labyrintho. Sed ecce, rursum evolvo, memor dicti S. Leonis, *Ingratæ mentis judicium est beneficia tacere divina.* Ne ingratus sim, ne etiam vos esse velitis. ex innumeris circumstantiis hac concione, Deo dante, quàm necessarius nobis fuerit adventus Filii Dei in carne in hunc mundum, vobis ostendam; Assensum dabitis spero huic maxime: Præter Jesum Christum nos salvare nemo alius potuit.

§. 4. *Mysterium Incarnationis est ineffabile.*

Ipso statim in limine memini, Justinum de mysterio Redemptionis humanæ, & potissimum incarnationis, quod Filius Dei sit factus homo, dixisse: *Esse inexplicabile, de quo vix quispiam fari possit.* Memini verborum S. Leonis hom. 9. de Nat. Christi. *Excedit, multumque supereminet humani eloquii facultatem, divini operis hujus magnitudo.* Non me fugiunt verba S. Damasceni, S. August. S. Hieron. primus dixit, *esse mysterium ineffabile & incomprehensibile.* Alter, *esse investigabile*, tertius, *quod natura non habet, ignorat*

ignorat ratio, pavet cœlum, stupet terra, creatura cœlestis admiratur. Mellea Clarevallensium apis, hoc mysterium appellavit, *Incomprehensibilem divinæ bonitatis abyssum.* S. Paulus, *Sacramentum absconditum.* Ad Eph. 3. v. 8. *Mihi data est gratia hæc, in gentibus Evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis.* 1. Timoth. 3. v. 16. *Manifeste magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, Sacramentum absconditum à seculis.*

§. 5. *Humilis fides potest scrutari.* Omnia hæc verissima sunt. Hoc tamen monent iidem SS. Patres, dici talia ingeniis superbis & arrogantibus, & Philosophis hujus mundi; Hæreticis potissimum, qui bolide humani intellectus perscrutari se posse profundum hujus mysterii existimant. Et quid miri, si ejusmodi imperiti Typhones hoc in Oceano patiantur naufragium & penitus submergantur? Bolis profundæ demissionis adjuta forti filo Christianæ fidei mysteria hæc suo modo perscrutari potest, tum maxime si mens humilis in horum sacramentorum consideratione hoc intendat, ut ex cognitione illa voluntas ad tanti benefactoris cultum, amorem atque adorationem inflammetur. Feliciter id quondam tentare ausus est S. Aug. qui l. 9 c. 6. Confess. fatetur, recordationem hujus mysterii, *tam sibi fuisse dulcem & suavem, ut illa satiari non posset.*

§. 6. *Conari debemus loqui quantum possumus.* Itaque ex altera parte cum S. Leone hom. de Nat. *gaudeamus quod ad eloquendum tantum misericordiæ sacramentum impares sumus: Et cum salutis nostræ altitudinem promere non valeamus; sentiamus nobis bonum esse, quod vincimur.* Ex altera conari licet, de illo dicere quantum possumus. Age anime mi, age lingua, quantum potes, quia major omni laude, nec laudare sufficis. His positis, de mysterii hujus necessitate sic discurrere aggredior.

§ 7. *Lapsus Adami.* Occasionem illi subministravit, Gen. 3. v. 6. parens noster Adamus in paradiso, & quidem re omnium pessima, summo malo, peccato. Ejus vel superbia & arrogantia, qua nescio quam divinitatis majestatem affectabat, vel inobedientia, qua in gratiam consortis Evæ gustavit vetitum pomum, tam grandis, tam enormis, tam quasi infinita fuit injuria erga supremam illam Majestatem, ut nisi divinæ Justitiæ aliunde satisfactum esset, Adamus cum omni posteritate æternum miser periturus fuisset. Justus enim est Dominus, qui malum & peccatum impunitum relinquere non potest. Luciferum cum Angelis innumeris ob unicum lethale crimen de cœlo deturbavit in infernum, ubi æternum ardebunt, æternum patientur, infelices æternum, æternum maledicti Spiritus, & nunquam tamen pro illata divinæ Majestati injuria facient satis. Tantum adfert malum, O Auditor. Deum lethali crimine vel unico offendere.

§. 8. *Aut genus humanum perire debuit, vel* Itaque quia Adamus, & in eo veluti capite humanum genus pari injuria, & contumelia Deum affecerunt, *erat*, inquit Proclus Ep. hom. de Nat. Christi *alterutrum duorum necessarium; ut aut*

Iustitia satisfieri. *omnes præcipites abirent in mortem, aut certe ut ejusmodi pretium penderetur, quod exactum debitum ad Iustitiæ amussim exæquaret.* O miseros nos mortales! Nisi nostram in partem divina se flexisset clementia! Verùm gaudeamus nunc afflicti homunciones, nam alterum hoc placuit divinæ Majestati simul ac bonitati, Luciferum & Angelos malos omnes, sine spe ullius redemptionis æternum addicere ignibus inferni, ut dici posset, *Iustus est Dominus:* Adamum verò & humanum genus salvare, ut dici posset, *Misericors est Dominus, Misericordia ejus super omnia opera ejus:* Ita tamen ut simul Justitiæ in summo rigore satisfieret.

§. 9. *Mirabilis modus quo Iustitiæ satisfactum est.* Præclare in rem nostram Rupertus l.6.in gen. *Proposuit quidem Deus per multam misericordiam, præjudicati in Adam humani generis judicium, per Christum adducere ad victoriam: Sed absque judicio & Iustitia, Misericordia non cadit in Deum.* Ut ergo non omnino ex sola misericordia, staret salus hominis, sed Misericordia & Veritas obviarent sibi, Ps.84.v.11. quæsivit Deus misericors mirabilem inventionem, quâ homo redimeretur, & tamen Justitiæ satisfieret.

§. 10. *Prosopopœia Iustitiæ exigentis condignam satisfactionem.* Sed dixit hæc in consistorio sanctissimæ Trinitatis: & quis erit ille modus satisfaciendi? Quæ creatura pretium æquum poterit exhibere, & quis innocens qui non peccavit, vel quis tantum præstabit honorem, quo illata exhauriatur injuria? Quis cruor hanc maculam eluet? Pretium pro debito exigo infinitum, & quis demum hoc solvet? Nolo rem ad scholasticæ subtilitatis radios exponere, claré rem edissero, quo & militiam peccati mortalis, & remedii necessitatem, ita ut par est apprehendere valeatis. Cogitate mille Angelos, imò milliones Angelorum fieri homines, ut patiantur dolores à Christo Filio Dei perpessos, ut sudent sanguinem innoxium, ut flagellis in illos acriter animadvertatur, ut spinis coronentur, ut probroso demum in ligno moriantur universi. Non tamen pro unico peccato lethali ex condigno satisfacere poterunt. Deum immortalem! delere debitum tanta cœlestium illorum Spirituum multitudo non poterit? Cogitate homines quotquot fuerunt, sunt, & erunt, universos adhuc acerbiora exantlare tormenta, quàm dicta sunt modo, nunquid aliqua erit satisfactio? nulla. Nullus purus homo etiam sanctissimus potuit satisfacere. Milliones hominum ardent in inferno, ardebunt æternum, nec tamen satisfaciunt, postquam à participatione meritorum Christi sunt exclusi. Ex infinita misericordia Deus pœnam meritam condonare potuit, sed noluit.

Hac in controversia Divina Sapientia mirabilem illum & amabilem modum suggessit, quo redempti sumus: ex misericordia infinita, salvis tamen legibus Justitiæ. Consilium sapientiæ hoc fuit. Persona una sanctissimæ Trinitatis fiat homo, ut pati, ut fundere sanguinem, ut mori possit pro homine, O ingens pretium! O admirandam satisfactionem, & quâ majorem rigor Justitiæ non potest exigere! Hic homo Deus poterit fundere lachry- §. 11. *Consilium D. Sapientiæ.*

chrymas ac sanguinem, una gutta, una lachryma sufficiens est ad æquissimam satisfactionem ; Si redemptionem oportet esse copiosam, copiosas emittat lachrymas, copiosum sudorem, copiosum emittat & sanguinem.

§. 12. Deus Homo potuit satisfacere. Pulchrè S. Anselmus l. 2. c. 18. *Ad hoc valuit in Christo diversitas naturarum, & Unitas Personæ, ut quod opus erat fieri ad hominum instaurationem, si humana non posset natura;* (V. G. remittere peccata, operari miracula, satisfacere) *faceret divina. Et si divinæ minimè conveniret* (scilicet pati, mori) *exhiberet humana, & non alius atque alius, sed idem ipse esset* (Deus Homo) *qui utrumque perfectè existens per humanam solveret, quod debibatur, & per Divinam posset, quod expediebat.* Hic Aud. hic est nucleus mysterii Incarnationis, hæc vera ratio ejusdem necessitatis. Decretum fuit ab æterno, executio contigit in tempore, atque illo contigit momento, quo B. Virgo respondit Gabrieli, *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*, Luc. 1. v. 38 Illo enim ipso Spiritus S. ex purissimo Virginis sanguine formavit sanctissimum corpus, illo ipso creata fuit anima perfectissima, illo ipso tremenda unione unita corpori, & ita Verbum Caro factum est, sive, *apparuit*, ad Titum 3. c. v. 4. *Humanitas & benignitas Salvatoris nostri Dei. non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam, ut salvaret nos.* Ita, inquit S. Damasc. *rei perquam difficili, & perplexa congruentissimum exitum Deus invenit; Salvando nos per Christum, quod per alium fieri congrue non potuit.*

Hactenus sive sententiis SS. PP. sive ipsa etiam divinissima SS Triados consultatione materiæ nostræ prælusum, nunc eandem ita prosequar, ut una vel altera figura aut historia sacris è literis deprompta eandem confirmem.

4. Reg. c. 4. Tristissima Sunamitis, in amaritudine animæ, cum paulò ante in ejus sinu, unicus multarum lachrymarum & suspiriorum filius expirasset, in monte Carmelo coram Elisæo se in terram abjecit, & apprehendens pedes ejus, cum gemitu & singultu, viro Sancto significavit mortem filii. Propheta ait puero Giezi: v. 29. *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua & vade, & pones baculum super faciem pueri, si forte vita redeat.* Pergit Giezi, currit, exequitur quæ in mandatis accepit, *sed non erat vox, neque sensus*, non surrexit puer. Ingressus est ergo domum ipse Elisæus, *& ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus, & clausit ostium, & oravit, & incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus, & oculos super oculos & manus super manus, & incurvavit se super eum, & calefacta est caro pueri, & aperuit oculos, & revixit*, v. 34. 35. §. 13. Elisæus fuit pulchra figura.

Ex historia plena mysteriis hæc modo animadvertite. Giezi famulus licet eodem baculo alia multa perpetrasset miracula, puerum tamen à mortuis excitare non potuit. Ipse Elisæus venire debuit, hic excitavit, & eo quidem modo, quo percepistis satis mirabili.

Per puerum mortuum intelligite genus humanum, quod in sepulchro peccati mortuum & fœtidum jacebat, prô quantam exhalabat mephitim! Tur- §. 14. Applicatio.

Turpissimum illud cadaver, quam abhorrebat ab ejus fœtore mundi Conditor Deus! Jacebat, nec erat, qui illud posset ad vitam revocare. Venerunt famuli cœlestis nostri Elisæi, accesserunt Patriarchæ, accurrerunt Prophetæ: Sed nequicquam effecere hi homines: nimirum non erat qui illud cadaver, humanum inquam genus excitaret à mortuis. Videri potuisset id temporis ferrea mors atque inexorabilis, utpote quæ omnem vitæ postliminio recuperandæ spem atque exspectationem præscidisset. Nam etsi Angeli sustinuissent ipsi personam pueri Giezi, si venissent instructi baculo crucis, si ad dura quævis, & aspera toleranda ultro se obtulissent, si in cruce extensi animam voluissent agere non tamen vita functum genus humanum resuscitare potuissent. Unus ac solus hoc poterat Elisæus. Uni illi debebatur hæc gloria, ab uno nostra pendebat felicitas, Salvatore Jesu Christo, qui cum filius Dei esset ab æterno unigenitus. O miram potentissimi dicam amoris, an amantissimæ potentiæ efficaciam! *exinanivit semetipsum*, Philip. 2. v. 6. factus homo, theatrum hujus mortalitatis ingressus est, in hoc præcipuam egit personam Elisæi cœlestis, comparuit instructus baculo sanctissimæ crucis, incurvavit se, minoratus est paulo minus ab Angelis, imo *humiliavit semetipsum, usque ad mortem, mortem autem crucis* v. 7. Ut quod nulla alia poterat facere creatura, præstaret. Et præstitit sane feliciſſime, in cruce mortem oppetens turpissimam, ut honestissimam in Paradiso iterum inciperet homo.

Debeo conceptum S. Augustino ita inquienti Ser. 206. de temp. *Puer Elisæi typum habuit Moysis, misit enim Moysen Deus cum baculo in Ægyptum; Sed baculus sine Christo flagellare Ægyptum potuit* (potuit aquas vertere in sanguinem, &c.) *de peccato vero liberare, vel suscitare non potuit. Opus erat, ut qui baculum miserat, ipse descenderet. Post historiam de Elisæo, sequens poni potest.* §. 15. *Verba S. Augustini.*

Dan. 10. Deus loqui voluit Danieli in persona Angeli, verum cum tanta majestate, ut Propheta dicat: v. 5. *Et levavi oculos meos, & vidi, & ecce vir unus vestitus lineis, & renes ejus cincti auro obrizo & corpus ejus quasi chrysolitus, & facies ejus velut species fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens, & brachia ejus, & quæ deorsum sunt quasi species æris candentis, &c.* Perpende bene visionem. Nominantur quidem membra corporis humani, renes, corpus, facies, oculi, brachia, sed omnia tam lucida, tam ignea, ut potius Angelica aut divina, quam humana visio illa fuerit. Hinc ita territus fuit Daniel, ut dixerit, v. 8. *quod non remanserit fortitudo in illo, & quod species ejus immutata sit in illo, nec habuit amplius quidquam virium.* Sed sentio Audit. rapit me modo ad suas visiones Apocalypticas Evangelica Aquila. § 16. *Alia figura ex Daniele.*

Et licet vir ille Angelicus, vel divinus conatus fuerit Danielem erigere, prout ait, v. 10. *Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum.* Tamen nec sic confortatus, iterum cum audiens, ad terram se collidit, v. 15. §. 17. *Prosecutio.*

Cum-

Cumque loqueretur mecum hujuscemodi verbis, dejeci vultum meum ad terram, & tacui. Verbo, Viri illius divini faciem Daniel perferre non potuit, nec sustinuit audire sermones ejus. Hoc itaque necesse fuit fieri. Vir vel Angelus ille immutavit speciem suam, deposito auro, depositis chrysolitis, deposito fulgure, extinctis ignibus stetit coram Daniele, ut alius homo, suavis, benignus, &c. *Et tetigit me,* ait Daniel, v. 18. *quasi visio hominis, & confortavit me, cumque loqueretur mecum, convalui, ac dixi, loquere Domine mi, quia confortasti me.* O mira Dei bonitas! hoc Dei filius fecit in Incarnatione. Ut homini loqui, & cum redimere posset, hoc fieri plane necessarium fuit; Pompam, majestatem, fulgur, radios, splendores divinitatis debuit deponere, Verbo, Verbum debuit fieri Caro, Deus homo, immortalis, mortalis, incorporeus, corporeus, ad nostram debuit descendere humilitatem, ut sic veluti repressis sublimitatibus, nube carnea involutus, munere & officio Redemptoris fungi posset.

§. 18. *Alia figura.* Exod. 20. in igne descendit Dominus, populo in monte Sina locuturus, sed ferre non potuit populus, unde Moysi dixit, v. 19. *Loquere tu nobis & audiemus, & non loquatur ad nos Deus, ne forte moriamur.* Imo de ipso Mose fatetur S. Paulus ad Hebr. 12. v. 21. quod totus fuerit territus. Et ita terribile erat, quod videbatur, Moyses enim dixit, *exterritus sum & tremebundus.* Ut itaque hic terribilis Deus nobis loqueretur in lege gratiæ, ut nos redimeret, deponere debuit ignes, debuit nobis fieri similis, debuit fieri homo.

Nam Apoc. 5. v. 1. vidit Joannes in dextera sedentis super thronum, *librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem, & audivit Angelum voce magna clamantem, Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus?* Antequam dicam quis aperuerit, scire oportet, quis liber ille fuerit, quem S. Joannes vidit. S. Ambrosius, Richardus, Beda, Haymo, S. Ans. Hugo, Origenes dicunt sermonem esse de sacra scriptura, quæ liber est, cujus mysteria sufficienter aperiri & exponi nunquam possunt. Quod si ita est, næ ego felices pronuntiabo expeditissimos scripturarum interpretes, qui oracula ex illis fundunt, sutores & sartores, quibus altera manu picem, & forficem, altera vah pudor! Sacram paginam tractare, imò etiam astantibus explicare concessum est. Quin ipsæ etiam mulierculæ, potissimum dum bene potæ, naturalem linguæ facilitatem intenderunt, sacra Biblia versant reversantque doctissimè. O dedecus! Catholicis verò sacra scriptura pagina est obscura! Sed missos faciamus tales nostri temporis scribas tales Interpretes Pharisæos. §. 19. *Figura ex Apoc. de Agno & Leone.*

Sanctus Hilarius per hunc librum intelligit ipsum Christum Dominum & ait, septem sigilla, esse præcipua ejus vitæ mysteria, Incarnationem, Nativitatem, &c. quæ sigilla vel mysteria humanus intel- §. 20. *Quis fuerit ille liber.*

lectus aperire & sufficienter explicare non potest. Alii interpretes asserunt sanctissimam Eucharistiam esse ejusmodi librum, cujus sigilla sunt accidentia, & species, sub quibus profundissima abscondita sunt mysteria. Andreas Cretensis, Cæsarius atque alii volunt illum librum, fuisse librum vel vitæ, & prædestinationis, vel mortis & reprobationis. Verè clausus est hic liber, nam cui licuit eum inspicere, ut sciat, odione an amore sit dignus?

§.21. *Sententia Origenis.* Non inhærebo modo his doctissimis interpretationibus; meæ dissertationi, in qua ostendere volo, quod ad genus humanum redimendum Filius Dei debuerit fieri homo, serviunt illi Patres, qui per librum hunc apocalypticum intelligunt chirographum primi parentis, sive obligationem, & reatum peccati, quo fassus est, se cum posteris reum esse æternæ damnationis, de quo alias dixi ex Origene, *quisquis peccat, dum peccat, chirographum scribit, quo se obligat quasi infinito & æterno debito.* O triste chirographum! O funestas literas! Et atro exaratas charactere; Septem sigilla sunt septem gravissima mala & damna peccati mortalis, offensa Dei, pœna damni, pœna ignis æterni, necessitas moriendi, jugum diaboli, aversio à Deo, & conversio ad creaturas, denique concupiscentia. Quis talia unquam sigilla, tam horrenda, tam exitiosa, vel vidit, vel audiit?

§.22. *Nulla creatura potuit illum librum aperire.* Hoc itaque chirographum si subtilius loqui lubeat, Divina Justitia quodammodo inclusit libro decreti, quo statuit in Adamum æternis ignibus animadvertere, nisi sit qui librum aperiat, ablatumque chirographum vel deleat, vel comburat, & pro infinito debito satisfaciat. Bene habet, mortales, macti animis, mox talem videbitis: Et verò jam redeo ad quæstionem à S. Joanne propositam, v. 2. *Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus?* Sive quis poterit è manibus Justitiæ eripere chirographum peccati? Respondit quæstioni ipse Sanctus Joannes, v. 3. *Nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum.* Quomodo? inter tot millia millium cœlestium Spirituum, inter Cherubinos & Seraphinos nullus erit, qui possit aperire hunc librum? Nemo, nemo potuit. Fiat, ut creentur novi Spiritus perfectiores, sanctiores, nemo poterit aperire librum.

§.23. *Sed leo, Agnus.* Amare propterea flevit S. Joannes; & quis non miserum illum humani generis statum fleret atque defleret, nisi forte casu aliquo aperiantur sigilla. At ecce perquam commode adsunt seniores viginti quatuor, quorum è numero unus Joannem solatus in hæc fere verba erumpit: v. 5. *Ne fleveris, ecce vicit leo de tribu Iuda radix David aperire librum & solvere signacula ejus. Et vidit in medio throni Agnum stantem, tanquam occisum, venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum, & cum aperuisset, quatuor animalia & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli cytharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, & cantabant canticum novum, Dignus es Domine accipere librum & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos*

Deo

Deo in sanguine tuo. Tum S Joannes audivit *vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum dicentium voce magna; Dignus est qui occisus est accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Omnis creatura, quæ in cælo fuit & super terram, & sub terra, & in mari respondit, sedenti in throno & Agno, benedictio & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.*

§. 24. *Applicatio.* Advertitis mysterium? Advertitis illius necessitatem & Incarnationis Filii Dei? Leo vicit, Agnus librum aperuit, leo & Agnus mysterium Incarnationis, & Redemptionis humanæ peregerunt. Sed non solus leo, non solus Agnus, sed leo & Agnus simul. Leo tamen & Agnus unum repræsentant, qui leo idem fuit & Agnus; qui Agnus idem & leo. Leo Symbolum est naturæ divinæ, Agnus humanæ; Leo & Agnus sive duæ naturę, divina & humana; in una persona conjunctæ sunt, & *Verbum Caro factum est,* Joan. 1. v. 14. sive Filius Dei factus est homo, factus est Agnus, qui immolari, occidi, mori, sanguinem fundere potuit in ara crucis; & hic librum aperuit, hic solvit signacula, hic chirographum auferens de medio, & affigens Cruci delevit cruore suo. Verbo, hic solus, non alius in sanguine suo nos redimere potuit, & redemit. O Leonem; O Agnum; & admirabilem, amabilem, utriusque in uno conjunctionem!

§. 25. *Symbolum Ar-* Nimirum qui leo fuit erga rebelles illos Spiritus; Idem erga nos miseros mortales fuit Agnus. O Symbolum tremendum aliis, aliis colendum! Illis funestum ac tragicum, nobis jucundum ac dulce, illis ad interitum, nobis ad vitam. Memini Audit. idem olim extitisse Symbolum Serenissimi p. m. Archiducis Austriæ Guilhelmi Leopoldi. *chiducis Vvilh. Leopoldi.* Nam & is Agnum ostentabat & Leonem. Utrumque sub cruce lauro coronata quiescentem cum hac epigraphe, *Timore Domini.* Faveo Serenissimæ familiæ Serenissimum hoc Symbolum; quod à sanctissima Verbi Incarnati Cruce, tanquam salutis suæ felicitatisque tesseram nuncupavit: Sed & nobis gratulor Audit. Imo toti gratulor orbi terrarum. Nam vicit ille Agnus, agnus sustulit chirographum, imò suo sanguine delevit.

§. 26. *Agno sit laus.* Eja Angeli, eja seniores, eja mortales, eja animalia, eja volucres, arbores, plantæ, sylvæ, nemora, fontes, montes, flumina, maria, eja quidquid est in hoc orbe visu pulchrum, pretio rarum, magnitudine eximium, accurrite, & Agno nostro, Agno salutis Vindici, Agno Assertori mortalium, concinite, plaudite, benedicite, eja pangite ei laudes, proferte encomia, fingite versus, excogitate cantica, honorem gloriamque accumulate. Dicite, O felix Agnus! Concinite, O amabilis, gratus, jucundus cœlestis; exclamate, O mirabilis Agnus; Agnus qui tollit peccata mundi; ingeminate, *Dignus est Agnus, qui occisus est, &c.*

§. 27. *Symbola gratitudinis quam Deo debemus.* Atque hoc est illud potissimum Auditor. quod à vobis optarem sacro hoc adventus tempore indies præstitum. Nimirum, ut vos gratos Salvatori nostro Agno exhibeatis; quam in rem af-

fectui nostro servire videtur D. Joannes, dum describit cytharas, phyalas, & cantica Seniorum. Andreas Cretensis per cytharas intelligit, suavem Dei laudem, Rupertus, Mentes puras, quæ suavi plectro mundæ linguæ Dei laudes personant. Richardus, bona opera quæ bono exemplo, veluti suavi sono proximum ad Dei laudem excitant. Pannonius Concentum & harmoniam virtutum, quibus Deus maximè glorificatur.

§.18. Prosecutio. De phyala ait Ansbertus, *Phyala aurea est Caritas.* Rupertus Phyala aurea est cor caritate dilatatum. Alii, phyala aurea plena odoribus est cor fumans piis & ardentibus desideriis. Cantica quæ S. Joannes audivit, notant nostras preces & orationes, & psalmos, quibus Deum laudamus. Hæc à vobis requiro Audit. hoc adventu, in gratiarum actionem pro beneficio Redemptionis. 1. Ut manibus præferatis cytharas, ut frequenter Deum laudetis, ut ex intimo corde ei agatis gratias. Sed mentes necesse est existere puras, linguas mundas. Cordibus castis, linguis puris laudate Deum. Ut exerceatis vos in virtutibus, amore, patientia, humilitate, &c. quibus delectatur hic Agnus. O si affectuum nostrorum Cythara, harum, quas modo dixi virtutum concentus resonaret! O si cythara pii cordis instructa esset chordis fidei, Spei, Charitatis, gratitudinis erga hunc nostrum Agnum, O si! sed votum abrumpo. Timeo enim ne per hosce dies aliquorum cythara futura sit, vel sine chordis, cui proinde ingeniosus poëta hoc lemma merito subscripsit, *Vis vitam tollere, tolle fidem.* Vel certè cytharam cordis instructam cui assidet pusio, & aspicit, sed non attingit, hinc illo dignam lemmate, *Muta fides, nisi mota.* Nimirum instruenda est primum fidibus cythara, id est, credendum agnoscendumq; beneficium, dein, etiam artifice digito movenda, id est, deprædicandum calamo, voce ac lingua commendandum Incarnationis mysterium. Præterea requiro ut præferatis phyalas aureas. Phyalæ aureæ sunt mentes vestræ, cum fumant piis desideriis: Phyalæ aureæ sunt corda vestra caritate dilatata. O Audit. comparete frequenter, comparete obsecro cum hisce phyalis aureis, & delectate Agnum vestrum & trahite in odorem suavitatis. Denique requiro cantica, sive ut in preces sedulo incumbatis ardenti oratione, ut in hymnis & psalmis laudetis Deum, quoad in altera vita nostras voces misceamus cœlestibus, & æternum cantemus, *Benedictio, claritas, &c.*

CON-

CONCIO II.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & majestate.
Luc.21. v.27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit hæc Concio, & confirmat probabilem sententiam (piis solatio plenam, impiis terribilem) quæ putat Christum Dominum in Judicio particulari, in supremo agone, omnibus apparere in Schemate Crucifixi; sive talem, qualis olim pependit in Cruce.

§. 1. *Ceadda Episcopus valde timuit tempestates.*
§. 2. *Timeamus magis diem Iudicii.*
§. 3. *Sententia Iudicis terribile fulmen.*
§. 4 *Quod sit signum Filii hominis.*
§. 5. *Descriptio Sanct. Crucis ex S. Augustino.*
§. 6. *Tres causæ, ob quas Crux apparebit.*
§. 7. *Explicatur particula* Tunc.
§. 8. *Apostrophe ad impios.*
§. 9. *Nulla erit spes veniæ.*
§. 10. *Videbunt quoque Filium hominis in Iudicio particulari.*
§. 11. *In forma qua pependit in Cruce.*
§. 12. *Verba Innocenti III.*
§. 13. *Cæsaris Arelatensis, & Sanct. Augustini, & S. Bonaventuræ.*
§. 14. *Piis illud erit solatio.*
§. 15. *Morientem Christus in Cruce complectitur.*
§ 16. *Desiderium similis mortis.*
§. 17. *Piissima mors S. Laurentii Instiniani.*
§. 18. *Impiis hoc spectaculum erit terribile.*
§. 19. *Mors impii morientis in conspectu Crucifixi.*
§. 20. *Verba S. Ruperti.*
§. 21. *Terribilis mors impii Adolescentis.*
§. 22. *Apostrophe ad peccatores.*
§. 23. *Pathetica conversio impii Adolescentis in agone, ex conspectu Crucifixi.*
§. 24. *Terribiles oculi Crucifixi.*
§. 25. *Devota Oratiuncula.*
§. 26. *Suspirium ad Jesum.*
§. 27. *Apostrophe ad Iesum Crucifixum.*

§. 1. *Ceadda Episcopus valde timuit tempestates.*

Dum hodierna nobis Dominica Evangelium vel Concio Christi de extremo die judicii prælegitur, optarem nos facere quod facere quondam solitum accepimus Ceaddam, pium Lindisfarniorum in Anglia Episcopum. Hic enim licet sanctam inprimis, & dignam episcopo vitam degeret, ita tamen pertimescebat tempestates, ita reformidabat fulmina, ut cum ventus aliquis vehementior insurgeret, cum cogerentur nubes in fulgetra, fulmina, tonitrua, in terram se prosternens magnis vocibus Dei misericordiam imploraret. Jam cœlo gravius succensente, & fulgura tonitruaque quæ prius coxerat, miscente, ipse confestim ad templum confugere, coram Venerabili Sacramento in genua se abjicere, nec inde discedere solebat, donec omnis ille tempestatis turbo transiisset. Rogatus deinde causam cur ita timeret, respondit: *ex his velut præludiis* (ex ira elementorum, ex coruscatione fulgurum, ex horrenda nubium collisione, ex fragore tonitruum, ex illa denique irati aëris tempestate,) *imaginem mihi propono, & quandam velutì ideam diei illius supremi ac decretorii, quo certè tunc homines minus ferre poterunt fulgurantes Iudicis oculos, fulminaque ac tonitrua fatalis ab arcu sententiæ.*

§. 2. *Timeamus magis diem iudicii.*

Ingentem tempestatem in hod. Evang. nobis prædicit Christus Salvator noster, qua non tantum venti, & maria in hominum perniciem conjurasse videbuntur, non in sole tantum & luna erunt signa, non solum stellæ de cœlo cadent, non solum igne & flammis mundi pars tertia conflagrabit, sed quod omnium terribilissimum, veniet Judex, de quo Job cap 37. v. 5. *tonabit Deus in voce sua mirabiliter.* Veniet Judex qui de se ait Deuter. 32. v. 41. *Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam. Sagittas meas inebriabo sanguine, & carnes eorum devorabit gladius meus.*

§. 3. *Sententia Iudicis terribile fulmen.*

O impii! vester erit sanguis quo tremendus Judex sagittas suas inebriabit, vos eritis contra quos ut fulgur acuet gladium suum, &c. & non in terram vos abjicitis, imò non in profundum vestri nihili vos demergitis, atq; omni ope ac contentione Dei misericordiam imploratis? cur ex præludiis illum decretorium diem non æstimatis? nam si repentinum tonitru vel fulmen, tanto vos metu terroreque consternatos relinquit, quomodo tandem afficiet fatalis illa sententia irati Judicis? quare ut ad salutarem vos timorem hac concione permoveam, allegatum thema ex Evang. *Tunc videbunt* &c. literaliter primum, deinde & sensu mystico exponam, erit occasio agendi de quorundam sententia, existimantium, Christum Dominum omnibus in agone constitutis, probis æque ac reprobis appariturum, in illo schemate, quo aliquando in monte Calvariæ pependit in cruce. Id me consecuturum spero, ut intelligatis sanctam Matrem Ecclesiam suos filios hoc sacro tempore adventus non sine gravi causa ad pœnitentiam invitare. *Propositio.*

Pecu-

§. 4. Quod sit signum Filii hominis. ¶ Peculiaris emphasis latet in particula, *Tunc*, scilicet circumstantia temporis, & momentum quo in valle Josaphat descensurus est Judex, quod ut rectius percipiatur, ex præcedentibus scire oportet, quodnam sit illud signum filii hominis, in cœlo de quo S. textus paulò ante loquitur. Plerique Patres, S. Chrysost. S. Hieron. S. Hilarius, S. Leo, S. August. ser. 13. de temp. conspirant fore sanctissimam Crucem. Consentit Ecclesia in off. S. Crucis, Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit. Num verò appparitura sit ipsa crux, in qua Christus pependit, ut sentiunt aliqui, & prædixit Sibilla.

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit,
Nec te terra capit, sed cœli tecta videbis,
Cum renovata Dei facies ignita micabit.

An verò Angeli in aëre imaginem aliquam Crucis ex aurea nube sint formaturi, prout formarunt igneam columnam, quæ Israelitas duxit per desertum, Gen. 13. v. 21. & arbitrantur S. Ans. Abulensis &c. hic non disputo, illud certò assero, signum aliquod sanctissimæ Crucis ante conspectum Christi Judicis, descendentis nube majestatis ad judicium, quasi trophæum victoriæ, ac regale insigne summæ potestatis & imperii deferendum.

§. 5. Descriptio S. Crucis ex S. Aug. Sic illud describit S. August. ser. 130. de temp. *Considerasti, quanta sit virtus signi, hoc est Crucis. Sol obscurabitur, luna non dabit splendorem suum: crux verò fulgebit, & obscurabit luminaria cœli, delapsisque sideribus sola radiabit. Hæc differentia, bonis amabilis, impiis terribilis:* Pergit S. August. *quemadmodum enim ingrediente Rege in civitatem, exercitus antecedit præferens humeris signa atque vexilla regia, &c. ita Domino descendente de cœlis, præcedet exercitus Angelorum, qui signum illud & triumphale vexillum sublimibus humeris præferentes, divinum Regis cœlestis ingressum terrestrium mentibus nuntiabunt.*

Causæ ob quas sanctissima Crux supremo Judici præferetur, sunt potissimum tres. 1. ut significetur Christum per crucem sibi hanc gloriam, & judiciariam potestatem meruisse. 2. Ut indicetur Christum pro omnium salute fuisse crucifixum, id quod Electis summæ erit consolationi, cum videbunt se per crucem salvatos: Reprobis maximo dolori, cum serò nimis animadvertent suis se sceleribus sanctissima merita Crucis irrita fecisse. Affirmat hoc S. Chrysost. *Visa enim Cruce considerabunt quod mortuo eo nihil profecerunt, & quoniam crucifixerunt eum, quem adorari oportebat.* 3. Crux erit signum adesse tempus, quo crucifixi amatores cum ipso in cœlum sunt exaltandi, crucis inimici, dejiciendi in gehennam. §. 6. Tres causæ ob quas Crux apparebit.

His positis, particula *tunc* hæc significat, *tunc*, cum ut Joel loquitur c. 2. v. 31. *Sol conversus fuerit in tenebras, & luna in sanguinem.* Tunc cum animæ Beatorum descenderint de cœlo in vallem Josaphat, & animæ damnatorum egressæ fuerint ex inferno, *tunc* cum omnium mortalium corpora ad vocem tubæ Archangeli resurrexerint §. 7. Explicatur particula Tunc.

rint ex sepulcris, *tunc* cum unita fuerint animabus, cum facta fuerit resurrectio carnis; cum Angeli separaverint bonos à malis; *tunc* cum dæmones adfuerint ex inferis ad accusandum impios, cum in nubibus apparebit sanctissima Crux, cum spectabilis erit pulcherrima Iris pro throno tremendi Judicis, *tunc* cum plangent omnes tribus terræ, id est, multi ex omnibus tribubus, sive statibus hominum: (O luctuosum mœstissimi planctus spectaculum!) Causam illius affert S. August. ser. cit. *tunc plangent, videntes accusatorem suum, id est, ipsam Crucem & in ipsa arguente cognoscent peccatum suum.*

§. 8. *Apostrophe ad impios.* Itaque videbitis vos, oppressores pauperum, videbitis inquam, in sancta cruce, quasi in speculo, scelerum vestrorum magnitudinem. Væ vobis! descriptæ erunt vestræ fraudes, usuræ, rapinæ; depictæ erunt injuriæ, quibus viduas & pupillos, orphanos & egenos, subditos & afflictos exhausistis. O miseri! *tunc* & vos exhauriet furor Domini in fulgure & tonitru. *Tunc* & vos videbitis superbi pavones, videbitis inquam, in S. Cruce, quasi in speculo, elationis vestræ fructum, arrogantiæ finem, confusionem superbiæ, utpote quam sanctissimæ Crucis humilitas fulminabit, tanto majore vestro cruciatu, quanto magis invisa est atque exosa humilitas. *Tunc* vos invidi legetis in Cruce damnatam sobolem Caini, legetis & nomina vestra, & illis nigerrimum æternæ damnationis Theta præfixum. Et vos lascivi, spectabitis vestras immunditias & impudicitias patratas in cubilibus, admissas in lectis, perpetratas in tenebris, cogitatas in cordibus. Heu infelicem illum aspectum, quem ipsi etiam Cacodæmones vobis quantumvis invitis obtrudent. *Tunc* & vos divites Epulones, & avari euclones videbitis avaritiæ vestræ Symbola, gulæ scelera, immisericordiæ pectora, signa tenacitatis, crudelitatis facinora. Prô quàm ille vos sanctissimæ Crucis cruciabit intuitus. Et merito, Crucis invisores, ejusdem Crucis, scelerumque in ea distinctè notatorum aspectu cruciabuntur.

Verùm ex altera quoque parte, heu tormentum! videbitis non esse amplius locum pœnitentiæ, non veniæ copiam, non exspectationem clementiæ. Heu dolor! tunc ille incipiet planctus, tunc illi gemitus, illa suspiria, illa vota, illi ululatus! sed nequicquam profuturi. In hac animorum consternatione sequetur tanden hoc ultimum. §. 9. *Nulla erit spes veniæ.*

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna & majestate. in græco est, cum magna fortitudine & gloria. Cum gloria, ob immensum corporis splendorem, cum gloria, ob comitantium Angelorum multitudinem, cum gloria, ob nubis & iridis coruscantis radios; cum potestate, ob prævia tonitrua, fulgura, terræ motus. Cum virtute & fortitudine, quia nemo reluctari poterit, quia sententiam feret, quam nullus immutabit. Verum de hac alibi. Atque hic est genuinus sensus citati mei thematis, omnes aliquando in valle Josaphat visuros sanctissimam Crucem, & Christum Judicem in illa crucifixum. Verùm reperio quosdam ejus esse §. 10. *Videbunt quoque Filium hominis in jud. particulari.*

esse sententiæ, ut existiment, non futurum hoc tantum in universali illo judicio, sed in particulari etiam, quod ipso mortis suæ articulo cuivis est subeundum, videri Christum Judicem, à quo vel salutis, vel reprobationis audiatur æternæ sententia. Ut ut sit, certum est, omnes in agone à Christo judicandos, modus incertus. Peculiaris est aliquorum sensus, in judicio particulari, non comparere Filium hominis in splendore, & majestate, sed illo in schemate, quo pependit & mortuus est in Cruce.

§. 11. *In forma qua pependit in Cruce.* Nemo dum hæc dico, cogitet me loqui temerariè: dicere enim potero cum Seneca ep. l. 1. ad Lucil. ep. 10. *Non à summis labris ista veniunt, habent hæ voces meæ fundamentum.* Quod invenio apud summum Ecclesiæ Antistitem, Innocentium III. qui ad pontificatum evectus fuit anno post Christum N. 1198. hic præsul. l. 2. de cont. mundi c. 43. sic loquitur:

§. 12. *Verba Innocentii III.* *Videt tam bonus quàm malus, antequam egrediatur anima de corpore, Christum in cruce positum. Malus videt sibi ad confusionem, ut erubescat se non esse redemptum sanguine Christi, culpa sua exigente; unde de malis dicitur, videbunt in quem transfixerunt. quod intelligitur de adventu Christi ad judicium: & de adventu ejus, ad diem mortis cujuslibet hominis. Bonus vero videt ad exultationem, & hoc habemus ex verbis Apostoli, qui ait: usque in adventum Domini nostri Iesu Christi, id est ad diem mortis, quando apparet tam bonis, quàm malis Christus in Cruce positus.* Hæc sunt aurea & tremenda verba summi hujus Ecclesiæ Præsulis, digna quæ altis radicibus omnium cordibus infigantur.

Consentit Cæsarius Arelat. hom. 27. *Prima erit in reos intoleranda sententia reverendarum præsentia cicatricum, quando contra illius Crucifixi Domini livores, peccatorum notæ & maculæ libidinum proferentur.* Clarius D. Bonav. p. 1. stim. c. 2. *Apparebit D. Iesus cum vulneribus suis, & clamabit dicens, videte quantum à vobis, & in vobis, & pro vobis passus sum & tamen ingrati omnia contempsistis, & pro nihilo duxistis.* S. August. ser. 67. de temp. catalogum nectit exprobrationum, quas Christus crucifixus morientibus peccatoribus objicere solet, v. g. *Ego te creavi, sed deceptorem sequi, quàm Deum maluisti. Propter te factus sum homo, flagellis cæsus, spinis coronatus, cruci affixus exspiravi. En clavorum vestigia, quibus affixus pependi! en perfossum latus! sed cur quod pro te pertuli, perdidisti? cur ingrate, redemptionis tuæ munera rennuisti? cur me graviori criminum tuorum cruci, quam illi in qua pependi, affixisti? Ingrati omnia contempsistis, & pro nihilo duxistis*, ecce vulnera! pro nihilo duxistis. *Ecce spinas, clavos! pro nihilo duxistis, &c. discedite maledicti.* Ex quibus omnibus hoc ego conficio, citati thematis hunc posse sensum existere. — §. 13. *Et Cæsarii Arelatensis & S. Bonav. & Aug.*

§. 14. *Piis illud erit solatio.* Tunc in illo articulo, quo anima justi in agone cupiet dissolvi & esse cum Christo, tunc cum à corpore discessum parat, tunc cum jam in extremis labris versatur, sistet se Christus in Cruce. Quid justo optabilius, quid gratius, quid acceptius esse potest, quàm in il-

lis extremis angustiis videre suum Salvatorem in Cruce? quale erit gaudium & solatium expirare Spiritum in sanguineas manus, & rosea Vulnera Redemptoris, per quæ patet aditus ad cœlum. Ruere in amplexus & expassa in Cruce brachia? O beatum mori! O dulce mori! mori inter amplexus Christi Crucifixi! Gaudete piæ animæ, exultate, quibus modo curæ ac cordi est cor dilecti vestri in Cruce pendentis Jesu! ne vos terreat ultima appropinquantis mortis hora: hora erit consolationis ex aspectu dilecti, ne vos morbi vehementia perturbet; recreabit amoris præsentia, ne pusillanimes vos reddant tenebræ atque umbra mortis, fugabit noctem æterna lux, splendor gloriæ, sol Justitiæ, Christus Jesus Crucifixus. O felix mortis articulus, quo spectatur Jesus in Cruce. Beatæ tenebræ, quas excipit sol tam amabilis! beati morborum dolores, ex quibus perennis ex aspectu Crucifixi nascetur voluptas.

§. 15. *Morientem Christum in Cruce amplectitur.*

Vultis aliquod rei hujus exemplum? pleni sunt libri, plenæ sanctorum historiæ, plenæ beatorum vitæ ac mortes. Ex innumeris unum mihi suggerit Alegambe noster in sua bibliotheca, quod ejusmodi est, ut haud sane sciam, an aptius aliquid ad consolationem, vel ad voluptatem dulcius à me lectum aut etiam à vobis auditum sit. Fuerat Pater è Soc. Jesu quispiam tota vita addictissimus Passioni Christi, & potissimum ejus agoni in Cruce, per angustias Christi morientis solenne illi erat quotidie sanctam mortem rogare. Quo putatis fructu id fecerit Audit.? intelligite; cum jam ultimo in agone cum morte conflictaretur, & crucifixi imaginem manibus præ se tenens ferventissimis desideriis idem peteret, & exclamaret, *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum:* rem miram visu circumstantes adverterunt ligneum Christi corpus in Cruce paulatim se solvere, elabi clavos primum è pedibus, mox & è manibus, tum demittere se se, & corpus corpori, cor cordi applicare supra pectus Patris, quasi morientem vel tegere vellet, vel amplexari, sic pie & sanctè obiit Pater.

§. 16. *Desiderium similis mortis.*

Ah! utinam tali morte moriantur justi. O Angeli nostri Custodes & Patroni, vos præcipue S. Joseph & S. Barbara! nuntiate Jesu Salvatori nostro, sic mori cupimus. O BB. Virgo! O Mater dolorum! ah similem nobis impetra mortem. O mi Jesu! ita ita, volumus volumus te Crucifixum & Judicem in agone spectare, sed amici, non hostes. Hanc gratiam largire, ut anima mea expiret in tuum dulce latus. Omnino cupio videre sanguineas tuas manus, sed ut mihi benedicant benedictione æterna. Cupio tunc videre tuam linguam felle potatam, sed ut ferat sententiam vitæ. Hoc fine modo dum sani sumus toties amplectimur Crucifixum, toties nos abscondimus in sanctissima Vulnera, toties amplexamur pedes, toties exosculamur sanctissimas manus, cum affectibus fidei, spei, caritatis, doloris, &c. ut tunc, tunc cum in agone te videbimus, eodem te modo intueamur, & eodem perfruamur solatio, quo fruitum quon-

quondam ferunt S.Laur.Justinianum, Venetorum Patriarcham.

§. 17. *Piissima Mors S. Laurentii Justiniani.*

Is enim cum tempore vitæ valde horruisset mortem, illi proximus tanto fuit delibutus gaudio, tantis affectus deliciis, ut cum lacrymis dixerit circum se stantibus: *Abite hinc cum vestris lachrymis, tempus lætitiæ est, non lachrymarum.* & postquam sacro esset inunctus oleo: *pudeat vos mortem timere, cum D. noster Iesus Christus, in cujus conspectu decumbo, propter nos in Cruce mori voluerit. Hunc diem semper ante oculos habui, tu scis mi Domine Iesu* (Surius 8. Jan.). Idem faciamus Audit. dicamus cum S. Aug. ser. 120. de t. *Præveniendus est dies, qui prævenire consuevit.* Vel cum Seneca ep. 94. *Nullum diem non tanquam ultimum aspexi.* Dicamus non tantum cum Jobo cap. 19. v. 26. *Videbo Deum Salvatorem meum,* sed Jesum in Cruce pendentem, ut me judicet. ita dum tempus est, vivam, ita eum amabo, ita colam, ita prosequar omni mentis affectu, ut tunc, in meo agone, in momento, à quo pendet tota æternitatis meæ ratio, videam cum solatio, & audiam, *Veni benedicte.* Matth. 25. v. 34. Itaque hic mei thematis esse poterit sensus; justi & pii tunc, cum moriendum erit, videbunt Filium hominis Crucifixum.

§. 18. *Impiis hoc spectaculum erit terribile.*

Quid vero de impiis dicemus? quid de osoribus, de inimicis Crucis Christi? O mortalium infelicissimos; nam & ipsi tunc videbunt, in quem confixerunt Crucifixum. Sic equidem pro illis nostrum thema est exponendum. Tunc cum animam peccatoris lucta urgebit extrema, tunc cum exire compelletur, tunc cum ob angustias cordis contremiscent membra, cum lethalis undique sudor erumpet, cum inter ejulatus & planctus frangentur oculi, tunc videbunt Christum Judicem, qualis in monte Golgothæo pependit in Cruce, tunc cum aperietur liber conscientiæ, tunc cum dæmones gravissime accusabunt, apparebit Christus in Cruce. Timete impii, trepidate scelesti! Referunt historiæ, impie morientes in agone fuisse quandoque territos à nigris corvis, canibus, draconibus, diabolis, tristia fateor hæc spectacula & formidanda, sed multo tristior, terribilior, funestior, calamitosior irati aspectus Judicis.

§. 19. *Mors impii morientis in conspectu Crucifixi*

Horresco, cum mihi imaginor impium morientem in conspectu Crucifixi! O momentum quo justus judex dicet impio, ecce mea vulnera quæ tot annis tibi patuerunt ad veniam, sed noluisti! ex hoc momento æternum tibi erunt clausa. Ecce brachia Patris, quibus semper te amplecti volui; noluisti! *ito maledicte in ignem æternum,* Matth. 25. v. 41. Ecce defluentem sanguinem, qui tot annis pro te clamavit veniam & misericordiam, noluisti; ex hoc momento æternum clamabit vindictam, tum vindex dicet, *Ego quoque in interitu tuo ridebo.* O impii! O scelerati! perpendistisne aliquando, quid sit in agone & interitu rideri à Christo? quid tum sit ab illis brachiis excludi? quid tum sit claudi illa Vulnera? quid tunc sit ejus sanguinem clamare vindictam? O Jesu, mihi saltem tunc parce, parce animæ meæ O Crucifixe Salvator! fac benignissime Jesu,

 ne tunc

ne tunc in illorum sim numero, quos terrificus tuorum sanctissimorum Vulnerum fulminabit aspectus.

§.20. Verba S. Ruperti. Enimverò quàm ille futurus sit impiis tremendus, docent nos verba S. Ruperti l.4. in Joannem. *Veneranda Domini Vulnera, aterna vobis erunt incendia.* Expertus fuit ille juvenis, qui ut impie vixit, sic impiè fuit mortuus. Revocate in memoriam obitum Patris, cujus paulò ante feci mentionem, quem Crucifixus, solutis à Cruce brachiis exspirantem fuit amplexatus. Simile aliquid, plane dissimili modo contigit huic Juveni. Antequam id referam, per Vulnera Christi rogo, ut si quis ex meis Auditoribus actu sit mortali contaminatus peccato, id quod dicturus sum, alte cordi suo imprimat.

§.21. Terribilis mors impii Adolescentis. Cum impius hic adolescens, nullis precibus, etiam nec aspectu Crucifixi, ad confessionem & pœnitentiam posset commoveri, imago Christi, soluta à stipite dextera. Dicamne? O rem horrendam! silet lingua, mens stupet! vix ac ne vix quidem eloqui possum, ita funestum est quod sequitur! ita fatale, ita terribile! soluta inquam, è stipite dexterâ illam lateri imposuit, & extractas aliquot sanguinis guttas in morientis faciem conjecit, ingeminata hac formidabili voce: *Sanguis meus sit tibi in perditionem, sit tibi nota in omnem æternitatem, quod illi fueris ingratus.* Sic impius impiam vomuit animam Videre mihi videor hunc juvenem in inferno, totum in flammis, ita tamen ut appareant in vultu divini sanguinis notulæ! videre mihi videor ex istis notis peculiares ultrices erumpere flammas, audire mihi videor ejulantem, heu! urit me ignis, sed magis hic sanguis. O mi Jesu, ergo tuus sanguis in sudore sanguineo fusus urit damnatos? ergo sanguis fusus in flagellatione vel spinea coronatione, inferni flammas accendit? ergo cruciat apud inferos expressus è divinissimo corpore, per clavorum violentiam, & lanceæ diritatem, Cruor?

O peccatores, quid hic cogitatis? per salutem vestram obtestor & obsecro, dum tempus est, hoc sacro adventu, pœnitentiam agite, recipite vos ad meliorem vitæ frugem, estote staurophili, hoc est amatores Christi Crucifixi. Nunc ita aspicite devoto oculo, contrito corde Servatoris vestri Vulnera, ut tunc ab illorum aspectu, quem excipiet æternitas, nequaquam horreatis; Verùm mittamus infelices illos Crucifixi aspectus, quos tam infausta catastrophe subsequitur. §.22. Apostrophe ad peccatores.

Felicior certè fuit ille, qui ad meliorem frugem conversus est (Radero teste) adolescens in Peruvia Princeps, Christianus nominè, re autem ac vita impiissimus. Hunc ubi contigit gravi morbo dejectum ab Indo quopiam Christiano, ut moris est, invisi, palmare edidit facinus, nequissimi pectoris, perditissimique mortalis. Nam cum illi ab eodem quem dixi, Indo, imago Christi lignea ad adorandum proponeretur, in illam proterve exspuit dicens: *hiccine est Deus Christianorum.* §.23. Pathetica conversio impii Adolescentis in agone, ex conspectu Crucifixi.


O Salvator potuistine hic ultricem dexteram cohibere? potuistine tolerare insolentissimi hominis facinus horrendum? §.24. Terribiles oculi Crucifixi.

rendum? quin vel fulmine in blasphemam linguam, & nefarium os sæviisti? vel terra absorberi infandum caput jussisti? meruisset profectò has, imò graviores pœnas homo ipso tetrior Cacodæmone. Verùm aliter id temporis visum est, Audit. Nam (audite rem miram) imago statim caput ex dextera parte, deflexit in sinistram, & in ægrum omnesque astantes, tam terribiles defixit oculos, ut terrefacti, præter Indum, quasi mortui corruerint in terram, per tres horas, exanimes, absque omni vitæ sensu, donec sibi subinde restituti, ac præcipuè Princeps exclamavit, *Verè magnus est Deus Christianorum*, & statim lege cautum voluit, ne quis inposterum blasphemus in Crucifixum audiretur. Haud ita multo post pristina donatus valetudine, sanctissimum ingressus fuit ordinem, in quo sanctam egit vitam, & peregit. Hunc imitemur; dum tempus est, agamus pœnitentiam Sed quid nos agemus innumeris inquinati peccatis? ne illa nos terreant, pulchram oratiunculam discamus à Novitio quodam Ordinis S. Francisci.

§. 25. *Devota oratiuncula.* Is Parisiis in gravi morbo devenerat ad extrema. Agon ejus supremus fuit terribilis, inter ejulatus, & suspiria anhelans, sudans, quasi staret ante tribunal Judicis, exclamabat: *Obsecro, libram fideliter tracta. O Iesu, appone aliquid de tuis tormentis!* post novos gemitus: *O Iesu Salvator! appone aliquid de tuis cruciatibus*; aliquid ah! *guttulam de tuo pretioso sanguine*, post diuturnam luctam suaviter expiravit.

Ah animæ piæ, devotæ mentes! agamus nos idem, dum licet libetque. Ecce jam tempus acceptabile. Erumpamus in suspiria. O Jesu Salvator! in libra seu statera tuæ Justitiæ, ah quantum nostra ponderat superbia! actum conclamatumque est nobiscum, nisi tua nobis sucurrat humilitas. Euge Salvator, appone aliquid de tua illa humilitate, & de spinis tui vulnerati capitis, &c. §. 26. *Suspirium ad Iesum.*

§. 27. *Apostrophe ad Iesum Crucifixum.* Timemus, ah timemus, justissimam trutinam, cui pondus addit nostra luxuria, avaritia, gula, acedia &c. O nos miseros! O æternum infelices, nisi à tuo nobis sanguine, Crucifixe Jesu, spes aliqua accedat. Ah, si quid nostræ valent preces, si quid efficiunt lacrymæ peccatorum, si quid commovent dulcissimum tuum cor, suspiria pœnitentium, tunc in illo extremo, vitam inter ac mortem, articulo, tunc O amabilissime Jesu, cum fugam à nobis, ut assolent, meditantur amici, tunc, ne te subtrahe nobis; ne invide speciosum tuum vultum iis, quos pretioso sanguine redemisti. Tunc, in tanto illo salutis discrimine, Crucifixe Jesu, ostende nobis benedictam faciem tuam, sed hilarem, lætam, jucundam, amabilem. O Virgo Mater! age illos tuos misericordes oculos, id est, oculos dilecti Nati tui Jesu ad nos, quamvis impios, malos, abominandos, sed pœnitentes, sed contritos, sed ad te conversos, converte: converte tu inquam prius, ut nos deinde & nostros ad te tuumque Crucifixum Jesum, perennes inter voluptates convertamus.



CONCIO III.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Tu es, qui venturus es.

Matth. 11. v. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS.

VArie explicatur illa quæstio discipulorum S. Joannis Baptistæ, *Tu es, qui venturus es?* & adducuntur congruentiæ, ob quas Secunda, non Prima vel Tertia Persona sanctissimæ Trinitatis, assumpserit Naturam Humanam.

§. 1. *Descriptio S. Ioannis Baptistæ in carcere.*
§. 2. *Propositio.*
§. 3. *Bina vocula,* Tunc es, *explicantur per Antiphonas ante diem Nativitatis Christi.*
§. 4. *S. Ioannes Baptista de divinitate Christi non dubitavit.*
§. 5. *S. Ioannes defenditur à Christo Domino.*
§. 6. *Prosecutio.*
§. 7. *Quæstio hæc,* Tunc es? *est admirantis.*
§. 8. *Genus Humanum alio modo potuisset liberari.*
§. 9. *Sed debuit esse locus Iustitiæ.*
§. 10. *Quod Deus ipse voluerit venire, est objectum admirationis.*
§. 11. *Sed cur venit Filius, non Pater aut Spiritus S.?*
§. 12. *Prima congruentia, ob quam Filius venit.*
§. 13. *Imago Dei in homine destructa per peccatum, reparata fuit per Christum.*
§. 14. *Alia congruentia, ob quam Sapientia Dei venit.*
§. 15. *Simile ex ludis Olympicis.*
§. 16. *Applicatio.*
§. 17. *Hæc verba, Tunc es, sive, hæc quæstio, est Professio fidei de Messia.*
§. 18. *Sunt hæc verba, Quæstio desiderantis.*
§. 19. *Pia desideria ad Messiam.*
§. 20. *Alia.*
§. 21. *Alia, cum pia protestatione, nos non desiderare alium Messiam.*
§. 22. *Explicatio responsi Christi Domini.*
§. 23. *Prosecutio.*
§. 24. *Adhortatio ad seriam præparationem pro Nativitate Christi.*

Cum

§. 1. *Deſcriptio S. Joannis in carcere.*

CUm S. Joannes Baptiſta in carcere, in quem ex mandato Herodis conjectus fuerat eo quod aliquanto acrius & liberius in aula Regis in adulteria eſſet invectus; cum in carcere, qui ob Chriſti amorem, non carcer, ſed cœlum & paradiſus illi erat: cum in carcere, in quo veluti agone & ſtadio ad glorioſi palmam martyrii magnis paſſibus properabat; cum in carcere, in quo veluti ſancta ſolitudine, & eremo ad beatam ſe mortem comparabat; cum inquam in carcere intelligeret mirabilia, & glorioſiſſima opera Chriſti, quibus ſe Filium Dei, & promiſſum Meſſiam demonſtrabat, ſciretque ſuos diſcipulos ex nimio erga ſe amore illud in dubium vocare, quin etiam ut conſtat ex v. 14. c. 9. S. Matthæi, Joannem ipſi præferre Chriſto audere, paulò ante ſuam mortem, anno prædicationis Chriſti ſecundo, ætatis autem ſecundo & trigeſimo ad ipſum ſuos amandavit diſcipulos, ut & ita ab illo diſcerent, ipſum eſſe Meſſiam, ſive Chriſtum, & poſtquam Joannes ab Herode occiſus fuiſſet, ad illius ipſius Chriſti partes ſe ſe conferrent. De quo ſuaviter Auctor operis imperfecti, *Volebat Ioannes diſcipulos ſuos Chriſto adjungere, tanquam ſi providus pater moriens filios ſuos conſignet tutori.*

Atque ita contigit; ea enim ſigna dedit illis cœleſtis Magiſter, iis argumentis demonſtravit ſe eſſe promiſſum Meſſiam, ut deinde cum Apoſtolis, & aliis diſcipulis de hac veritate non dubitarint, de quo hoc eodem capite v. 26. Chriſtus Dominus cœleſti Patri gratias agit, *Confiteor tibi Pater, &c.*

§. 2. *Propoſitio.*

Quæſtio per diſcipulos à S. Joanne Chriſto Domino propoſita hæc fuit, *Tune es qui venturus es, an alium exſpectamus?* Plena ſunt hæc verba pulchris myſteriis, quæ meis Auditoribus hac concione proponam, eo, ſicut ſpero fructu, ut & magna de Chriſto Salvatore noſtro, mente concipiamus, & ad ejus Nativitatem hoc ſacro tempore Adventus nos majori cum ſedulitate comparemus.

§. 3. *Vocula illa. Tune es? explicantur per Antiphonas ante diem Nativit. Chriſti.*

Tune es? in græco eſt, ὁ ἐρχόμενος, ille veniens, ſive ſaliens de montibus & collibus gloriæ in hanc miſeriarum vallem? Tune ille veniens, Judæorum Meſſias, Orbis Redemptor, à Patriarchis avidiſſime deſideratus, à Prophetis promiſſus, de quo jam fama eſt, quod venerit? Tune ille es Adonai, qui legem tuliſti Moyſi in Sina monte? ille dux domus Iſrael, cujus robore adverſum hoſtiles impetus, ea tam ſtrenue ſpes fuit propugnata? Tune illa ſapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti attingens à fine uſque ad finem, & diſponens omnia ſuaviter? ſapientia Salomonis cujus fama Reginam Saba, hoc eſt, humanam animam ab extremis terræ finibus, hoc eſt, ex regione peccatorum attraxit. *Tune es?* an forte etiam illa es radix Jeſſe, ex qua egredietur virga, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini? An clavis David? ah! ſi illa es clavis, aperi nobis tot annorum ſerie occluſam Paradiſi januam. Quid ſi ille eſſes Oriens? ille Lucifer? vel illa etiam Aurora, quæ tam diu expetita

petita in umbra mortis, desiderata in tenebris? Ah si aurora es, exorere Tune es fortassis Rex gentium & desideratus earum? age dic, an tibi regnum, purpuram, coronam ac sceptrum sit relatura gentilitas? *Tune es qui venturus es?*

§. 4. *S. Joannes de divinitate Christi non dubitavit.* Tertullianus, Justinianus & alii putarunt ob hanc quæstionem sanctum Joannem revera dubitasse, an Christus esset Messias; sed perperam: neque enim Joanni ignotus esse poterat, quem jam viderat, cum in Jordane eum baptizaret. Quid, quod descendentem super ipsum spectarat in specie columbæ spiritum Sanctum, quin & vocem de cœlo audiverat, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 3. v. 17. & jam dederat illi Joannes clarissimum testimonium dicens, *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Joan. 1 v. 29 jam palam dixerat, se non esse dignum *qui solveret corrigiam calceamenti ejus.* Imò antequam natus fuit, admirabili saltu & exultatione in utero matris, Messiæ testimonium perhibuit.

§. 5. *S. Joannes defenditur à Christo D.* Ipse Christus Dominus ut Joannem à suspicione, quæ populo ex hac legatione subrepere poterat, scilicet mutasse Joannem suam de Christo sententiam, & de illo dubitare, ideoque misisse discipulos, ut de eo interrogarent, ut inquam Christus Dominus ab hac illum suspicione vindicaret, inter eximias ejus laudes, libere palamque professus est, non esse eum arundinem vento huc illucque agitatam, aut undantem, & fluctuantem, *quid exiistis in desertum videre, arundinem vento agitatam?* q. d. Ne putetis Judæi, Joannem aliter nunc de me sentire, quàm ante senserit, scitote eum non esse arundinem, quæ variarum opinionum ventis, & mobili inconstantiæ aura huc illuc agitatur, non is est Joannes ut quod asseruit, revocet. Quercus est, quæ immota & inconcussa in veritate consistit, despicit fluctuantis populi levitatem, sibi semper constat Favonios inter & Vulturnos, cœlo intempesto & turbulento, in adversis æque ac prosperis, usque adeo ut quod prius, dum nullis esset vinculis constrictus, nullo detentus in carcere, tanta libertate de me dixit, & sensit, idipsum nunc in carcere, & vinculis, pari fortitudine judicet, idipsum sentiat, idipsum coram summis & infimis testetur. Quercus est, quam nulla Herodiani furoris potentia, nullus Judæorum turbo, quamvis turbulentus concutiat, imo ne moveat quidem.

Hinc suos ablegat discipulos, ut & ipsi certò intelligant me esse Messiam, ob opera & miracula, quæ à me patrantur. Non ergo dubitavit Joannes, sed hac quæstione, *Tune es qui venturus es?* Christo Domino occasionem præbuit, ut ipse suos discipulos qui de hoc dubitabant, & qui amore erga Joannem excæcati, potius hunc quàm Christum sperabant futurum Messiam, instrueret, & veritatem doceret. Hæc de litera propositæ quæstionis, *Tune es qui venturus es.* §. 6. *Prosecutio.*

Jam ad mysticum sensum me recipio; ex quo elegantes eruunt discursus sancti Patres; inprimis enim hæc quæstio potest esse Admirantis, *Tune es?* id est, §. 7. *Quæstio hæc tune es? est admirantis.*

id est, O Jesu fili Dei *Tune es*, qui venit, ut salvet nos? an non alius ad redimendum nos mitti potuit? tot inter Angelorum legiones, imò inter tot myriadas, nullus fuit qui hac legatione fungi potuit? quod si ex Angelorum aut Archangelorum cœtu nullus ad hoc munus rectè obeundum potuit esse idoneus, fuerint saltem inter Cherubinos aliqui aut Seraphinos, qui forte non illubentes pro te eam suscepissent provinciam. Quid, quod inter tot milliones creaturarum, quas ex abysso tuæ omnipotentiæ educere potes, nullane delitescit uspiam quæ venire potest, ut humano generi succurrat?

§.8. *Genus humanum alio modo potuisset liberari.* Crescit admiratio, cum certum sit, etsi Filius Dei non venisset, non ideo de redemptione nostra conclamatum fuisse. *Stulti sunt*, ait S. August. l. 10 de Trinit. c. 3. *qui dicunt, Non poterat aliter sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem.* Sic est, potuisset Deus id facere, si voluisset, poterat ex infinita misericordia omnem homini pœnam momento condonare, *Tune ergo venturus es*, & non alius?

§.9. *Sed debuit esse locus Justitiæ.* Verum quia divinæ Sapientiæ visum est in tanto mysterio, quantum est Redemptio generis humani, etiam aliquem esse Justitiæ locum, ita ut huic in summo rigore, pro illata per peccatum injuria satisfieret, necesse fuit ipsum Dei filium venire. Isaiæ 63. v. 9 *Non legatus, neque Angelus, sed ipse salvavit nos. Ut quemadmodum* (hanc causam dedit S. Athan. ser. 3.) *per eum facta sunt omnia* (& præcipuè homo) *ita & per ipsum reficerentur. Ideo Deus Filium suum misit* (Hæc ratio placuit S. Augustino hom. 10. de Nat.) *ad hominem liberandum, ut qui dixerat, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ipse etiam liberator esset, qui fuerat Creator.* Vas argenteum, vel annulus aureus si frangatur, si rotæ alicujus horologii turbentur, nemo artifex melius reparare potest, quàm qui fecit.

§.10. *Quod Deus ipse voluerit venire, est objectum admirationis.* Ideo Deus ipse venit (hanc causam affero ex S. Anselmo lib. cur Deus homo) *quia satisfactionem non poterat nisi Deus, & non debebat nisi homo, necesse fuit ut eam faceret Deus homo*, & D. Ambr. in S. Lucam. *Nullus homo, nulla creatura tanti esse potuit, quæ totius mundi peccata deleret.* Itaque Deus ipse venire debuit. Nam (do rursum verba S. Augustini ser. 74. de temp.) *Quod Dei sapientia potuit facere sapienter & fortiter, voluit etiam facere suaviter, uniens sibi infirmitatem carnis nostræ; non quod non potuerit aliter fieri, quantum ad peritiam & potentiam medici, sed quia non potuit commodius.* Sed de hoc ago alias, cum ostendo Personam Redemptoris debuisse esse dignitatis infinitæ.

§.11. *Sed cur venit Filius non Pater aut Spiritus S.* Sed posito hoc, quod Deus venire & voluerit, & debuerit ad salvandum nos, quæstio hæc, Christo à S. Joanne proposita, *Tune es qui venturus es*, ita alio sensu formari potest, ut non tantum sit admirantis, sed admirantis cum aliqua curiositate, cur Filium Dei, sive secundam sanctissimæ Triados Personam venire necessum fuerit. *Tune es*, id est, cur Pater non venit? cur Spiritus S. non est factus homo, sed cur *Verbum*

Caro factum est? cur tu venis mi Jesu? Hæc curiosa licet videatur, non est tamen rejicienda quæstio. Nam hæretici Patripatiani docuerunt, omnes tres Personas assumpsisse humanam naturam: Quæ hæresis orta fuit tempore S.Anselmi, sed mox damnata in Concilio Rhemensi. Catholica Veritas est, potuisse fieri, ut Pater vel Spiritus S. fieret homo, sed non contigisse. Verissima sunt verba S.Pauli 1. Timoth. 1. v 15. *fidelis sermo; & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Rationes SS.PP. sunt gravis ponderis & momenti.

§ 12. *Prima congruentia, ob quam Filius venit.* Imago Dei, immortali hominis animæ in prima creatione impressa per peccatum mortale tam turpi macula infecta fuit, ut etsi imago ejusmodi, vel anima æternum in igne uratur, macula tamen contracta exuri non possit. Hanc imaginem ipse artifex Deus in homine, ex infinita misericordia reparare voluit. Venit ergo illa Persona, quæ est *imago Patris*, id est, Filius. S. Ambrosius in ps. 118. *Imago Dei ad eum, qui est imago venit, & quærit imago eum, qui est ad similitudinem sui, ut iterum signet, & iterum conformet, quia amisisti, quod accepisti.*

§. 13. *Imago Dei in homine destructa per peccatum, reparata fuit per Christum.* Hæc imago per peccatum perdiderat vitam gratiæ & caritatis: ut vita illi restituatur, venit filius Dei qui de se ait Joannis 14. v. 6 *Ego sum, Via, Veritas & Vita.* Hæc imago per peccatum perdiderat lucem: ut lux restituatur, venit filius qui est lux mundi (Joannis 1. v. 9) *& vita erat lux hominum.* In hac imagine per peccatum perierat omnis gratia, & gloria, venit Rex gloriæ, fons omnis gratiæ, ipse venit ut gratiam restituat Per peccatum nobilis illa imago abjecta fuit in tenebras ignorantiæ, & errorum: Veritas, Verbum Patris, Filius Dei, secunda Persona sanctissimæ Trinitatis, sol Justitiæ venit ad tenebras illas disjiciendas, ad imaginem illam novis, & pulcherrimis radiis illuminandam. Imago hæc per peccatum perdiderat jus ad æternam hæreditatem; venit ergo Filius, qui hæres est, ut ipse jus illud per novam adoptionem in filios restitueret. O Divinissima æterni Patris tui Imago Christe Jesu! neque enim hic mihi possum temperare, quin exclamem quàm possum intensissime, & in mille laudum tuarum amorumq; affectus erumpam. O imago nobilis, imò pretiosissima, augustissima, elegantissima! tuo enim beneficio imago animæ meæ per peccatum deformata, decori suo restituetur. Tu ergo mi Jesu veni, tu veni, alium præter te non desidero Salvatorem: O bonitatem filii Dei! cum suam imaginem malè destructam laceratamque videret, homo factus est, & in corpore flagellis, virgis, spinis, clavis laceratus est, ut pristinæ imaginis decorem renovaret. Et sic anima nostra, ut esset imago Dei, fecit imago Patris.

En nobilem Verbi Incarnati causam, en insignem & mirandam ejus in hunc terrarum orbem adventus rationem. Sed & altera suppetit, divina nimirum Sapientia, eximium divinitatis attributum, & perfectio, quam per inordinatum illius desiderium oppugnarat quasi humana superbia, quando Adamus § 14. *Alia congruentia ob quam Sapientia Dei venit.*

Adamus serpenti credulus illud audiit, *Eritis sicut dii*, Gen. 3, v. 5. atque ita occasione divinæ Sapientiæ periit homo: proinde par erat, ut ille veniret & succurreret, qui est Sapientia Patris. Accipite mysterium.

§. 15. *Simile ex ludis Olympicis.* Teste Orosio moris erat, ut qui in ludis Olympicis decertare vellent, in columnis suos clypeos appenderent, nomine vel symbolo signatos. Parati ad certamen lustrabant scuta, & illius cum quo decertare cupiebant, campum perforabant cuspide lanceæ, quod signum erat provocationis ad certamen, ita ut cujus clypeus signatus erat, is se intelligeret provocatum.

§. 16. *Applicatio.* Cogitate Auditores ad columnas æternitatis in templo gloriæ vos videre scutum, cui inscriptum hoc elogium, *Omnipotentia Patris.* Alterum, notatum hoc lemmate: *Sapientia Filii.* Tertium, cum hac inscriptione, *Bonitas Spiritus S.* Sapiens & bonus est Pater, omnipotens est Filius & Spiritus Sanctus. Scitis nihilominus Patri peculiari ratione attribui omnipotentiam, Filio sapientiam, Spiritui S. bonitatem & amorem. Contra hos clypeos astutus serpens Adamo persuasit certamen, & placuit illi lacessere sapientiam Filii, cujus scutum signavit cuspide superbiæ, dum prohibitum pomum comedit Adam, persuasus se Filio altissimi fore similem, scientem bonum & malum: sed eheu! periit Adamus in hoc certamine, & cuspide venenata arrogantiæ toti etiam posteritati lethale vulnus inflixit, quo omnes æternum periissent, nisi qui provocatus fuit, venisset, non ad vulnerandum sed salvandum omnes hac venenata cuspide vulneratos: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, &c.*

§. 17. *Hac verba, Tune es? sive, hac quæstio est Professio fidei de Messia.* O Auditores, fidelis profectò sermo! Sed nunc age videamus, an non alio insuper modo hæc D. Baptistæ quæstio, *Tune es qui venturus es*; possit proponi. Mihi certe videtur involvere nobilem inprimis confessionem, & fidem de divinitate Messiæ. Itaque S. Joannes his voculis, *Tu es*, confitetur ejus divinitatem, & alludit ad verba illa Exod. 3. v. 14. *Ego sum qui sum*, à me, per me, quod soli Deo convenit. Illis voculis qui venturus es, agnoscit humanitatem, in qua venit in hunc mundum, quæ duo ante expresserat cum dixit, *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, Joan. 1. 29. ecce admirandam Divinitatem, qua peccata remittit! & amandam Salvatoris humanitatem, qua Agnus est!

§. 18. *Sunt hæc verba, Quæstio desiderantis.* Denique verba hæc S. Joannis Baptistæ *Tune es?* fuerunt quæstio desiderantis, amantis & anhelantis ad adventum filii Dei q. d. Te O Jesu volumus, ut venias & salves nos, non desideramus Cherubinum, vel Seraphinum, vel alium quemcunque legatum, qui sit Salvator noster, sed solum Jesum Christum D. N. Eja animæ piæ hoc sacro tempore repetamus millies hanc quæstionem S. Joannis: sit nobis in corde, sit in lingua & ore, hæc suavissima amantis & aspirantis cordis vocula, *Veni.*

§. 19. *Pia desideria ad Messiam.* *Veni, veni* inquam, O sapientia! nosti ruditatem nostram atque ignorantiam, hanc te Magistra ponere speramus, neque aliud est, quod in hac vita

nobis differere lubeat, vel intelligere, præter te, quæ omnem bene differteq; loquendi facultatem contines, superas præcepta Philosophiæ, Theologiam denique terminas universam. O Fili Dei! O Verbum Patris! *Tune es*, qui ad salvandum nos, ex infinita caritate ex sinu cœlestis patris in hanc miseriarum vallem venire desideras? *ah veni, veni*, alium qui veniat non desideramus. Non ignoras nostra vincula, quibus nos sibi innumeræ mundi cupiditates astrixerunt, ut taceam de compedibus pravarum affectionum, de ferreis catenis perversæ voluntatis: *ah veni igitur, veni*. O Adonai, O dux domus Israel, veni inquam ad asserendos nos in pristinam libertatem, veni ad excutiendam diram à cervicibus nostris servitutem qua premimur, vel si vinculis cupis esse mancipatos, tuos ingere amoris funiculos, illis enim capi, desiderium; illis concludi, amor, illis trahi, voluptas nostra est.

§ 20. *Alia.* O fili Dei! *tune es*, qui venire desideras? *Veni*, alium non volumus: compertam habes vitæ nostræ conditionem. O radix JESSE! O quantum nos tui tenet desiderium! Veni, nam sine te nulla nobis spes reliqua salutis affulget. Exaruit siquidem jam pridem in terrestri illo paradiso arbor vitæ; hinc ejus loco pullulare cœpit, & funestos fructus protrudere arbor mortis arida! ah radix Jesse! veni, & animatam vitæ arborem novo flore resuscita. Quid? an adhuc tibi prorogare placet adventum? At ne sic placeat porrò, etiam atque etiam obsecramus. *Veni, & clavis David!* hactenus occlusas fuisse ad cœlum fores, experti fuerunt amicorum tuorum non pauci! *O Salvator! veni!* O clavis David, aperi limbum, & educ tuos captivos.

O splendor Patris! Tune es qui venturus es, ut tenebras dissipes? *Veni*, alium non desideramus: tenebras nostras cœcitatemque unus ac solus potes à nobis removere. *Veni O sol oriens*, O splendor lucis æternæ veni, veni O sol Justitiæ, & densas tuis radiis absterge tristitiæ nostræ nubes, noctem fuga, auroram sive *auream* potius *horam*, quam promisisti, præmitte O Christe! *Tune es qui venturus es?* Veni, alium non speramus. ah nos misellos homunciones, nudos, inopes, sine lege, sine Rege, sine sceptro, sine corona, verbo, nisi mature ad nos acceleres, omni ope, atque auxilio destitutos! O sceptrum domus Israel, O Rex gloriæ, Rex virtutum, Rex majestatum, Rex Judæorum & Gentium, *Veni veni*, O Rex Regum & Dominantium. Alium præter te non volumus. *Tu veni mi Jesu!* mi Emanuel, meum gaudium, meum cor, meæ deliciæ. Veni *O Emanuel!* rex & legatus noster, *O Emanuel* melle dulcior, lacte candidior; unicum amoris nostri centrum, Emmanuel lac & butyrum comedens, *O Emmanuel*, sive, per bene ominatum anagramma, quo qui venturus est, de se dicit *A me lumen. Emmanuel*, hoc est, ut vertunt Interpretes, *Nobiscum Deus*. O si nobiscum! O si ex hac hora! O! Sed, quo me abripit suavissimum illud Joannis Baptistæ problema? *Tu es*, satis propositam, expositamque eam esse quæstionem, existimo, proinde quid

§ 21. *Alia cum pia protestatione nos non desiderare alium Messiam.*

quid ea responsi tulerit, videamus.

§.22. Explicatio responsi Christi. Dixit Christus Dominus discipulis S. Joannis, *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audistis & vidistis*; multa scilicet audiverant à circumstantibus, quænam perpetrasset miracula, aliqua etiam oculis conspexerunt, nam ait S. Lucas c.7.v.21. *In ipsa autem hora multos curavit à languoribus, & plagis, & spiritibus malis & cæcis multis donavit visum*; & ita, *Miraculorum* (inquit S. Cyrillus) *magnitudine simul, & multitudine ostendit se Messiam esse*. Audiverunt fortassis etiam ex circumstantibus testimonium vel verba ipsius Christi, Joannis 10.v.25. *Opera, quæ ego facio, in nomine Patris mei, testimonium perhibent de me*, nimirum me esse, qui venturus est ad salvandum Juda & Israel. Audiverunt forte alios exclamantes, *Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus noster*. Apoc.c.15.v.3.

§.23. Prosecutio. In particulari, ait Christus D. *hæc dicite Ioanni, cæci vident &c.* Usus est Salvator noster verbis Isaiæ c.35. v 4. *Deus ipse veniet & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, & aperta erit lingua mutorum, leprosi mundantur*, corpore non tantum, sed anima insuper, certissimum signum præsentiæ Messiæ: lepram animæ nemo alius curare potest præter Christum, & quidem pretioso sanguine suo. *Mortui resurgunt*; præter Messiam mortuo humano generi alius vitam restituere non potest. *Et pauperes Evangelizantur*, id est, doctrinam meam de paupertate, de contemptu mundi, observatione mandatorum, amore Crucis, abnegatione sui, &c. multi amplectuntur: *Ite dicite Ioanni*, multos cæcos, surdos, claudos, &c. non corporaliter tantum illuminari, & sanari à me, sed multos versantes in tenebris infidelitatis, illuminari per lucem, & splendorem Evangelii; item hactenus surdos, ad verba, & legem Dei excipiendam, jam audire eam, eique obedire. *Dicite Ioanni*, aperiri linguas mutorum; qui hactenus in rebus terrenis fuerunt facundi, sed in rebus divinis elingues, & muti, fiunt diserti, disseruntque magna sapientia, & spiritu, de virtutibus, de Christo, de mea Divinitate, & beatitudine, exclamant palam, me esse filium Dei. *Ite, hæc renuntiate Magistro Ioanni*, cum talia à vobis intellexerit, dicet, *hic est qui venturus est*, hic est Messias, hic est Salvator mundi, hic est Christus filius Dei vivi. Clara voce repetet suum testimonium, *Ecce Agnus Dei*.


Ista, O Auditores, ista & hodie certa sunt signa adventus Domini in corda nostra per gratiam, & caritatem, ut cæci videant, surdi audiant, &c. O cæca lumina, O mortales excæcati falsis honorum, opum, & voluptatum splendoribus! nunc tandem hoc sacro tempore Adventus, nunc aperite oculos. *Quousque odio habebitis lucem, & diligetis mendacium?* quousque vestræ vos tenebræ delectant? O noctuæ! tandem irretorta oculorum acie aspicite solem Justitiæ, fugite opera tenebrarum, adest enim, Eia, adest sol Justitiæ Christus Jesus: aperite oculos ut videant, advenisse in corda vestra Christum JESUM Salvatorem nostrum. §.24. Adhortatio ad seriam præparationem pro Nativitate Christi.

Aperite aures surdastri, adest mundi Salvator, Messias, sed adest, ut surdi audiant, hoc est ut & vos aliquando discatis divinis parere præceptis, adest Verbum, cui nihil magis inimicum est, surditate; quid enim proderit vobis illud Verbum, si aures obturaveritis? O muti! vos vos intelligo, quos sua pudet scelera (quæ tamen fecisse non pudebat paulò antea) per sacram exomologesim expiare. Solvite linguas! en adest Verbum, quo præsente fiet loquendi copia: erumpite in salutarem peccatorum confessionem; nihil hîc verecundo silentio involvite, nihil occultate, nihil tegite, Audite surdi! vel hic hoc sanctissimo tempore gratiæ Verbum vitæ, vel illic, hoc est in tempore malo, verbum damnationis æternæ.

O claudi! macte animis, nam & vobis adest Messias! currite in odorem unguentorum ejus! non reportatur bravium in stadio, si claudo pede decurritur. Nolite ex hac parte, uno pede converti ad Christum, ex altera, altero pede ad mundum deflectere, *recto juvat ambulare passu.*

Denique vos quoque vestros linquite tumulos, O mortui! adest mortis domitor, adest qui olim & Lazarum revocavit in vitam, adest vita vestra, Salvator mundi Messias. Eja surgite per veram pœnitentiam, quatriduani estis enim, imò forte quadriennes, sexennes, decennes, &c. ex quo mortui estis virtuti, mortui gratiæ, cœlo, Deo! Nunc, si quando alias, nunc certe tempus est acceptabile, ut mortui surgant, cum hos ad surgendum invitat, imò manum opemque porrigit is, qui mundi est vita, Christus Jesus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CON-



CONCIO IV.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini.
Joan. 1. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Concio hæc invehitur in Pœnitentiam seram, commendat celerem & seriam.

§. 1. *Qualis vox Dei super elementa.*
§. 2. *Varii ejus effectus applicantur S. Ioanni Baptistæ.*
§. 3. *Cum voce S. Ioannis hæc concio prædicabit pœnitentiam.*
§. 4. *Dilationem pœnitentiæ*
§. 5. *Persuadet dæmon. Ad celerem pœnitentiam invitat Christus D.*
§. 6. *Mora est periculosa.*
§. 7. *Qui in statu peccati mortalis differt pœnitentiam, moratur inter serpentes.*
§. 8. *Cur leprosus Matth. 8. festinarit ad Christum D.*
§. 9. *Iesus transit: cum apostrophe ad peccatorem.*
§. 10. *Nemo transeuntem negligat.*
§. 11. *Christus D. pridie Parasceves instituit Eucharistiam, ne deinde fieret minus commode.*
§. 12. *Invectiva in illos, qui differunt Confessionem in horam mortis.*
§. 13. *Quare Absalon pendens ex arbore non pœnituerit.*
§. 14. *Prosecutio & applicatio.*
§. 15. *Ficta pœnitentia morientis Canonici Parisiensis.*
§. 16. *Sero pœnitentes Deus non exaudit: ostenditur historia ex S. Scriptura.*
§. 17. *Apostrophe ad peccatores, & applicatio historiæ.*
§. 18. *Minatus hoc fuit Ieremias.*
§. 19. *Cur David pugnaturus contra Goliath, ante selegerit lapides.*
§. 20. *Responsio Abulensis.*
§. 21. *Applicatio, ut pari ratione nos præparemus ad luctam cum morte.*
§. 22. *Stultum est velle simul pugnare & quærere arma.*
§. 23. *Archias Thebanorum tyrannus, dum seria rejicit in crastinum, occiditur.*
§. 24. *Adhortatio ad celerem pœnitentiam.*

Ego

§. 1. *Qualis vox Dei super elementa.*

EGo vox. qualis vox? melius respondere non possum, nisi ex ps. 28. v. 3. *Vox Domini super aquas* &c. variorum ibi meminit effectuum regius psaltes, quibus Deus omnipotentiam voce sua ostendit, præsertim in elementis. 1. *Vox Dei super aquas*, id est, Deus sua voce quoties vult mirabilia patrat in aquis, una vocula cum vult, aquarum abyssos potest movere, educere in montes, deprimere in valles, volvere, circumvolvere, gyrare, sistere, ps. 106. v. 25. *Dixit, & stetit Spiritus procella, & exaltati sunt fluctus ejus.* Sensu mystico in scriptura aquæ significant populos, & peccatores. Super has aquas vim suam ostendit S. Joannes B. dum vocem suam exaltans quasi tubam, peccatorum corda commovit ad pœnitentiam.

§. 2. *Varii ejus effectus applicantur S. Ioanni B.*

2. *Vox Domini in virtute* (ait cit. ps. v. 5.) nimirum quæ dicit, hæc & facit Deus; dixit, fiat cœlum, & factum est, &c. Gen. 1. v. 1. Vel, vox Dei suos confortat ministros, roborat virtute ex alto, ut quæ prædicant, faciant, ut fortia agant, ardua in se suscipiant, & cum opus est, mortem patiantur. Ejusmodi vox fuit S. Joanni B. voce prædicavit pœnitentiam, opere ipso vixit in deserto, egit fortia, & passus est ipsam potius mortem, ne vel Herodianæ serviret libidini, vel illam suo approbare velle silentio videretur. 3. *Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus Cedros Libani*, ait cit. ps. v. 5. Recte sane, nam ita vox Domini resonat in aëre, perinde ac si tonitru esset, aut immanis procella vel Boreas, qui robustissimas celsissimasque arbores, quales sunt cedri, confringat. Quinam illis in cedris sensu mystico intelligantur explicat idem David psal. 36. v. 35. *Vidi impium super exaltatum, & elevatum sicut cedros Libani.* Vox S. Joannis B. tantæ fuit fortitudinis, ut dicere potuerit, cum Amos. c. 2. v. 9. *Ego exterminavi Amorrhæum, cujus altitudo cedrorum, & fortis quasi quercus, & contrivi fructum ejus desuper, & radices ejus subter.* Hoc fecit S. Joannes cum dixit, *jam securis ad radicem est posita &c.* Matth. 3. v. 10. 4. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, v. 7. & quid hoc aliud, nisi igni etiam vim atque potentiam divinæ vocis inesse, tum potissimum, cum è nubibus quasi caminis mittuntur horribilia fulmina, sparguntur fulgetra, vibrantur missilia, quale fulmen mystico in sensu verè extitit Joannes B. cum Regi v. g. dixit, *Non licet tibi.*

§. 3. *Cum voce S. Ioannis hac Concio prædicabit pœnitentiam.*

5. *Vox Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades* v. 8. Iterum desertum in allegoria significat impios; prô! quam fuit vehemens in hoc spirituali deserto vox D. Baptistæ! quam potens in evellendis scelerum radicibus, quam in implantandis virtutibus felix, quam sollicitus ac solers in prædicanda pœnitentia! Idem & meus hodie scopus est Auditores. Pœnitentiam prædico, non seram, sed seriam, maturam, celerem, salutarem. Vos aures interim, animosque præparate.

§. 4. *Dilationem pœnitentia*

In negotio salutis, nihil est periculosius, quam si peccator pœnitentiam, & vitæ conversionem, de die in diem, de septimana in septimanam, de anno in an-

in annum differat. Eandem differre in finem vitæ, in senium usque, non periculosum tantum, sed & stultum & temerarium est. In c. 2. Jerem. refert P. Corn. à lapide; obiisse Sanctam Virginem, amantissimam sui Salvatoris, cujus hæc suprema fuerunt verba: *discedo ex hoc mundo cum hac sola incapacitate, quod nequam comprehendere, quomodo creatura possit deliberate committere peccatum mortale.* An non mirandum magis, qua ratione, qua audacia multi, non in uno, sed multis peccatis, & multis annis audeant perseverare, hac cogitatione se mulcentes, in fine vitæ se acturos pœnitentiam?

§.5. *Persuadet Dæmon. Ad celerem pœnitentiam invitat Christus D.*

Cogitationis hujus auctor est dæmon, qui omnibus modis satagit, ut peccator hæreat, tardet, differat, protrahat, pereat: sicut è contra Christus D. per concionatores instat, urget, sollicitat, impellit, ut peccator statim agat pœnitentiam; repetens nimirum verba quæ dixit ad Sponsam Cant. 2. v. 10. *Surge, propera & veni.* & unde debet surgere? seditne? jacuitne? an cecidit? respondet Hugo Card. *jubetur surgere, à peccato ad justitiam.* Itaque hujus Doctoris opinione his verbis Christus D. alloquitur animam peccatricem, veluti Sponsam quæ fornicata est, quæ adhæsit aliis amatoribus, quæ in gravia prolapsa est scelera, huic dicit sponsus, *amica mea*, licet amores meos rejeceris, licet per summum nefas ab ara fidelitatis atque arrha discesseris, licet fidem non servaveris integram amantissimo tuo Sponso, tamen *surge, veni*, redi, revertere, surge inquam, ex profundo scelerum, sed, *propera*, id est, age quod agis, fac hoc celeriter.

§.6. *Mora est periculosa.*

Addit causam is, quem modo allegavi, Hugo: *quia mora periculosa est.* Ita est mortales! si unquam alias certe in negotio salutis periculosa est mora vel maximè. Intelligite rem melius ex simili. Nam quis ita potest esse insipiens, ut asseverare ausit periculum non esse, ambulare, ludere, laborare, imò dormire etiam inter serpentes ac colubros? inter dracones, leones, tigrides? profecto hic vel fugiendum esse dicitis universi, vel moriendum. Et recte, sola salus restat in pedibus, cum tot vitæ nostræ discrimina objiciuntur.

§.7. *Qui in statu peccati mortalis differt pœnitentiam, moratur inter serpentes.*

Quod si ita est, ut ipsi fatemini, quid hæretis miseri peccatores? quid sacrum inter & saxum? imò inter aspides ac serpentes, inter venenatos colubros, inter leones ac tigrides constituti? O miseri! necdum fugam capessitis? O infelices! necdum vestræ vitæ, necdum saluti, necdum animæ consultum vultis? O deplorati! non surgitis, non has feras deseritis? non ab hisce periculis vosmet ipsos vindicatis? Nisi forte creditis scelera vestra non esse ejusmodi belluas, ejusmodi venenatos serpentes, leones ac tigrides, cum tamen non corpus solum occidere, sed & animam mittere possint in gehennam! Ah fugite; fugite, diutius hic hærere, protrahere pœnitentiam, res est uti periculo plena, ita sempiterno exitio proxima. *Omnis hic mora est periculosa.* citò, celeriter, festinanter est properandum ad Christum.

§.8. Cur leprosus Matth. 8. festinarit ad Christum.

Matthæi 8 v.1. cum (post absolutum sermonem de octo beatitudinibus) *descendisset Iesus de monte, secuta sunt eum turba multa, & ecce leprosus veniens adorabat eum.* S.Marcus cap.1. v.40. insinuat cum magna humilitate & devotione leprosum id fecisse, *& genu flexo dixit ei, si vis, potes me mundare.* S.Chrysost. & Abul. examinant particulam *Ecce*, & S quidem Chrysost. sic explicat: *quasi festinus occurrit ei*, id est, dum Christus de monte inter turbas descendit, leprosus ex latebris erumpens, vi quasi perrupit, & cum festinatione properavit ad Christum. cur hoc? Respondet Abulensis in c.8 Matth. q. 5. *dicendum quod leprosus quasi ex quodam impetu, & cum quadam properatione veniebat ad Christum, quia timebat ne intraret urbem, antequam curaret eum, & si introisset semel in illam, non licebat leproso illuc introire ad petendam curationem; ideo mansit paratus in loco suo, per quem Christus descensurus erat, ut occurreret ei.* O leprosi! O peccatores! jam, jam tempus est gratiæ, quo Christus D. de montibus gloriæ ad nos descendit, jam illud est tempus acceptabile, quo pretiosum sanguinem suum offert, ut nostram mundet lepram; jam gratiam & misericordiam offert, etiam gravissimis peccatoribus, imò ipse vocat, *Venite ad me omnes &c.* Matth.11.v.28.

§.9. Iesus transit: cum apostrophe ad peccat.

Sed simul transit Jesus! quid hæretis leprosi? quid exspectatis in vestrorum scelerum latebris? quid moramini in immunditia? eja agite, celeriter, sine mora, cum festinatione, citatis remis velisque currite, contendite, properate, Jesus siquidem transit, huic occurrite. Ah! transit tantum! nihil itaque vos remoretur in via, transit Jesus! properandum est, deserendi sodales pravi, linquenda habitatio vetus, amandandæ voluptatum illecebræ, currendum, properandum, volandum &c. *Iesus solummodo transit.* O vos felices, si transeuntem Salvatorem licebit videre, convenire, excipere. Citò, citò, en transit Jesus. Offert sanctissima sua nobis Vulnera, *sed transeundo tantum.* Velociter, velociter! suam nobis carnem, suum sanguinem, suam vitam, suam animam donare paratus est, *sed transeundo tantum*, properate, properate! Invitat nos ad suavissimum sui cordis domicilium! *sed transeundo tantum.* O leprosi! O peccatores! En voce manuque vos rogat, vos invitat, vos obsecrat suavissimus Salvator, ad quid, nisi ad balneum, quod suo vobis sanguine paravit? ah currite, currite, *nam transit Iesus*, lavamini, mundi estote, sed celeriter antequam transeat. Ubi enim transierit, forte non revertetur, actum erit de tua salute.

§.10. Nemo transeuntem negligat.

Nam quis nobis obsecro promisit in fine vitæ fore ut Jesus iterum transeat, ut tum pœnitentiam agamus? Verum est, fieri potest ut gravissimus peccator, ultimo vitæ momento conteratur & salvus fiat; sed *hoc opus, hic labor est. rara avis in terris*, gratia est rarissima. Quanto securius est modo prævenire, modo properare ad Salvatorem, modo de iis, quæ necessaria sunt ad salutem, solicite laborare, modo examinare conscientiam de decem aut 20. annis, commissa deplorare peccata,

cata, confiteri, mundari à lepra, neque ejus curationem differre ad ultimam vitæ horam, ad tempus morbi, quo homo ad talia peragenda ineptus constituitur.

§. 11. *Christus D. pridie Parasceves instituit Eucharistiam, ne deinde fieret minus commode.*

Qua in re, pulcherrimo nobis præluxit exemplo Christus D. Joannis 13. v. 1. dicitur. *Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia venit hora ejus*, *scilicet*, hora passionis & mortis, addit enim Evangelista, *ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*. Illo die, pridie mortis multa est executus, valedixit Matri, ivit Jerosolymam, comedit Agnum paschalem, instituit sanctiss. Sacramentum Eucharistiæ &c. quid hoc? nunquid pleraque potuisset peragere ipso die Parasceves? respondet Marcus Vigerius, *Hæc omnia ante diem Pascha facta sunt, ne cum transeundum erat, fierent minus commode, ut disceremus non differre ad diem mortis, quæ viventes, scientes, & prudentes nos facere convenit.*

§. 12. *Invectiva in illos qui differunt Confessionem in horam mortis.*

Nimirum digni sunt reprehensione, qui sibi persuadent prudenter aut commode, vitæ emendationem, atque opera pœnitentiæ rejici in morbum fatalem, in lectulum mortis, in illud tempus tristitiæ. O miseri! quasi verò tum faciles possitis atque expediti currere ad Salvatorem, quando una cum animo languet & corpus. Erratis profecto, si putatis tum promptum esse excitare contritionem in corde, cum illud angitur præsentis mortis formidine, cum cruciatur doloribus corpus, cum incipiunt caligare lumina, contremiscere venæ, pallere vultus, stupere nervi, sensus hebescere. ah! male rejicitis Exomologesim sacram in illud tempus, quo memoria præteritorum peribit scelerum, & solus torquebit metus cruciatuum futurorum. Nunc, nunc, ante diem paschæ cum Salvatore, ita componamus animæ nostræ statum, ut in illo mortis atticulo vellemus compositum; nunc cum Salvatore nostro; neque exspectemus quoad anima colluctetur cum morte, sera nimis est medicina, quæ consumptis jam viribus, atque extremo vitæ expirantis momento, præparatur.

§. 13. *Quare Absalon pendens ex arbore non pœnituerit.*

Habemus hujus rei exemplum sane luculentum in moriente Absalone. Nam 2 Reg. 18. v. 19. infelix juvenis confligit cum exercitu parentis, sed infeliciter: profligato quippe exercitu suo, fugam (quæ sola ei erat reliqua) insidens mulo capessit. Sed, O infelicitas! in ipsa etiam fuga subito sensit animam fugere, quando ramo densæ quercus ita implicuit capillos, ut ipso suspenso inter cœlum, & terram, mulus cui insidebat, pertransierit. Sic ex fatali arbore pendet formosus ille Absalon, & pependit, donec Joab triplici instructus lancea funestam animam funesto è corpore cum impetu exturbavit. Miratus tragicum hoc suspendium Abulensis ait hic q. 12. *Multa acciderunt Absaloni hic, à quibus liberari posse videbatur, nam potuisset tenere equum ne introisset subter quercum ramosam: & etiam postquam introivit, & alligati sunt capilli ejus, poterat ipse tenens manu solvere illos, & fugere.* Perinde ac si diceret Abulensis, cur non fregit ramum? cur non extracto gladio fatalem scidit funem? cur non semetipsum,

dum potuit, vindicavit à morte? sed nihil præstitit minus.

§. 14. *Prosecutio & Applicatio.* Nimirum plenus erat timore, consternatione, formidine; mortem videbat præ oculis, jam audiebat insequentis Joabi, & victoriosi clamores exercitûs: sic nihil horum fecit, sed pependit, donec Joab triplici lancea inimicum cor transfixit. Imò nec veniam, vel clementiam imploravit Joabi. Ite, ite peccatores, cogitate, in agone vos velle confiteri, agere pœnitentiam &c. ah miseri, veniet illa hora, veniet, quâ pendebitis in arbore desperationis, alligati capillis scelerum; veniet hora, quâ instabit mors, imminebit diabolus, sed præcipuè Joab, vester ante amicissimus Jesus, nunc Judex, gladio suæ vindictæ armatus; & talis erit metus, talis tremor, ut nihil ejusmodi sitis præstituri. Cogitatis in agone viam inire salutis, & fieri potest, ut ultimo momento conteramini, sed quid si non fiat? quid si impœnitentes, ut vivitis, sic moriamini? Non est quod hic mihi quispiam objiciat, graves sæpe peccatores converti ab iniquitate ad justitiam, ab inferno ad cœlum, à dæmone ad Jesum, ut videre licet in latrone, Luc. 23. v. 42. Ita est, videmus non rarò graves peccatores, postquam annos in impietate transegerunt plurimos, tandem in morbo subitò confiteri, refici sancto epulo, ignoscere inimicis, agere pœnitentiam: Sed utinam veram, & non seram! confitentur sed sacrilegè, ignoscunt hosti, sed non ex corde, communicant, sed sine serio proposito emendationis, & æternùm pereunt. Juxta dictũ S. Pauli 1. Cor. 11. 29

§. 15. *Ficta pœnitentia morientis Canonici Parisiensis.* Sic in agone pœnituit, sic periit Canonicus ille Parisiensis, de quo Lucas Pinellus l. 1. de ult. vita c. 5. Vixerat gulæ & deliciis deditus, tandem Sacramentis munitus obiit, post mortem apparuit amico, & dixit se justo Dei judicio damnatum: cum hic miratus diceret, *nunquid ante mortem fuisti confessus? an non salutis remedia ante mortem suscepisti? Recepi* (respondit infelix) *sed mero mortis metu, sine emendationis proposito: si supervixissem, iterum ad pristinas delicias reversus fuissem.* Tali modo, tali fructu plurimi peccatores, qui pœnitentiam ad id tempus distulerunt, in agone confitentur, dolent, ingemiscunt, & tamen æternùm damnantur!

§. 16. *Serò pœnitentes Deus non exaudit. Ostenditur historia, ex S. Scriptura.* Neq; enim semper solet Deus iis, qui in illo agone necessitate compulsi ejus misericordiam implorant, succurrere. Figuram habemus Judicum 11. c bellum erat atrox inter Ammonitas & Israëlitas, hi quia peritum Ducem non habebant, plerumq; cædebantur. Nobilis belli dux erat Jephte, sed ob fatale quoddam odium ducem eligere eum noluerunt, donec tandem necessitate compulsi legatione missâ rogarunt, ut afflictis succurreret. Ait Abulensis in hunc locum; *Si Ammonitæ leviter pugnassent, non curassent Galaitidæ inquirere Jephte, sed magnitudo bellico egit eos.* Idem insinuat sacer textus dum ait; v. 5. *Ammonitis acriter instantibus*, subintellige, venerunt ad Jephte; cujus hoc fuit responsum. v. 7. *Nonne vos estis, qui odistis me, & ejecistis de domo Patris mei? & nunc venitis necessitate compulsi.* quasi diceret, (inquit Abulensis) nunc quia inimici premunt

munt vos, opem meam imploratis: Sed non deberem vobis præstare auxilium, *nam præsumitur contra illos, qui aliquid agunt necessitate compulsi, quod non bono zelo agant.*

§. 17. *Apostrophe ad peccatores, & applicatio historiæ.* Eja peccatores, differte pœnitentiam! veniet hora, quâ infernalis Satan vos urgebit, premet, & in angustias rediget: quâ vos conscientia arguat, quâ omnes in vos armabuntur creaturæ; tùm Christum Salvatorem implorabitis, tum ad sanctissima ejus Vulnera voletis confugere, sed hic dicet, *Nonne vos estis qui odistis me?* qui mea parum pensi habuistis mandata? quibus tam grave visum est atque arduum, maturè amplecti pœnitentiam, à malo desistere, converti ad bonum? O miseri! nunc venitis, sed necessitate compulsi; hæc non amoris est, sed timoris petitio, non doloris, sed horroris, non prudentiæ, sed dementiæ. Clamabat meus Apostolus ad Galat. 6. v. 10. *dum tempus habetis, operamini bonum.* Vos clamantem contempsistis. O miseri, & vos modò similis manet contemptus! ite, *clausa est janua.* Hoc est quod modò assero Aud: non exaudit eos Jesus; quos non amor, sed necessitas clamare compulit.

§. 18. *Minatus hoc fuit Jeremias.* Prædixit hoc Deus per Jeremiam c. 11. v. 14. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam in tempore clamoris illorum ad me, in tempore afflictionis illorum.* Quid hoc? nunquid Deus bonus est, nunquid dixit, *quâ horâ conversi fueritis?* ita, si fiat liberè, prudenter, volenter, si ex amore, si non quodammodò coactè: illos qui in necessitate tantùm, in ultimo discrimine, in vitæ vespere clamant, non exaudiet: Causam dat Theodoretus, *quia in ipso pœnarum momento preces offerunt,* scilicet, cum jam judici sunt sistendi, scilicet cum jam vident in clepsydra mortis paucas superesse arenulas, scilicet cùm jam jam rapiendi sunt ad tartara, & ad tormenta nunquam finienda. Confitentur quidem, absolvuntur à sacerdote, sed præsumitur contra illos, quod id agant necessitate compulsi, & non bono emendationis zelo. Sumunt sacram Synaxin &c. sed talia negotia, in tali agone fiunt minus commodè.

Davidem imitari oporteret, 1. Reg 17. v. 40. qui postquam licentiam à Rege obtinuisset privato duello congrediendi cum Goliatho, probavit arma à Rege sibi oblata, loricâ munivit pectus, galeâ caput. Sed quia advertit sibi incommodum fore in illis pugnare, de aliis sibi armis providit in tempore. Concessit ad ripam fluvii & *elegit sibi quinque limpidissimos lapides, & misit eos in peram pastoralem. Elegit*, id est, probavit, aptavit fundæ &c. Et cur de lapidibus generosus juvenis tam tempestivè fuit sollicitus; nunquid reperire poterat in loco pugnæ? nam quid magis obviam in via, lapidibus? ecquid igitur opus, de his in tempore acquirendis esse tam providum? §. 19. *Cur David pugnaturus contra Goliath, ante selegerit lapides.*

Respondet Abulensis 1. Reg. 17. q. 29. *Accepit lapides priusquàm iret ad bellum, ne fortè postea, quando pugnaret, non reperiret in loco, & interim eum posset percutere hostis. Vel fortè non reperiet lapides sici convenientes in loco. Egebat enim durissimis, quia* §. 20. *Responsio Abulensis.*

 per-

percussurus erat ferro armatum: His armis instructus generosus juvenis prodiit in arenam contra Goliath, prodiit inquam, & primo quem jecit lapide, carneam molem dejecit.

§. 21. *Applicatio, ut pari ratione nos præparemus ad luctam cum morte.*

Hujus vestigiis Christianorum plurimi prudenter insistunt. Nam dum sciunt in fine vitæ esse tempus, & horam, qua infernalis Goliath homines potissimum oppugnare consuevit, tempestive currunt ad fluvium divinæ misericordiæ, ad canales gratiarum, id est, sanctissimorum sacramentorum, ibi quærunt lapides, sive devotionem erga quinque Sanctissima Vulnera, ut in illis quotidianis, & ardentibus suspiriis de cœlo impetrent vires, pro illa lucta, &c. tales Davides sunt Sodales Congregationis Christi agonizantis in cruce. Nemo quærat, cur hoc tam tempestive faciant? cur modo toties confiteantur? cur ita frequenter sacra se synaxi reficiant? cur ita sibi curæ, cordique ducant animæ suæ salutem? sacro Missæ officio devoti, in concionibus assidui, in templis frequentes, devoti in orationibus, in ædibus boni exempli, in conversatione Sancti, in virtute constantes? respondeo: faciunt hæc, vel quærunt arma priusquam se ad bellum conferant, priusquam in illa compareant arena, indigent lapidibus, quos forte tum non invenient, forte tum commode confiteri, communicare non poterunt, modo dum viventes, scientes, prudentes, volentes sunt, illa negotia salutis magna cura perficiunt.

§. 22. *Stultum est, simul velle pugnare, & quærere arma.*

Illos qui differunt, infernalis Goliath in ultima lucta facile prosternit. Stultum est, simul velle pugnare, & simul quærere arma: stultius, debere mori, & simul ad mortem se velle parare. Impletur in illis v. 15. c. 15. Exodi. *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Canaan, irruit super eos formido & pavor, fiunt immobiles quasi lapis &* Deut. 32. v. 25 *foris vastat illos gladius, intus pavor.* Sic plerique moriuntur, qui pœnitentiam differunt in horam mortis: cum confiteri deberent, conturbantur, obtinet illos tremor, obrigescunt ad clamores Confessarii, agite pœnitentiam, jacent immoti, ceu lapides &c. Ite, ite impii, & periculo vestro differte pœnitentiam.

§. 23. *Archias Thebanorum tyrannus dum seria rejicit in crastinum, occiditur.*

Qui his omnibus non moventur, timeant ne illis accidat, quod accidit Archiæ Thebanorum tyranno. Dum enim is vesperi hilariter epularetur, dum genio indulgeret licentius, ecce tibi adest nuntius, afferuntur litteræ, quibus Regi significabatur quorundam ex suis proceribus in regem conspiratio; nominabatur domus in qua proditores convenissent, quin & modus quo Archiam opprimere molirentur. Differt Rex literas recludere, instat nuntius ut aperiantur, constare sibi rem magni momenti, & seria Regi nuntiari. Respondet Archias, *Ergo Seria in crastinum*, modo bibendum. O dictum stultissimi Regis stultissimum! Sed audite quid porrò evenerit: Bene potus cubitum concedit, & literas pulvinari supponit, verum illa eadem nocte misere trucidatur.

O im-

O impii! quibus modo ſecura vivitur ætas! vivitur, bibitur, dormitur! quaſi verò altiſſima tunc pax eſſet, & tranquillitas! erratis miſeri, erratis! conjurant ſiquidem in capita veſtra diabolus, Caro, Peccatum, Mors, infernus. Et vos cubitum itis ſine tremore? ſine formidine, ſine anxietate? vos ſeria in craſtinum? Ah nolite obſecro, nolite! neque enim craſtinus vobis cynthius illuceſcet. Auditis? mittit epiſtolas optimus Deus, mittit Cuſtodem Angelum, mittit Baptiſtas, Eccleſiaſtas ferventes, imò loquitur ipſa vobis in conſcientia, & de inſtantis æternæ mortis periculo monet. In veſtris adhuc manibus eſt, ſed hodie tantum, non cras, non perendie, non in morbo fatali, intentatam vobis calamitatem avertere. Hodie, his feſtis Natalitiis adhuc tempus eſt, forte tranſibit Jeſulus nullo unquam tempore poſthac ad vos reverſurus; ſaluti veſtræ conſulite.



CONCIO V.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

Ecce hic poſitus eſt in ruinam.

Luc. 2. v. 34.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Ingens damnandorum tormentum erit, damnationis ſententiam audire, ex ore Salvatoris: quod impii ſuæ malitiæ, non illius bonitati debent aſſcribere. Peccator Judici porrigit calamum, ut ſententiæ damnationis ſubſcribat.

§. 1. *Comes amoris debet eſſe timor: ut amemus Ieſulum & ſimul timeamus.*
§. 2. *Cauſas timoris ſuggerit hodiernum Evangelium.*
§. 3. *Quinque ſignificationes voculæ Ruinæ, ex S. Scriptura.*
§. 4. *Damnatis maximum erit ſupplicium, damnari à Salvatore. Abſaloni graviſſimum fuit tormentum, occidi ab amiciſſimo Ioabo.*
§. 5. *Proſecutio.*
§. 6. *Cur Ioab illum occiderit.*
§. 7. *Applicatio.*
§. 8. *Totus modo benignus, erit tum terri-*

terribilis Iudex.

§.9. *Tragica descriptio miserabilis cadis Sennacharibi.*

§.10. *Contingit in templo ad aram à filiis Prosopopœia Sennacheribi.*

§.11. *Apostrophe ad peccatores.*

§.12. *Gravis pœna est, castigari ab amatore.*

§.13. *Ruina causa sibi est impius, non Deus.*

§.14. *Probatur ex verbis Simeonis.*

§.15. *Ipse peccator accendit ignem, quo cruciatur.*

§.16. *Mors tragica Iulii Cæsaris.*

§.17. *Apostrophe ad peccatores & IESUM.*

§.18. *Christus Iudex scribit sententiam damnationis.*

§.19. *Sed peccator porrigit calamum.*

§.20. *Habet tamen Christus D. etiam calamum aureum.*

§.1. Comes amoris debet esse timor, ut amemus Iesulum, & simul timeamus.

AMare & non timere, periculosum est; amor sine timore facile mutatur in contemptum& inimicitias: timere, & non amare durum est, nam quid timor sine amore, nisi servitus? securè amat, qui amori jungit timorem, timet suaviter, qui timori miscet amorem. Præteritis festis Natalitiis nil aliud vobis suadere conatus sum, & persuadere, quam amorem Parvuli de Bethlehem, ut ametis cum securâ possessione, hodie suadebo, ut eundem Parvulum timeatis.

§.2. Causam timoris suggerit hodiernum Evangelium.

Causam timoris ostendit Evangelium, ex quo innotescit hunc puerum, natum quidem pro omnibus, positum tamen pro multis in ruinam. Nemo impiorum dicat, quis puerum timeat, jacentem in cunis, involutum pannis, vagientem in præsepio? Rex fuit Herodes, sed quia impius, cum à tribus Magis audiret puerum hunc natum, turbatus est, & impia Jerosolyma cùm illo. S. Augustinus. *etiam parvulus voluit timeri, ut cogitent homines, qualis futurus erit in tribunali, qui terribilis est in cunis.* Sed compendio rem ago, proinde non præfabor multis. Verùm, cum in concione hâc citata verba, *Ecce hic positus est in ruinam multorum*, explicavero, faciam ut omnes intelligant, nos justas habere causas, cur Parvulum hunc, Salvatorem & Redemptorem nostrum, non amemus tantùm, sed & simul timeamus. Cedet ad majorem, ut spero precorq;, Parvuli Emanuëlis honorem, & gloriam.

§.13. Quinque significationes voculæ Ruina ex S.literis.

Vocula hæc, *Ruina*, in sacrâ scripturâ varia significat. 1. ps. 105.29. significat frequentem lapsum in gravia scelera. Sic habet cit. textus. *Et irritaverunt eum in adinventionibus suis, & multiplicata est in eis ruina.* His Salvator noster positus est in signum, quia ipse est, qui cum fil us DEI sit & summum bonum, frequentatis istis sceleribus gravissimè offenditur. 2. significat magnam calamitatem, miserum statum, & infortunium. Proverb. 17. v. 5. *qui ruinâ lætatur alterius.* Esther. 14. v. 11. *Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram.* Zachariæ 14. v. 18. *erit ruina quâ percutiet Dominus omnes gentes.* hoc sensu Redemptor noster impiis positus est in ruinam, quia

quia ipse est justus Dominus, quia scelera punit misero vitæ statu, infortuniis & calamitatibus, ut morbis, peste, bellis, vastationibus regnorum; quia in mundo non est tale malum, quod non faciat Dominus. Variis scripturæ locis Ruina idem est, quod strages & clades exercituum. 1. Reg. 4. v. 17. *fugit Israel. & ruina magna facta est in populo.* 2. Reg. 1. v. 4. *fugit populus ex prælio. & multi corruentes mortui sunt.* 2. Reg. 15. v. 14. David fugiens Absalonem ait: *festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam, & percutiat civitatem in ore gladii.* Ezech. 21. v. 14. *hic est gladius occasionis magnæ, qui obstupescere eos facit, & corde tabescere, & multiplicat ruinas.* O impii! quid Deum offenditis? quid Christo D. vitiis vestris contradicitis? ipse positus est in ruinam, ipse est qui clades inducit. In ipsius femore, in ore, in manibus est gladius occisionis magnæ, & illo utitur, vel ut puniat impios, vel ut exerceat probos, & electos. Sed hæc solum concernunt corpus. Parum est, vel mutilari corpora, vel occidi, modo quæ sunt rerum omnium pretiosissimæ, salventur animæ immortales. Sed præterea quoque eadem vox ruina, significat 4. infelicem mortem. Ejusmodi certe fuit mors Saulis; primo enim in desperatione ipse regio gladio incubuit, deinde in illum irruit ejus armiger, quod Davidi his verbis narrat, 2. Reg. 1. v. 10. *Stansq; super eum occidi illum, sciebam enim, quod vivere non poterat post ruinam.* O impii! vestrum est Salvatorem timendi tempus, penes ipsum est hic gladius infelicis, & impiæ mortis, ipse positus est, ut peccatores obstinatos hoc ense feriat. Jacet in præsepi pusio, jacet infantulus, jacet inermis, ut vos quidem arbitramini, sed tamen ad latus ejus jacet hic quoq; gladius, momento quo vult, potest impios, hoc sui furoris instrumento perimere. Deniq; 5. significat hæc vocula æternam damnationem. Ez. 18. v. 30. *Agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas,* scilicet in æternam damnationem. Isaiæ 8. v. 14. *Erit vobis* (nimirum Messias) *in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israel, in laqueũ & ruinam, habitantibus in Ierusalem, & offendent ex eis plurimi & cadent & conterentur, & irretientur, & capientur,* scilicet laqueis æternæ damnationis. Hoc sensu Salvator positus est quidem in signum, cui impii contradicent, quem ostendent, sed simul positus est, qui æternis illos ignibus mulctabit. Hic, hic est ille, qui terribilem fulminabit sententiam, *discedite maledicti in ignem æternum,* Matth. 25. v. 41. Dixi Dominica 2. Adventus multa, quæ impiis in supremo agone erunt terribilia, hoc! quod à Jesu Salvatore, à Parvulo de Bethleem sint judicandi, & condemnandi, sine omni spe veniæ, & misericordiæ, in illis angustiis, in extrema illa necessitate, hoc inquam crudele, & gravissimum, peccatorum erit supplicium. Vindicat se Deus de suis hostibus, sed dura, diraque imo terribili puniendi ratione. Colligere id licet è variis, pulchrisq; sacræ paginæ historiis. 2. Re-

§. 4. *Damnatis maximum erit supplicium, damnari à salvatore. Absaloni gravissimum fuit tormentum occidi ab amicissimo Ioabo.*

2. Regum 14. jussu Absalonis in convivio occisus fuit frater ejus Ammon. Enim verò sensit indignum hoc facinus & fatricidium, Absaloni implacabiliter offensus David. Itaque hæsit Absalon in Gesser in exilio, tribus annis, donec Joab dux regii exercitus dulci Thecuititis eloquio placavit cor Regis, movitque ut permiserit rebellem filium redire in domum suam in Jerusalem. Post duos alios annos, patrocinante Joabo, Absolon etiam in conspectum Regis & Patris fuit admissus. Omnia verba quibus iratus Regis animus fuit placatus, Joab posuit in ore Thecuititis, adeo ardenti ferebatur affectu in Absalonem. Ostendit Rex se illud advertere, dum ait: v. 29. *Nunquid manus Ioab tecum est in omnibus istis?* fatetur Thecuitis veritatem, *Servus tuus Ioab ipse pracepit mihi, & ipse posuit in os ancillæ omnia verba hæc.*

§. 5. *Prosecutio.*

Paulo post reconciliationem superbus & inquietus juvenis, denuo adversus patrem insurgens, hostiles colligit & educit copias, quin & audet cum regio etiam exercitu confligere. Factum itaque est prælium magnum in saltu Ephraim, & cæsa sunt ex exercitu Absalonis viginti millia militum; ipse verò fugiens in sylvam, cum mulus ingressus fuisset subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput ejus quercui, & illo inter cœlum & terram suspenso, mulus cui insidebat, pertransivit. Affertur hic nuntius ad Ioabum à servo Davidis, v. 10. *Vidi Absolon pendere de quercu: tulit ergo Ioab tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon.*

§. 6. *Cur Ioab illum occiderit.*

Recenter his tragicum hoc spectaculum oculis vestris objeci, 1. quare cor ejus transfixum fuerit? quia nimirum ingratum fuit cordi amantissimi Parentis, à quo adeò fuit dilectus. 2. quare infelix juvenis nullâ ratione conatus fuerit se expedire ex illo periculo, quia scilicet timor mortis, & desperatio in ipsum irruerat. Jam 3. advertite, quare ipsum Joab tantus anteà amicus, non alius, peremerit &c. S. Chrysosto. advertit mysterium; *Quod est admirabile* (in tragica historia) *qui Patrem ei reconciliavit, is ipsum interfecit*; ad majus scilicet tormentum Absalonis; Fortassis cùm infelix juvenis accurrentem conspicatus est Joabum, suum ante patronum, & amicum, in spem aliquam erectus tristi voce exclamavit, *Ah Ioab parce!* Sed nullus fuit locus misericordiæ. Joab irâ percitus, primam, alteram, tertiam lanceam in pectus infelicis juvenis adegit. Ab amico, à patrono, Absalon in majorem pœnam fuit occisus. Sic habet historia ex sacro codice: applicationem accipite.

§. 7. *Applicatio.*

Rebellis Absalon est, quisquis letali scelere divinam audet majestatem lacessere; irritatur sceleribus divina Justitia contra peccatorem. Verùm habemus apud Patrem cœlestem Advocatos, qui justam iram facilè placant. Est forma Thecuis, B. Virgo, peccatorum refugium, & patrona: Est Joab, Christus salvator noster, de quo S. Joannes, 1. Epist. c. 2. v. 1. *filioli si peccavimus, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum.* His intercedentibus, Deus nobis facilè placatur, imò ad oscula, & amplexus Patris recipimur.

Sed

§. 8. *Tertiò modo benignus, erit tum terribilis Iudex.*

Sed quid si peccator rebellis, & obstinatus, iterum bello audeat divinam oppugnare omnipotentiam? si resistere monitis, inspirationibus, imò precibus Dei ter Opt Max.? si ire in antiquam peccatorum sylvam, si citato provehi caballo in omne scelus; & sic tandem justo Dei judicio, ad arborem mortis infelix peccator scelerum laqueis suspensus pendeat? Ah miser! tum adest Judex triplici lancea terribilis. Una est infelix mors; altera, fatalis sententia; tertia, æterna damnatio, ut his gladiis feriat rebellem! Et quis est ille judex? quis ille immisericors Joab? est Salvator ipse: hic, qui in has mortales auras editus est, qui circumcisus, qui passus, qui mortuus est pro peccatore: hic inquam, hic ille ipse est, quem modo Salvatorem amamus, sed tum timebimus judicem. Hic impios judicabit, damnabit, imò præcipitabit in tartara. O miseræ peccatorum animæ! quo vestra tum ferentur desideria? quo preces? quo suspiria? quo affectus? O calamitas! doloribus obrutæ, præteritorum memoria scelerum afflictæ, perterrefactæ imminentium metu formidineque malorum, inclamabitis vestri quondam Salvatoris bonitatem. Ah frustra! *Salvator fuerat, sed non vult amplius esse, quique fuit genitor, Iudicis ora geret.*

Hoc illud est admirabile! is, qui adeo ante fuit misericors, adeo clemens, bonus, dulcis, benignus, amabilis; is inquam, ipse judicis ora geret, nunquam revocandam fulminaturus æternæ mortis sententiam. Ille, cujus Vulnera tot annis, imò tot sæculis patuerunt pro refugio, ille, qui iratum toties nobis Patrem reconciliavit, ille, qui tot nobis infinita, omni hora beneficia, ac munera communicavit, ille, qui Angelis suis tam serio mandavit ut nos custodiant; ille, qui toties clementissime non meritis, peccatorum veniam impertiit; ille, O rem admirandam! ille ipse impiis se spectandum exhibebit, ille conferet pro dulcedine acerbitatem, pro deliciis horrorem, pro luce tenebras, pro præmiis supplicia, pro gaudiis cruciatus, pro vita mortem, pro cœlesti gloria pœnas inferni. Quis non miretur? nimirum hoc eo futurum est, ut major fiat ad dolores maledictorum accessio, dum se vident ab eo condemnari ad mortem, qui habet verba vitæ, & à quo si voluissent, æternis cœli præmiis affici, & donari potuissent. Atque hic est genuinus citati mei thematis sensus, *Ecce hic est positus in ruinam multorum*, id est, hic Jesus, ipse ad majorem pœnam in innumeros feret sententiam damnationis, ipse addicet morti æternæ.

§. 9. *Tragica descriptio miserabilis cadis Sennacharibi.*

Sed juvat in figuris rem clarius intelligere; 4 Reg. 19. Angelus Domini in castris impii Regis Sennacharibi una nocte peremit octoginta quinque millia militum. Rex mane evigilans, dum cadaveribus suorum se cinctum conspicatur, plenus timore fugam corripit in Niniven, ad templum idolorum suorum: sed ecce ad ipsam templi aram à duobus filiis Adramelec & Sarabar occiditur, *filii ejus percusserunt eum gladio.*

§. 10. *Contigit in templo,*

Notabiles tragicæ mortis peristases! occidi in templo, in loco sacro, Deiq: cultui

ad aram à filiis. Prosopopœia Sennacharibi.

cultui peculiariter consecrato; occidi item ad *aram*, in qua moris erat holocausta pacis offerre; *Ad aram*, in qua videre erat victimas reconciliationis, *ad aram*, quæ erat velut tabernaculum fœderis? cui hoc non mirum, imo dirum; cruentumq; ac barbarū videatur? Occidi præterea non à gentibus incultis ac barbaris, non ab hostibus ignotis, aut incognitis, sed à filiis propriis! Enimvero hæc luculenta fuerunt ad mortem etiam acerbissimam vulnera! Dixerit fortassis infelix Pater, ad filios in hoc rerum suarum articulo, conversus, Ah! parcite nati mei, parcite! Si quæ in vobis pietas erga innoxium Patrem, vel si noxius sum, vos saltem abstinete manus filii, vos nolite vitam auferre ei, à quo accepistis, nolite sanguinem profundere meum, ne videre cogat filios, corporis mei vitæque carnifices. Ah! parcite, vos saltem parcite filii mei? Sed nequicquam profuerunt hæ preces, nihil cor paternum, nihil lacrymæ, nihil ipsa supplex natura! miser parens eos experiri debuit tyrannos, quos potuisset, imò debuisset vitæ suæ vindices, salutis defensores, in periculis socios, in adversis tutatores exspectare.

Sed mysterium probe advertit Abulensis; *fuit ad inferendam ei majorem pœnam, erat enim pejor omnibus viris suis, & volebat eum Deus acerrime puniri*: ideo in templo, *ad aram*, in loco refugii, à propriis filiis trucidatur.

§. 11. Apostrophe ad peccatores.

O peccatores! timete Salvatorē vestrum: veniet momentum mortis, calamitatis, judicii, quo, postquam tempus misericordiæ effluxerit, confugere voletis ad aras misericordiæ, ad rosea Crucifixi Vulnera, sed eheu! hic quem implorabitis, ipse ad majorem pœnam vos judicabit, ipse vos percutiet gladio æternæ damnationis & ad tartara dejiciet. Modo dum tempus est, positus est in salutem, in prœmium, in consolationem, in vitam: tum erit in ruinam, in supplicium, in anxietatē, in mortē.

§. 12. Gravis pœna est, castigari ab amatore.

Idem ni fallor, minatur Deus Jerosolymæ per Ezechielem c. 16. 37. *Congregabo super te amatores tuos*, id est, secundum mentem Theodoreti, *Per ipsos amatores tuos ulciscar te, sumam vindictam per ipsos, qui te amaverunt*. O peccatores, quis amator vester est, nisi Jesus Salvator? quid præ amore facere potuit, quod non fecit? *nunquid amavit*, qui pro vobis jacet in præsepio, mortuus deinde in cruce? *nunquid amat*, qui vulnera & sanguinem offert? *nunquid amat*, cujus cor immani hiatu vobis patet? videte ut rursum diligatis, pœnitētiam agite, cavete scelera; alioquin in ultimo illo terribili momento, in ultimis angustiis, in introitu æternitatis, justus & iratus Deus per amatorē vestrum, per Jesum Redemptorem vos puniet, justissimā de vobis vindictā reposcens. Hic, hic Jesus est, qui vos cōdemnabit. Ecce sensū & mysteria citati mei thematis, *Hic positus est in ruinam*.

§. 13. Ruinæ causa sibi est impius non Deus.

Hoc tamen notandum est, primam hujus ruinæ causam non esse ascribendam ipsi Salvatori, sed peccatori: Ipse vult omnes salvos fieri, ipse pro omnibus natus, pro omnibus mortuus est, omnibus gratiam ad salutem necessariam meritus est, omnibus eam offert: sed rejicit illam peccator imo respuit, contemnit, execratur. An igitur mirū, quod posteaquā à suo se Salvatore primus,

mus, atq; ultro averterit, ab eodē quoque pœnâ talionis mulctetur? & pro contemtu, contemtum, pro execratione execrationē, sed multis partibus tam graviorē, quam diuturniorē reportet? Verum alibi hæc latius deduco, modò insinuo tantum, & quidem pulchro simili ex hod. Evangelio deprompto:

§14 *Probatur ex verbis Simeonis.* Inter alia ait Simeon, Luc. 2. v. 30. *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod revelasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium.* Comparat Simeon his verbis natum Messiam lumini, sed quod accensum est pro omnibus populis: & quod positum est non à tergo, sed ante faciem præ omnium oculis. Causam assignat Cassianus, *lumen illuminans positum ante conspectum hominum, ut si non rectè ambulatur, non ascribatur lumini, sed errare volenti, & oculos claudenti ad splendorem ejus: unde colligimus, ut si peccator ambulat in tenebris, sibi ascribat.* Comparavi præteritis festis lucidissimum Jesulum lucidissimo Soli, comparari & potest stellæ, igneæ columnæ, vel cuivis sideri, & talis est, illuminans omnem mundum. Quid igitur causæ est, quod tam multi ambulant in tenebris? quod tot cæci ruunt in æternæ præcipitium damnationis? ipsi lumini suo officiunt, ipsi lucem impediunt, ipsi oculos avertunt, imo claudunt: proinde sibi, non Deo, ascribant ruinam.

Sed heus tu, fortè inquies, Nunquid is ipse Puer est Salvator mundi, in cujus affabilitate, pulchritudine, clementiâ, amore, aliisque perfectissimis, & corporis, & animi dotibus describendis nuper ita facundè laborabas, ut nihil illo pulchrius, nihil dulcius, nihil amabilius aut clementius unquam visum asseveraveris? ac proinde totum, quantus est, in præsepio jacentem, sed circumdatum charitatis infinitæ ignibus, exardescentem amoris flammâ judicaris? Jam verò de longè aliis ignibus loquentem te accipimus, jam hunc ipsum producis Jesum inflammatum scintillis, non amoris, sed doloris, furoris, cruciatuum? quid ais, vel quid vult sibi illa tam repentina mutatio?

Ah mi homo! ita est mutatus est Jesus tuus, quando positus est in ruinam multorum, in præcipitium, in infortunium æternum! Ignis amoris extinctus est, & accensæ flammæ furoris. Verum age, quis illi fomitem subministravit? *Tu peccator.* Quis hujus ruinę causa extitit? *Tu peccator.* Quis convertit Jesulū dulcē in terribilē Judicem? *Tu peccator.* Quis Redemptorem in ruinā vitam in mortē, cœlū in infernum? *Tu peccator.* §. 15.

Ipse peccator accendit ignem quo cruciatur. Audi Ezechielem c. 28. v. 18. *Producam ignem de medio tui, qui comedet te.* De medio tui, id est, de tua superbia, de tua luxuria, de avaritia, gulâ, invidiâ, acediâ. Et Isa. c. 50. v. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis estis in flammis, quas accendistis.* Phœnix sibi ipsi colligit ligna, ex illis ipse sibi nidum struit, ipse flammas excitat, in quibus comburitur. Idem contingit peccatori; ardet in nido inferni, sed ipse collegit ligna ipse ignem æternum accendit, ipse alit sempiternas flammas. Pulchrè ad rem Salvianus sæpius citatus: *Dei censuram nos inardescere facimus, & peccatis nostris jugiter commovemus, nos cœlestis iræ ignem accendimus, & excitamus incendia, quibus ardeamus.*

 O bo-

O bonitatem Jesuli! jacet in cunis, vagit, gemit, plorat, teneras effundit lacrymas, ut illis peccatorum nostrorum flammas, & consequenter ignem inferni extinguat. Sed nos alias quærimus flammas, quibus tam bono Jesulo vix nato, laboranti tamen in nostri gratiam, obsistimus. Nos ignes struimus funestos, nos æterna nobismetipsis paramus incendia! O cœci, O miseri, O amentes! vos Jesulo causam datis, ut in vos gladio, & ignibus æternæ damnationis animadvertat!

§.17. *Mors tragica Iulii Cæsaris.* Ah, repetere cogor, quam jam sæpe vobis occinui cantilenam: durum est interfici hostem ab hoste, sed multo certe durius, ab amico, à consanguineo, à fratre, à filio. Testis esset, si revivisceret Julius ille Cæsar; nam cum in Romana curia senatorum sicis undique peteretur, in unum Marcum Brutum oculos defigens exclamavit: *Et tu fili?* quo dicto pallio se involvit, ne parricidii turpitudinem haurire cogeretur.

§.17. *Apostrophe ad peccatores & Iesum.* O peccatores! nam vobis hoc recitatur paradigma. Videbitis nimirum aliquando, & heu! lugebitis, vos ad mortem postulari ab eo, à quo vitam potuissetis sperare, videbitis non filium aliquem, sed Patrem vestrum, ira, furoreque in rebelles filios inflammatum atque accensum! enimverò stupebitis ad insolitum istud spectaculum, ad horrendum & tremendum illud judicium ad terribilem jam jam ferendam sententiam *Discedite* &c. & metu consternati, exclamabitis! *Et tu Pater!* Tu mundi Redemptor? Tu Jesu? Tu Salvator orbis! Tu Parvule de Bethlehem! me, filium, ad ignes! ad infernum deturbabis? sed *sero sapiunt Phryges.* Tunc positus erit in ruinam, qui nunc est in resurrectionem multorum & si modo vultis, etiam vestram.

Sed ad finem decurrit Concio. Durum videtur, Christum fatalem scribere, & ferre damnationem; sed peccator est, qui Christum quasi cogit, ipse est, qui calamum offert. Notæ sunt injuriæ, quibus carnifices Christum Dominum affecerunt in spinea coronatione, Matth. 27. v. 29. *Exuentes eum (chlamydem coccineam circumdederunt ei,) & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus,* flexerunt genua, expuerunt in faciem cum colaphis, & ludicris salutationibus, *Ave Rex Iudæorum.* tandem, *dederunt arundinem in dexteram ejus.* Græci legunt, *Calamum*, id est, arundinem quasi aptatam ad scribendum. O pulchrum & sublime mysterium! advertit illud S. Chrysostomus, *dederunt ipsi calamum in manu, ut peccata eorum conscriberentur, & postmodum sententia damnationis.* §.18. *Christus Iudex scribit sententiam damnationis.*

O impii! scribit Judex vester in libro conscientiarum, in libro divinæ Justitiæ, peccata vestra, scribit luxuriæ species, scribit sordes avaritiæ, scribit superbiæ numeros, gulæ ingluviem, livoris machinas, neglectum Dei, rerumque divinarum, *sed calamum vos datis!* scribit vestras in ejus passionem, vulnera, sanguinem, injurias, contemptum, contumeliam, ingratitudinem, *Sed calamum vos datis,* dum in purpura rursum irridetis, dum in faciem ejus expuitis &c. simul *calamū vos datis,* ut §.19. *Sed peccator porrigit calamum.*

ipſe

ipse Salvator vester sententiæ Justitiæ, id est, æternæ damnationis subscribat.

§ 20: *Habet tamen Christus etiam calamum aureum.* Sed quomodo ego suavissimo hoc tempore, à cunis Parvuli de Bethleem delabor ad damnationem, & descendo in infernum? præsertim apud hos meos Auditores, quibus longe alia mens est; dolent, nimirum se Jesulum, summum bonum unquam offendisse. Sic pergite, excitate mille actus contritionis; aureum calamum habet Parvulus de Bethleem in dextera, quo illos notet. Vos animæ piæ, ne timeatis infernum, si Jesulum amatis. Sic pergite, exercete mille actus amoris, omnes, omnes aureo suo calamo notabit Jesulus, & veniet illa dies, qua nomina vestra divino Jesuli calamo notata conspicietis. Gaudebitis tum, & exultabitis, quia hoc ipso calamo, aureis characteribus inscriptos vos esse libro vitæ, nunquam amplius ex illo eradendos, spectabitis.



CONCIO VI.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Cum factus esset Iesus annorum duodecim.

Luc. 2. v. 42.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IEsus duodennis nos hortatur ad imitationem duarum nobilissimarum virtutum, Religionis & Devotionis; de quarum essentia, proprietatibus, & fructibus agit hæc Concio.

§. 1. *Christus D. venit in hunc mundum, non tantum ut redimeret nos; sed etiam instrueret.*

§. 2. *In hodierno Evangelio mansit in templo, ut imitaremur Religionem & Devotionem.*

§. 3. *Quid sit Religio.*

§. 4 *Ejus Utilitas.*

§. 5. *Imperatores, Reges, Principes, reddit felices & beatos.*

§. 6. *Applicantur dicta, cuivis statui hominum.*

§. 7. *Damna neglectæ Religionis.*

§. 8. *Simile de tugurio, vel domuncula Pastoris ex cap. 33. Isaiæ.*

§. 9. *Sine Religione nihil est stabile aut firmum.*

§. 10. *Aureum monitum Synesii.*

§. 11. *Inconstantia Vanitatis.*

§. 12. *Religio fuit, & est firmamentum Imperiorum.*

§. 13.

§.1. *Christus venit in hunc mundum, non tantum ut redimeret nos sed etiam instrueret*

VEnit filius Dei in hunc mundum, non ad nos redimendos tantum, verum etiam ad instruendos: innuit hoc titulis, quos sibi ipsi dedit, Joannis 14. v. 6. *Ego sum via, & veritas.* Feriis natalitiis præsepium fuit veluti prima cathedra, de qua Parvulus de Bethlehem, sine voce quidem, sed clamore stabuli, clamore lacrymarum, clamore pannorum, nos ad præstantissimarum imitationem virtutum invitavit. Habuimus his feriis in Nativitate Christi, quod imitemur, ejus paupertatem vidimus, humilitatem conspeximus, patientiam, & sexcentas similes virtutes exploravimus.

Octavâ Nativitatis, cathedra, sive præsepium Jesuli, respersum fuit sanguine in circumsione cruentâ: idem à nobis postulat ille divinus Sanguis, nimirum imitationem virtutum. Eâdem die impositum est illi suavissimum nomen *Iesus*: cùm Jesus sit humillimus, pauperrimus, obedientissimus, patientissimus, purissimus, atque adeo sanctissimum illud nomen multa suggerat, in quibus nos illum oporteat imitari, ut simus cum paupere pauperes, cum parvulo parvuli, cum patiente patientes, cum humili humiles, cum innocente innocentes, cum obediente obedientes, cum Jesulo in omni virtute excellentes.

§.2. *In hod. Evangelio mansit in templo, ut imitaremur Religionem & devotionem.*

In hodierno Evangelio eundem cum Virgine Matre & S. Josepho invenimus in cathedra templi in medio Doctorum. Hic denuò cum S. Bernardo dicere possumus, *Habemus quod imitemur*, nam in hoc quod ascenderit Jerosolymam in templum, quod die festo, quod secundum consuetudinem legis, quod parentes reliquerit, quod triduum manserit in domo Patris iterum nobilissimas nos docuit virtutes, præcipuè zelum gloriæ Patris sui, his verbis: *quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Luc. 2. v. 49. Solet alias zelus ille vocari Religio, sive amor veri, & sinceri Dei cultus. Proinde cum & nobilissima sit hæc virtus & in urbe hac Moguntina variè contra illam peccetur primâ hujus Concionis parte, in quo consistat; in altera, quam homini Christiano sit utilis, & ad felicem vitam, qualem plerumque desideramus, necessaria, breviter exponam; ac denique auream hujus virtutis praxin præscribam; Erigite aures vestras atq; animos, ut quem intendo Dei honorem, & animarum fructum reportemus

§.3. *Quid sit Religio.*

Religio prout notavit Doctor Angelicus q. 81. a. 5. non est virtus Theolo-

logica, quemadmodum fides, spes, Charitas, quæ proximè versantur circa DEUM *tanquam objectum QUOD*, eum credendo, sperando, amando: sed directè, & proximè versatur circa exhibitionem cultus divini, adeoque hominis actionem, per quam divinæ excellentiæ fit contestatio. Tales actiones sunt oratio, sacrificia, vota, imò quodlibet opus bonum, propter DEI honorem præstitum, secundùm illud S. Pauli, *omnia in gloriam Dei facite*.

§. 4. *Ejus utilitas.* Ejusmodi actionum beneficio, Religio scopum suum assequitur, hoc est, Deum tanquam finem, vel *Objectum Cui*. Nam *Deo* sive in honorem Dei oramus; *Deo*, & divinæ gloriæ nostras offerimus cogitationes, *Deo* sacrificia, *Deo* devota missarum officia, *Deo* corpus, *Deo* animam, *Deo* vitam, *Deo* salutem, *Deo* quidquid nobis in amoribus est, & ipsius gloriæ dedicamus universa. Et non jure hæc Religio morales inter virtutes dicetur prima? pulcherrima, præcipua, potissima, imò Regina? Certè par est, ut hæc ipsa hominis Christiani vitam, ac mores in singulos dies disponat, conformet, perficiat; ut moneat summo manè consuetas ad Deum preces effundendas; ut suggerat frequentationem templi, auditionem S. Missæ officii, amorem optimi Numinis; ut revocet in memoriam rationem modumque amandi sanctos Cœlites, colendi B. Virginem, invocandi SS. Angelos tutelares; denique quidquid eo die ad pietatem potest conducere, exequendi. Atque hæc omnia suadet, jubet, monet, inculcat Religio, cui unicè cordi est in his omnibus divinæ Majestatis honor, & cultus; ab hoc pendet felix rerum omnium in hâc mortali vitâ successus. Hactenus de naturâ Religionis, nunc & de utilitate disseramus.

§. 5. *Imperatores, Reges, Principes facit felices & beatos.* De Regibus, mundique Monarchis dixit S. August. l. 5. de civitate Dei c. 24. *Illos felices, & beatos judicat Religio, qui unum Deum timent, colunt, & diligunt.* & cap. seqq. *Constantinum Imperatorem non dæmonibus supplicantem, sed verum Deum colentem, tantis terrenis replevit muneribus, quanta optare nullus audeat.* q. d. Constantinus felicissimus fuit Imperator, ædificavit Constantinopolim, debellavit hostes, dilatavit imperium, nobilissimis potitus est victoriis; quia verum Deum coluit. En boni omnis causam! en fontem felicitatis regiæ, en augustæ Majestatis originem! en victoriarum multitudinem, en urbium frequentiam, en hostium internecionem, en amplificationem imperii, en cæsareæ radicem fortunæ, Religionem! O religio virtus nobilis, illustris, Regia, Augusta, Cæsarea.

Quæ Cyro aliquando dicta sunt. *Rectè te Cyre beatum ferunt, quoniam virtuti tua fortuna conjuncta est*: mutemus paululum, dicamus, Religioni fortuna est conjuncta.

Id quod probe cognitum habuit S. Leo ep. 42. quando Martianum Augustum his verbis fuit allocutus, *Studiosissimos vos Ecclesiæ pacis agnovi, cui sancto desiderio digna æquitate confertur, ut quem statum cupitis esse Religionis, eundem habeatis & Regni.*

§. 6. *Applicantur dicta cuivis statui hominum.* Quæ SS. Patres de felicissimis hisce dixerunt Imperatoribus, eadem vel certè similia, jure à me hodiernâ luce dici pos-

possunt de quovis, v. g. cive, de mercatore, de opifice, de sutore ac sartore, de fabro lignario. Nimirum *felix est civis*, qui ita se civem suæ meminit esse reipublicæ, ut non obliviscatur civitatis illius supernæ *Ierusalem*, pro qua & ejus Principe Deo suam fidelitatem, facta, dicta, imò & vitam lubens volensque exponit.

Felix mercator, qui cum suis mercibus pretiosissimam lucratur gemmam, Dominum Deum ejusque cultum, & gloriam. *Felices Sartores*, qui cum in operibus vestris Deum sectamini, vestes vobismet ipsis beatæ immortalitatis conficitis. *Felices Sutores*, quibus etsi pix hæreat in hoc mundo, si tamen & illum piceum laborem Deo consecratis, certissimè asseverò, altero in sæculo neque pix, neque styx vos tanget. *Felices fabri lignarii*, si cum devotissimo Jesu Nutritio Josepho Deum quæritis, si hac, de qua agimus Religione, vestras ornatis dolabras, vestras secures, cultros & serras. *Felices fabri ferrarii*, si quot ex vestris resiliunt incudibus scintillæ, tot veræ Religionis promicent affectus, tot intentiones ad Dei laudem & gloriam efformatæ.

§. 7. *Damna neglectæ Religionis.* Deum immortalem, si hanc virtutem nostra spectarent opera, nostri labores, conatus, industriæ! si ex Religionis motivo sumerent initium, quantum etiam sumerent incrementum! Sed heu, contrarium sentimus miseri! videmus exiguam esse operum nostrorum benedictionem, parvum fructum, modicum lucrum aut fere nullum. Hinc illæ pauperum querelæ, ille luctus, illæ lacrymæ, illa hominum paupertas, illa rerum familiarium inopia, illa discordiarum semina, illæ rixæ, illa infortunia, illæ miseriæ. Nimirum una deest virtus Religio, deest verus Dei cultus, deest renovanda quotidie operum in Dei gloriam faciendorum intentio.

De lucro cogitatur in singula penè momenta, non autem de vera luctandi arte, ac methodo, quæ est solus Dei cultus, Religio. Cavetur maximoperè, ne qua fiat nummi jactura: de detrimento quod anima patitur, quod Conscientia, quod Religio, vix ac ne vix quidem in septimana semel laboratur. Insudant laboribus miseri Patres familias, ad hoc exhortantur Conjugem, incitant liberos, admonent famulos, conducunt vicinos, sæpe etiam multum noctis insumunt, atque utinam non dies quoque festos aut Dominicos! verum quo fructu? nullo, quo emolumento? nullo, qua rei familiaris accessione? nulla, quo pacis, ac concordiæ domesticæ incremento? nullo. Ita solet usu venire, cùm deficit verus Dei cultus, cum desideratur Religio.

§. 8. *Simile de tugurio vel domuncula pastoris ex c. 33. Is.* Qui inter opes, divitias, honores desiderant esse felices, ut illas firment, ante omnia virtuti Religionis studere debent. Plenus mysteriis est versus 20. c. 33. Isa. *Oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam; tabernaculum quod nequaquam transferri potest, non auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur, quia solummodo ibi magnificatus est Dominus noster.* Pulcherrimum inprimis ex hoc loco eruo simile. Tabernaculum propriè est, vel domuncula ex ramis, vel qualem solent ruri pastores habere, & prima qui-

quidem, opere tumultuario solet exstrui, unius tantùm horulæ spatio. Non ad eam opus est variis architectorum operis; non excelsis machinis, non trabibus, non apta conclavium dispositione, non saxis pro fundamento, non tegulis pro tecto, non labore fabri lignarii, non latomi peritia, non industria pictoris, sed aliquot arborum ramis, brevi temporis intervallo tota domuncula struitur, construitur, exornatur. Altera verò, quam ut plurimum ruri pastores incolunt, ex antiquis asserum particulis concinnatur, & duabus innititur rotis, quibus instar currus, ab uno in alium locum, ab una statione in aliam transfertur.

§. 9. *Sine Religione nihil est stabile aut firmum.*

O vera Vanitatis humanæ & infelicitatis emblemata! nam quid sunt aliud nostri, quibus ita occupamur labores, quid nostra studia, nisi ejusmodi domuncula? quid honores, voluptates, divitiæ? transfert illa omnia tempus, momento ædificat, momento diruit; mutat stationem mors, duabus rotis invecta, *fugacitate & inconstantia*. O mortales! ad quid igitur ejusmodi ædificatis palatia? certè ludicra, parva, puerilia, peritura. Nam quamdiu putatis stabunt erecta? dicam libere, quamdiu virent rami ejus; non diutius. Mox mox erunt hi rami arida flammarum pabula, mox injicientur in ignes, mox conflagrabunt: tabernaculum est vita vestra: Fundamento igitur opus est, ut figantur vestri labores; clavos afferte. Funibus opus est, ut alligentur vestri conatus; funes adducite. *Fundamentum est Religio & pietas: clavus est Religio, funis est Religio.* Sic ait Isaias, *quia ibi magnificatus est Dominus noster.* Quamdiu Jerosolyma verum Deum coluit; viruit, floruit, triumphavit. Quam primum à verò Dei cultu defecit, facta est tabernaculum pastorum, sine fundamento, sine clavis, sine funibus.

§. 10. *Aureum monitum Synesii.*

Arcadio Augusto multa media præscripsit Synesius, quibus Imperium firmare posset: & bene monet. *Religio & pietas, firma inprimis ejus basis subjiciatur, in qua stabile, & inconcussum simulacrum perstet.* Regna, imperia, monarchias comparat statuis; sed advertite: postquam statuarius artificiosam formavit imaginem, illam non globo, non rotæ, non vitro imponit, sed columnæ, vel basi ex solido marmore.

§. 11. *Inconstantia Vanitatis.*

O divites, quod est fundamentum vestræ felicitatis? heu, globus, quem tempus impellit. O Nobiles cui rei vestra insistunt stemmata? cineri. O lascivi, Veneris mancipia, voluptatum asseclæ, cui rei vestræ innituntur deliciæ? domunculæ pastoris, cui affixæ sunt rotæ tristissimæ inconstantiæ. O superbi! in quo collocata est vestræ sublimitas arrogantiæ? in rota, quam mobilis versat, reversatque fortuna. O Adonides! O Narcissi, O filii hujus sæculi, O operarii tenebrarum! cui vestros conferam labores, defatigationes, opificia, studia? Vitro. Momento franguntur omnia. Solida quippe deest studium divini cultus, *deest Religio*, hæc fundamentum, sine quo nullum Midæ aurum, nullæ Crœsi divitiæ, nullæ deliciæ Sardanapali, nullæ Veneris illecebræ, nulli fabrorum labores, nullæ artificum operæ solidum aliquod aut constans opus efficient.

§ 12. *Religio fuit & est firmamentum Imperiorum.* Confirmat hoc Joannes Romanus Pontifex ad Imperatorem Justinianum, *Nihil est quod ita occasui nequeat subjacere, quam vera Religio: hoc est enim, quod vestrum firmat imperium, hoc quod vestra regna conservat.* Sed Clarius hoc ipsum Cyrillus Alexandr. l. 1. de recta fid. ad Theodosium, *supremum autem piissimi & clarissimi Imperii vestri firmamentum est Dominus Iesus Christus.* O felix imperium quod hæc virtutum moderatur Regina Religio! beata provincia, quam ita sincerus Dei cultus, quasi fortissimus murus defendit! felix civitas, cui est pro propugnaculo, pro arce, pro munitione Religio! beata domus quæ in hâc eâdem basi fundatur! felix anima, quæ hoc Religionis defensa clypeo, nec fortunæ metuit inconstantiã; nec carnis illecebras, nec mundi tentationes, nec Satanæ insidias.

§. 13. *Confirmatur variis dictis SS. PP.* Hoc eodem fermè modo loquitur Cardinalis Baronius ad annum Christi 381. *Quod spectat ad felicitatem Theodosii ex pietate comparatam.* Et hodie, huic viduæ unde tam bene est? unde tanta felicitas huic mercatori? unde opes huic civi? Scilicet ex pietate & religione sibi comparant felicitatem. Et S. Gr. Nazianz. ad Olympium Principem: *qui etiam hoc pietatis præmium accepisti, ut res tibi ex animi sententia fluant.* Ansam hæc res præbuit aureæ viro eloquentiæ S. Chrysostomo, Deam Fortunam sic describendi orat. 63. *Ipsa bella gerentium est Victoria, & pacem agentium Concordia, & nuptias contrahentium Benevolentia, & amantium Voluptas: verbo, bonus in omni re successus.*

Eadem hæc ego liberè pronuntio de Pietate in Deum, ac Religione. Quis enim cum hâc unquam bellum gessit, & non reportavit victoriam: quis vitam optavit tranquillam, & non illicò impetravit? quis sponsus mutuum amorem sponsæ in votis habuit, & non continuò, beneficio religionis obtinuit? quis castas in casto amore delicias desideravit, & non gustavit? verbo dicam, quis unquam Religione armatus vel ornatus, suâ se spe frustratum vidit? Certè Fortuna, & bonus in omni re successus in manibus est illi, cui sedet Religio in pectore.

§. 14. *Fortuna aureis catenis alligata Romæ in Capitolio.* Sed tamen Deam hanc Fortunam, ni perdere velis, firmare necesse est aureâ catena. Refert enim Plutarchus, Romanos putasse, Fortunam fuisse in Persia, sed celeribus alis avolasse; fuisse in Macedonia in ædibus Alexandri, sed avolasse: fuisse in Ægypto, in Græcia, sed avolasse: tandem venisse Romam in Capitolium, ibi detractis alis, aurea catena alligatam perstare. Sed error hic fuit cæcæ gentilitatis, cui facilè veniam dat illustrata fidei divinæ radiis sapientia Christiana. Hoc verò negare quis audet? raram esse hoc in orbe felicitatis constantiam, raram fortunam, nisi eam aurea Religionis catena complectamur, & quasi captivam in nostros affectus, labores atq; opera pertrahamus. Sic cuiq; licet esse felici, modo velit esse.

§. 15. *Quomodo Fortuna firmanda.* In quem sensum & Seneca ep. 98. *Errant mi Lucili, qui fortunam firmari non posse arbitrantur.* Sic Quintus Curtius dixit l. 11. *neminem unquam fuisse peritum fabrum sua fortuna; valentior enim omni fortuna animus est, in utramque partem res suas ducit, beatáq; ac miseram vitam.*

ra vita sibi causa est. Quid clarius potest esse eo quod affirmat Cyrillus Alexand. qui postquam multis ostendit, regnum Israëlis sub Regibus piis fuisse felix, sub impiis infelix, concludit: *quotquot ex illis,* (scilicet regibus) *cultu & observantia, quæ Deo debentur,* impiè contemptis, impiè vixerunt, omnes hi mali & miseri, malè misereque perierunt: econtrà, quicunque se pios in illum declaraverunt, quæque illi placitura credebant, omni ope præstare elaborarunt, triumphum cecinerunt, fuerunt felices &c. Hi pietatis sunt fructus, hæc merces. Scilicet vita in hoc mundo etiam felix, & fortunata.

§.16. *Praxin Religionis præscribit S. Aug.* Sed venio ad auream praxin nobilissimæ hujus virtutis, Religionis, ut scilicet per ejus actiones continuò Deum colamus, & laudemus. Hanc nobis præscribit S. Aug. in Ps. 34. *Vis medium semper laudandi & colendi Deum? quidquid agis bene agis, & laudasti Deum.* Persolvis Deo mane preces matutinas? bene hoc age. Audis Sacrum? bene hoc age. Imò *in omnibus aliis operibus præcellens esto,* Ecclesiast. 33. cap. non in actionibus tantùm devotionis, quæ directè Dei cultum intendunt, sed aliis etiam occupationibus exterioribus, per pias cogitationes, per sanctas intentiones, & desideria, ut Deum tuum in omnibus operibus colas.

§.17. *In illa fuerunt eximii S. Bernardus, S. Xaverius &c.* Hoc agebat S. Bernardus, de quo in ejus vita dicitur, l. 1. c. 5. *totus quodammodo exterius laborabat, & totus interius Deo vacabat.* Hoc agebat S. Franciscus Xaverius in suis itineribus, & prædicatione Evangelii. Hoc agebat S. Isidorus ad aratrum &c. omnes eximii Dei cultores: omnes præcellentes in suis operibus per excellentissimos actus virtutis Religionis.

Discamus auream hanc praxin à Seneca, qui de se scribit ep. 62. *quocunque constiti loco, quidquid ago, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid in animo salutare verso.* Aureamhanc regulam sponsus præscripsit sponsæ cum illi dixit Cant. 8. v. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Ad quid brachia indigent signaculo? latet pulchrum mysterium. Cor significat vitam interiorem hominis Christiani, sive opera devotionis, orationem, meditationem, contemplationem, sanctissimorum Sacramentorum usum, & similia. Brachia denotant opera exteriora, qualia sunt laborare, scribere, studere, comedere &c. Utraque cœlestis sponsus vult sibi consecrari, utraque obsignari, sigillis bonarum intentionum, & sanctarum cogitationum, quibus intendimus Deum in omnibus colere & venerari. §.18. *Aureum dictum Senecæ.*

Signaculo cordis utitur homo, cum initio operis per sanctam intentionem illud dirigit ad Dei gloriam, & cultum. Ab hac intentione pendet excellentia, & meritum nostrorum operum, si simus in statu gratiæ. Sic intelligite, Sartor aliquis dum mane post orationem arripit acum, vel faber aliquis malleum, aut securim &c. elevat cor & oculos ad cœlum cum piâ cogitatione, *Tibi mi Deus, tibi mi Iesu hodiè laborabo.* Alius interim nihil tale cogitat. O differentiam! hic nihil gratiæ, aut gloriæ merebitur; prior gratiam, qua jam Deo placet, multùm augebit. Et unicum tale opus, sanctis cogi- §.19. *Unde sit meritum nostrorum Actionũ.*

cogitationibus ad Dei cultum animatum, præstat cœlo & terra. Pone hinc regias coronas, & sceptra Hispaniæ, ex altera parte unum tale opus, quo Deus per Religionem colitur, hoc majoris est valoris, majoris pretii, majoris dignitatis, quàm Monarchia Hispaniæ. Unicum tale opus, Apostolo teste, 2. Cor. cap. 4. v. 17. *Supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* S. Bernardus ser. 1. ad Clericos, hæc opera vocat, *semina æternitatis*, &, *qui Deum colit, quæ seminavit, & metet in gloria.*

§. 20. *Simile.* O Auditores! ubi sunt dies vitæ nostræ? quomodo hactenus laboravimus? quomodo Deum coluimus? quos actus Religionis exercuimus? quæ projecimus semina æternitatis? saltem impostcrum Deum ferventius colamus in operibus nostris. Virgo quædam quæ aureis filis, & gemmis auream pingit vestem, qua cura, & sollicitudine aurea, & argentea tractat fila? ne vel minimum pereat, ne vel unicus unio perdatur. Auditores, tales uniones, talia fila sunt opera nostra; si hæc per actum Religionis dirigantur ad Dei cultum, si ea tractemus magna cura ut nullum pereat, iisdem nobis contexemus vestem gloriæ, & immortalitatis. Stat subinde in officina faber ferrarius, qui nigris manibus malleum versans cogitat, *Deo meo, Iesu meo!* dicamus de his manibus ex Canticis, esse tornatiles, aureas, plenas hyacinthis, vel carbunculis, quibus corona gloriæ elaboratur, atque exornatur. Omnia nostra opera, & cordis, & brachiorum, signata hoc signaculo piæ intentionis, & sanctarum cogitationum, sunt hyacinthi, & margaritæ, quibus coronam gloriæ, quæ parata nobis est, reddimus illustriorem. Agite ergo Auditores, & ejusmodi gemmulis in posterum ornate opera vestra, labores vestros, cogitationes vestras, studia vestra; elevate illa per actus Religionis ad apicem magnæ perfectionis, & sanctitatis; & certò futurum polliceor fore, ut ex iis tandem Angelorum manibus, pro vobis corona beatæ immortalitatis contexatur.



CONCIO VII.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Joan. 2. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUæ virtutes requirantur, ut inter Conjuges sit felix, faustum, & sanctum Matrimonium.

§. 1. Va-

§. 1. *Variæ nuptiæ, quarum fit mentio in S. literis.*
§. 2. *Evangelium agit de illis, quæ inchoant statum Matrimonii.*
§. 3. *Statua, vel imago Hymenæi, Præsidis fausti matrimonii.*
§. 4. *Christus D. est Hymenæus cœlestis.*
§. 5. *Conjugium B. Virginis, & S. Iosephi fuit conjugium cœleste. Ejus Paranymphus fuit Spiritus S.*
§. 6. *Matrimonia infausta: alia fausta.*
§. 7. *Apostrophe ad Iuvenes, & Virgines meditantes matrimonium. Vxor bona petenda est à Deo; ab hoc appetatur.*
§. 8. *Matrimonii fausti, comparatio cum Musica.*
§ 9. *Inter Conjuges requiritur.* 1. *Consonantia Religionis.*
§. 10. 2. *Consonantia morum.*
§. 11. 3. *Requiritur consonantia oris, & labiorum: uxor sit suavis in verbis.*
§. 12. *Invectiva in mulieres rixosas.*
§. 13. *Prosecutio.*
§. 14. 4. *Requiritur consonantia mutui amoris: cujus proponitur exemplar.*
§. 25. *Viri debent suas uxores honorare.*
§. 26. *Mulier verò sit subdita viro.*
§. 17. *Maritus debet alere uxorem.*
§. 18. *Cavenda est Zelotypia.*
§. 19. *Imago Palladis.*
§. 20. *Aliud Symbolum.*

§. 1. *Variæ nuptiæ quarum fit mentio in S. literis.*

VArias sacris in literis nuptias invenio. 1. *Nuptias Incarnationis*, sive nuptialem diem, quo in Virgineo thalamo Verbum Caro factum est. Matth. 22. v. 2. *Simile est regnum cœlorum homini Regi*, id est, cœlesti Patri, *qui fecit nuptias Filio suo*, uniendo scilicet Verbo naturam humanam. In his nuptiis sponsus fuit Filius Dei, sponsa Natura humana; thalamus nuptialis virgineus uterus; Paranymphus Archangelus Gabriel. Et hæ quidem nuptiæ etiam factæ sunt *in Cana*, id est, *Zelo & dilectione.* Ad Eph. 2. v. 4. *propter nimiam Charitatem suam qua dilexit nos, Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati*: S. Augustin. de cat. rud. *qua major causa Incarnationis, quam ut ostenderet dilectionem suam?* factæ prætereà sunt hæ nuptiæ in *Galilæa*, id est *transmigratione*, qua filius Dei de cœlis migravit in terras, de sinu Patris in uterum Matris, de montibus gloriæ in vallem lachrymarum. 2. cap. 19. v. 7. Apoc. invenio *Nuptias Redemptionis humanæ*; *venerunt nuptiæ Agni*, in quibus Christus Dominus sibi desponsavit Ecclesiam per redemptionem, in die passionis. Cant. 3. v. 13. *Egredimini filiæ Sion &c.* Mater fuit Synagoga, quæ coronavit eum corona spinea. In his nuptiis sponsa dicere potest, dilecto, ex c. 4. v. 25. Exod. *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Hanc enim sponsam suo sanguine sibi emit, & acquisivit. De latere Adami educta fuit Eva; de latere Christi Ecclesia. Thalamus istarum nuptiarum fuit lignum Crucis; Annulus nuptialis, Sanguis, quem fudit. Apoc. 1. v. 5. *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Alia dona fuerunt SS. Sacramenta, quæ fluxerunt ex latere dormiẽtis, sive morientis sponsi. Et hæ nuptiæ similiter factæ sunt

in

in *Cana*, sive *in dilectione*, *& Charitate*. quâ per[illegible]æ sunt. 3. Sunt *Nuptiæ unionis* alicujus spiritualis inter Christum & animam fidelem. Sap. 8. v. 2. *Hanc amavi, & exquisivi, & quæsivi sponsam, eam mihi assumens, & amator factus sum formæ illius.* In his nuptiis sponsa, quæ fuit serva, fit Domina & Regina: Hæc desponsatio fit in Baptismo, continuatur per gratiam, & Charitatem. In his nuptiis liberalissimus est sponsus; Donat sponsæ monile ad decorem pectoris, annulũ ad ornatum manuum, coronam ad gloriam capitis; vestitum deauratum ad elegantiam totius corporis, sandalia ad venustatem pedum, murenulas pro auribus, funiculos pro crinibus, pro manibus chirothecas. Vestis aurea est gratia, corona puritas; annulus amor; monile fides, reliquus ornatus, reliquarum apparatus virtutum.

4. Invenio *Nuptias damnationis* inter Diabolum, & animam peccatricem. Nuptialis thalamus est concupiscentia, donec mutetur in lectum inferni, in quo adultera sponsa, Babylonica meretrix æternum cruciabitur.

5. Apoc. 19. v. 7. invenio *Nuptias æternæ glorificationis. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quoniam venerunt nuptiæ Agni.* Ad has nuptias invitatur sponsa à sponso Cant. 4. v. 8. *Veni de Libano, veni coronaberis.* Eodem cap. Apoc. v. 9. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Thalamus est cœlum, arrha gloria æterna, hæ quoque nuptiæ celebrabuntur in *Canâ*, sive *æterna dilectione*. Denique hodiernum nobis Evangelium nuptias, & in illis matrimonium repræsentat.

§. 2. *Evang. agit de illis, quæ inchoant statum matrimonii.*

De primis nuptiis soleo agere per Adventum, & ferias natalitias; de secundis in quadragesimâ: de tertiis in concionibus de gratiâ, & Charitate; de Diabolicis, in sermonibus de inferno; de cœlestibus, in materia de cœlo. Hodiernæ Prædicatoribus ansam præbent, ut conjugatis varia suggerant documenta, quibus incitati vitam pariter sanctam, atque tranquillam in matrimonio ducant. Adeste animis Auditores, vos præsertim Conjuges; non enim utilitatem modo, sed & voluptatem vestram, jucunditatemque præsens Concio spectat.

§. 3. *Statua vel imago Hymenæi, præsidis fausti matrimonii.*

Felix matrimonium est ingens gratia, & donum Dei. Antiqui Deum nuptiarum vocarunt *Hymenæum*, quem pictores depinxerunt, in formâ speciosi juvenis, coronatum pulchro serto, in quo rosæ aliique flores aureo filo erant colligati. In dextera præferebat ardentem facem, sinistra virgineum velum, quod *Flammeum* vocarunt. Voluerunt viri sapientissimi hac pictura ostendere, ad matrimonium felix requiri rosas, amœnos flores, aurea fila, ardentes faces, candida vela. Flores & rosæ denotant lætitiam, aurea fila, concordiam, fax accensa, amorem; Velum, conjugalem castitatem: putabant autem gentiles se talia obtinere ab Hymenæo. Apud Christianos nuptiarum, & Matrimoniorum Deus, est Christus Jesus Salvator noster. Ille hunc statum elevavit ad dignitatem Sacramenti; & ideò cùm hic adest nuptiis, cùm est inter Conjugatos, inter sponsum, & sponsam, inter maritum, & uxorem, non desunt rosæ; maritus exhilarat uxorem, maritum uxor;

§. 4. *Christus est Hymenæus cœlestis.*

uxor; non desunt aurea fila, aureis funiculis conjugum corda colligat Jesus, & summa inter illos est concordia; in utriusque corde ardet ignis, & fax amoris, uterque ornatus est candido velo conjugalis pudicitiæ. O felicissima ejusmodi conjugum matrimonia.

Verùm cùm abest Jesus, plerumque desunt rosæ, cùm Hymenæus non est cœlestis, vir est Hypochondriacus, tetrica est uxor! desunt aurea fila ob continuas rixas. Cum Jesus abest, cum nuptiæ non sunt à Deo extinctus plerumque est ignis mutui amoris, maritus aliam plus diligit, quàm uxorem, & contra. Cùm Jesus abest; facilè rumpitur velum pudoris, &c. O infelicissima talia matrimonia!

§. 5. *Conjugium B.V. & S. Joseph fuit conjugium cœleste. Ejus paranymphus fuit Spiritus S.*

Felicissimum fuit conjugium B. Virginis & S. Josephi, sicut exclamarit Rupertus in c. 21. S. Matthæi. *O conjugium cœleste! non terrenum! unus spiritus, & una fides erat in eis!* Sed bene advertit Nicephorus Calixtus, *Spiritus S. fuit hujus connubii Paranymphus, & pronubus.*

Nam prout refert S. Hier. in historia de vita B. Mariæ cum quæstio esset, cuinam Virgo illa tam eximia, tam decora, tam nobilis, tam exquisitæ pulchritudinis, ac formæ esset desponsanda, de oraculo, sive loco Propitiatorii vox audita est, cunctos de domo & familia David nuptui habiles ad altare debere afferre virgas, ita ut cujuscunque virgula florem germinasset, & in ejus cacumine Spiritus Domini specie columbæ consedisset, is ipse sit, cui Virgo desponsari deberet. Eventus oraculo respondit, effloruit repente virga IOSEPH, cui *MARIA* fuit desponsata; & ob hanc causam rursum exclamat Rupertus citatus.

O connubium cœleste, quia conjugum vita, sive conjunctio tota fuit cœlestis, & Spiritus S. amborum conjugalis amor. Idem Spiritus Domini, idem Jesus hodie apud Christianos est nuptiarum Deus; ubi adest, felicissima sunt matrimonia, cœlestia connubia.

§. 6. *Matrimonia infausta, alia fausta.*

Quædam sunt nuptiæ, imò & conjugia, quorum Paranymphus non est Spiritus Sanctus, sed profanus, non cœlestis sed terrestris, potens, *sed ad speciem*; aureus, *sed ad speciem*, gratus atque acceptus, sed ut dixi, *non nisi ad speciem.* Plutus dicitur, id est pecuniæ, atque opum, & frequenter nuptiarum Deus, atque paranymphus. Huic magna hominum copia servire, huic litare sacrificia, hunc invocare, atque ad nuptias accersere, hujus præsentiam exoptare plerique gestiunt mortales. O miseri sponsi quid agitis? Sanctumne Spiritum, & pauperem Jesum à nuptiis exclusum vultis? ita certè vultis; neque enim Deus esse potest paranymphus, ubi Plutus colitur, nec Plutus ubi Deus,

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur.

In aliis Paranymphi vices agit Asmodæus, aut Venus; hinc rosas putant nascituras miseri sponsi; sed heu! nascuntur spinæ, consurgunt vepres, quibus cruentantur pedes, ut ipsi etiam Poëtæ testantur. O infausta ejusmodi matrimonia! liceat mihi hic exclamare cum Poëta,

Conde tuas hymenæe faces.

Neque enim recreant ejusmodi flammæ, sed urunt! utinam non æternis videantur incendiis præludere.

Alia sunt matrimonia, quorum pronubus fuit Spir. S. in nuptiis adfuit Jesus, per gratiam ob præviam Confessionem, & Communionem. Horum conjugium ager, & terra est, sed cœlestis, & benedicta, paradisus est in terris, germinans pulcherrimos flores conjugalium virtutum; inter quos moratur Spiritus S. Cum Spiritu S. pax, concordia, amor. Conjugalis illorum vita est tota cœlestis, ideoque cœlesti, & beato fruuntur matrimonio.

§. 7. *Apostrophe ad Juvenes & Virgines meditantes matrimonium. Uxor bona petenda est à Deo: ab hoc aptatur.*

Discite Juvenes, de nuptiis interdum cogitantes, sed & vos discite Virgines rem tanti momenti seriò in precibus Deo commendare. Memineritis consulendum esse Spiritum S. petendam esse ab alto hanc gratiam. Connubium felix rogandum est à cœlo Ecclesiast. 26. v. 19. *Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata*, eodem cap. v. 3. *Pars bona mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.* Prov. 19. v. 14. *Domus & divitiæ à parentibus, à Domino autem uxor prudens. Septuaginta legunt. Aptatur uxor viro à Domino.* Non caret mysteriis hoc verbum, *apto*, idem est enim ac congruo, adapto, quadro, compono, conglutino, tempero, præcipuè verò congruit Musicis, qui varias voces, & instrumenta adaptant, componunt, temperant. Hæ verbi hujus variationes ansam præbuêre D. Ambrosio 8. in Luc. c. 16. pulcherrimam pro conjugatis doctrinam eruendi.

§. 8. *Matrimonii fausti comparatio cum Musica.*

Nam sicut in harmonia suavi omnes inter se voces, (bassum vocamus, tenorem, altum, discantum) rata inter se proportione debet correspondere; ita inter conjuges omnia concinere, & in eandē veluti mensuram relabi oportet: neque enim omnis uxor cuivis viro est congrua. v. g. tristis non est apta læto, nec pauper diviti, nec nobilis rustico, nec liberalis tenaci: nec formoso deformis, nec mansueta iracundo, nec agnus leænæ, nec leoni agnus, nec impiæ justus, nec justæ impius. Verbo, *Si qua voles aptè nubere, nube pari:* (id quod de virtutibus, non vitiis acceptum volo.) Jam verò cum solus hanc harmoniam cognitam habeat Deus, utpotè qui solus internas novit affectiones, hinc ille solus hanc harmoniam, efficere, & aptare potest. Ex quo non malè deducimus, si hanc à Deo gratiam petendam esse suadeamus, si jubeamus conjuges debere esse sollicitos, ut Jesus sit in nuptiis, ut Spiritus S. sit paranymphus. Varia autē est consonantia (ut maneam in cœpta metaphora) quæ ad beatum matrimonium requiritur. Ante omnia exigo consonantiam fidei, & religionis; ducere hæreticam periculosæ plenum opus est aleæ. Jesus non diu aderit, Spiritus S. brevi discedet. Non mihi credatis soli velim, sed Sancto Mediolanensium Antistiti Ambrosio, l. 1. de Abrah. c. 7. *sæpe illecebra decepit etiam fortiores maritos, & a religione fecit discedere. Cave Christiane alienigenam hoc est hæreticam* (alienigenæ deceperunt Salomonem, Jezabel Achabum, Dalila Samsonem) *& omnem alienam à fide tua uxorem, ne accersas tibi, cum Sancto Sanctus eris, & cum perverso perverteris: si hoc in aliis, quanto magis in conjugiis, ubi una caro, & unus Spiritus est; quomodo autem potest congruere charitas, si discrepat fides.* Primò ergò in matrimonio Religio quæratur.

§. 9. *Inter conjuges requiritur 1. Consonantia Religionis.*

Hoc

Hoc felicis est Hymenæi fundamentum; quo sine tota labitur moles illius ædificii, cui vitam suam novi Conjuges, felicitatemq; superstruunt. Hic iterum si uspiam alias valet illud, *Si qua voles aptè nubere, nube pari*, ut paulò ante insinuavi, par non erit, cui tecum in re omnium potissima, & à qua animæ pendet salus, non convenit. Vera Religio prima sit omnium conditio, quam à sponsa sponsum, & vicissim à sponso sponsam, ni se divinæ cupiant vindictæ expositos, desiderare oportet.

Quâ in re meminerint obsecro parentes, quam & sibi, & filiis malè consulant, si eos cum heterodoxis celebrare nuptias, inire matrimonia, vitam suscipere conjugalem, vel permittant, vel quod pejus est, suadeant, atque etiam sæpe sollicitent. O miseri! neque enim ignorare debetis, ejusmodi Hymenæum faces suas jactare, ut ignes succendat æternos.

§. 10. *Consonantia morum.* Deinde exigo consonantiam morum, præcipuè in cultu divino, & in operibus devotionis. Et hic locum habet versus Eccl. 25. v. 2. *Vir & mulier sibi benè consentientes.* In his frequenter videmus ingentem dissonantiam. Uxor piè, ac probè instituta quot hebdomadis, vel saltem quot mensibus animam sacra exomologesi expiare solet, maritus vix semel in anno. Uxor in majoribus festis à teneris sic assueta, Eucharistico epulo se reficit; maritus illis diebus convivia, & popinas frequentare consuevit. Uxor libenter audit Verbum Dei, maritus aversatur, ad fabulas audiendas promptissimus: diebus jejunii uxor abstinet à carnibus, maritus jubet illas parari ab ancilla. Uxor mane, & vesperi se, & familiam in precibus Deo commendat; maritus verò instar bestiæ decumbit, ac surgit: & si quæ sunt alia ejusmodi.

Sed mutemus clypeos; nam sæpe de uxore rectius ea veriusq; dicentur, quæ modò de marito in medium sunt allata. Quoties enim vir animam sortitus bonam frequentat templa; & uxor fugit? quoties maritus, qua voce, qua exemplo, liberos suos excitat, atque impellit ad pietatem, uxor ad superbiam? hic ædificat, illa destruit: hic suaviter invitat, & manuducit ad cœlum; illa fortiter resistit, & retrahit ad infernum.

Maritus prima statim luce vigil è lecto se proripit, ut grates Deo referat pro collatis in se per noctem præteritã beneficiis, ut properet in templum ad audiendum sacrum; jacet interim adhuc uxor, & in utramq; aurem suaviter dormit, etiam cùm clarissima sese lux in lectum infundit. O mariti, ubi baculi? Maritus diei primitias divinis precibus Deoque transcribit, uxor unam alteramque horam hæret ad speculum, ut se comat, capillos componat, faciem coloribus depingat, ut omnium se intuentium oculos in se rapere possit. Maritus Dei benedictionem, ac gratiam adducit in ædes, sed eandem mox iterum expellit uxor. Maritus sobrietatis amator, uxor ebrietatis. Maritus dilectus Deo, & hominibus; uxor, quasi tristis aliqua furia, aut Megæra, invisa omnibus, omnibus acerba, intolerabilis, inimica. O Conjuges! O si Deus ter Opt. Max. hanc vobis donaret consonantiã. Profectò una ex potissimis infausti

 matri-

matrimonii causis, est illa morum in alterutro conjuge diversitas.

§. 11. 3. Requiritur consonantia Oris & labiorum. Uxor sit suavis in verbis.

Tertiò, in harmonia conjugali requiro consonantiam oris, & labiorum, suavitatemque verborum, quibus uxor maritum, maritus uxorem alloquitur. Melancholiam, & choleram Saulis, dum ageretur à Spiritu malo, suavissimus David sua musica & cythara leniebat. 1. Reg. 16. v. 26. Cum 1. Reg. c. 25. v. 24. iratus David properaret ad cædem filii Absalonis, Abigail Regem placavit & composuit, sed suavissimis & gratiosissimis verbis, *Mi rex &c.* Contingit subinde, & frequenter, ut viri agantur à Spiritu malo, Spiritu iræ, indignationis, fulminis, tempestatis, si tùm & uxor agatur à Spiritu pejori; quid mirum dissolvi harmoniam connubii? non baculos, non claves debet uxor apprehendere, sed cytharam: virum verbis non increpet asperis, sed blandis, & roseis delectet. Sit Abigail, & sic inordinati illi Spiritus componentur. S. Chrysostomus hom. 26. in ep. 1. ad Cor. *Uxor portus est mariti; portum autem oportet esse tranquillum, ne in portu naves patiantur naufragium.*

§. 12. Invectiva in mulieres rixosas.

Patet clarè, ad harmoniam, & musicam conjugalem ineptas esse mulieres rixosas, superbas, loquaces, quæ viris volunt dominari, nec verbulo cedere. De tali uxore bene dixit D. Maximus ser. 39. *Mulier est viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum.* Tempestatem faciunt obductæ nubes, decidentes aquæ, murmura ventorum, fulgura, tonitrua, fulmina. Vultis talem videre tempestatem? malam & rixosam mulierem aspicite. Dicite mariti, sæpe postquam post labores reditis domum, an non videtis nubes in frontibus uxorum? Nunquid illæ nubes, illæ rugæ, præ ira sæpe solvuntur in aquas? in lacrymas inquam, quæ ex scintillantibus oculis devolvuntur? quæ non auditis murmura? quæ tonitrua? sequuntur tandem fulmina, imprecationes, blasphemiæ; neque aliquot furiarum guttæ, sed imbres devolvuntur.

§. 13. Prosecutio.

Miserum talem maritum! Quidquid videt, Crux est: *at crux gravissima, mala uxor.* Quidquid audit tonitru est, quidquid gustat, fel est; quidquid tangit, spina est. *at spina acutissima, mala uxor*; quam S. Ephrem ser. adversus improbas mulieres, vocat, *cordis spiculum, caminum succensum, bestiam impudentem, immanem belluam, vestitam viperam*; Et bonus maritus cum tali spiculo in corde, juxta talem caminum, cum tali vipera an vivere quiete poterit? an suaviter concinere? erravit, fuit infelix, non invenit mulierem aptatam à Domino, & Spiritu Sancto, sed Satana. Non est Jesus in tali matrimonio, sed aliquis *Asteroth.* Dum talis mulier marito tam malè accinit, quid mirum quod is apprehendat baculum, & ex Musicæ regulis tactum pro mensura suppeditet? Non tamen his omnem ego culpam, semperque fœminis volo adscribere; sæpe maritus est ejusmodi bestia, sæpe illi sunt fulmina domus, tempestates familiæ, tonitrua in uxoris ac liberorum capita, sese magno cùm luctu illorum ac fletu exonerantia; à viris frequenter tempestates in matrimonio proveniunt. O infelicissima conjugia.

Deni-

§. 14. *4. Requiritur consonantia mutui amoris, cujus proponitur exemplar.*

Denique ante omnia consonantiam esse oportet mutui & sancti conjugalis amoris. Hic amor est anima felicis matrimonii; hic amor est vinum, quod exhilarat conjugatos. Post Deum, & salutem, in hoc mundo nihil maritus debet diligere supra uxorem, & contra. Pulchrum speculum amantium conjugum fuerunt Tigranes Rex Armeniæ, & regia ejus uxor. Nam cum ex Tigrane quæsivisset Cyrus Rex Persarum, quod lytrum offerret pro libertate uxoris? respondit ille, *Integrum regnum, si haberem: at quia illud fortuna mihi abstulit, libens offero vitam, & sanguinem.* Adeò responsum hoc placuit Cyro, ut statim utriq; libertatem cum regno restituerit. Deinde verò cum Tigranes quæreret ex Regina, quid judicaret de humanitate, & specie Cyri, respondit: *ex quo tecum in vinculis fui, nunquam oculos aut mentem in alium defixi, quàm in eum, qui me, & sanguinis, & vitæ impendio redimere paratus fuit. Deos testor, qualis sit Cyrus, ignoro.* O pulchram harmoniam labiorum, oculorum, & cordis! hanc exigo, ut faustum sit matrimonium.

§. 15. *Viri debent suas uxores honorare.*

Alia pulchra documenta conjugatis præscribunt SS. Patres, imò sacræ literæ. Viri debent honorare suas uxores, 1. Petri 3. v. 7. *vir curet uxori quasi infirmiori vasculo honorem impartiri, tanquam cohæredi gratiæ vitæ.* Pulchro simili usus est S. Petrus. Crystallinum vitrum longè minoris precii est, quàm poculum argenteum; longè tamen illud portatur cautius quàm hoc, quia est fragilius. Itaque viri erga suas uxores, præcipuè modestas, ita se habere debent, ac si manibus vitra tractarent. Mulieres plerumque superbæ sunt, ideo honorari desiderant: franguntur facilè hæc vitra, nisi honoris operculo tegas.

§. 16. *Mulier verò sit subdita viro.*

Uxor verò meminerit Evæ dictum esse cap. 3. v. 16. gen. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, non ut tyrannus sed ut dominus. Idem uxoribus præcipit S. Petrus ep. 1. c. 3. v. 1. *Mulieres subditæ sint viris suis.* S. Paulus 1. Timoth. 2. v. 12. *Mulieri non permitto dominari in virum.* & Ecclesiasticus c. 25. 30. *Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo.* Deuter. 22. v. 5. *Non induetur mulier veste virili; nec vir utetur veste fœminea, abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Sed jam insinuavi Domiminium viri debere esse suave, fundatum in amore. ad Coloss. 3. v. 19. *viri diligite uxores vestras, & nolite esse amari ad illas.* Uxores quæ sciunt se diligi à suis maritis, illa quæ suavibus verbis imperantur, libenter, & suaviter exequuntur. Quod si de amore dubitent, si verba aspera, & amara accedant, obedientia illis gravis est, & meritò, quia non sunt ancillæ, sed sociæ.

§. 17. *Maritus debet alere uxorem.*

Præterea vir in conjugio conniti debet secundum suum statum, ut alat uxorem & proles. Ad Ephes. 5. v. 29. *nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam.* In qua cura, & labore uxor viro debet esse solatio, præcipuè in administratione familiæ: Pro verbis illis Geneseos, cap. 2. v. 18. *faciamus ei adjutorium simile sibi*, legit Chaldæus, *faciamus ei quasi sustentaculum, quod sit penes eum.* Quomodo scilicet illi, qui gravia onera in dorso gestant, scipionem ad manus habent, quem dum

dum quiescere volunt, supponunt sarcinæ, & beneficio illius interquiescunt. Tale sustentaculũ viro debet esse uxor, præsertim defatigato laboribus. Quid autem si de aliquo marito dici possit illud Aggæi c. 1. v. 6. *mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum?* Quid? an non ejusmodi pertusos saccos nominem uxores plurimas, prodigas, sumptuosas, assuetas deliciis, innutritas superbiæ? Videas sæpe virum diu noctuque laboribus, statui suo atque officio congruis insudantem, quo aliquam rei familiaris possit facere accessionem; nec quicquam patitur in se studii aut diligentiæ desiderari, ne quam lucri alicujus honesti jacturam patiatur. Quid interim uxor? illa pecuniam clam suffurari, lucrum, vel in vestium luxum consumere, vel abligurire in cupediis, vel in aliis, nescio cujus generis stultitiis dissipare. O miseram mariti conditionem, qui ita mercedem & sæpe opes suas in pertusum congregat sacculum! elabitur, quidquid immittit: nam quot in vestibus gerit vanitates uxor, tot in sacculo inveniet foramina maritus.

§ 18. *Cavenda est Zelotypia.* Denique ne longior sim in dicendo, quàm par est, caveant conjuges cane pejus & angue zelotypiam; caveant temerarias suspiciones atque judicia de infidelitate alterius conjugis. Benè dixit Sponsus Cant. 8. v. 6. *dura sicut infernus æmulatio.* Malum hoc vix remedium patitur. Optimum fortassis esset, si tales mariti zelotypi crederent S. Hieronymo l. 1. contra Jovin. *Quid tibi profuerit zelus, & nimia diligentia in servanda uxore tua? si enim inhonesta fuerit, vix illam custodire poteris: si casta, & honesta? custodia opus non habet. Infida enim custos castitatis, est necessitas.*

§. 19. *Imago Palladis.* Phidias celeberrimus statuarius, Palladis simulacro draconem apposuit, quem pedibus Dea comprimeret. Quo significabat, virgines, & puellas (Pallas fuit Dea virginitatis) pervigili custodiâ continendas esse. Tales dracones sunt quidam mariti, acutissimi visus, pleni veneno suspicionum, & tamen miseri decipiuntur frequenter: Jacet draco ad pedes Palladis prostratus; nimirum servus est Zelotypus, neq; audet animum ad veram, & necessariam erigere lætitiam; prostravit illum vel cœca suspicio, vel suspiciosa cœcitas, ne veri gaudii conjugalis Solem, vel si velit, possit intueri.

§. 20. *Symbolũ Aliud.* Quantò satius est, atque jucundius, si quod in Symbolis legimus, ambo Conjuges jungant dexteras super caput innocentis pueri, sive casti Amoris, qui utrum complectitur. Quas ego virgines (ut in symbolis pinguntur) tranquillitatem putem esse, & Confidentiam; sine quibus nulla dexterarum, nulla cordium, nulla affectuum, nulla oris, & labiorum, nulla morum inter conjuges poterit esse consonantia, & mutua, ac diuturna concordia. Opto ut cœlestis Hymenæus, ut Spiritus Sanctus, ut Jesus sit in omnium nuptiis, in cujus præsentia connubia non nisi Sancta, fortunata, cœlestia esse possunt. Amen.

CON-

CONCIO VIII.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Domine, si vis, potes me mundare. Matth. 8. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

BRevis Oratio leprosi, *Domine, si vis*, excellentissimas in se continet intentiones; quarum usum, & praxin hodierna Concio proponit.

§. 1. *Oratiuncula leprosi fuit brevis, sed perfecta.*
§. 2. *Colloquium Anachoretarum de hac quæstione; Quodnam opus Deo gratissimum: Triplex responsio.*
§. 3. *Dei voluntas est Sol, simus nos heliotropia.*
§. 4. *Triplex motivum serviendi Deo: 1. Timor. 2. Spes mercedis.*
§. 5. 3. *Amor. Dicamus in omnibus cum Davide*, Propter te Domine.
§. 6. *Emblema, in quo Virgo comburit cœlum, exstinguit infernum.*
§. 7. *Dictum Reginæ, uxoris Tigranis.*
§. 8. *Explicatio verborum ex Canticis*, Vulnerasti cor meum. *Intentiones bonæ sunt pulchri oculi.*
§. 9. *Tales habuit S. Augustinus, S. Thomas, & Esther, & Coquus apud Climacum.*
§. 10. *Ipse Christus Salvator noster usus est hoc simili. Encomia oculi humani.*
§. 11. *Pulcher locus ex c. 31 Prov. Digiti ejus apprehenderunt fusum.*
§. 12. *S. Mechtildis instruitur à Christo D. quomodo opera minima fiant meritoria. Pium Pactum cum Iesu Salvatore.*
§. 13. *Praxis hujus Concionis facilis est & pretiosa.*
§. 14. *Pia querela S. Augustini.*
§. 15. *Bonæ intentiones sunt margaritæ.*
§. 16. *Lacryma S. Nonni.*
§. 17. *Dictum Thomæ Mori.*

§. 1. Oratiuncula leprosi, fuit brevis, sed perfecta.

POsteaquam Salvator noster in monte Thabor divinissimum de octo beatitudinibus sermonem absolvisset, descendit de monte, *& secuta sunt eum turba multa. Aliqui*, inquit Origenes, *propter charitatem, aliqui propter doctrinam, aliqui propter admirationem, aliqui propter curationem infirmorum.* Inter hos fuit leprosus, quem hodiernum memorat Evan-

Evangelium, à cœlesti medico mundadatum. Tantum beneficium à pissimo Salvatore obtinuit brevi, sed efficaci & perfectissima oratiuncula, *Domine, si vis, potes me mundare.* Qua quidem oratiuncula edocere nos voluit Spiritus ille veritatis perfectissimum modum orandi. Pauca hæc verba Spiritus S. posuit sapienter, humiliter edixit, & congruenter.

Fideliter sine hæsitatione, de quo Jac. 1. v. 6. *postulet autem in fide, nihil hæsitans.* ad Hebr. 10. v. 35. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* S. Bern. *quantum pedem fiduciæ in Domino posueris, tantum obtinebis.* Pronunciavit humiliter, siquidem *genu flexo adoravit eum.* Judith cap. 7. v. 20. *Expectemus humiles consolationem ejus.* Sanct. Augustinus: *Oratio si humilis & pura fuerit, vacua non redibit.* Proposuit sapienter, cùm in firmitatis confessione, confessus enim est suam immunditiam. Denique perfectissimè oravit, quia oravit congruenter, id est voluntatem suam divinæ conformando, dicens, *Domine si vis.* 1. Johannis c. 5. v. 14. *Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quod quæcunq; petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.* Hanc perfectionem orationis docuit nos æterna Veritas, verbo & facto. Verbo, in oratione Dominica Matt. 6. v. 10. *sic ergo vos orabitis, fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra.* Facto, in monte Oliveti, Luc. 22. 42. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Quæ duo hac Concione ostendam. Primò quidē quænam illæ sint nobilissimæ intentiones, quæ in hac oratiuncula leprosi continentur. 2. Omnibus nostris operibus illas esse præfigendas. Quod dum facio, aures mihi atque animos, pro more vestro tantisper accommodate.

§. 2. Colloquii Anachoretarum de hac quæstione, Quodnam opus Deo gratissimum, Triplex responsio.

Utilissima est quæstio, quam & antiquissimi Ascetæ, & viri religiosissimi solent proponere: nimirum, quodnam hominis Christiani opus Deo sit gratissimum? Apud eosdem Patres aurea invenio responsa, & utilissimas Maximas, secundum quas omnia nostra opera ad eximium Sanctitatis, perfectionisque gradum elevare, & quod inde deducitur, meritum nostrum, in immensum augere cumulum possimus. *Sunt qui dicant*, illud opus, (v. g. hanc auditionem missæ, hanc orationem, vel hoc studium, hanc scriptionem) Deo esse gratissimum, *cui plurimum inest divini amoris.* Minimo opere, quod in gratia ex amore Dei facimus, & cœlum meremur, & quod majoris est momenti, Deo placemus.

Hic ego vos etiam atque etiam obsecro, qui vel artium liberalium, vel alterius cujuspiam facultatis, aut scientiæ studiis indefessam navatis operam, agite quæso, & capitum vestrorum labores, exercitationes memoriæ, ingenii lucubrationes, ex asse Deo transscribite; dicite vel corde, vel ore, *quidquid studeo; Deo studeo, & ex amore Dei.* Quidquid intellectus scrutatur, scrutetur amori divino; quidquid comprehendit memoria, quidquid imprimit phantasia, quidquid legunt oculi, quidquid lingua pronuntiat, quidquid scribit calamus; totum id, & si quid est aliud præterea, sacrum esto Deo meo, amori meo, fini meo, ac scopo.

po. O quàm felices evadent ſtudiorum noſtrorum progreſſus, Auditores! ſi in illa non niſi ex amore Dei, poſthac conſtituamus incumbere.

Sed & veſtram hic requiro induſtriam cives mei, atque opifices, ut qui plurimum in ſudore vultus veſtri diem transigitis, atque ejus pondus, & æſtum portatis ſtrenuè: agite obſecro, & labores veſtros, quocunque demum in genere illi verſentur, totos cœlo conſecrate: dicite dum ſurgitis mane, motivum veſtri laboris eſſe amorem Dei, dicite Deo vos laborare, ſudare, operari, luculentam mihi credite, q uondam mercedem reportabitis,

Quin & vos quoque matronæ optimæ, multas ſæpe horas, imò integros quandoque dies transigitis, cum Martha, ſollicitæ circa frequens miniſterium; noſtis veſtros eſſe labores domeſticos; veſtri muneris eſt, coquere cibos, adornare rem familiarem; componere ſuppellectilem, & ſi quæ ſunt alia ejusdem farinæ negotia, omnia cœlo conſecrate, & Deo veſtro, & amori divino. Ex hoc agite, quidquid agendum veſter ſtatus, & conditio requirit: cogitate frequenter, *O mi Ieſu, amo te! tuo amore has conſecro curas, hoc negotium, hunc laborem, hoc miniſterium.* Ita Deo veſtra erunt gratiſſima, quantumvis vilia atque abjecta opera.

Alii reſpondent, illud eſſe perfectiſſimum opus, Deoque gratiſſimum quod proficiſcitur à ferventiſſimo deſiderio uni Deo placendi. Minimum opus, v. g. aliquid legere, ſcribere &c. quòd hoc deſiderio animatur, ſcribo, pergo ad templum, ut Deo placeam; Deo eſt gratiſſimum, & in homine juſto meritorium vitæ æternæ. S. Chryſoſt. l. 2. de compunct. *Verè ignoras, quantum bonum ſit, placere Deo.*

Alii dicunt illud opus hominis Chriſtiani Deo eſſe gratiſſimum, quod eſt maximè conforme divinæ voluntati. Pulchrè de hoc S. Paulus ad Rom. 12. v. 1. *Fratres obſecro vos per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum*; tales hoſtias, talia obſequia, noſtra fieri opera non immerito S. Paulus deſiderat. Sed unde vita? unde ſanctitas? unde divina complacentia? pergit Apoſtolus v. 2. *Ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Suadente itaque S. Paulo ſæpe in negotiis veſtris ſic vobis erit cogitandum. Audiam ſacrum, quia Deus vult, Dabo hanc Eleemoſynam, quia Deus vult &c. En tertiam bene operandi praxin ac methodum. Deniq; aureum dat reſponſum Ludovicus Granatenſis. *Illud opus Deo redditur gratiſſimum, quod ſolis ejus oculis conſpicuum, ei, qui operatur, nec utilitati, nec honori, ſed nec voluptati eſt, niſi hoc ſolo nomine, quod Deo ſit factum, ſive ad majorem Dei gloriam, ſive prout Chriſtus D. nos docuit orare, ut ſanctificetur nomen Domini; ſive ſecundum mentem & ſenſum Eccleſiæ, quæ toties ingeminat*, Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto. *Vel, propter magnam gloriam tuam; vel conformiter Muſica illi Angelica*, Gloria in altiſſimis Deo, Luc. 2. 14. *Vel jubilo ſeniorum*, Benedictio, claritas, &c. Apoc. 7. v. 12.

§. 3. *Dei Voluntas eſt Sol. ſimus nos heliotropia.*

Tulipæ, heliotropia, aliique flores ita ſe continuò vertunt, ut reſpiciant ſolem.

lem. Sol est Amor Dei, hunc respiciamus identidem; Sol est divina voluntas, ad hanc nos convertamus; Sol est major Dei gloria, hanc sequamur in omnibus operibus nostris, & erunt Deo gratissima. Nobilissimas has intentiones, vel desideria in se continet hodierna leprosi oratiuncula. *Domine, si vis.* q.d. Domine peto mundari à lepra, sed si sic amare te possim: Domine cupio mundari, sed si tibi sic placeam. Si tibi placet lepra, placet & mihi. Mi Jesu sana me, si tamen hæc mea petitio divinæ tuæ sit conformis voluntati. *Domine, si vis*, id est, si per hoc miraculum tu, & cœlestis Pater glorificetur. Agedum anima, & exclama una cum hodierno leproso, *Domine, si vis*;

Quod tibi Christi placet, semper mihi Christe placebit,
Iam mihi lepra placet, si tibi lepra placet.

§.4. *Triplex motivum serviendi Deo 1. Timor. 2. Spes mercedis.*

Nam diversimodè multi serviunt Creatori, vel amant Deum. Aliqui ex timore; ne si Deum offendant, & non serviant, æternum damnentur. Timor hic salutaris est, quem ipse petiit David Ps. 118. v. 120. *Confige timore tuo carnes meas.* Sed licet salutaris sit, est tamen servilis, quippe Deus amatur ex metu supplicii. Alii Deo serviunt, servant mandata, amant Deum, propterea quod & sciunt, & sperant mercedem; non secus ac filius patrem amat, à quo sperat, & expectat hæreditatem. Hic est filiorum amor, & perfectior priore. Atque eo idem præditus David exclamat cit. Ps. v. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.*

§.5. *3. Amor. Dicamus in omnibus cum Davide propter te Domine.*

Verum longè perfectissimi sunt illi, qui Deum amant propter Deum, ut huic placeant uni, hujus benevolentiam sibi concilient, hujus amorem, ac gratiam aucupentur. Certè id animo sensisse, reque ipsa postmodum probasse censendus est David, cujus illa sunt Ps. 43. v. 22. *Propter te mortificamur tota die.* Hæ sunt illorum voces, qui perfecti gaudent esse amatores Dei. Mortificamur propter te, O Jesu, persecutionem patimur, sustinemus opprobria, toleramus contemptus; *Sed propter te.* Bellum indicimus concupiscentiis nostris, crucifigimus carnem, castigamus corpus, & in servitutem redigimus: *Sed propter te.* Exponimur aliorum ludibrio, *sed propter te Iesu*, humilitatem amplectimur, vacamus jejuniis; *Sed propter te.* Nuntium remittimus vanitati, simplicitatem sectamur: *Sed propter te.* Repudiamus honores, *propter te.* Laboribus insudamus, *propter te.* Denique cùm ex te, in te, & per te sint universa; universa etiam *propter te*, & ex amore tui nos operari profitemur. Hæc est Audit. genuina vox filiorum Dei, qui puritatem intentionis suæ dignitatemque in omnibus ostendunt, & probant.

§.6. *Emblema, in quo Virgo comburit cœlum, extinguit infernum.*

Lubet id accuratius ingenioso quodam emblemate repræsentare. Efformetur à perito penicillo, virgo quæpiam venustissima. quæ altera manu amphoram teneat aquâ plenam, altera accensam facem. Hanc in altum erigat cum lemmate: *Ipsum comburet Olympum*, illam in profundum demittat cum his voculis, *flammas extinguet Averni.* Ipsa interim os oculosque cœlo defixos habet, velut rapta amoris æstu sublimia secum

secum volveret, cum inscriptione, *Soli Deo.* Picturam habemus; nunc & sensum percipite. Est siquidem venusta illa Virgo, anima, propter Deum, & ex amore Dei omnia spirans, dum spirat. Huic ita fixum est certumque Deum diligere, ut etsi nulla forent vel gaudia cœli, quæ speraret; vel tormenta inferni, quæ metueret: cœlum tamen, & amorem Dei irretortis semper oculis intueretur. Non illa movetur supplicio cruciatuum, non lactatur præmiorum spe, ac promissione, sed ipsum propter se Deum intendit, unam illius ambire gloriam, laudemque sollicita.

§. 7. *Dictum Reginæ uxoris Tigranis. Laborandum est Christo, qui pro nobis mortuus est.*

Die Dominica præterita amorem conjugalem ostendi exemplo Tigranis Regis, & ejus Conjugis: hujus responsum præsentem quoque materiam declarat. Nam cùm audiisset maritum pro sui libertate obtulisse non tantum regnum si haberet, sed & vitam, & sanguinẽ, rogata, quomodò sibi placuisset Cyrus? respondit: *O mi optime conjux, non ego in Cyrum oculos, sed in illum conjeci, qui se capite suo libertatem meam redempturum pollicebatur. Hunc ego unum aspexi, dum inter Persas egimus.* Noster sponsus, Rex noster Jesus, Deus noster, re ipsa nos hoc modo liberavit; qui illum redamant, oculos aliò non deflectunt, quam in ipsum, ut illum redament, illi placeant, illius mutuo fruantur affectu. S. Paulus 2. ad Cor. cap. 5. v. 15. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Potuissetne quicquam, vel ad rem meam atque materiam, vel ad communem hominum consolationem accommodatius dici ab Apostolo? Auditis? solliciti mortales, negotiosi, industrii, laboribus dediti, curis impliciti, occupati studiis, auditis? *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant*, qui laborant, non sibi laborent, non sibi tractent negotia, denique non sibi manducent, non bibant, non quietem capessant. Cui igitur vivendum, laborandum? &c. Ei, qui pro ipsis mortuus est, & surrexit. En Dominum vestrum, en Principem, en Regem, cui laborandum, cui labores nostri omnes sunt consecrandi.

§. 8. *Explicatio verborum ex Cant. Vulnerasti cor meum &c. Intentiones bonæ sunt pulchri oculi.*

Quod hoc ChristoDomino placeat, satis superq; ostendit in persona Sponsi Cant. 4. v. 9. ubi sponsam his verbis alloquitur. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Quid? an unum tantum habuit oculum Sponsa? non existimo; sed fuit tota pulchra. An igitur oculus alter, altero fuit formosior? nec hoc in sponsa fuisset laudabile. An fortassis alterum Sponsa clausit? sed fuisset hoc in præsentia sponsi indecens atque invenustum. Patet itaque mysterium in modo loquendi, quo sponsus in sponsa unica commendat oculum. Inter oculos in humana facie bene proportionata, æqualis est quidam motus, quo, cum vertitur unus, convertitur & alter. Vix aliquis uno potest aspicere cœlum, & altero terram: & si id fortè fieri contingat, nullam gratiam meretur. Ait itaque Sponsus: O sponsa, placent mihi oculi tui, qui unus quasi sunt oculus; adverto te in meam

faciem non unum tantum conjicere, sed utrumque adverto, oculis tuis non placent hi horti, non arrident hi flores, non blandiuntur hæ arbores, sed ego solus placeo, me solum respicis, & ideo *vulnerasti cor meum.* Enimverò gratiosi illi radii, quibus me perstringis, sunt sagittæ, sunt jacula, sunt tela, quibus cor meum dum feris, vincis, & divinum pro prœmio amorem consequeris. Non omnes qui Deo serviunt, talibus oculis illum respiciunt; sed altero tantum: amant enim Deum, sed altero oculo respiciunt infernum, *amant ex metu.* Alii, uno oculo adhuc purius respiciunt Deum, amant, colunt, sed altero respiciunt cœlum, *amant ex spe præmii.* Illi sunt perfectissimi, qui cum Sponsa, utroq; cœlo respiciunt Deum, & Jesum Salvatorem nostrum. Illorum oculis nihil placet nisi solus Deus, sola ejus voluntas, solum ejus beneplacitum, sola ejus gloria, & laus; his oculis inscriptum est, *Domine, si vis.*

§.9. *Tales habuit Aug. S. Thomas Domine nihil præter te. Et Esther. Et coquus apud Climacum.*

Talibus instructus oculis Angelicus Doctor D. Thomas in suis studiis respexit Deum. Ex quo cum Christus D. quæreret, *Thoma, quam mercedem pro labore recipies?* amore ingenti respondit, *Domine, non aliam præter te.* Talibus oculis prædita fuit formosa Esther c. 14. v. 18. *Tu scis, Domine Deus, quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit convivium Regis, & non biberim vinum libaminum, & nunquam lætata sit ancilla tua, nisi in te Domine Deus.* Tales oculos habuit ille coquus apud Climacum qui dicere solebat, *Ego nunquam existimavi me hominibus servire, sed soli Deo.* Scintillabat & radiabat his oculis ardens facies ardentis & ignei Ignatii, quoties dicebat, *Omnia ad majorem Dei gloriam.*

§.10. *Ipse Christus Salvator noster usus est hoc simili. Encomia oculi humani.*

Dum de bonis intentionibus ago, non sine causa utor metaphora oculorum; siquidem Salvator noster illa usus est: *Si oculus tuus simplex fuerit, &c.* S. Gregorius. *Quid per oculum exprimitur, nisi opus tuum, præveniens cordis intentio?* Deinde omnia elogia tam nobilis membri in capite humano, pulcherrimè attribuuntur bonæ intentioni. D. Chrysologus oculum vocavit, *Membrum omnium speciosissimum.* D. Chrysologus ser. 129. *Oculus est animæ fenestra, speculum mentis lumen corporis, membrorum dux.* Pythagoras l. 11. *Januas Solis oculos dixit.* Alius nominavit *Vitreos globulos*, per quos cor perlucet. Poëtæ vocant, *sedes & thronos amoris.* Pari ratione, opera omnium speciosissima sunt illa, quibus homo tanquam purissimis oculis respicit Deum. Intentiones sunt fenestræ, & specula, in quibus apparet, quantum homo amet Deum. Bonæ intentiones, quibus unam Dei gloriam consectaris, sunt januę, per quas Sponsus ingreditur cor Sponsæ; tuæ intentiones ut Deo placeas, ut ejus respondeas desiderio, &c. Sunt vitrei globuli, per quos patet, te amare Deū. Tui oculi, tuæ intentiones, tua desideria Deo placendi, serviendi, gratificandi, sunt sedes, in quibus veluti Regina residet Charitas Dei. Si denique oculus in amore est dux; certè bona Intentio dux est, & comes, qui te rectà ducit ad Deum.

§.11. *Pulcherr*

Non erit credo abs re, si de utilitate harum intentionum, unicum adhuc locum.

Verba ex c. 31. Prov. Digiti ejus apprehenderunt fusum.

cum adjiciam. Prov. 31. 19. laudatur sollicita Mater familias, quod *digiti ejus apprehenderint fusum*, id est, inquit Hugo Cardinalis, *Rectitudinem intentionis*, per quam electi omnia opera quasi fila in orbem æternitatis retorquent. Insinuavi superius, omnia hæc opera etiam minima meritoria esse salutis. Prô! qualem quantamque vel beatæ, vel miseræ æternitatis rotam sibi quisq; dum vivit, potest construere Audit.! *Filum est amor Dei*, & filum quidem aureum, quod incipit in tempore, sed flectitur & reflectitur in beatæ orbitam æternitatis. *Filum est Dei contemptus atque odiũ, filum* est nigrum, volvitur & revolvitur in circulum damnationis æternæ. *Filum est* constans selectissimarum ex amore Dei intentionum exercitium, *sed filum est* gemmeum, & in rotam vertitur, revertiturque cœlestem: *filum est*, studium placendi mundo, perfruendi voluptatibus &c. *Sed filum est* piceum, torquetur & retorquetur in nunquam terminandos inferorum ambitus.

Felices igitur, qui rectitudinem intentionis quasi fila in orbem beatæ æternitatis refundunt. Infelices econtra qui suos labores, studia, defatigationes, occupationesque quasi deducunt in rotam damnationis æternæ. Clariùs rem penetrabitis, ubi S. Bernardi sententiam proposuero, quam ille à contrario ita more suo eleganter exponit. Si quis ita diem consumat, ut omnibus actionibus grave Dei odium misceat, peracto die, quot gehennas meruerint tot repetita flagitia? econtra verò si quis diem ita transigat, ut in omnibus actibus sincerum Dei amorem exerceat, quàm altam in cœlo sedem hic promeruerit? est enim Deus pronior ad danda præmia, quam ad irroganda supplicia.

Non sinè causa antea dixi, opera talia etiam minima gratissima esse Deo, nam benè Salvianus monuit, *Oblata Deo non pretio, sed affectu placent*. S. August. in Ps. 31. *Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid cum facit, aspiciat*. S. Ambr. *quantum intendis, tantum facis*. S. Greg. hom. 5. in Evang. *Ante oculos Dei nunquam est manus vacua à munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate nihil enim offertur ditius bona voluntate.*

Amabo vos, quid vel minus, vel levius pulsu cordis, dum micat arteria? & tamen hanc ipsam arteriam ejusque pulsus ac motus, si eos cum D. Melchtilde Christo Domino offeramus, pretiosissimos, gratissimos, sanctissimosq; effici nullum est dubium. Ita quippe hanc virginem Sponsus cœlestis edocuit. O Audit. quin & nos igitur ex hoc momento dicimus, *O Iesu, quoties cordis mihi vena micabit, tu toties posthac sis benedictus amor.* Merentur utique hæ voces amorem, merentur præmium, merentur cœlum. Nam cogitate, si quis improbus homo atq; obstinatus erumperet in scelestas has voces, *Christe tibi juro, quoties mihi vena micabit, tu toties posthac sis maledictus amor.* An non ejusmodi hominem impium, sceleratum, diabolicum, milleque pœnis, ac cruciatibus imò infernis mille longè dignissimum judicaretis? Ita certè, & merito. Contrarium igitur de contrario statuite, & si odio Dei ex pacto, aut intentione tartarum; amori Dei ex altera intentione voluntateque millies cœlum confe-

§. 12. S. Melchtildis instruitur à Christo D. quomodo opera minima fiant meritoria. Pium pactum cum Iesu Salvatore.

rendum concludite. Et quid facilius obsecro, quàm dicere, Jesu, quot hoc anno, hac septimana, hac die, hac nocte, hac hora numeraveris palpebrarum mearum ictus, tot quoque velim numeres amoris mei in te affectus, laudesque & desideria! Jesu, quoties spiritum traxero, toties sit nomen tuum benedictum in sæcula! Jesu, quoties digitorum meorum movero articulos, quoties in alterum oculos intendero mortalem, quoties gressum fecero, toties meum in te inflammatum animi ardorem, quem nunc sentio, etsi alio tempore fortè vel non sentiam, vel non cogitem, ferri rapique desidero.

Hæc est Auditores, aurea illa praxis, quam vobis initio concionis meæ pollicebar. Percontor modò vos singulos, an non levis est? an non prompta, & facilis, an non Deo grata, & accepta? an non tota aurea, tota gemmea, tota cœlestis, utilissima, jucundissima?

§. 13. *Praxis hujus Concionis facilis est & pretiosa.*

Proinde hic locum habet v. 11. & 13. Deuter. c. 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere, quis nostrum valet ad cœlum ascendere, neque trans mare positum &c. Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Similiter ego vobis hodie dico, Oratiuncula Evangelica, quam ego suadeo vobis hodie, non supra vos est &c. Utilitatem quod attinet, facillimè quivis illam intelliget. Si hac hora vos omnes inducere possem in conclave in quo asservatur thesaurus Regis Hispaniarum, daremque potestatem auferendi quantum possetis intra dimidium quadrantis, quàm tantillum hoc temporis impenderetis bene! Sed majores vobis ostendo divitias, ditiorem monstro thesaurum, quia modum trado, quo quovis quadrante, quovis momento cœlestes promereri possitis fortunas. Quavis hora cogitate semel, *Domine fiat sicut vis. Domine mi Jesu amo te &c.* una talis cogitatio hominis justi in gratia, plus valet, quàm thesauri totius mundi.

§. 14. *Pia querela S. Augustini.*

Sed locum habet pia querela S. Augustini in med. c. 35. *Amator hominum benignissime! discernitne hoc æquum & justum esse, ut filii hujus sæculi, hujus noctis & tenebrarum, ferventiori desiderio & studio diligant & quærant perituras divitias, fugitivos honores, quàm nos servi tui diligimus te Deum nostrum, per quem facti & redempti sumus?* addamus nos, & pro æterna gloria!

§. 15. *Bonæ intentiones sunt margaritæ.*


Si hac hora aperirem vobis cistam plenam gemmis, & unionibus cum potestate rapiendi centum, vel plures, quales gratias ageretis? Ditiorem arcam vobis ostendi, & gemmas nobiliores. Quod facitis, hoc facite, orate, legite, scribite &c. *Ut Deum ametis, ut Deo placeatis, ut non nisi ex amore operemini &c.* hæ cogitationes pluris sunt æstimandæ, quàm gemmæ totius mundi universæ. Hic locum habet querela D. Chrysost. hom. 2. de verb. SS. *Homo urinator nullam aliam ob causam, audet se ipsum in profundum maris dimittere, quàm propter margaritas &c. & tu, ut accipias thesaurum deficere nescium, tu ad salutem segnis ac remissus es?* breviter dixit S. Hieronymus ep. 103. ad Paulin. *tanti vitrum? quanti pretiosissimum margaritum?* vitrum, omnes mundi divitiæ! vitrum

omnes

omnes honores! franguntur, transeunt, pereunt. Ejusmodi verò cogitatio, *Domine, si vis, hoc ago, quia vis, mi Jesu, quia tibi placet*; talis inquam cogitatio pretiosissimum est margaritum, ut cum D. Hieronymo loquar, quod in omnem æternitatem nos divites reddet, atque beatos.

§. 16. Lacryma S. Nonni. Sed repeto, verissimum esse, in acquirendis honoribus opibusque filios hujus sæculi longè magis esse sollicitos, quàm ut Deo seriò serviant: quod piis lacrymis deflevit S. Nonnus piissimus præsul. Cùm enim Pelagiam videret, mulierem vulgarem, gemmis & auro cultissimam, amarè plorans ad circumstantes dixit: *quot horas putatis hæc mulier impendit, ut se comat & ornet? & nos quantillum temporis & studii insumimus, ut animas nostras ornemus & Deo placeamus?* mox ardentissimis precibus à Deo obtinuit conversionem Pelagiæ.

Thomas Morus Angliæ gemma de talibus dicere solebat; *quàm plurimos in hac vita eo labore infernum mercari, cujus vel dimidio cœlum lucrati fuissent*: Sed finem facio dicendi. Ite modò Auditores, sed illam vobiscum doctrinam sic expositam dilucidatamque in domos vestras deferte; imò in corda vestra includite, ut ne quando ex illis possit elabi. Assuescite huic oratiunculæ, quæ & brevissima est, & efficacissima; dicite centies de die, *Domine mi Jesu si vis!* præsertim dum surgitis manè, *Domine ex te, in te, & propter te quidquid agam hodie, agam.* Dicite millies, *Domine ex amore tui! hic meorum finis laborum, studii, defatigationis, scriptionis, exercitii!* Ita fiet, ut quemadmodum intellexistis, certo sed facili simul atque expedito compendio in hac vita felicitatem, in altera verò beatitudinem nanciscamini sempiternam. §. 17. Dictum Thomæ Mori.



CONCIO IX.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Ecce motus factus est magnus in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.

Matth. 8. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

NAvicula Ecclesiæ, vel S. Petri, hactenus tot sæculis, non potuit submergi.

§. 1. De-

§. 1. Descriptio pulcherrimarum navium. Pulchrior est navis, quæ Christum vehit.

REfert Plutarchus speciosissimam fuisse navim, in qua vecta fuit olim Cleopatra, quãdo Marco Antonio in flumine Nilo obviabat. Puppis tota fuit deaurata, vela ex purpura, funes ex bysso, remi argentei, famuli nautici erant speciosissimi, atque aureis induti vestibus ephebi. Cleopatra non instar Reginæ, sed Deæ Veneris in aurato sedit solio, quod in medio navis erectum conspiciebatur. Non miror Auctores hanc navim vocasse speciosissimam, cùm in nobis, qui auribus tantùm illa percipimus, oriatur desiderium non modicum, & cupiditas videndi navim tam pulchram, regiam, pretiosam. Verùm alia sunt mea desideria Audit. Mallem siquidem ego vidisse naviculam, in qua Rex Regum in hodierno Evangelio ascendit mare; mallem ego vidisse Jesum dormientem in puppi, quàm Cleopatram in regio & aureo solio magnificè considentem.

Cajus Caligula, teste Suetonio c. 37. navim fieri curavit, ex meris tabulis cedrinis; puppis ferè tota fuit gemmea, vela ex bysso, sed diversissimi coloris. Ex præcipuis fuerunt ornamentis æquo ordine ad certa locorum intervalla, ad oculorum usque invidiam dispositæ arbores; hinc assurgebat malus assyria cum aurea, inde Cyparissus cum cedro, aut lauro; putares in illo fluvio non navim quandam vehi, sed hortulum potius vel paradisum; ita fluctuabant omnia floribus, umbris, deliciis, amoribus. Fateor fuerunt illæ deliciæ Cæsaris, & dignissima visu navis. Maluissem tamen ego præ illa spectare navim, in qua vectus est mundi Salvator Jesus.

De illa navi, in qua magnus Dux Hetruriæ ante annos circiter sexaginta suã filiam misit Henrico IV. Galliarum Regi in Sponsam, mira narrat Petrus Matthæi l. 3. narrat. 5. n. 3. Exteriùs, licet septuaginta passibus esset longa, tota fuit inaurata, radiabat tota, tota aurea, aureos Solis radios provocabat, instrumenta fuerunt ex argento, ebore, ebeno, arundinibus Indicis: Latera topaziis, Smaragdis, unionibus, & crystallo ornata coruscabant. Credo fuisse speciosissi-

ciosissimam, mallem tamen & maluissem universas has oculorum voluptates cum uno naviculæ Christi obtutu commutasse.

§.2. Ornamẽta naviũ. Hodiè præcipua navium ornamenta in pulcherrimis consistunt vexillis, in doctis Symbolis; in insignibus Regum, in Turcicis lunis, in Imperialibus Aquilis, in Castellanis turribus, in Francicis liliis, in Suecicis gladiis & coronis, in Anglicis cytharis, in sagittis & leonibus Batavis. Ornantur hodiè naves pulcherrimis lampadibus, igneis globis, ardentibus aquilis, radiantibus ex crystallo stellis, pellucidis crucibus. Hæc qui audiunt, sentiunt quandam in se velut orexin & desiderium ejusmodi naves tam pretio, quàm elegantia raras intuendi. Mallem ego & maluissem oculos meos pascere aspectu naviculæ, qua vehebatur quondam cum discipulis suis Magister noster, Rex noster, amor noster, Jesus. Prô! quas ibi delicias, quas voluptates, quos thesauros, quas pulchritudines, quæ non terram saperent aut Oceanum, sed cœlestem paradisum, spectare licuisset! Neque verò dubito, quin eadem omnino sit sententia plurimis vestrum Audit. illis præsertim, qui tenero quodam in Jesum flagrant amore.

Verùm cùm hac in parte nec mihi ipse, nec vobis gratificari possim, hoc saltem agam hac concione, ut si non naviculam ipsam, causam tamen ob quam Salvator in eam ascendit, vobis ponam ob oculos. Quod ubi fecero, ad Petri naviculam in his mundi persecutionũque procellis fluctuantem, me convertam, & licet in ea Deus dormiat, non esse tamen nobis timendi causam, altera Concionis hujus parte declarabo.

§.2. Quare Christus D. ascenderit in naviculã. *Ascendit Iesus in naviculam*, alto mari se committens. Non inhærebo jam rationi S. Chrysologi hom. 29. *Vbi miraculorum ostensio erat, plebem permittit adesse; ubi autem tentationum & timorum correptio, athletas orbis terrarum quos excitaturus erat, hos solos assumit.* Placet modò Origenes ita inquiens: *Cùm multa, magna, & miranda ostendisset in terris* (converterat aquam in vinum, mundârat leprosum, sanaverat paralyticum &c.) *transiit ad mare, ut ibidem adhuc excellentiora opera demonstraret, quatenus terra marique Dominum se esse cunctis ostenderet.* Ideò, *Ecce motus magnus factus est in mari*, non à naturalibus tantùm causis, ob influxus siderum, ob impetus ventorum, ob naturalem inquieti elementi turbationem, sed divina dispositione ad ostendendum quod esset de quo Ps. 64. v.8. ait. *Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus tu mitigas.* Ps. 103. v. 3. *qui ambulas super pennas ventorum.* Apoc. 10. v. 1. & 6. vidit S. Joan. Angelum descendentem de cœlo, amictum nube, coronatum iride. Facies ejus fuit sicut Sol, & pedes ejus tanquam columna ignis, & posuit pedem suum dexterum super mare, sinistrum autem super terram. Per hunc Angelum SS. Patres intelligunt mundi Salvatorem, de quo Isaias c. 9. v. 6. dixit, *Magni consilii Angelus.* Pulcherrima nubes, qua circumdatus est, est sanctissima Humanitas. Iris in capite significat pacẽ, quam fecit inter Deum & homines, splendor faciei immensam ejus pulchritudinem. Ignis in pedibus, infinitam charitatem; forma columnarum,

rum, omnipotentiam; unum pedem ſtatuit ſuper terram, velut dominator orbis; alterum ſuper mare, velut dominus aquarum. Nimirum is eſt, qui conturbat profundum maris, & mitigat, cum vult, fluctus ejus.

§. 5. *Arrogantia Alexandri M.* Cùm Alexander Magnus ſubacta Perſide ingrederetur fines Indiæ, deſiliens ex equo, alterum pedem ſtatuit ſuper terram Perſiæ, alterum ſuper fines Indiæ, magnâque voce exclamavit, *Et hac, & hac, mea ſunt.* q. d. hactenus Macedoniæ & Perſiarum fui Dominus, jam Indiarum quoque obtineo dominium & poſſeſſionem. Ulteriùs ſe extendit poteſtas noſtri Salvatoris, *à ſolis ortu uſq; ad occaſum*, non in terris tantùm, ſed in mari eſt Rex Regum, & Dominus dominantium; non in Macedonia tantum, non tantùm in Indiis, ſed terra marique.

§. 5. *Potentia Regis Hiſpaniarū.* Ante paucos annos Rex Perſarum potentiſſimo Regi Hiſpaniarum literas dedit illuſtri hac ſuperſcriptione: *Regi qui ſolem habet pro galero.* Voluit dicere Hiſp. regem potentem eſſe terra mariq; toto enim itinere, quo ſol percurrit Europam, quo Africam, quo Aſiam, quo Americam, irradiat regna, quæ illi monarchæ ſunt ſubjecta. Longè potiori jure, hic titulus, hic galerus, hæc corona debetur Jeſu Salvatori meo.

§. 6. *Hiſtoria, de Canuto Rege Angliæ.* Agnovit hoc Canutus Rex Angliæ: (refert hiſtoriam Polidorus Virgilius) adulabantur huic aliquando aulici proceres (ut ferè mos eſt apud ejusmodi genus hominum) & ut gratiam aliquam favoremque aucuparentur, novo eundem titulo condecorarunt, & terræ marisque Dominum, Regem ſuum nuncuparunt. Verùm diſplicuit hæc aſſentatio pio Regi ſummoperè, atq; adeò correcturus mentem aulicorum, ambulatum tantiſper ad littus maris exivit. Incipiebat tum fortè refluxus maris, quem ubi Rex cùm ſuis ſpectaret in littore, ducta linea præcepit fluctibus, ne quem illis modò figeret limitem, tranſilirent. Vix talia dixerat, & ecce immanes fluctus in Regem inſilientes, eundem ferme in profundum maris abripuiſſent. Enimverò tùm ad proceres converſus ait: *Aſſentatores vos eſſe, me verò Imperatorem maris non eſſe, videtis?* ſtatimque Eccleſiam ingreſſus, coram Salvatoris imagine proſtratus in genua, diadema vertici detrahens, ad Jeſu pedes ſe abjecit cum illo verſu ex Pſ. 88. v. 10. exclamans: *tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum tu mitigas.* Similia in hodierno Evangelio puto dixiſſe Apoſtolos. Vix una navim conſcenderant, & ecce tumultuantur venti, inſurgunt procellæ, minantur fluctus, oppugnat naviculam ſubitò concitata tempeſtas, duravit hæc quàmdiu dormivit Jeſus. Hic, clamore diſcipulorum excitatus, *imperavit ventis, & facta eſt tranquillitas magna.*

Obſtupuit in littore populus, quærens: *quis eſt hic, quia mare & venti obediunt ei?* quis eſt ille, qui verbo dominatur poteſtati maris? quis eſt, qui quàm diu vult, conturbat profundum abyſſi? fortè delphini, fortè nymphę, læto murmure accinuerunt: *hic eſt Dominus maris.* Si non fecerunt, faciamus nos, & dicamus, Vivat Jeſus cœli, terræque marisque Dominus, moderator aquatum, fluctuum Princeps, procellarum Rex, Imperator Oceani, diluvii denique omnis, tempeſtatisq; monarcha. Proinde non eſt, cur Navicula Petri, ſive Eccleſia

clesia Romana sub hoc nauclero quidquam pertimescat adversi.

§. 7. *Cur Ecclesia Romana comparetur Navi.*

Puto plerisq; esse notum, non absq; rationum momentis, veram Christi Ecclesiam passim navi comparari. Si enim trans Oceanum profecturis ante omnia opus est navi, extra quam qui cõstitutus est, vix oppositam sibi ripam attinget: sic extra Ecclesiam nulla est via salutis, nullus ad cœlum aditus, nullus ad portum æternę beatitudinis accessus. Navis, quę pelago se committit, omnis impatiens est fissuræ, divisionis aut foraminis! etiã in Ecclesia, siquidem ea vera existit, nullam esse divisionem, nulla schismata, nullam sententiarum in articulis fidei diversitatem oportebit; ejusmodi nostra est Ecclesia Romano-Catholica.

Si navis mille tempestatum hostiumque est exposita periculis, non pauciores hactenus sensit in medio persecutionum æstu jactata, tempestates Ecclesia. Sed ad clavum navis, unus ut plurimum sedet gubernator, aut nauclerus; unus pariter in Ecclesia Orthodoxa Reipublicæ Christianæ summã administrat Pontifex Sum. & gubernator. Non hanc salutis naviculam regit Lutherus aliquis vel Calvinus, sed Christus, & cui eam Christus regendam commisit, Petrus, & qui Petrum gloriosã serie per tot sæculorum curricula ad Alexandrum usque septimum, hodiedum clavum clavesq; tenentem, vel ad invidiam hæreticorũ, ac rabiem sunt consecuti Pontifices.

Atq; ideo certò persuadete vobis Audit. hanc naviculam non esse compactã ex asseribus, sed ex petra, cui Christus dixit, *tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matt. 16. v. 18. Sed aperiunt se portæ inferni, ex illis erumpunt terribiles venti, ut naviculã Petri, ut Ecclesiam demergant; ex his portis egressus Satan, quos insultus contra hanc naviculam non fecit? nec solus est Satan. Ex his portis egressi sunt tot tyranni Nerones, Diocletiani. & tot hæresiarchæ, Arrii, Manichæi, Calvini, Lutheri, &c. Sic est: hactenus tamen naviculam nostrã submergere nõ potuerunt.

§. 8. *Persecutiones contra Ecclesiam comparantur triplici vento.*

Triplici vento comparantur hi persecutores Ecclesiæ. *Est ventus frigidus,* Eccl. 43. v. 22. Aquilo, sive rabies dæmonum. Gen. 41. v. 27. fit mentio *venti urentis*, per quem significatur perversitas hęreticorum, à qua spicæ, sive fideles quasi exitiali corripiuntur uredine. Job. c. 1. v. 19. fit mentio *venti vehementis*, qui diruit domũ in qua comedebant filii Job. Hic ventus est crudelitas tyrannorum, qui conatu sunt vel evertere vel submergere naviculam Petri. In hac quippe *gentium flabra, Judæorum turbines, persecutorum procella, vulgi nubes, dæmonum nebula sic ruerunt, ut totius mundi una fieret tẽpestas,* adhuc hodie, *Regum spumant undæ, fervent potestatum fluctus, sonat rabies traditorum, populorum gurgites rotantur, mugiunt Christiana littora, nec tamen navicula Petri submergi potest,* & permittit illa Salvator noster, videtur dormire, *quia gubernatoris peritiam, nõ probat temperies serena, sed procellosa tempestas. Blandiente aura navim regit ultimus nauta, in confusione ventorum quæritur ars Magistri.* Et S. Ambros. *gubernator fluctuanti navigio plus laboris impendit, quam cum secundo remigio labitur.* Jam à 1654. annis divina ostendit bonitas in confusione tot persecutionum, qualem quantumque agat nauclerum, & quod navicula Petri non habeat, quod timeat.

§.9. *Sed hactenus naviculam Petri evertere non potuerunt.*

Etsi submittat infernus novos Arrios, etsi suscitet Satan novos sectarios, etsi reducat orcus ab aquilone, à portis inferni novos Hæresiarchas, nunquam tamen Romanam naviculam evertere poterunt; meretur propterea, ut pulchris Symbolis exornetur. Scipio Bargalius pinxit quatuor ventos versantes mare ex quatuor partibus mundi; exsurgunt in altum fluctus, rotantur aquarum turbines, consurgunt procellæ, sed quo fructu? intelliges ex lemmate subjecto: *turbant, seu extollunt.* Ita mihi lubet depingere naviculam Petri, sive Ecclesiam Romanam Catholicam.

Quales quantique jam ab annis supra quinquaginta mille, sexcentis, exorti sunt venti? Deum immortalem! quales quantæque procellæ in hanc naviculam incubuêre? qualis ventus aut furor potius Arrii? qualis ventus, doctrina Calvini &c.? Sensisti profectò furias, incursus, machinationes, vehementiam, tu, O Christi navicula! taceo immitem Boream, quem gentilium crudelitas, Cæsarum superstitio, tyrannorum impietas, Neronum furor, Diocletianorum sævities, collectis undequaque viribus adversùm te concitavit. Ah! videbatur somno oppressus bonus Jesus, permisit hæc omnia, & cùm vel solo potuisset oculi nictu sedare tempestatē, & motos componere fluctus, somnum simulavit.

Verùm age, quid profecerunt hi rapidi fluctus? hi turbines, hi venti, hæ procellæ, hæ tempestates? nihil, *turbarant nonnihil naviculam, fateor; at non deturbarunt, presserunt, non oppresserunt; oppugnarunt, non expugnarunt.* Quid causæ? divina obstitit promissio, *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.*

§.10. *Minæ inanes Friderici Imperatoris.*

Quoties minātur supremum Romanæ petræ excidium inferi? stat tamen hæc petra, stat nobilis Roma, stat Catholicæ fundamentum Ecclesiæ. Memini, Fridericum Imperatorem Barbarossam, nomine & omine simul barbarum, ad hanc petram misisse hunc versum,

Roma diu titubans variisque erroribus acta,
Iam ruet, & mundi desinet esse caput.

Memini inquam, arrogantissimæ hujus superbiæ, superbissimæque arrogantiæ: sed & memini alterius, quem illi hæc petra responsi loco remisit, versus longè verissimi:

Niteris in cassum Petri submergere navim,
Fluctuat, at nunquā mergitur illa ratis.

Imò magis elevatur, ut arca illa Noëtica magis extollitur, & ad cœlum usq; cœlestiaq; accedit. Stabit hæc petra, donec impleatur promissio Christi, nimirùm in fine mundi, Joan. 10. v. 16. *& alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor;* tùm omnes electi, omnes oves in navicula Petri, invehuntur in portum cœlestis gloriæ! hœdi verò, id est, persecutores Ecclesiæ Hæresiarchæ (nolo rursum nominare impiorum nomina) in suis naviculis absorbebuntur voragine damnationis æternæ.

§. 11. *Symbolū Philippi II.*

2. Appendo naviculæ Petri emblema Philippi II. potentissimi Hispaniarum Regis, qui in gravissimis persecutionibus præcipuè motibus Belgii, jussit pingi pilam percussam in altum, delapsam in humum, rursum resilientem cum hac inscriptione, *Percussa elevor.* Talis pila est navicula Petri; ludunt cum

cum illa hæretici, impingit illi ictum Calvinus, impingit & Lutherus, impingunt mille alii adversarii. Illa verò sui semper similis respondet, *Percussa elevor*. Indormiscit nonnihil Jesus, sed suo tempore evigilat; & magis extollit Ecclesiam. Age hæresis si potes, dicite adversarii, nominate Ecclesiam vel in Hispania, vel in Italia, vel in Gallia, vel in Germania, nominate cathedram quæ adeo sit elevata, quæ in tam excelso & firmo monte sit collocata ut Romana? causa est, *percutitis, hinc elevatur; deprimitis, hinc erigitur, vulneratis, hinc sanatur; dejicitis, hinc ascendit, contemnitis, hinc à Christo Domino magis honoratur*.

§.12. *Nomina naviū ab avibus.* 3. Ab avibus potissimum sua nomina illustres sortiuntur naves. Similem quampiam vidi, cui nomen erat Aquilæ, an ob celeritatem, qua erat expedita in paucis? an ob dignitatem, qua ut aquila volucres, ita hæc naves cæteras in portu Carthaginensi multis passibus superabat? Sunt quibus nomen Cygni obvenit, præsertim apud Batavos & Britannos; placent his etiam Pelicani, Venetis Columbæ, alii aliis nominibus, & titulis suas insignire consueverunt.

§.13. *Navicula Petri est Carduelis.* Ego verò naviculam Petri si Carduelem vocavero, haud sanè multum aberravero ab emblemate, *Alios pungunt, me pascunt.* Ite nunc hæretici, ite adversarii, pergite tyranni, naviculæ Christi estis spinæ, quibus vosmetipsos potius pungitis, sauciatis, affligitis quam Carduelem nostram, quàm Ecclesiam Romanam. Pascitur his spinis hæc avicula, non occiditur; delectatur, non necatur; fovetur, non torquetur. Vos spinæ in igne inferni ardebitis æternum.

§.14. *Alia Emblemata.* Clarius fortè, in alia tamen materia id ipsum exponit insignis Ecclesiastes, Marcellinus de Pisis, qui facem suis proposuit Auditoribus, quam continua per auras agitatione extinguere non nemo conatur; verum ea ventilatione majorem illa flammam concipit, cum hoc lemmate: *Agitata revivo.* Talis fax meo judicio ardet, ardebitque semper in prora Naviculæ Petri.

Quartum denique & ultimum restat emblema, quod naviculæ Petri, propterea, quòd eam non ex asseribus compactam modò, sed & lapidibus saxisque constructam dixi, meo quidem judicio non malè congruit. Ferrus fuit pictor, qui tempestuosissimo in mari repræsentavit scopulum, ita percussum reverberatumque à fluctibus, ut illi ipsi refracti in suum despumarent interitum, Epigraphe erat ista: *Conantia frangere frangam.* An non hæc nova patientis simul & vincentis Naviculæ Christi imago? frangit illa & hactenus fregit perfregitque non minus fortiter, quàm gloriosè conantia frangere, machinamenta inferni, tyrannorum arma, impiorum consilia; Atque hæc de navicula Petri, spernente fulgura, ridente tonitrua, tempestates, qua infidelium, qua heterodoxorum, motusque vincente.

§.15. *Apud quos sit vera navicula Petri?* Sed ecce alia, & gravior fortè ventilanda succurrit quæstio, novus exoritur motus; exoritur inquam in Oceano præsertim Germanico, in charissima patria nostra, in S. Romano Imperio;

rio; apud quosnam veram Petri naviculam sit reperire? Ego verò Auditores mei, ingenuè dicam id quod sentio, nam cùm plerosque vos sciam esse Catholicos, hactenus necdum decrevi multis in cathedra contendere atque altercari. Fructus, quantum experientia docet, illis pugnis præliisque respondere non solet. Sunt tamen qui mihi auriculam vellicant, dicuntque confundi adversarios, confirmari in fide Catholicos. Ego verò confundere neminem cupio, hoc opto, ut Spiritus Sanctus universis suggerat, quod ad salutem est singulis necessarium.

Vos autem in fide Catholico, Romana satis superque confirmatos esse perspicio. Persuadet hoc mihi vestra in frequentandis Ecclesiis pietas; ostendit in obeundis, Ecclesiæ Sacramentis diligentia, declarat filialis & tener vester in Virginem Matrem affectus, animique constantia, ne quicquam frendentibus adversariis; denique probat, vita vestra ad amussim boni piique Catholici, quantum penè fieri potest, tali in loco, ac tempore conformata: ideò modò adhuc mihi à controversiis temperatum volo; contentus modo, ut quæstioni propositæ respondeam, vel unico dicto S. Chrysostomi hom. 1. in symbolum Apost.

§.16. *Signa veræ Ecclesiæ ex S. Chrysostomo.*

Ecclesia velut navis in mari posita portat credentes, portat baptizatos in una charitate, in uno remigio sanctitatis, in funibus charitatis, in velo orationis, in arbore Crucis, in anchora fidei, in tabulis pacis. In primis conveniunt multæ diversarum sectarum naviculæ. In navicula Lutheri, in navicula Calvini, in navicula S. Petri omnes credunt in Deum, in SS. Trinitatem, omnes baptizati sunt in nomine Jesu. Sed ulterius considerate, & judicate in quanam ex his naviculis sit major sanctitas? penes quam navim sint tabulæ pacis? præcipuè in doctrina, in sententiis, in dogmatibus, in articulis fidei? (estne pax, ut Calvinistæ aut Lutherani v.g. Argentinenses aliter sentiant ac Calvinistæ aut Lutherani Spirenses?) illamne naviculam firma tabularum compage dicemus constructam, in qua impugnat fides fidem, cathedra cathedram, ministellum minister? videte an non hæc apud Heterodoxos nostros fieri soleant? Certè apud Catholicos Romanos in mysteriis fidei saltem, pax est, unio est, concordia est firmissimaque compages. Quæso vos mei Auditores, manete in hac navicula, non est, quod pertimescatis naufragium.

§.17. *Alia descriptio Ecclesiæ*

Alius non ignobilis Concionator ait: *Multa requiruntur ad navim, Asseres, compositio, compages, structura, acatium, astemon, malus, antenna, clavus, remi, funes, harpagones, conti, anchora, pixis nautica, mappa, antlia, aplustra, pilotus, &c.* Sic hæc explicant SS. Patres. Per asseres intelligunt tres virtutes Theologicas, *fidem, spem, Charitatem.* Per malum, *Sanctissimam Crucem*, per clavum, *prudentiam*, per ventos & vela, *assistentiam Spiritus Sancti*, per remos, *bona opera*; per anchoram, *fiduciam*, per acum magneticam. quæ ad stellam polarem dirigitur, *cultum B. V.* per antliam, *Sacramentum pœnitentiæ* & *Confessionis, &c.* Pilotus *S. Petrus*, & ejus successor Christi in terris Vicarius.

Ea-

Examinate hæc omnia, & ferte sententiam, sed sinceram, veram, candidam, rationi conformem, consentaneam veritati, ubinam sit vera Navicula Christi, & S. Petri.

§. 18. *Dictum Innocentii Papæ, quibus auxiliis navicula nostra attingere possit portum æternæ salutis.*

Verum elapsum est dicendi tempus, hoc pro Epilogo demum moneo illos, qui se in vera Christi navicula constitutos perspiciunt, ut ne propterea jam salvos se credant atque incolumes. Enimverò subeunda restant adhuc varia gravissimaque pericula.

O boni Catholici! laborandum est dum navigamus, comparandus animus ad complures turbidi aëris injurias, nitendum contra, explicanda vela, ducendi remi, toleranda etiam non rarò incommoda.

Talis est navicula Christi! hæc ducit ad astra. Ne vos obsecro in errorem inducat, vel prospera Calvini, vel jucunda Lutheri navicula, & hæc & illa per placidum mare, per voluptates, per carnis illecebras ducit ad Orcum. Portum respicite, considerate navigationis finem ac terminum, & tum sollicitudine, cum labore, cum difficultate, cum afflictione trahite salutis vestræ remos. Quod ut facilius consequamini, capessite optimum Innocentii Papæ consilium. Is enim cum interrogaret quibus auxiliis possint naves per varia pericula, per syrtes & charybdes, per scopulos, per vortices, per æstus, per tempestates, portum attingere, sibimet hunc in modum respondit ipse: *Certè per duo, per lignum & stellam, id est, per fidem Crucis, & per virtutem lucis, quam peperit nobis, Maria maris stella.* Ita nimirum ex una parte occurrere periculis, quæ quam multa sint, quamque metuenda, non ignoratis; ex altera verò, tenebrarum noctisque discrimina facili brevique methodo superare, & denique ad beatæ littus æternitatis potestis appellere.



CON-



CONCIO X.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Sinite utraq; crescere usq; ad messem.
Matth. 13. v. 30.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUomodo bonis semper sint permixti mali; sicut zizania, tritico: & cur Deus illos toleret.

§. 1. *Concio hac ex hodierno Evang. tria puncta explicabit.*
§. 2. *Quid intelligatur per agrum & Zizania.*
§. 3. *Ab initio mundi bonis fuerunt permixti mali.*
§. 4. *Haresiarcha distributi per secula.*
§. 5. *Bonum tamen semen suffocari non potuit.*
§. 6. *Ecclesia semper habuit suos defensores.*
§. 7. *Cur Haretici comparentur spinis?*
§. 8. *Digressio ad spinas vitiorum, & spineam Christi coronam.*
§. 9. *Quare Deus toleret impios?*
§. 10. *Ratio S. Augustini, & S. Gregor. Magni.*
§. 11. *Dictum Catonis.*
§. 12. *Declarantur hac per similia.*
§. 13. *Diversa sepultura Iusti & Impii; pulchra historia.*
§. 14. *Versus ex Ps. 72. cum explicatione S. August.*
§. 15. *Pulchrum dictum, & factum S. Ambrosii.*
§. 16. *Simile S. Chrysostomi de filio spurio, & legitimo.*
§. 17. *Sancti dolent se esse sine cruce.*
§. 18. *Christus D. suos, ut Iosephus fratres, cruciat & amat.*
§. 19. *Applicatio.*
§. 20. *Deus impios tandem punit.*
§. 21. *Figura fuit Moyses.*
§. 22. *Apostrophe ad impios.*

§. 1. Concio hac ex hodierno Evang. tria puncta explicabit.

TRia sunt potissimum documenta, Auditores, quæ vobis totidem concionis hujus partibus impertiar. In prima accipietis, quid per agrum, quidque per zizania intelligatur, ex quo patebit, tritico semper permixta esse zizania, id est, impios bonis. In altera unicam causam ostendam, ob quam Deus tanta patientia toleret impios; audient hi, quæ istum illis

illis poterunt incutere timorem: audient & boni ea, ex quibus illis, ut spero, consolationis causa accedet. In tertiâ denique paucis ostendam, post longanimem misericordiam, quâ Deus zizania in agro suo tolerat, esse tandem justum, dum jubet illa alligari in fasces, & projici in ignem æternum.

§. 1. *Concio hæc ex hod. Evang. tria puncta explicabit.*

Quare ut, ne me tempus in tam ubere utilique materiâ deficiat, pluribus modò præfari supersedeo. Vos interim pro more vestro, cum salutis, æternæque desiderio felicitatis, quam vobis declarare tantisper conabor, dicentem audite.

§. 2. *Quid intelligatur per agrum, & zizania.*

Per agrum, cujus in hodierno Evangelio meminit Christus Salvator noster, aliqui SS. Patres intelligunt hunc mundum, sive genus humanum; alii Ecclesiam, alii cujusvis adulti hominis conscientiam, sive animam fidelem. Primo sensu zizania sunt omnes impii; ita S. August. S. Ambrosius, S. Gregorius, Theophilactus. Altero sensu zizania sunt hæretici, & persecutores Ecclesiæ. Ita S. Chrysost. Euthymius, Tertull. S. Chrysologus ser 96. *Superseminavit zizania, in medio tritici, quia Diabolus hæreses inter fideles serere consuevit.* Tertio sensu zizania sunt quævis peccata juxta illud Sapientis Prov. 24. v. 29. *Diligenter exerce agrum tuum*, ne scilicet sterilescat spinis vitiorum.

§. 3. *Ab initio mundi bonis fuerunt permixti mali.*

Prima zizania ab initio statim mundi permixta fuerunt bono tritico, id est, bonis impii. Primi hominis Adami primi filii fuerunt Abel & Cain: alter fuit bonus, alter malus: Noë cum tribus tantum filiis fuit in arcâ, Cham, Sem & Japhet, hi duo fuerunt boni & morigeri, Cham verò reprobus, impudens & irrisor Patris. Duos filios habuit Abraham, Isaacum & Ismaelem. Isaac bonus, Ismaël malus: Rebecca genuit Jacobum & Esau; electum alterum, alterum reprobum. Jacobum Deus dilexit, Esau autem odio habuit. Duodecim tantùm Apostolos elegit Christus D. inter hos Judas fuit proditor Christi, Johannis 6. v. 71. *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est?* Verbo, ut spinæ cum rosis, aurum cum cupro, argentum cum stanno, vinum cum fæcibus, paleæ cum granis, columbæ cum corvis, album cum nigro, sic impii cum bonis permiscentur in agro hujus mundi.

§. 4. *Hæresiarchæ distributi per sæcula.*

In agro Ecclesiæ, quamprimum Christus D. illam fundavit, ab initio inimicus homo, sive Diabolus seminavit zizania, id est hæreticos. *Primo sæculo*, in primâ quasi aurorâ surgentis Ecclesiæ in auras prodiere Simon & Elymas Magus, Alexander, Hymenæus, Phyletus, Cerinthus, Ebion & alii. *Secundo sæculo* Zizania fuerunt hæresiarchæ, Saturninus, Basilides, Marcion, Valentinus, Tatianus, Gnostici, Encratitæ. *Tertio sæculo*, Valesiani, Novatiani, Manichæi. *Quarto*, Donatistæ, Meletiani, Arriani, Marcelliani, Eudoxiani, Eunomiani, Mesrisienses. *Quinto*: Vigilantius, Pelagius, Nestorius, Eutyches, Faustus, Iconoclastæ. *Sexto*: Severus, Severiani, Jacobus, Jacobitæ, Phantastici, Monothelitæ. *Septimo*: Armeniani, Chazinzarii, Lampetiani. *Octavo*: Albanenses & sex-

& sexcenti tales, qui sequentibus sæculis Ecclesiam oppugnarunt, quos omnes inimicus homo, id est, Sathan seminavit in agro Ecclesiæ. Secuti sunt deinde, Berengarius hostis Eucharistiæ; obiit tamen in fide Catholicâ; Valdesius, Valdenses, Pauperes de Lugduno, Albigenses, Fraticelli, hostes Romanæ Sedis, Begardi, Bechinæ, Lollardus, Flagellantes, Johannes Wiclephus, Johannes Huss, Hussitæ, Orebitæ, Thaboritæ, Orphani, Adamistæ, Picardus. Et quis denuum nominabit vel numerabit omnia ista lolia?

§. 5. *Bonum tamen semen suffocari non potuit.* Quid verò de bono semine? illudne zizaniis istis omninò oppressum dicam, & suffocatum? nequaquam. Enim verò semper suos defensores habuit Ecclesia, semper triticum tribulos inter ac spinas surrexit perfectius, semper bono semini cedere coactum est lolium, quantumcunque fuerit vel copiosum, vel pestilens. Age enim, numeremus ab ipsis velut nascentis Ecclesiæ incunabulis, viros Sanctissimos, celeberrimos Pontifices, doctissimos Præsules, Doctores omni exceptione majores; & quàm acres semper extiterint, boni, id est, Catholici seminis, adversùm reproborum zizania, defensores videamus.

§. 6. *Ecclesia semper habuit suos defensores.* *Et primo quidem sæculo* nacta fuit viros sanè egregios, inclytos heroes, Pontifices, Martyres, Doctores, Linum, Cletum, Clementem, Anacletum, Evaristum, S. Dionysium Areopagitam. *Secundo*, SS. Ignatium, Polycarpum, Justinum, Egesippum, Irenæum, Anicetum, Victorem, aliosque viros quâ literis, quâ sanctitate conspicuos. *In tertio* vidit Clementem Alexandrinum, Origenem, Proclum, Tertullianum, Zenonem Veronensem &c. *In quarto* numeravit S. Augustinum, D. Hieronymum, Basilium, Gregorium Nazian. Gregorium Nyssenum, S. Hilarium S. Ambrosium &c. *Quintum* verò sæculum fuit illustre eloquentiâ S. Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini auctoritate, Theodoreti doctrinâ, Chrysologi facundiâ. *Sextum* ornavére S. Epiphanius, S. Dorotheus, Joannes Climacus, Gregorius Turonensis, Gregorius M. *Septimum* gloriatur Ildephonso, Isychio. *Octavum* Joanne Damasceno, Cæsario, Bedâ &c. Prô quanta hæc sunt & qualia lumina! quales stellæ, quales rosæ! quales gemmæ, quales columbæ irradiatæ lumine Spiritus S.! sed permixtæ corvis, spinis, tenebris, loliis, zizaniis.

§. 7. *Cur hæratici comparentur spinis.* Posterioribus sæculis, ejusmodi zizania fuerunt Anabaptistæ, ut innumeros alios taceam, quibus Deus opposuit Sanctissimos Ordines, præcipuè Societatem JESU. Verbo, nunquam in agro Ecclesiæ defuerunt zizania, quibus hæretici, non sine gravibus causis comparantur. Unam & præcipuam advertit S. Chrysostomus ex Evangelio. *Initio utrumque semen, bonum & malum latuit in terræ sinu, neque se prodiderunt zizania, nisi cum altum excrevissent, tum famuli adverterunt.* Idem contingit cum hæreticis, cum primùm sua semina spargunt, diceres jactare germanum triticum, hoc est, sanam utilemque doctrinam, saltem

rem probatam desideratamque compluribus: ajunt enim, se suâ conscientiâ urgeri, religione, zeloque duci, ut tollantur, qui in Ecclesiam Romanam irrepserunt mores, & errores, ut reformetur Ecclesia, ut veri lux Evangelii, sub scamno ut inquiunt, latitans, tandem protrahatur in publicum, ut corrigatur nimia Papistarum superstitio, & si quæ sunt alia. Quis non purissimum hoc triticum crederet? verùm erumpunt mox zizania (neque enim latere diu possunt) erumpunt inquam, ubi animadvertunt hæretici, sibi in promptu esse vires, & arma, quibus se suaque tueantur, & seditionibus, ac tumultibus omnia commisceant, perdant, dissipent, pessundent, etiam regna, & provincias.

Præclarè D. Chrysostomus hom. 47. in Matth. *Quando germinavit, & herba fructum fecit, tunc apparuerunt zizania.* Id certè moris est hæreticis, ut obumbrent se ipsos, atque occultent in principiis, quousque majorem fiduciam capiant, & quodam favore multitudinis juventur: tunc enim contagiosa venena intrepide diffundunt, ostenduntque se esse lolia, spinas & zizania inter triticum.

Spinis verò, & loliis vitiorum opponitur triticum, sive bonum semen virtutum. Hoc seminavit Deus ab initio mundi in primo agro, qui fuit paradisus, in quo hominem creavit rectum, in gratiâ originali, & innocentiâ, cum ornatu variarum virtutum. Sed cùm dormirent homines, cùm Adam & Eva non attenderent ad præceptum DEI; ecce tibi adest ex insidiis inimicus homo, superseminans zizania, in medio tritici, dum homini innocenti persuadet peccatum. Hoc fuit semen, hæc radix, ex quâ innumeræ vitiorum spinæ propullularunt.

O maledicta radix! damnatum semen! origo infelicissima! ex quâ in hodiernum usque diem, *infelix lolium, & steriles dominantur avenæ*: imò vepres, & spinæ. Atque utinam non dominarentur & sævirent in caput Salvatoris mei JESU Crucifixi! O JESU! illæ nimirum sunt infixæ capiti tuo sanctissimo spinæ! nostra scelera, peccata, libidines. O JESU! cruentæ illæ spinæ cruentam habuêre radicem; peccatum. Hæ spinæ ad tuum usque divinissimum cerebrum se ingesserunt; hæ spinæ roseum expressêre sanguinem; hæ spinæ tam multiplici vulnere sanctissimum caput tuum vulnerarunt. O iterum maledicta spinarum radix! Auditores mei, si JESUM diligitis Crucifixum, nolite obsecro, nolite concedere, ut tam dira radix, novas in vobis spinas progerminet; nolite in vulnera Redemptoris tam tristes tolerare spinas doloris.

§. 8. *Digressio ad spinas vitiorum & spineam Christi coronam.*

Jam verò quæstio succurrit utilissima, quare DEUS zizania inter triticum permittat, cur non permittat illa colligi, eradicari, & projici in ignem, sed crescere jubeat usque ad messem? & huic quidem quæstioni alterâ Concionis parte satisfaciam.

S. Augustinus cit. ait fieri propter excitationem bonorum, & ut boni purgentur per impios. Mali homines etsi ipsi non salventur, sunt tamen utiles Electis. S. Gregorius M. ait id fieri, propter bonorum glorificationem.

tionem. l. 20. moral. *hi veraciter boni sunt, qui in bonitate inter malos persistunt, sunt electi, lilia inter spinas,* Isaias cap. 20. v. 6. hanc causam assignat. Propterea exspectat vos Dominus, ut misereatur vestri; nam si statim lolia exscinderet, si statim è medio tolleret impios, sola pateret Justitia, non misericordia. Sapientiæ 11. v. 24. *dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* S. Isidorus, *ut non habeant mali excusationem, si non convertantur.* Denique permittit Deus malum, ut eliciat bonum. Has & alias causas complures gravesque modò prætermitto.

§ II. *Dictum Catonis.* Nihilominus hoc non paucis summâ dignum visum est admiratione. Cato cum audivisset Pompejum M. Imperatorem ut ipse putabat bonum, tamen à Cæsare, quem Cato judicabat tyrannum, lascivientem in civili sanguine, cùm inquam audivisset illum, Deo ita disponente, in Pharsalicâ pugnâ cum præcipuis Romanis proceribus initâ devictum, exclamavit: *In rebus divinis multum est caliginis.* Aliis verbis hanc Maximam enuntiavit regius Psaltes Ps. 91. v. 6. *nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ!* in quæ verba S. August. *Revera Patres mei nullum mare tam profundum est, quàm cogitatio DEI, ut mali floreant* (adverte, ut scilicet non tantum vivant, sed vivant splendidè,) *& boni laborent. Nihil tam profundum, tam altum, ubi naufragat omnis infidelis in isto alto, in isto profundo.*

Prosecutio. Altissimo huic mari se commisit sacer vates Jeremias, cùm mentis oculos per sæculum nequam circumferens videret impios omni rerum humanarum abundantiâ affluentes, gestientes, epulantes, choros ducentes, probis, ac piis insultantes; ipsos autem filios DEI pauperes, afflictos, oppressos; stupore & commiseratione suorum abreptus, dixit ad Deum c. 12. *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum: veruntamen justa loquar ad te: quare vita improborum prosperatur?* Huic mari vel his profundissimis cogitationibus se commisit Job. c. 21. v. 7. & quæstionem format hoc modo: *quare impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?* juxta illud Psal. 36. v. 35. *Vidi impium superexaltatum, quasi cedrum libani.* Abacuc cum Deo sic expostulat 1. v. 13. *quare respicis contemptores, & taces, conculcante impio justiorem se?* Sed pulcherrimè David Ps. 72. v. 2. *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.*

S. August. hunc locum in Ps. 72. sic interpretatur: *zelavi, id est, attendi peccatores, vidi illos habere pacem, temporalem, fluxam, caducam atque terrenam; sed talem, qualem & ego à DEO desiderabam. Vidi illos habere, qui non serviebant Deo; quod ego desiderabam ut servirem Deo, & dixi: ergo sine causa justificavi cor meum? quando servio Deo, & ista non habeo: non serviunt illi & his abundant. Ubi est merces vitæ bonæ? ubi est præmium servitutis meæ? bene vivo, & egeo; & iniquitas abundat!* hoc modo, his iisdem verbis hodie plurimi loqui & conqueri possunt. Sed idem S. Augustinus sibi respondet ex Ps. 72. *existimabam ut cognoscerem,*

rem, hoc labor est ante me quomodo cognoscam, & justum Deum esse, & res humanas nosse, & perversis benè esse, rectis malè aliquando esse? quomodo sit justum suscepi cognoscere, & labor est ante me, quousque labor? donec intrem in sanctuarium DEI, & intelligam in novissimis eorum. Intra ergo sanctuarium DEI anima pia, intrans fide, credendo, disces intelligendo. Venient novissima, quandò nulli bono erit malè, & nulli malo erit bene.

§. 12. Declarantur hæc per similia. Hæc ita certa sunt atque explorata, ut homini cuivis pio, ac justo nefas sit de illis vel minimum dubitare. Vos tamen Auditores mei, causas aliquot similitudinibus illustratas accipite; causas inquam, ob quas impii hac in vitâ plerumquè prosperâ elevantur fortunâ, pii autem adversâ, justi calamitosâ premantur.

Primam suggerit rationem B. Petrus Damiani l. 8. ep. 6. Medicus si quem habeat infirmum, de cujus valetudine jam actum esse intelligit, facilè quæ ægrum relaxare possunt alimenta concedit, etiamsi noxia illa sint atque insalubria. At verò quem nondum com-

1. B. Petri Damiani de Medico qui desperat de ægro. ploratum, sed ad pristinam corporis valetudinem facilè revocari posse cognoscit, huic multa interdicit, dulcia licet, & palato gratissima sapidissimaque edulia; antidota insuper, & amara propinat pocula, ut per amaritudinis haustum ad incolumitatis dulcedinem convalescat. Quid ergo mirum ait B. Dam. si medicus animarum omnipotens DEUS eos, quos perpetuæ morti cernit obnoxios, vivere delectabiliter sinat; & quos ad vitam eligit, sub districtâ severitatis lege constringat? Cui consentit S. Hieronymus ep. 33. ad Castratium. Medicus si cessaverit curare, desperat.

Attendite hoc qui animæ vestræ salutem vitamque desideratis, Audit. nec mirum videatur, quod amaras vobis potiones propinet vitæ medicus æternæ. Nam præterquam quod ipse amariores, ex felle scilicet, & aceto eliquatas gustaverit in Cruce, his ipsis amaritudinibus animæ vestræ dulcedinem, svavitatemque procurare sempiternam, intendit. E contrà pavescite impii, quibus omnia fluunt è voto: novit nimirum cœlestis Medicus actum esse de salute vestrâ, de beatitudine, de sanitate animi, de spe gloriæ, vitæque beatæ.

2. S. Aug. de tauro devoto victima. Alterum simile est S. Augustini in Ps. 72. Attende taurum devotum victimæ, permissum errare liberè, & vastare quâ potest, usque ad diem occisionis; sic superbos, & indisciplinatos ducit vindex DEI manus, tanquam ad victimam præparatos, & parcit eis ad malam libertatem, quam melius fuisset, sic non pepercisse! Considerate hæc divites. Tu fortassis O miser, es ille æger, de quo desperat JESUS, tu fortassis ille taurus, qui præparatur ad victimam, quem jam macello suprema Numinis Justitia devovit. Imodò, vagare, fruere divitiis, pascere in pratis concupiscentiæ tuæ, indulge genio, epulare, bibe, comede, inebriare, salta, & fac deniquè quod facere lubet, libetque. Sed heu! nescis miser post horam fortè futurum te mortis, imò & inferni miserabilem victimam.

L 3 Idem

Idem simile sic exponit B. Petrus Dam. cit. *Noli itaque hujus vitæ felicitatem, pravis hominibus invidere sed condole; imo quia ipsi non dolent, tu ingemisce: qui nimirum veluti bruta animalia ad macellum eundo properant, ad gladium lasciviendo festinant. De tuis autem pressuris atque molestiis gaude, & totis in Domino visceribus gratulare.* Causam mox clarius percipietis.

3. Iterum B. Petri Dam. de arbore luxuriante.

Tertium simile est ejusdem B. Petri Dam. *Vites & quæcunque fœcunda arbores, putationibus subjacent: steriles autem & quæ ignibus tradendæ, ramis evagantibus, quo liberius, eo diffusius patent, sed tandem præcisæ injiciuntur in ignem.* Advertite infaustam peccatorum conditionem, si in hoc orbe nil patiantur adversi. Rami sunt luxuriantes, sed olim rescindendi ab arbore vitæ. Palmites sunt in omnem diffusi licentiam, in omnem voluptatem cupiditatemque protensi; sed olim à vite verâ, quæ est Christus Jesus, inquiens, *Joh. 15. v. 1. Ego sum vitis, vos palmites,* æternum resecandi. Et quid demum illis fiet ita amputatis? mittentur in ignem, in flammas, *in tenebras exteriores, in quibus erit fletus & stridor dentium, & ardent.* En in quid tandem desinat diffundentium se palmitum gloria, pompa, superbia! Notate hoc divites, observate lascivi, animadvertite filii hujus sæculi! Sed & vos frequenter cogitate cum paupere Jesu pauperes animæ, cum humili, humiles: cum afflicto, afflictæ; cum flente, flentes. Vos, ubi fuerint turgidi palmites resecti, magis florebitis; protrudetis gemmas, cùm illi lachrymas: proferetis fructus, cùm illi sterilescent; affluetis non minus divitiis, quàm deliciis, ubi illi æternâ pressi pauperie gement, lugebunt, ejulabunt. Nimirum non est alius bonorum finis, non alius exitus malorum.

§. 13. Diversa sepultura justi & impii. Pulchra historia.

Refert Anastasius Nicenus q. 17. in S. script. ex illo P. Corn. in Sap. discipulum sancti alicujus Anachoretæ ex deserto venisse in urbem, cùm princeps defunctus magnâ pompâ deferretur ad sepulchrum. Reversus in eremum invenit suum Magistrum dilaniatum ab hyæna. Quam ob rem adeo turbatus fuit, ut fermè inceperit vel cum ipso Deo contendere, dicens: *Ubi est, O Domine justum judicium tuum?* Siccine sceleratus ille princeps sepultus est gloriosè, hic verò sanctus, qui ævum suum viresque in tuo servitio consumpsit, sepultus est in ventre bestiæ? Sed astitit ei Angelus qui consolatus eum dixit; *habuit sceleratus ille princeps aliqua bona opera quæ hâc in vitâ & divitiis, & honoribus remuneratus est Deus, sed nunc infelix æternis inferorum flammis addictus uritur; tuus verò præceptor gratus fuit Deo, culpis tamen aliquibus, ut peccatorum maculis, licet levioribus sordidatus, quas justus Deus temporali hac morte per hyænam expiavit. Jam verò æternis cœlorum fruitur deliciis, æternùm felix, lætus, gloriosus, illustris.*

§. 14. Versus ex Psal. 72. cum explicatione S. Aug.

Dispar hæc mors utriusque, mihi in memoriam revocatur v. 4. Ps. 72. *quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plagâ eorum: in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* In quæ verba S. August. in cit.

in cit. Psal. *Iam intellexi, quare illi habent pacem, & florent in terrâ, quia morti eorum non est declinatio, id est, quia certa mors, & æterna eis manet, quæ nec declinari ab eis, nec ipsi ab eâ declinare possunt. Et est firmamentum in flagello eorum, non est enim temporale flagellum eorum, sed firmum in sempiternum. Propter hæc ergò mala, quæ illis æterna futura sunt, modo quid? in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Ideo Christianè dixit gentilis Seneca de provid. c.3. *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil evenit adversi.*

§ 15. *Pulchrũ dictum & factum S. Ambrosii.* Hospes in Italiâ opulentus, sed sceleratus, hospitio exceperat S. Ambrosium. Apprecatus illi fuit SS. præsul fausta omnia; cui hospes; *nihil unquã tuli adversi: nulla meam domum subierunt infortunia. Quid ais bone vir? nihil, nulla te vicinorum flagellavit invidia? nulla. nulla tuum corpus invaletudo corripuit? nulla. Nullus unquam animum mœror occupavit? nullus. Magna dicis, sed age porrò, nunquamne fortunarum passus es hactenus jacturam? nunquam ullo rei familiaris laborasti defectu? nunquam. Itanè nihil tuis unquam votis contrarium evenit? nihil. O te igitur mortalium infelicissimũ,* exclamabat S. Ambrosius, *Surgite ocyus, hinc fugiamus, quia Dominus non est in loco isto. Festinate filii, ne vos hic ultio divina apprehendat.* Vix pedem extulerant, & domus corruens infelici ruinâ impium hospitem obtrivit, atq; sepeliit. Fortassis ideò (addit S. Ambr. ser.12. in Ps.118.) *cum persecutionem non patimur, tanquã condemnati habemur, & morti temporaneæ & æternæ proximi.*

§. 16. *Simile S. Chrys. de filio spurio & legitimo.* Quartum tandem simile debeo S. Chrysostomo hom. 19. in ep. ad Hebr. hunc in modum loquenti. *Quod si extrà disciplinam estis, ergo adulteri & non filii ejus estis.* sicut enim filios spurios parentes negligunt, pro legitimis valdè solliciti, *ita & Deus agit. Si igitur non castigari spuriorum est, oportet nos gaudere, cùm castigamur ut filii.* Gen. 27. v. 21. priusquàm Isaac benedictionem filio suo Jacob impertiretur, dixit illi: *Accede huc, ut te tangam fili mi, & probem utrum tu sis filius meus Esau an non. Tangere* inquit Philippus Abbas, *est affligere*, juxta illud Job. 19. v. 21. *Manus Domini tetigit me* Ah mi Christiane, quid ingemiscis? cùm tibi vix incipit malè esse, quid suspiras? tangit te sanguinea Jesu Crucifixi dextera; hic tactus signum est amoris, tu interpretaris infortunium, quod tua est felicitas: tu doles, unde gaudendum potius; tu deprecaris, quod optandum omnibus qui Jesum amant. An nescis? quos hoc in sæculo tangit bonus Jesus virgâ Crucis, hos in alterâ vitâ non attinget virgâ Justitiæ suæ ferreâ. O Jesu hic tange, imò *hic ure, hic seca, modò æternum parcas*, ajebat quondam piissimus Hipponensium antistes.

Non ignorabat quippe virgam tactumque in hoc orbe clementissimi Patris, in altera verò Judicis severissimi. Nos miseri mortales! equidem expallescimus plerique, cùm obviam habemus Crucem Domini, concutimur timore, cum corpus aggreditur invaletudo, cùm aufert fortunas hostis, erumpimus in gemitus;

mitus; ejulamus cùm patimur persecutiones, cùm mentem flagellat tentatio, nullam amplius consolationis partem admittimus: perinde ac si nulla DEO de nobis esset cura; cùm tamen vel ex hoc ipso paternam ejus dexteram clementer iratam, mille amoribus, osculis atque affectibus honorare oporteret. Nimirum quos amat filios, castigat. *Sic tangere, sic affligere, nil est aliud quam diligere.*

§. 17. *Sancti dolent se esse sine Cruce.* Genuina filia Christi Crucifixi fuit B. Magdalena de Pazis, quæ cùm adverteret se esse sine Cruce, cùm cœlesti sponso sic conqueri solebat: *heu mihi Domine, ut quid à pactis inter nos conventis discedis? pepigi nullum mihi mel, aut dulcedinem dari, nisi fel tuum & acetum, nullas delicias, nisi tua supplicia, nullam aliam vitam, nisi in perfectissimâ conformitate cum morte tuâ.* Vel ex hoc uno loco pronum esset colligere, quid sit discriminis inter hos, qui quasi medio natant in melle; & illos qui non nisi felle potantur. Habent hi quod gaudeant, sibique gratulentur ipsi, singularem quendam amantissimi ergà se sui Patris amorem, habent inquam, quod exultent in adversitate, quòd plaudant in mœroribus, quod delectentur in tormentis, quòd rideant in fletu, denique quòd in persecutionibus triumphent: Sunt enim albæ gallinæ filii, sunt pulli amoris divini, sunt dilectissimi in scholâ JESU discipuli.

§. 18. *Christus D. suos, ut Josephus fratres cruciat & amat.* Econtrà verò habent, quod sibi metuant; habent quòd affligantur, quibus modò de afflictione nil constat; habent quod amaris deplorent lachrymis, qui jam non abeunt nisi in risus, & cachinnos; habent ex quo meritò trepident, & totis consternantur animis, quibus modò tuta omnia, omnia salva, læta, jucunda. Gaudete quos hic ita tangit JESUS, ut non vulneret æternùm, timete quibus hic ita parcit, ut æternùm corripiat.

Magnus ille Greg. hom. 21. in Ezech. postquàm secum perpendisset eas, in quas fratres suos & Benjaminum præcipuè conjecisset, angustias Joseph, *v.* 16. 17. exclamat: *O tormenta misericordiæ! cruciat, & amat.* Dictum prorsus aureum atque verissimum! Talis est Joseph Salvator noster, Audit. misericors est & miserator Dominus: quis neget? & tamen torquet, tamen cruciat, tamen suos, quos amat, conjicit in agustias. Ita est, *affligit*, ut plorat Benjamin? *affligit.* ah! quos fudit gemitus innocens puer? quæ mittit suspiria? quot & quàm dulcibus lachrymis laxat habenas? *affligit tamen Josephus.* O Joseph, en hic tuus est Benjamin! quid agis? en hic fratrum tuorum minimus, & dulcissimus (parentis optimi, jam decrepiti solatium, baculus, delicium!) *O Joseph*, itane in fratres dura sunt tibi viscera? itane elanguit omnis amor fraternus? Itane mortua in te est naturæ bonitas, ut non parcas fratri saltem dulcissimo? quid enim mali in te commisit unquam Benjamin? quid pœnâ dignum, aut supplicio hic patravit parvulus? fuerint alii fratres criminis rei, fuerint tui proditores, &c. at non Benjamin. Benjaminus est innocens. Saltem ab illo dexteram abstine, saltem illi parce, dum

dum animadvertis in reliquos. Vides, ut fluctuent ejus ocelli lachrymis? Vides ut innocuum ejus corculum palpitet. Vides ut supplices ad te palmulas protendat? Vides ut genibus nixus te adoret? Vides ut fronte, oculis, vultu, labiis, manibus corde, toto denique corpusculo tuam imploret clementiam? & tamen hunc ipsum Benjaminulum, hunc tenellum, innocentem, puerum aureum affligis? O Joseph!

§. 19. Applicatio. En exemplum Aud. Joseph hic, noster est Salvator. Benjamin, anima cujusque pii, devoti, amantis JESUM mortalis! quorsum igitur affligitur hic Benjamin? interrogate Josephum. Dabit is vobis illico id responsi: *quia diligo fratrem*! en crimen! en causa! Cruciat suos JESUS, *quia diligit*. Plagæ sunt, fateor, quas imponit, *sed plagæ sunt amoris*. Virgæ sunt, *sed amoris*: Vulnera sunt; *sed amoris*, non sic vulneraret, nisi amaret. Hoc advertamus esse verissimum, ait B. Laur. Justin. de casto connubio, c. 19. *Ut eò quisque durius in præsenti flagelletur, quo arctius amatur.*

§. 20. DEUS impios tandem punit. Hic jam oporteret ostendere, quàm misericors sit Dominus, quod toleret tam diu impios, sive zizania, an forte in bonam frugem convertantur: sed aliarum est materia Concionum. Pro epilogo ex fine Evang. advertite justitiam ejus, quâ tandem ratione puniat. Tempore messis dicet servis. *Colligite zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum.* Superbos alligate cum Lucifero *ad comburendum*! avaros cum Jezabele, *ad comburendum*! Luxuriosos cum Babylonicâ meretrice, invidos cum Cain, gulosos cum divite epulone, mendaces, murmuratores cum Chore, Datan & Abiron, blasphemos cum Antiocho, tyrannos cum Herode; cum impiis impios, *ad comburendum*! & quis jubebit! Salvator, scilicet JESUS. Ille pius? ille misericors? ita, quia tum *justus erit*.

§. 21. Figura fuit Moyses. Pulcherrima figura fuit Moyses, ille pius & clemens Moyses, ille justus Moyses! dum iratus Deus in monte illi proponit, quàm sibi fixum sit, ac deliberatum, sumere de populo vindictam ob commissam idololatriam, procidit in genua, oravit pro populo, atque ita oravit, ut tandem eruperit in hæc verba Exodi 32. v. 31. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Et placavit Dominum. De monte autem quando descendit, ad suos revisens, totus irâ percitus, fulgurans, fulminans, tonansque erupit: v. 27. *Occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum*; Putant aliqui ipsum Moysen arrepto gladio obvios aliquos trucidasse. Pulchrè D. Gregorius l. 20. Mor. c. 8. *Intus arsit ignibus amoris; foris accensus est zelo severitatis: tanta fuit pietas, ut se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret, tanta severitas, ut eos, quos divinitùs feriri noluerat, ipse judicis gladio feriret. Sic amavit eos, quibus præfuit, ut pro eis nec sibi parceret, & tamen delinquentes sic persecutus est, quos amavit, ut eos etiam Domino parcente prosterneret.*

rio; apud quosnam veram Petri naviculam sit reperire? Ego verò Auditores mei, ingenuè dicam id quod sentio, nam cùm plerosque vos sciam esse Catholicos, hactenus necdum decrevi multis in cathedra contendere atque altercari. Fructus, quantum experientia docet, illis pugnis præliisque respondere non solet. Sunt tamen qui mihi auriculam vellicant, dicuntque confundi adversarios, confirmari in fide Catholicos. Ego verò confundere neminem cupio, hoc opto, ut Spiritus Sanctus universis suggerat, quod ad salutem est singulis necessarium.

Vos autem in fide Catholico, Romana satis superque confirmatos esse perspicio. Persuadet hoc mihi vestra in frequentandis Ecclesiis pietas; ostendit in obeundis, Ecclesiæ Sacramentis diligentia, declarat fili alis & tener vester in Virginem Matrem affectus, animique constantia, ne quicquam frendentibus adversariis; denique probat, vita vestra ad amussim boni piique Catholici, quantum penè fieri potest, tali in loco, ac tempore conformata: ideò modò adhuc mihi à controversiis temperatum volo; contentus modo, ut quæstioni propositæ respondeam, vel unico dicto S. Chrysostomi hom. 1. in symbolum Apost.

§.16. *Signa veræ Ecclesiæ ex S. Chrysostomo.* *Ecclesia velut navis in mari posita portat credentes, portat baptizatos in una charitate, in uno remigio sanctitatis, in funibus charitatis, in velo orationis, in arbore Crucis, in anchora fidei, in tabulis pacis.* In primis conveniunt multæ diversarum sectarum naviculæ. In navicula Lutheri, in navicula Calvini, in navicula S. Petri omnes credunt in Deum, in SS. Trinitatem, omnes baptizati sunt in nomine Jesu. Sed ulterius considerate, & judicate in quanam ex his naviculis sit major sanctitas? penes quam navim sint tabulæ pacis? præcipuè in doctrina, in sententiis, in dogmatibus, in articulis fidei? (estne pax, ut Calvinistæ aut Lutherani v.g. Argentinenses aliter sentiant ac Calvinistæ aut Lutherani Spirenses?) illamne naviculam firma tabularum compage dicemus constructam, in qua impugnat fides fidem, cathedra cathedram, ministellum minister? videte an non hæc apud Heterodoxos nostros fieri soleant? Certè apud Catholicos Romanos in mysteriis fidei saltem, pax est, unio est, concordia est firmissimaque compages. Quæso vos mei Auditores, manete in hac navicula, non est, quod pertimescatis naufragium.

Alius non ignobilis Concionator ait: §.17. *Alia descriptio Ecclesiæ* *Multa requiruntur ad navim, Asseres, compositio, compages, structura, acatium, astemon, malus, antenna, clavus, remi, funes, harpagones, conti, anchora, pixis nautica, mappa, antlia, aplustra, pilotus, &c.* Sic hæc explicant SS. Patres. Per asseres intelligunt tres virtutes Theologicas, *fidem, spem, Charitatem.* Per malum, *Sanctissimam Crucem*, per clavum, *prudentiam*, per ventos & vela, *assistentiam Spiritus Sancti*, per remos, *bona opera*; per anchoram, *fiduciam*, per acum magneticam, quæ ad stellam polarem dirigitur, *cultum B. V.* per antliam, *Sacramentum pœnitentiæ* & *Confessionis, &c.* Pilotus *S. Petrus*, & ejus successor Christi in terris Vicarius.

Ea-

Examinate hæc omnia, & ferte sententiam, sed sinceram, veram, candidam, rationi conformem, consentaneam veritati, ubinam sit vera Navicula Christi, & S. Petri.

§. 18. *Dictum Innocentij Papæ, quibus auxiliis navicula nostra attingere possit portum æternæ salutis.*

Verum elapsum est dicendi tempus, hoc pro Epilogo demum moneo illos, qui se in vera Christi navicula constitutos perspiciunt, ut ne propterea jam salvos se credant atque incolumes. Enimverò subeunda restant adhuc varia gravissimaque pericula.

O boni Catholici! laborandum est dum navigamus, comparandus animus ad complures turbidi aëris injurias, nitendum contra, explicanda vela, ducendi remi, toleranda etiam non rarò incommoda.

Talis est navicula Christi! hæc ducit ad astra. Ne vos obsecro in errorem inducat, vel prospera Calvini, vel jucunda Lutheri navicula, & hæc & illa per placidum mare, per voluptates, per carnis illecebras ducit ad Orcum. Portum respicite, considerate navigationis finem ac terminum, & tum sollicitudine, cum labore, cum difficultate, cum afflictione trahite salutis vestræ remos. Quod ut facilius consequamini, capessite optimum Innocentii Papæ consilium. Is enim cum interrogaret quibus auxiliis possint naves per varia pericula, per syrtes & charybdes, per scopulos, per vortices, per æstus, per tempestates, portum attingere, sibimet hunc in modum respondit ipse: *Certè per duo, per lignum & stellam, id est, per fidem Crucis, & per virtutem lucis, quam peperit nobis, Maria maris stella.* Ita nimirum ex una parte occurrere periculis, quæ quam multa sint, quamque metuenda, non ignoratis; ex altera verò, tenebrarum noctisque discrimina facili brevique methodo superare, & denique ad beatæ littus æternitatis potestis appellere.



CON-



CONCIO X.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Sinite utraq; crescere usq; ad messem.
Matth. 13. v. 30.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUomodo bonis semper sint permixti mali; sicut zizania, tritico: & cur Deus illos toleret.

§. 1. *Concio hac ex hodierno Evang. tria puncta explicabit.*
§. 2. *Quid intelligatur per agrum & Zizania.*
§. 3. *Ab initio mundi bonis fuerunt permixti mali.*
§. 4. *Haresiarcha distributi per sacula.*
§. 5. *Bonum tamen semen suffocari non potuit.*
§. 6. *Ecclesia semper habuit suos defensores.*
§. 7. *Cur Haretici comparentur spinis?*
§. 8. *Digressio ad spinas vitiorum, & spineam Christi coronam.*
§. 9. *Quare Deus toleret impios?*
§. 10. *Ratio S. Augustini, & S. Gregor. Magni.*
§. 11. *Dictum Catonis.*
§. 12. *Declarantur hac per similia.*
§. 13. *Diversa sepultura Iusti & Impii; pulchra historia.*
§. 14. *Versus ex Ps. 72. cum explicatione S. August.*
§. 15. *Pulchrum dictum, & factum S. Ambrosii.*
§. 16. *Simile S. Chrysostomi de filio spurio, & legitimo.*
§. 17. *Sancti dolent se esse sine cruce.*
§. 18. *Christus D. suos, ut Iosephus fratres, cruciat & amat.*
§. 19. *Applicatio.*
§. 20. *Deus impios tandem punit.*
§. 21. *Figura fuit Moyses.*
§. 22. *Apostrophe ad impios.*

§. 1. Concio hac ex hodierno Evang. tria puncta explicabit.

TRia sunt potissimum documenta, Auditores, quæ vobis totidem concionis hujus partibus impertiar. In prima accipietis, quid per agrum, quidque per zizania intelligatur, ex quo patebit, tritico semper permixta esse zizania, id est, impios bonis. In altera unicam causam ostendam, ob quam Deus tanta patientia toleret impios; audient hi, quæ istum illis

Illis poterunt incutere timorem: audient & boni ea, ex quibus illis, ut spero, consolationis causa accedet. In tertiâ denique paucis ostendam, post longanimem misericordiam, quâ Deus zizania in agro suo tolerat, esse tandem justum, dum jubet illa alligari in fasces, & projici in ignem æternum.

§. 1. Concio hæc ex hod. Evang. tria puncta explicabit.

Quare ut, ne me tempus in tam ubere utilique materiâ deficiat, pluribus modò præfari supersedeo. Vos interim pro more vestro, cum salutis, æternæque desiderio felicitatis, quam vobis declarare tantisper conabor, dicentem audite.

§. 2. Quid intelligatur per agrum, & zizania.

Per agrum, cujus in hodierno Evangelio meminit Christus Salvator noster, aliqui SS. Patres intelligunt hunc mundum, sive genus humanum; alii Ecclesiam, alii cujusvis adulti hominis conscientiam, sive animam fidelem. Primo sensu zizania sunt omnes impii; ita S. August. S. Ambrosius, S. Gregorius, Theophilactus. Altero sensu zizania sunt hæretici, & persecutores Ecclesiæ. Ita S. Chrysost. Euthymius, Tertull. S. Chrysologus ser. 96. *Superseminavit zizania, in medio tritici, quia Diabolus hæreses inter fideles serere consuevit.* Tertio sensu zizania sunt quævis peccata juxta illud Sapientis Prov. 24. v. 29. *Diligenter exerce agrum tuum*, ne scilicet sterilescat spinis vitiorum.

§. 3. Ab initio mundi bonis fuerunt permixti mali.

Prima zizania ab initio statim mundi permixta fuerunt bono tritico, id est, bonis impii. Primi hominis Adami primi filii fuerunt Abel & Cain: alter fuit bonus, alter malus: Noë cum tribus tantum filiis fuit in arcâ, Cham, Sem & Japhet, hi duo fuerunt boni & morigeri, Cham verò reprobus, impudens & irrisor Patris. Duos filios habuit Abraham, Isaacum & Ismaelem. Isaac bonus, Ismaël malus: Rebecca genuit Jacobum & Esau; electum alterum, alterum reprobum. Jacobum Deus dilexit, Esau autem odio habuit. Duodecim tantùm Apostolos elegit Christus D. inter hos Judas fuit proditor Christi, Johannis 6. v. 71. *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est?* Verbo, ut spinæ cum rosis, aurum cum cupro, argentum cum stanno, vinum cum fæcibus, paleæ cum granis, columbæ cum corvis, album cum nigro, sic impii cum bonis permiscentur in agro hujus mundi.

§. 4. Hæresiarchæ distributi per sæcula.

In agro Ecclesiæ, quamprimum Christus D. illam fundavit, ab initio inimicus homo, sive Diabolus seminavit zizania, id est hæreticos. *Primo sæculo*, in primâ quasi aurorâ surgentis Ecclesiæ in auras prodiere Simon & Elymas Magus, Alexander, Hymenæus, Phyletus, Cerinthus, Ebion & alii. *Secundo sæculo* Zizania fuerunt hæresiarchæ, Saturninus, Basilides, Marcion, Valentinus, Tatianus, Gnostici, Encratitæ. *Tertio sæculo*, Valesiani, Novatiani, Manichæi. *Quarto*, Donatistæ, Meletiani, Arriani, Marcelliani, Eudoxiani, Eunomiani, Messrisienses. *Quinto*: Vigilantius, Pelagius, Nestorius, Eutyches, Faustus, Iconoclastæ. *Sexto*: Severus, Severiani, Jacobus, Jacobitæ, Phantastici, Monothelitæ. *Septimo*: Armeniani, Chazinzarii, Lampetiani. *Octavo*: Albanenses & sex-

& sexcenti tales, qui sequentibus sæculis Ecclesiam oppugnarunt, quos omnes inimicus homo, id est, Sathan seminavit in agro Ecclesiæ. Secuti sunt deinde, Berengarius hostis Eucharistiæ; obiit tamen in fide Catholicâ; Valdesius, Valdenses, Pauperes de Lugduno, Albigenses, Fraticelli, hostes Romanæ Sedis, Begardi, Bechinæ, Lollardus, Flagellantes, Johannes Wiclephus, Johannes Huss, Hussitæ, Orebitæ, Thaboritæ, Orphani, Adamistæ, Picardus. Et quis demum nominabit vel numerabit omnia ista lolia?

§. 5. *Bonum tamen semen suffocari non potuit.* Quid verò de bono semine? illudne zizaniis istis omninò oppressum dicam, & suffocatum? nequaquam. Enim verò semper suos defensores habuit Ecclesia, semper triticum tribulos inter ac spinas surrexit perfectius, semper bono semini cedere coactum est lolium, quantumcunque fuerit vel copiosum, vel pestilens. Age enim, numeremus ab ipsis velut nascentis Ecclesiæ incunabulis, viros Sanctissimos, celeberrimos Pontifices, doctissimos Præsules, Doctores omni exceptione majores; & quàm acres semper extiterint, boni, id est, Catholici seminis, adversùm reproborum zizania, defensores videamus.

§. 6. *Ecclesia semper habuit suos defensores.* *Et primo quidem sæculo* nacta fuit viros sanè egregios, inclytos heroes, Pontifices, Martyres, Doctores, Linum, Cletum, Clementem, Anacletum, Evaristum, S. Dionysium Areopagitam. *Secundo*, SS. Ignatium, Polycarpum, Justinum, Egesippum, Irenæum, Anicetum, Victorem, aliosque viros quâ literis, quâ sanctitate conspicuos. *In tertio* vidit Clementem Alexandrinum, Origenem, Proclum, Tertullianum, Zenonem Veronensem &c. *In quarto* numeravit S. Augustinum, D. Hieronymum, Basilium, Gregorium Nazian. Gregorium Nyssenum, S. Hilarium S. Ambrosium &c. *Quintum* verò sæculum fuit illustre eloquentiâ S. Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini auctoritate, Theodoreti doctrinâ, Chrysologi facundiâ. *Sextum* ornavére S. Epiphanius, S. Dorotheus, Joannes Climacus, Gregorius Turonensis, Gregorius M. *Septimum* gloriatur Ildephonso, Isychio. *Octavum* Joanne Damasceno, Cæsario, Bedâ &c. Prô quanta hæc sunt & qualia lumina! quales stellæ, quales rosæ! quales gemmæ, quales columbæ irradiatæ lumine Spiritus S.! sed permixtæ corvis, spinis, tenebris, loliis, zizaniis.

§. 7. *Cur hæretici comparentur spinis.* Posterioribus sæculis, ejusmodi zizania fuerunt Anabaptistæ, ut innumeros alios taceam, quibus Deus opposuit Sanctissimos Ordines, præcipuè Societatem Jesu. Verbo, nunquam in agro Ecclesiæ defuerunt zizania, quibus hæretici, non sine gravibus causis comparantur. Unam & præcipuam advertit S. Chrysostomus ex Evangelio. *Initio utrumque semen, bonum & malum latuit in terra sinu, neque se prodiderunt zizania, nisi cum altùm excrevissent, tum famuli adverterunt.* Idem contingit cum hæreticis, cum primùm sua semina spargunt, diceres jactare germanum triticum, hoc est, sanam utilemque doctrinam, saltem

tem probatam desideratamque compluribus: ajunt enim, se suâ conscientiâ urgeri, religione, zeloque duci, ut tollantur, qui in Ecclesiam Romanam irrepserunt mores, & errores, ut reformetur Ecclesia, ut veri lux Evangelii, sub scamno ut inquiunt, latitans, tandem protrahatur in publicum, ut corrigatur nimia Papistarum superstitio, & si quæ sunt alia. Quis non purissimum hoc triticum crederet? verùm erumpunt mox zizania (neque enim latere diu possunt) erumpunt inquam, ubi animadvertunt hæretici, sibi in promptu esse vires, & arma, quibus se suaque tueantur, & seditionibus, ac tumultibus omnia commisceant, perdant, dissipent, pessundent, etiam regna, & provincias.

Præclarè D. Chrysostomus hom. 47. in Matth. *Quando germinavit, & herba fructum fecit, tunc apparuerunt zizania.* Id certè moris est hæreticis, ut obumbrent se ipsos, atque occultent in principiis, quousque majorem fiduciam capiant, & quodam favore multitudinis juventur: tunc enim contagiosa venena intrepide diffundunt, ostenduntque se esse lolia, spinas & zizania inter triticum.

Spinis verò, & loliis vitiorum opponitur triticum, sive bonum semen virtutum. Hoc seminavit Deus ab initio mundi in primo agro, qui fuit paradisus, in quo hominem creavit rectum, in gratiâ originali, & innocentiâ, cum ornatu variarum virtutum. Sed cùm dormirent homines, cùm Adam & Eva non attenderent ad præceptum DEI; ecce tibi adest ex insidiis inimicus homo, superseminans zizania, in medio tritici, dum homini innocenti persuadet peccatum. Hoc fuit semen, hæc radix, ex quâ innumeræ vitiorum spinæ propullularunt.

O maledicta radix! damnatum semen! origo infelicissima! ex quâ in hodiernum usque diem, *infelix lolium, & steriles dominantur avenæ*: imò vepres, & spinæ. Atque utinam non dominarentur & sævirent in caput Salvatoris mei JESU Crucifixi! O JESU! illæ nimirum sunt infixæ capiti tuo sanctissimo spinæ! nostra scelera, peccata, libidines. O JESU! cruentæ illæ spinæ cruentam habuêre radicem; peccatum. Hæ spinæ ad tuum usque divinissimum cerebrum se ingesserunt; hæ spinæ roseum expressêre sanguinem; hæ spinæ tam multiplici vulnere sanctissimum caput tuum vulnerarunt. O iterum maledicta spinarum radix! Auditores mei, si JESUM diligitis Crucifixum, nolite obsecro, nolite concedere, ut tam dira radix, novas in vobis spinas progerminet; nolite in vulnera Redemptoris tam tristes tolerare spinas doloris.

§. 8. Digressio ad spinas vitiorum & spineam Christi coronam.

Jam verò quæstio succurrit utilissima, quare DEUS zizania inter triticum permittat, cur non permittat illa colligi, eradicari, & projici in ignem, sed crescere jubeat usque ad messem? & huic quidem quæstioni alterâ Concionis parte satisfaciam.

S. Augustinus cit. ait fieri propter excitationem bonorum, & ut boni purgentur per impios. Mali homines etsi ipsi non salventur, sunt tamen utiles Electis. S. Gregorius M. ait id fieri, propter bonorum glorifica-

tionem. l. 20. moral. *hi veraciter boni sunt, qui in bonitate inter malos persistunt, sunt electi, lilia inter spinas,* Isaias cap.20.v.6. hanc causam assignat. Propterea exspectat vos Dominus, ut misereatur vestri; nam si statim lolia exscinderet, si statim è medio tolleret impios, sola pateret Justitia, non misericordia. Sapientiæ 11.v.24. *dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* S. Isidorus, *ut non habeant mali excusationem, si non convertantur.* Denique permittit Deus malum, ut eliciat bonum. Has & alias causas complures gravesque modò prætermitto.

§ 11. *Dictum Catonis.* Nihilominus hoc non paucis summâ dignum visum est admiratione. Cato cum audivisset Pompejum M. Imperatorem ut ipse putabat bonum, tamen à Cæsare, quem Cato judicabat tyrannum, lascivientem in civili sanguine, cùm inquam audivisset illum, Deo ita disponente, in Pharsalicâ pugnâ cum præcipuis Romanis proceribus initâ devictum, exclamavit: *In rebus divinis multum est caliginis.* Aliis verbis hanc Maximam enuntiavit regius Psaltes Ps. 91. v. 6. *nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ!* in quæ verba S. August. *Revera Patres mei nullum mare tam profundum est, quàm cogitatio DEI, ut mali floreant* (adverte, ut scilicet non tantum vivant, sed vivant splendidè,) *& boni laborent. Nihil tam profundum, tam altum, ubi naufragat omnis infidelis in isto alto, in isto profundo.*

Prosecutio. Altissimo huic mari se commisit sacer vates Jeremias, cùm mentis oculos per sæculum nequam circumferens videret impios omni rerum humanarum abundantiâ affluentes, gestientes, epulantes, choros ducentes, probis, ac piis insultantes; ipsos autem filios DEI pauperes, afflictos, oppressos; stupore & commiseratione suorum abreptus, dixit ad Deum c.12. *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum: veruntamen justa loquar ad te: quare vita improborum prosperatur?* Huic mari vel his profundissimis cogitationibus se commisit Job.c.21.v.7. & quæstionem format hoc modo: *quare impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?* juxta illud Psal.36. v. 35. *Vidi impium superexaltatum, quasi cedrum libani.* Abacuc cum Deo sic expostulat 1.v.13. *quare respicis contemptores, & taces, conculcante impio justiorem se?* Sed pulcherrimè David Ps.72.v.2. *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.*

S. August. hunc locum in Ps. 72. sic interpretatur: *zelavi, id est, attendi peccatores, vidi illos habere pacem, temporalem, fluxam, caducam atque terrenam; sed talem, qualem & ego à DEO desiderabam. Vidi illos habere, qui non serviebant Deo; quod ego desiderabam ut servirem Deo, & dixi: ergò sine causa justificavi cor meum? quando servio Deo, & ista non habeo: non serviunt illi & his abundant. Ubi est merces vitæ bonæ? ubi est præmium servitutis meæ? bene vivo, & egeo; & iniquitas abundat!* hoc modo, his iisdem verbis hodie plurimi loqui & conqueri possunt. Sed idem S. Augustinus sibi respondet ex Ps. 72. *existimabam ut cognoscerem,*

rum, hoc labor est ante me quomodo cognoscam, & justum Deum esse, & res humanas nosse, & per versis benè esse, rectis malè aliquando esse? quomodo sit justum suscepi cognoscere, & labor est ante me, quousque labor? donec intrem in sanctuarium DEI, & intelligam in novissimis eorum. Intra ergo sanctuarium DEI anima pia, intrans fide, credendo, disces intelligendo. Venient novissima, quando nulli bono erit malè, & nulli malo erit bene.

§.12. Declarantur hæc per similia. Hæc ita certa sunt atque explorata, ut homini cuivis pio, ac justo nefas sit de illis vel minimùm dubitare. Vos tamen Auditores mei, causas aliquot similitudinibus illustratas accipite; causas inquam, ob quas impii hac in vitâ plerumquè prosperâ elevantur fortunâ, pii autem adversâ, justi calamitosâ premantur.

1. B. Petri Damiani de Medico qui desperat de ægro. Primam suggerit rationem B. Petrus Damiani l. 8. ep. 6. Medicus si quem habeat infirmum, de cujus valetudine jam actum esse intelligit, facilè quæ ægrum relaxare possunt alimenta concedit, etiamsi noxia illa sint atque insalubria. At verò quem nondum comploratum, sed ad pristinam corporis valetudinem facilè revocari posse cognoscit, huic multa interdicit, dulcia licet, & palato gratissima sapidissimaque edulia; antidota insuper, & amara propinat pocula, ut per amaritudinis haustum ad incolumitatis dulcedinem convalescat. *Quid ergo mirum* ait B. Dam. *si medicus animarum omnipotens DEUS eos, quos perpetuæ morti cernit obnoxios, vivere delectabiliter sinat; & quos ad vitam eligit, sub districtâ severitatis lege constringat?* Cui consentit S. Hieronymus ep. 33. ad Castratium. *Medicus si cessaverit curare, desperat.*

Attendite hoc qui animæ vestræ salutem vitamque desideratis, Audit. nec mirum videatur, quod amaras vobis potiones propinet vitæ medicus æternæ. Nam præterquam quod ipse amariores, ex felle scilicet, & aceto eliquatas gustaverit in Cruce, his ipsis amaritudinibus animæ vestræ dulcedinem, svavitatemque procurare sempiternam, intendit. E contrà pavescite impii, quibus omnia fluunt è voto: novit nimirum cœlestis Medicus actum esse de salute vestrâ, de beatitudine, de sanitate animi, de spe gloriæ, vitæque beatæ.

Alterum simile est S. Augustini in Ps. 72. *Attende taurum devotum victima, permissum errare liberè, & vastare qua potest, usque ad diem occisionis; sic superbos, & indisciplinatos ducit vindex DEI manus, tanquam ad victimam præparatos, & parcit eis ad malam libertatem, quam melius fuisset, sic non pepercisse!* Considerate hæc divites. Tu fortassis O miser, es ille æger, de quo desperat JESUS, tu fortassis ille taurus, qui præparatur ad victimam, quem jam macello suprema Numinis Justitia devovit. I modò, vagare, fruere divitiis, pascere in pratis concupiscentiæ tuæ, indulge genio, epulare, bibe, comede, inebriare, salta, & fac deniquè quod facere lubet, libetque. Sed heu! nescis miser post horam fortè futurum te mortis, imò & inferni miserabilem victimam. 2. S. Aug. de tauro devoto victima.

Idem simile sic exponit B. Petrus Dam. cit. *Noli itaque hujus vitæ felicitatem, pravis hominibus invidere sed condole; imo quia ipsi non dolent, tu ingemisce: qui nimirum veluti bruta animalia ad macellum edendo properant, ad gladium lasciviendo festinant. De tuis autem pressuris atque molestiis gaude, & totis in Domino visceribus gratulare.* Causam mox clarius percipietis.

3. Iterum B. Petri Dam. de arbore luxuriante.

Tertium simile est ejusdem B. Petri Dam. *Vites & quæcunque fœcundæ arbores, putationibus subjacent: steriles autem & quæ ignibus tradendæ, ramis evagantibus, quo liberius, eo diffusius patent, sed tandem præcisæ injiciuntur in ignem.* Advertite infaustam peccatorum conditionem, si in hoc orbe nil patiantur adversi. Rami sunt luxuriantes, sed olim rescindendi ab arbore vitæ. Palmites sunt in omnem diffusi licentiam, in omnem voluptatem cupiditatemque protensi; sed olim à vite verâ, quæ est Christus Jesus, inquiens, *Joh. 15. v. 1. Ego sum vitis, vos palmites,* æternum resecandi. Et quid demum illis fiet ita amputatis? mittentur in ignem, in flammas, *in tenebras exteriores, in quibus erit fletus & stridor dentium, & ardent.* En in quid tandem desinat diffundentium se palmitum gloria, pompa, superbia! Notate hoc divites, observate lascivi, animadvertite filii hujus sæculi! Sed & vos frequenter cogitate cum paupere Jesu pauperes animæ, cum humili, humiles: cum afflicto, afflictæ; cum flente, flentes. Vos, ubi fuerint turgidi palmites resecti, magis florebitis; protrudetis gemmas, cùm illi lachrymas: proferetis fructus, cùm illi sterilescent; affluetis non minus divitiis, quàm deliciis, ubi illi æternâ pressi pauperie gement, lugebunt, ejulabunt. Nimirum non est alius bonorum finis, non alius exitus malorum.

§. 13. Diversa sepultura justi & impii. Pulchra historia.

Refert Anastasius Nicenus q. 17. in S. script. ex illo P. Corn. in Sap. discipulum sancti alicujus Anachoretæ ex deserto venisse in urbem, cùm princeps defunctus magnâ pompâ deferretur ad sepulchrum. Reversus in eremum invenit suum Magistrum dilaniatum ab hyæna. Quam ob rem adeo turbatus fuit, ut fermè inceperit vel cum ipso Deo contendere, dicens: *Ubi est, O Domine justum judicium tuum?* Siccine sceleratus ille princeps sepultus est gloriosè, hic verò sanctus, qui ævum suum viresque in tuo servitio consumpsit, sepultus est in ventre bestiæ? Sed astitit ei Angelus qui consolatus eum dixit; *habuit sceleratus ille princeps aliqua bona opera quæ hâc in vitâ & divitiis, & honoribus remuneratus est Deus, sed nunc infelix æternis inferorum flammis addictus uritur; tuus verò præceptor gratus fuit Deo, culpis tamen aliquibus, ut peccatorum maculis, licet levioribus sordidatus, quas justus Deus temporali hac morte per hyænam expiavit. Jam verò æternis cœlorum fruitur deliciis, æternùm felix, lætus, gloriosus, illustris.*

§. 14. Versus ex Psal. 72. cum explicatione S. Aug.

Dispar hæc mors utriusque, mihi in memoriam revocatur v. 4. Ps. 72. *quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plagâ eorum: in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* In quæ verba S. August. in cit.

in cit. Psal. *Iam intellexi, quare illi havent pacem, & florent in terrâ, quia morti eorum non est declinatio, idest, quia certa mors, & æterna eis manet, quæ nec declinari ab eis, nec ipsi ab eâ declinare possunt. Et est firmamentum in flagello eorum, non est enim temporale flagellum eorum, sed firmum in sempiternum. Propter hæc ergò mala, quæ illis æterna futura sunt, modo quid? in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Ideo Christianè dixit gentilis Seneca de provid. c.3. *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil evenit adversi.*

§ 15. Pulchrū dictum & factum S. Ambrosii. Hospes in Italiâ opulentus, sed sceleratus, hospitio exceperat S. Ambrosium. Apprecatus illi fuit SS. præsul fausta omnia; cui hospes; *nihil unquā tuli adversi: nulla meam domum subierunt infortunia. Quid ais bone vir? nihil. nulla te vicinorum flagellavit invidia? nulla. nulla tuum corpus invaletudo corripuit? nulla. Nullus unquam animum mœror occupavit? nullus. Magna dicis, sed age porrò, nunquamne fortunarum passus es hactenus jacturam? nunquam ullo rei familiaris laborasti defectu? nunquam. Itanè nihil tuis unquam votis contrarium evenit? nihil. O te igitur mortalium infelicissimū,* exclamabat S. Ambrosius, *Surgite ocyus, hinc fugiamus, quia Dominus non est in loco isto. Festinate filii, ne vos hic ultio divina apprehendat.* Vix pedem extulerant, & domus corruens infelici ruinâ impium hospitem obtrivit, atq; sepeliit. Fortassis ideò (addit S. Ambr. ser.12. in Ps.118.) *cùm persecutionem non patimur, tanquā condemnati habemur, & morti temporaneæ & æternæ proximi.*

§.16. Simile S. Chrys. de filio spurio & legitimo. Quartum tandem simile debeo S. Chrysostomo hom.29. in ep. ad Hebr. hunc in modum loquenti. *Quod si extrà disciplinam estis, ergo adulteri & non filii ejus estis.* sicut enim filios spurios parentes negligunt, pro legitimis valdè solliciti, *ita & Deus agit. Si igitur non castigari spuriorum est, oportet nos gaudere, cùm castigamur ut filii.* Gen. 27. v. 21. priusquàm Isaac benedictionem filio suo Jacob impertiretur, dixit illi: *Accede huc, ut te tangam fili mi, & probem utrum tu sis filius meus Esau an non. Tangere* inquit Philippus Abbas, *est affligere*, juxta illud Job. 19. v. 21. *Manus Domini tetigit me* Ah mi Christiane, quid ingemiscis? cùm tibi vix incipit malè esse, quid suspiras? tangit te sanguinea JESU Crucifixi dextera; hic tactus signum est amoris, tu interpretaris infortunium, quod tua est felicitas: tu doles, unde gaudendum potius; tu deprecaris, quod optandum omnibus qui JESUM amant. An nescis? quos hoc in sæculo tangit bonus JESUS virgâ Crucis, hos in alterâ vitâ non attinget virgâ Justitiæ suæ ferreâ. O JESU hic tange, imò *hic ure, hic seca, modò æternum parcas*, ajebat quondam piissimus Hipponensium antistes.

Non ignorabat quippe virgam tactumque in hoc orbe clementissimi Patris, in altera verò Judicis severissimi. Nos miseri mortales! equidem expallescimus plerique, cùm obviam habemus Crucem Domini, concutimur timore, cum corpus aggreditur invaletudo, cùm aufert fortunas hostis, erumpimus in gemitus;

dum animadvertis in reliquos. Vides, ut fluctuent ejus ocelli lachrymis? Vides ut innocuum ejus corculum palpitet. Vides ut supplices ad te palmulas protendat? Vides ut genibus nixus te adoret? Vides ut fronte, oculis, vultu, labiis, manibus corde, toto denique corpusculo tuam imploret clementiam? & tamen hunc ipsum Benjaminulum, hunc tenellum, innocentem, puerum aureum affligis? O Joseph!

§. 19. *Applicatio.* En exemplum Aud. Joseph hic, noster est Salvator. Benjamin, anima cujusque pii, devoti, amantis JESUM mortalis! quorsum igitur affligitur hic Benjamin? interrogate Josephum. Dabit is vobis illico id responsi: *quia diligo fratrem*! en crimen! en causa! Cruciat suos JESUS, *quia diligit*. Plagæ sunt, fateor, quas imponit, *sed plagæ sunt amoris*. Virgæ sunt, *sed amoris*: Vulnera sunt; *sed amoris*, non sic vulneraret, nisi amaret. Hoc advertamus esse verissimum, ait B. Laur. Justin. de casto connubio, c. 19. *Ut eò quisque durius in præsenti flagelletur, quo arctius amatur.*

§. 20. *DEUS impios tandem punit.* Hic jam oporteret ostendere, quàm misericors sit Dominus, quod toleret tam diu impios, sive zizania, an forte in bonam frugem convertantur: sed aliarum est materia Concionum. Pro epilogo ex fine Evang. advertite justitiam ejus, quâ tandem ratione puniat. Tempore messis dicet servis. *Colligite zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum.* Superbos alligate cum Lucifero *ad comburendum*! avaros cum Jezabele, *ad comburendum*! Luxuriosos cum Babylonicâ meretrice, invidos cum Cain, gulosos cum divite epulone, mendaces, murmuratores cum Chore, Datan & Abiron, blasphemos cum Antiocho, tyrannos cum Herode; cum impiis impios, *ad comburendum*! & quis jubebit! Salvator, scilicet JESUS. Ille pius? ille misericors? ita, quia tum *justus erit*.

Pulcherrima figura fuit Moyses, ille pius & clemens Moyses, ille justus Moyses! dum iratus Deus in monte illi proponit, quàm sibi fixum sit, ac deliberatum, sumere de populo vindictam ob commissam idololatriam, procidit in genua, oravit pro populo, atque ita oravit, ut tandem eruperit in hæc verba Exodi 32. v. 31. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Et placavit Dominum. De monte autem quando descendit, ad suos revisens, totus irâ percitus, fulgurans, fulminans, tonansque erupit: v. 27. *Occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum*; Putant aliqui ipsum Moysen arrepto gladio obvios aliquos trucidasse. Pulchrè D. Gregorius l. 20. Mor. c. 8. *Intus arsit ignibus amoris; foris accensus est zelo severitatis: tanta fuit pietas, ut se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret, tanta severitas, ut eos, quos divinitùs feriri noluerat, ipse judicis gladio feriret. Sic amavit eos, quibus præfuit, ut pro eis nec sibi parceret, & tamen delinquentes sic persecutus est, quos amavit, ut eos etiam Domino parcente prosterneret.* — §. 21. *Figura fuit Moyses.*

§. 22. *Apostropha ad impios.* O impii! quibus modo omnia ruunt fluuntque ex voto, pertimescite secundam secundi Moysis faciem; timete JESUM Judicem vestrum; qui cum modò in montibus misericordiarum à vestris capitibus fulmen avertit tremendum (fortassis ut pauca quædam, quibus adhuc dediti estis, pietatis opera remuneretur) descendet aliquando, descendet inquam; in extremo illo die judicii de throno suo suæ Majestatis tremendus Judex. Enimverò, tùm vestræ finem esse lætitiæ, finem convivii, finem risûs, finem voluptatum animadvertetis. O quantis vos illius aspectus implebit terroribus! cùm econtrà *videbunt*, qui modo lacrymis rigant ora; *gaudebunt* qui modo plangunt, *exultabunt*, quibus modo vita agitur plena ærumnis, luctu, doloribus. Nunc igitur, nunc risum vestrum mutate cum lacrymis, voluptates cum doloribus, delicias cum ærumnis, ut in omnem æternitatem deposito iterum luctu, cum charissimis Benjaminis hæreatis in sanctissimis divinissimi Josephi amplexibus, Amen.



CONCIO XI.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

Matthæi 20. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRobo certissimum signum Prædestinationis ad gloriam, esse, si homo Divinæ vocationi cooperetur, & diligenter laboret in vineâ Domini.

§. 1. *Tristis hac cogitatio*, erone aliquando salvus? *Sanctos generat affectus.*

§. 2. *Sed non debet esse nimis curiosa, & anxia.*

§. 3. *Pauci sunt electi. Quod ostenditur per varios status hominum.*

§. 4. *Dicta SS. Patrum,*

§. 5. *Figura ex S. Literis, Arca, Israelita educti ex Ægypto,*

§. 6. *Deus vult omnes salvos fieri. Immensa charitas Christi. Sed hoc non sufficit.*

§. 7. *Invectiva in illos, qui bonitati Dei nimium confidunt.*

§. 8. *Praivit Christus D. suo exemplo.*

§. 9. *Homo saluti sua debet cooperari, quod ostenditur ex p. hist. c. 27. actuum.*

§. 10. *Prosecutio, ut Nauta servent navim debent laborare.*

§. 11. *Pre-*

§. 1. *Tristis hæc cogitatio. Erone aliquando salvus? Sanctos generat affectus.*

QUis nostrum est (si tamen salutem vestram amatis) cui occasione hujus thematis, non similis occurrat cogitatio, Ah me! erone aliquando in illâ tremenda die in numero infelicium illorum multorum? an econtrà in illo electorum beato? hæc est illa cogitatio, quæ ex piorum cordibus tot ardentia exprimit suspiria: *O mi IESV, ne me perdas illâ die! O IESV ne sinas me separari à te!* In hâc meditatione toties exclamavit David, *secundùm magnam misericordiam tuam, salvum me fac.* Hæc est illa cogitatio, quæ S. Augustino has voces extorsit; *hic ure, hic seca, modò æternùm parcas.* In hâc cogitatione, in hæc verba erupit S. Paulus, Rom. 15. v. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI.* Hic ille animi sensus est, qui plurimorum animis tot spinas & aculeos salutaris timoris infigit, unde curiositas quædam sciendi nascitur, an simus prædestinati, nec ne?

§. 2. *Sed non debet esse nimis curiosa & anxia.*

Sed sentio ego in hâc materiâ cum S. Greg. l. 2. ep. 22. ubi narrat se à piâ matronâ accepisse epistolam hujus argumenti: *Sanctissime Pater exora Deum ut tibi revelet, an sim prædestinata vel non.* Cui respondit vir Sanctus: *rem sanè difficilem & inutilem postulâsti; difficilem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat, inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm jam in die vitæ tuæ ultimo, plangere eadem peccata minimè valebis, quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare: cùm nemo sciat, utrum odio an amore dignus sit, Eccl. 9. v. 1.* Sic ille. Ego verò pro solatio piorum, quibus in hac materiâ nimium anxia esse solent pectora, ostendam hac Concione, in nostrâ potestate situm esse, ut fiamus salvi. Non tamen ex sensu Lutheri, ut tantùm credamus ac speremus, sed ut conemur esse seduli operarii in vineâ Domini, id quod in Concionis decursu, faxo clarius intelligatis.

§. 3. *Pauci sunt Electi, quod ostenditur per varios status hominum.*

Pauci electi! nam in opinione SS. Patrum, ex Ecclesiasticis qui pascuntur patrimonio Christi, damnantur plurimi. Prius V. dicere solebat, *Religiosus speravi bene de meâ salute, Cardinalis factus extimui, Pontifex creatus fermè despero.* Beato Gaufredo Priori Clarevallensi oblatus fuerat Episcopatus Tornacensis, quem tamen à se rejecit. Post mortem religioso cuipiam viro apparens dixit: *Ecce salvus sum, si fuissem de numero Episcoporum, fuissem de numero damnato-*

rum. Pauci electi! ex magnatibus, ac divitibus damnantur plurimi, Isai. 5. *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino, & descenderunt fortes ejus, & sublimes, gloriosi ejus.* Clarè Christus D. Matth. 19. v. 23. *quàm difficilè dives intrabit in regnum cœlorum! contendite, intrare per angustam portam, pauci inveniunt illam.* Hæc Salvator dicit de divitibus in communi, quid dicemus de avaris? de usurariis? de oppressoribus pauperum? *Pauci electi!* ex adolescentibus damnantur plurimi, præcipuè ob vitium luxuriæ. Nolo per alios hominum status discurrere.

§ 4. Dicta SS. Patrum. In communi, timeo ne uti possim verbis S. Gregorii M. hom. 19. in Evang. *Etenim ad hodiernam festivitatem* (erat hodierna dominica Septuagesimæ) *quàm multi convenimus? Ecclesiæ parietes implemus, sed tamen quis sciat, quàm pauci sunt, qui de illo Electorum grege numerantur?* S. Chrysost. hom. 20. ad pop. Antioch. ausus fuit dicere, prout alibi insinuo: *Quot esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant? infestum est, quod dicturus sum, dicam tamen: non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur: quin de his dubito: quanta enim in omnibus malitia?*

§. 5. Figura ex S. lit. Arca Israëlita eduäti ex Æg. Figura fuit arca, octo tantùm animæ in illa fuerunt salvatæ; perierunt diluvio reliqui mortales omnes. Pererius putat omnes adultos ex submersis fuisse damnatos. Moyses eduxit ex Ægypto sexcenta millia virorum absque parvulis & mulieribus: at non nisi duo Josue & Caleb pervenerunt ad terram promissionis. S. August. Ser. 32. de verbis Domini. *Non transitoriè vel negligenter, sed ingenti tremore considerandum est, quia de sexcentis millibus duo tantùm ad terram promissionis ingressi sunt.* Isaias electos ob paucitatem comparat spicis relictis in agro post messem, vel botris in vineâ post vindemiam. S. Chrysologus Ser. 97. hoc utitur simili, *flores multi, multitudinem fructuum pollicentur, sed ad fructum perseverant paucissimi.*

§. 6. Deus vult omnes Salvos fieri. Immensa Charitas Christi. Sed hoc non sufficit. Promisi in hâc Concione solatium meis Auditoribus, & contra propositum meum ingredior materiam, quæ omnes terrere, & sollicitos reddere potest. Itaque de numero damnandorum, vel salvandorum nos non simus solliciti, sed firmiter nobis persuadeamus, verissimum esse versum 4. c. 4. ep. 1. ad Timoth. *DEUS vult omnes homines salvos fieri.* & illud 1. ad Timoth. 1. v. 15. *fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod IESUS Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Primò, tam immensa, & infinita est Salvatoris nostri bonitas, & misericordia erga impios, ut si esset voluntas Patris, paratus sit denuo pro illis mori & crucifigi. Sed & ex alterâ parte hoc est indubitatum dogma, Voluntatem DEI ac Salvatoris, ad salutem hominis non sufficere. Si enim hæc sufficeret, omnes homines deberent salvari; sed requiritur, ut voluntas hominis cooperetur, & per opera pia ac sancta, vocationem suam certam faciat. Imò quod mortuus sit, non sufficit: quod sanguinem sudârit, non sufficit; nisi homo quoque ad salutem

lutem suam cooperetur: huc tendit hodierni Evangelii parabola.

§. 7. *Invectiva in illos, qui bonitati Dei nimium confidũt.*

Advertant hoc, rogo, qui licet impiè vivant, tamen bonitati divinæ nimium confidentes, de salute quoque suâ nimium confidunt. Observent Lutherani, audiant Calvinistæ, & cum illis frigidiores intelligant Catholici, dicentes cum auditoribus Abbatis Nili (postquam hic multis egisset de paucitate salvandorum) *Nos igitur frustra baptizati sumus, & crucem adoramus, & communicamus, & Christiani dicimur*; Si impii estis, vera hæc sunt, frustra estis baptizati, frustrà Christum adoratis Crucifixum, frustrà confugitis ad divinissimorum medicinam Vulnerum, frustrà mentem cœlestis præmii spe lactatis scelerati. Christi meritis cooperari oportet, si salutem quæritis: laborate in vineâ Domini, si expectatis mercedem.

§. 8. *Præivit Christus D. suo exemplo.*

Et primus quidem operarius in vineâ Domini ipse extitit Salvator, laboravit in sudore vultûs sui, & sanguine, laboravit ligone sanctissimæ Crucis usque in mortem, non tamen propterea hodierni operarii suos denarios acceperunt, sed quia & ipsi laboraverunt, & sudârunt & portârunt æstum & pondus diei. Hâc ratione

§. 9. *Homo saluti suæ debet cooperari, quod ostenditur ex p. hist. c. 27. Actuum.*

meriti sunt mercedem. Neque nos alio modo poterimus obtinere, simus ergo diligentes operarii.

Pulcherrimam probationem hujus veritatis, quod homo ad salutem suam cooperari debeat, invenio in cap. 27. Actuum Ap. Conscendit S. Paulus navim, ut per pelagus Ciliciæ & Pamphyliæ iret Romam. Haud ita multo post suscitatus est nescio quis ventus Typhonicus (Euroaquilonem vocant,) cumque agitata, quâ fluctuum multitudine, quâ turbine ventorum navis vix posset eluctari, atque adeo gravissimâ in tempestate præscisa quasi esset universa spes salutis; in communi omnium consternatione hunc in modum cœpit verba facere gentium Doctor Paulus: v. 21. 22. 23. *Suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex vobis. Astitit enim mihi hâc nocte Angelus DEI, cui deservio, dicens: ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere, & ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum. Propter quod bono animo estote viri: credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi.*

§. 10. *Profecto ut nautæ servent navim debent laborare.*

Ita Apostolus. Verùm nautæ fidelem Pauli exhortationem parùm pensi habentes, è navi se se subducere, & tutiorem, ut rebantur, per undas natationem meditari: quod ubi Paulus animadvertebat, Centurionem & milites ita porrò est allocutus: *Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.* Sed liceat hic nobis te verbulo convenire Doctor gentium. Quid enim inquis, *nisi hi &c.* quid verò nautis opus? an non omnes fore salvos pollicitus est Angelus? quid? an sine illis DEUS te tuosque non posset à naufragii periculo vindicare? imò verò

 potest,

potest, sed sine nautis non vult, sine illorum operâ ipsis succurrere non placet. Nimirum nautas oportet ejicere ancoras & firmare, explicare vela, vel contrahere, erigere malum, vel deprimere, intendere remos, vel remittere: nautis laborandum est, vigilandum, sudandum. Neque enim sine illorum operâ visum est domino periclitantibus optatam conferre salutem. Dictum, factum. Laborarunt nautæ & & superarunt, remos intenderunt, & difficultatem vicerunt; usque adeò ut omnes, nemine uno desiderato, id est, animæ supra ducenta septuaginta sex, incolumes prorsùs in portum evaserint.

§. 11. *Prosecutio.* Præterquam, quod, cùm tandem allisa esset scopulo navis (ut sacræ referunt literæ) eluctati cum undis singuli enatarint in tabulis; heus! quid agitis? boni viri, quid agitis? quid natando vos defatigatis? quid brachia movetis? quid inter fluctus laboratis solliciti? an non enim Deus vobis promisit opem? an non Paulus divinum vobis addixit auxilium? ita est. Addixit ille quidem & promisit, non dubiam de cœlo opem: sed laborandum est tamen, cooperandum huic pollicitationi, occurrendum promisso.

Non aliter se res habet in negotio nostræ prædestinationis. Vult Deus nos omnes eripere ex naufragio, & periculo æternæ damnationis, inter irruentes ventos, & fluctus tentationum, inter charybdes scelerum offert nobis tabulam sanctissimi sacramenti Pœnitentiæ, offert varia media enatandi: Sed enatare cupientis est, ut tabulam apprehendat, ut brachia moveat, ut laboret.

Non ignorarunt hoc pii quondam Majores nostri, qui per omnem sæpe vitam, in opera pœnitentiæ incubuerunt: & nos dubitabimus? non ignoraverunt tot Sancti quondam Anachoretæ, tot Deo sacratæ Virgines, tot Christo militantes in claustris viri fœminæque, quibus vel omnis vita, vel pars ejus potissima traducta est in laboribus propter Christum, consumpta inediâ, peracta vigiliis, mortificationibus finita, pœnitentiis terminata innumeris. Cur amabò, nisi ut acceptæ DEI gratiæ cooperarentur, atque ita laborando cum DEI bonitate vasti hujus Oceani procellas superarent, & optatæ portum beatitudinis consequerentur? Profectò non fuit alia mens degentis in eremo Hieronymi, plorantis in deserto Magdalenæ, lugentis in regiâ Davidis, ut alios sexcentos silentio præteream. Itaque laborandum est mortales, dum in hoc navigamus Oceano. Qui secus facit, qui ferias amat atque otium, qui laborem subterfugit, næ is periculo est vicinissimus, cui, si deinde submergatur, merito occini potest illud Oseæ c. 13. v. 9. *Perditio tua ex te Israël.* Glossa ordinaria: *Tu ipse es causa tuæ perditionis*, non illa Deo, vel Salvatori, sed impio est asscribenda.

§. 12. Sic laborarunt Sancti

§. 13. *Veritas hæc, necessariam esse nostram cooperationem, probatur similibus.* Circumstantia hæc profundissimi hujus mysterii Prædestinationis, pulchris similibus declaratur. Calendaria aliqua hujus anni prædicunt annum fertilem; quæso, anne propterea vinitores *in Hocheim vel Weisenau* sede-

sedebunt otiosi? quasi verò, *inquis*, equin potius ad laborem se conferent magis strenuè, & tantò se in colendis vineis gnaviores, diligentioresque præstabunt, quantò uberiorem illis spem facit, licet valde sæpe numero incerta sit Astrologorum prædictio.

1. *De calendario.*

2. *De belli duce.* Ita ferè belli dux, licet ab augure factam sibi spem victoriæ intelligat; non ideo ante prælium canit triumphum, quasi re jam feliciter confectâ; sed classicum canit jucundiùs, congreditur cum hoste confidentiùs, pugnat audaciùs, triumphat gloriosiùs.

3. *De servo.* Ita servus aliquis certus est se ab hero accepturum mercedem, si tamen sedulo labore illam mereatur.

4. *De ægro.* Ita ægro spondet sanitatem medicus, si tamen præscriptis utatur medicinis.

Applicatio. Pari ratione Salvator noster promittit se inebriaturum nos torrente voluptatis, & vino lætitiæ in nuptiis Agni. O annum felicis æternitatis exoptatum! sed dilecte mi, botri & uvæ, quæ hoc vinum stillabunt, crescunt, non in vineis Engaddi, vel insulâ Cypro, sed in vineis montis Calvariæ, in arbore S. Crucis. Indè magno labore debent colligi, & exprimi sub torculari Crucis. Sponsus ipse sic intravit in gloriam suam. Salvator noster nobis spondet victoriam contra diabolum, carnem & mundum, sed pugnandum est. Sanguine, & vulneribus rriumphalis illa corolla obtinenda; Merces est cœlestis gloria, omnibus illam Deus promittit, sed nos ita vivere debemus, ut cuivis dici possit, *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium domini tui.* Pulchrè Theophilactus, *Vocare enim* (promittere, dare) *est DEI; electum autem fieri, aut non electum, etiam est nostrum.* Ideo suadet S. Petrus ep. 2. c. 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera vestra, certam faciatis vocationem vestram.* Glossa ordinaria. *Certam facit vocationem suam, qui in bonis operibus perseverat.* Glossa interlinearis. *Bene faciendo faciatis vos certos de præmio vestræ vocationis.* juxta illud Christi D. Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Eusebius Emyss. *Non quæras aliam prædestinationem, in his enim verbis omnis & vitæ, & mortis prædestinatio consistit.*

Agnovit hoc ille Religiosus, cui cum socius diceret, sibi revelatum esse, fore eum damnandum; respondit, *Benedictus Deus, nec tamen sic desperabo, sed pœnitentiam duplicabo, triplicabo, donec gratiam, & misericordiam apud Deum Altissimum, qui pius est, inveniam.* En de pietate JESU loquitur hic Dei famulus, sed & simul de pœnitentiâ; misericordiam consequimur, mi homo, divinam, quia pius est JESUS; sed si hujus te facias participem pietatis, per Pœnitentiam. *Si cœlestis gloria est vinum* lætitiæ, nos esse debemus vinitores, ut sub torculari Crucis illud exprimamus. *Si illa gloria est corona & bravium*, sic debemus pugnare, & currere, ut comprehendamus. *Si est merces*, fideles debemus esse servi. §. 14. *Generosum dictum adolescentis, cum ei diceretur quòd esset damnandus.*

Et quidem seduli, gnavi, diligentes, assidui. *Si medicina est Pœnitentia*, & necessaria ad sanitatem, reluctante quamvis naturâ, tamen est acceptanda. Fateor promisit Deus bonorum

vitæ,

vitæ, uvas cœlestis vineæ, fructus paradisi, sed non nisi vinitoribus, non nisi iis, qui terram operantur in sudore vultûs sui. Pollicitus est victoriam adversum hostes in bello, sed non nisi iis, qui cum Paulo bonum certamen certant. Addixit bravium athletis, sed non nisi illis, qui in stadio cursum consummârint. Pactus est mercedem cum famulis, sed non nisi operariis. Denique sanitatem spospondit infirmis, sed non nisi obtemperantibus atque ad facienda Medici sui imperia comparatis.

Aliud simile Evangelica vinea mihi suggerit. Ut vitis ferat fructus, ut uvæ maturescant, indiget ligno, cui debet alligari. Neutrum sufficit, non sola vitis, non solum lignum: & vite, & ligno opus est. Pari ratione prædestinationem nostram duo conficiunt; arbor sive lignum Crucis, & vitis, id est, JESUS Salvator, & homo. Hic gratiæ vocanti debet cooperari.

§. 15. *Quare gloria æterna sit corona Justitiæ.* Idem sensus latet in v. 7. c. 4. ep. 2. ad Timoth. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo* (sive propterea) *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illâ die justus judex.* Neque enim illa gloria est corona tantùm gratiæ & misericordiæ, sed meriti & justitiæ, sive Deus illam confert, non tantùm ut benevolus benefactor, sed ut justus judex. S. Anselm. ibi. *Corona justitiæ, id est, quam justè merui, quam non dabit, sed reddet mihi, quia justus judex est.* Et in hodierno Evangelio ait Paterfamilias, v. 4. *quod justum est, dabo vobis.* Item v. 8. *voca operarios, & redde illis mercedem.*

§. 16. *Aliud simile S. Chrysost.* Alio pulchro simili rem declarat S. Chrysost. hom. 66. in Matth. Fingamus locum certaminis, quô multi & celebres athletæ confluxerunt, duos quosdam præcipuâ quâdam familiaritate Principi junctos, accessisse, qui amicitiâ illius freti postulare audeant, ut ipsi victores proclamentur & coronentur, quibus ille respondeat: *Non est meum id dare vobis, sed quibus labore & sudore præparatum est.* Nunquid illum quasi id non potentem facere condemnabimus? nequaquam. Sed justitiam ejus admirabimus. Sicut igitur Princeps ille, non quia non potest, sed quia non vult certaminis leges transgredi, & justitiæ ordinem perturbare; bravium negat, sic utique Christum D. fecisse affirmamus. Potest cœlestem gloriam largiri veluti coronam gratiæ, sed non vult. Reddit eam ut coronam justitiæ.

§. 17. *Triplex effectus Passionis Christi D.* Aptè ad rem nostram S. Paulus ad Titum 2. v. 14. *Dedit* (scilicet Salvator noster JESUS) *semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*

Expressit Apostolus his verbis triplicem effectum Passionis. *Primus fuit*, ut nos redimeret: satisfecit enim pro nobis Patri. *Secundus*, ut mundaret nos in balneo pretiosissimi sui sanguinis, juxta illud Isaiæ 1. v. 16. *lavamini, mundi estote.* *Tertius*, ut efficeret nos sectatores bonorum operum; id est, non satis est recedere à malo, sed oportet insuper facere bonum. Perinde

inde ac si diceret Salvator noster: Non satis est ad salutem vestram, quod vos redemerim, quod meum pro vobis sanguinem fuderim; sed necesse est præterea, ut sitis, *sectatores bonorum operum Tit. 2. v. 14.* Textus græcus habet, *Zelotes bonorum operum.* S. Hieronymus. *Æmulatores.* Hoc est, inquit S. Chrysostomus, *magnâ cum alacritate, atque ingenti studio virtutis opera capessendo*; vel ut conformiter loquar hodierno Evangelio, sedulos nos, in vineâ Domini, operarios exhibere necesse est.

§. 18. *Opera ostendat, qui exigit retributionem.* S. Chrysost. in imperf. hom. 34. *Scitote quia mercenarii sumus conducti, mercenarius autem sine opere non potest esse; opera autem nostra sunt opera Justitiæ.* Si mercenarii Christi sumus, primùm debemus aspicere, quæ pertinent ad gloriam DEI, & proximi profectum: & sicut mercenarius quâ die opus non fecerit, erubescit intrare domum, & petere sibi panem; quomodo tu non confunderis intrare in Ecclesiam, & stare ante conspectum DEI (& petere gloriam cœlestem vel cogitare de cœlo) quando nihil boni in conspectu DEI egisti? S. Basilius. *Opera ostende, & exige retributionem.*

Aureum profectò dictum, quod ego singulis vobis inculcatum vellem, iis verò potissimùm, qui sibi ipsi plus æquo blandiuntur de cœli certitudine, quique in solis Christi meritis, non in operibus confidendum existimant. Age lasciviæ, Venerisque cliens, si cœlum speras, si expectas retributionem, *opera ostende.* Ita te urget magnus ille sanctitate atque eruditione Basilius; imò verò tua te quondam urgebit conscientia. Opera ostende; sunt illa opera carnis, quæ teste Apostolo non cœlum, sed infernum merentur. Age invide, si quæ habes; *opera ostende.* Ubi charitas? ubi proximi dilectio? ubi studium benefaciendi? ubi opera misericordiæ? ubi semen gloriæ? nam *quod seminaverit homo, hæc & metet; qui de carne seminavit, de carne & metet &c.* Age gulæ ventrisque mancipium, si exigis retributionem à Numine, *Opera ostende.* Prô, quàm sunt illa homine indigna! quàm ipsis bestiis & brutis communia, quàm sordida, turpia, nefanda! tace de retributione cœlestis gloriæ.

Age inflatum superbiâ pectus, *ostende tua opera.* Heu opera non Christi, sed Luciferi! ab hoc igitur Magistro præmium, non à Christo expecta mercedem &c.

Exod. 13. v. 21. Filios Israël per desertum deduxit columna ignea, quæ ostendit illis viam ad terram promissionis. Sed hoc non fuit satis, eundum illis fuit cum magno labore, confligendumque cum hostibus. Terra illa lacte & melle fluens cœlestis gloriæ typus est. Columna est fides, vel Christus D. qui viam ostendit, imò prævivit; sed hoc non est satis, nil nobis proderit vel fulgor columnæ, vel exemplum Christi, nisi ejus lucem sequamur. Non satis est radiantem vidisse columnam, sed vidisse & ivisse in ejus luce, requiritur. §. 19. *Israëlitæ non tantùm viderunt col. sed cum labore secuti sunt.*

Idem simile sic exponit B. Petrus Dam. cit. *Noli itaque hujus vitæ felicitatem, pravis hominibus invidere sed condole; imo quia ipsi non dolent, tu ingemisce: qui nimirum veluti bruta animalia ad macellum eundo properant, ad gladium lasciviendo festinant. De tuis autem pressuris atque molestiis gaude, & totis in Domino visceribus gratulare.* Causam mox clarius percipietis.

3. *Iterum B. Petri Dam. de arbore luxuriante.* Tertium simile est ejusdem B. Petri Dam. *Vites & quæcunque fœcundæ arbores, putationibus subjacent: steriles autem & quæ ignibus tradendæ, ramis evagantibus, quo liberius, eo diffusius patent, sed tandem præcisæ injiciũtur in ignem.* Advertite infaustam peccatorum conditionem, si in hoc orbe nil patiantur adversi. Rami sunt luxuriantes, sed olim rescindendi ab arbore vitæ. Palmites sunt in omnem diffusi licentiam, in omnem voluptatem cupiditatemque protensi; sed olim à vite verá, quæ est Christus Jesus, inquiens, *Joh. 15. v. 1. Ego sum vitis, vos palmites,* æternum resecandi. Et quid demum illis fiet ita amputatis? mittentur in ignem, in flammas, *in tenebras exteriores, in quibus erit fletus & stridor dentium, & ardent.* En in quid tandem desinat diffundentium se palmitum gloria, pompa, superbia! Notate hoc divites, observate lascivi, animadvertite filii hujus sæculi! Sed & vos frequenter cogitate cum paupere Jesu pauperes animæ, cum humili, humiles: cum afflicto, afflictæ; cum flente, flentes. Vos, ubi fuerint turgidi palmites resecti, magis florebitis; protrudetis gemmas, cùm illi lachrymas: proferetis fructus, cùm illi sterilescent; affluetis non minus divitiis, quàm deliciis, ubi illi æternâ pressi pauperie gement, lugebunt, ejulabunt. Nimirum non est alius bonorum finis, non alius exitus malorum.

Refert Anastasius Nicenus q. 17. in S. script. ex illo P. Corn. in Sap. discipulum sancti alicujus Anachoretæ ex deserto venisse in urbem, cùm princeps defunctus magnâ pompâ deferretur ad sepulchrum. Reversus in eremum invenit suum Magistrum dilaniatum ab hyæna. Quam ob rem adeo turbatus fuit, ut fermè inceperit vel cum ipso Deo contendere, dicens: *Ubi est, O Domine justum judicium tuum?* Siccine sceleratus ille princeps sepultus est gloriosè, hic verò sanctus, qui ævum suum viresque in tuo servitio consumpsit, sepultus est in ventre bestiæ? Sed astitit ei Angelus qui consolatus eum dixit; *habuit sceleratus ille princeps aliqua bona opera quæ hac in vitâ & divitiis, & honoribus remuneratus est Deus, sed nunc infelix æternis inferorum flammis addictus uritur; tuus verò præceptor gratus fuit Deo, culpis tamen aliquibus, ut peccatorum maculis, licet levioribus sordidatus, quas justus Deus temporali hac morte per hyænam expiavit. Jam verò æternis cœlorum fruitur deliciis, æternùm felix, lætus, gloriosus, illustris.* §. 13. *Diversa sepultura justi & impii. Pulchra historia.*

Dispar hæc mors utriusque, mihi in memoriam revocatur v. 4. Ps. 72. *quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plagâ eorum: in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* In quæ verba S. August. in cit. §. 14. *Versus ex Psal. 72. cum explicatione S. Aug.*

in cit. Psal. *Iam intellexi, quare illi habent pacem, & florent in terrâ, quia morti eorum non est declinatio, idest, quia certa mors, & æterna eis manet, quæ nec declinari ab eis, nec ipsi ab eâ declinare possunt. Et est firmamentum in flagello eorum, non est enim temporale flagellum eorum, sed firmum in sempiternum. Propter hæc ergò mala, quæ illis æterna futura sunt, modo quid? in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Ideo Christianè dixit gentilis Seneca de provid. c.3. *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil evenit adversi.*

§ 15. *Pulchrū dictum & factum S. Ambrosii.* Hospes in Italiâ opulentus, sed sceleratus, hospitio exceperat S. Ambrosium. Apprecatus illi fuit SS. præsul fausta omnia; cui hospes; *nihil unquā tuli adversi: nulla meam domum subierunt infortunia. Quid ais bone vir? nihil. nulla te vicinorum flagellavit invidia? nulla. nulla tuum corpus invaletudo corripuit? nulla. Nullus unquam animum mœror occupavit? nullus. Magna dicis, sed age porrò, nunquamne fortunarum passus es hactenus jacturam? nunquam ullo rei familiaris laborasti defectu? nunquam. Itanè nihil tuis unquam votis contrarium evenit? nihil. O te igitur mortalium infelicissimū,* exclamabat S. Ambrosius, *Surgite ocyus, hinc fugiamus, quia Dominus non est in loco isto. Festinate filii, ne vos hic ultio divina apprehendat.* Vix pedem extulerant, & domus corruens infelici ruinâ impium hospitem obtrivit, atq; sepeliit. Fortassis ideò (addit S. Ambr. ser.12. in Ps.118.) *cum persecutionem non patimur, tanquā condemnati habemur, & morti temporaneæ & æternæ proximi.*

§. 16. *Simile S. Chrys. de filio spurio & legitimo.* Quartum tandem simile debeo S. Chrysostomo hom. 29. in ep. ad Hebr. hunc in modum loquenti. *Quod si extrà disciplinam estis, ergo adulteri & non filii ejus estis.* sicut enim filios spurios parentes negligunt, pro legitimis valdè solliciti, *ita & Deus agit. Si igitur non castigari spuriorum est, oportet nos gaudere, cùm castigamur ut filii.* Gen. 27. v. 21. priusquàm Isaac benedictionem filio suo Jacob impertiretur, dixit illi: *Accede huc, ut te tangam fili mi, & probem utrum tu sis filius meus Esau an non. Tangere* inquit Philippus Abbas, *est affligere*, juxta illud Job. 19. v. 21. *Manus Domini tetigit me* Ah mi Christiane, quid ingemiscis? cùm tibi vix incipit malè esse, quid suspiras? tangit te sanguinea JESU Crucifixi dextera; hic tactus signum est amoris, tu interpretaris infortunium, quod tua est felicitas: tu doles, unde gaudendum potius; tu deprecaris, quod optandum omnibus qui JESUM amant. An nescis? quos hoc in sæculo tangit bonus JESUS virgâ Crucis, hos in alterâ vitâ non attinget virgâ Justitiæ suæ ferreâ. O JESU hic tange, imò *hic ure, hic seca, modò æternum parcas*, ajebat quondam piissimus Hipponensium antistes.

Non ignorabat quippe virgam tactumque in hoc orbe clementissimi Patris, in altera verò Judicis severissimi. Nos miseri mortales! equidem expallescimus plerique, cùm obviam habemus Crucem Domini, concutimur timore, cum corpus aggreditur invaletudo, cùm aufert fortunas hostis, erumpimus in gemitus;

dum animadvertis in reliquos. Vides, ut fluctuent ejus ocelli lachrymis? Vides ut innocuum ejus corculum palpitet. Vides ut supplices ad te palmulas protendat? Vides ut genibus nixus te adoret? Vides ut fronte, oculis, vultu, labiis, manibus corde, toto denique corpusculo tuam imploret clementiam? & tamen hunc ipsum Benjaminulum, hunc tenellum, innocentem, puerum aureum affligis? O Joseph!

§. 19. *Applicatio.* En exemplum Aud. Joseph hic, noster est Salvator. Benjamin, anima cujusque pii, devoti, amantis JESUM mortalis! quorsum igitur affligitur hic Benjamin? interrogate Josephum. Dabit is vobis illico id responsi: *quia diligo fratrem*! en crimen! en causa! Cruciat suos JESUS, *quia diligit*. Plagæ sunt, fateor, quas imponit, *sed plagæ sunt amoris*. Virgæ sunt, *sed amoris*: Vulnera sunt; *sed amoris*, non sic vulneraret, nisi amaret. Hoc advertamus esse verissimum, ait B. Laur. Justin. de casto connubio, c. 19. *Ut eò quisque durius in præsenti flagelletur, quo arctius amatur.*

§. 20. *DEUS impios tandem punit.* Hic jam oporteret ostendere, quàm misericors sit Dominus, quod toleret tam diu impios, sive zizania, an forte in bonam frugem convertantur: sed aliarum est materia Concionum. Pro epilogo ex fine Evang. advertite justitiam ejus, quâ tandem ratione puniat. Tempore messis dicet servis. *Colligite Zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum.* Superbos alligate cum Lucifero *ad comburendum*! avaros cum Jezabele, *ad comburendum*! Luxuriosos cum Babylonicâ meretrice, invidos cum Cain, gulosos cum divite epulone, mendaces, murmuratores cum Chore, Datan & Abiron, blasphemos cum Antiocho, tyrannos cum Herode; cum impiis impios, *ad comburendum*! & quis jubebit! Salvator, scilicet JESUS. Ille pius? ille misericors? ita, quia tum *justus erit*.

§. 21. *Figura fuit Moyses.* Pulcherrima figura fuit Moyses, ille pius & clemens Moyses, ille justus Moyses! dum iratus Deus in monte illi proponit, quàm sibi fixum sit, ac deliberatum, sumere de populo vindictam ob commissam idololatriam, procidit in genua, oravit pro populo, atque ita oravit, ut tandem eruperit in hæc verba Exodi 32. v. 31. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Et placavit Dominum. De monte autem quando descendit, ad suos revisens, totus irâ percitus, fulgurans, fulminans, tonansque erupit: v. 27. *Occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum*; Putant aliqui ipsum Moysen arrepto gladio obvios aliquos trucidasse. Pulchrè D. Gregorius l. 20. Mor. c. 8. *Intus arsit ignibus amoris; foris accensus est zelo severitatis: tanta fuit pietas, ut se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret, tanta severitas, ut eos, quos divinitùs feriri noluerat, ipse judicis gladio feriret. Sic amavit eos, quibus præfuit, ut pro eis nec sibi parceret, & tamen delinquentes sic persecutus est, quos amavit, ut eos etiam Domino parcente prosterneret.*

§. 11. *Apostropha ad impios.* O impii! quibus modo omnia ruunt fluuntque ex voto, pertimescite secundam secundi Moysis faciem; timete JESUM Judicem vestrum; qui cum modò in montibus misericordiarum à vestris capitibus fulmen avertit tremendum (fortassis ut pauca quædam, quibus adhuc dediti estis, pietatis opera remuneretur) descendet aliquando, descendet inquam; in extremo illo die judicii de throno suo suæ Majestatis tremendus Judex. Enimverò, tùm vestræ finem esse lætitiæ, finem convivii, finem risûs, finem voluptatum animadvertetis. O quantis vos illius aspectus implebit terroribus! cùm econtrà *videbunt*, qui modo lacrymis rigant ora; *gaudebunt* qui modo plangunt, *exultabunt*, quibus modo vita agitur plena ærumnis, luctu, doloribus. Nunc igitur, nunc risum vestrum mutate cum lacrymis, voluptates cum doloribus, delicias cum ærumnis, ut in omnem æternitatem deposito iterum luctu, cum charissimis Benjaminis hæreatis in sanctissimis divinissimi Josephi amplexibus, Amen.



CONCIO XI.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

Matthæi 20. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRobo certissimum signum Prædestinationis ad gloriam, esse, si homo Divinæ vocationi cooperetur, & diligenter laboret in vineâ Domini.

§. 1. *Tristis hac cogitatio*, erone aliquando salvus? *Sanctos generat affectus.*

§. 2. *Sed non debet esse nimis curiosa, & anxia.*

§. 3. *Pauci sunt electi. Quod ostenditur per varios status hominum.*

§. 4. *Dicta SS. Patrum,*

§. 5. *Figura ex S. Literis, Arca, Israelita educti ex Ægypto,*

§. 6. *Deus vult omnes salvos fieri. Immensa charitas Christi. Sed hoc non sufficit.*

§. 7. *Invectiva in illos, qui bonitati Dei nimium confidunt.*

§. 8. *Praivit Christus D. suo exemplo.*

§. 9. *Homo saluti sua debet cooperari, quod ostenditur ex p. hist. c. 27. actuum.*

§. 10. *Prosecutio, ut Nauta servent navim debent laborare.*

§. 11. *Pro-*

§. 1. Tristis hac cogitatio. Erone aliquando salvus? Sanctos generat affectus.

QUis nostrum est (si tamen salutem vestram amatis) cui occasione hujus thematis, non similis occurrat cogitatio, Ah me! erone aliquando in illâ tremenda die in numero infelicium illorum multorum? an econtrà in illo electorum beato? hæc est illa cogitatio, quæ ex piorum cordibus tot ardentia exprimit suspiria: *O mi IESU, ne me perdas illâ die! O IESU ne sinas me separari à te!* In hâc meditatione toties exclamavit David, *secundùm magnam misericordiam tuam, salvum me fac.* Hæc est illa cogitatio, quæ S. Augustino has voces extorsit; *hic ure, hic seca, modò aeternùm parcas.* In hâc cogitatione, in hæc verba erupit S. Paulus, Rom. 15. v. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI.* Hic ille animi sensus est, qui plurimorum animis tot spinas & aculeos salutaris timoris infigit, unde curiositas quædam sciendi nascitur, an simus prædestinati, nec ne?

§. 2. Sed non debet esse nimis curiosa & anxia.

Sed sentio ego in hâc materiâ cum S. Greg. l. 2. ep. 22. ubi narrat se à piâ matronâ accepisse epistolam hujus argumenti: *Sanctissime Pater exora Deum ut tibi revelet, an sim prædestinata vel non.* Cui respondit vir Sanctus: *rem sanè difficilem & inutilem postulâsti; difficilem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat, inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm jam in die vitæ tuæ ultimo, plangere eadem peccata minimè valebis, quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare: cùm nemo sciat, utrum odio an amore dignus sit, Eccl. 9. v. 1.* Sic ille. Ego verò pro solatio piorum, quibus in hac materiâ nimium anxia esse solent pectora, ostendam hac Concione, in nostrâ potestate situm esse, ut fiamus salvi. Non tamen ex sensu Lutheri, ut tantùm credamus ac speremus, sed ut conemur esse seduli operarii in vineâ Domini, id quod in Concionis decursu, faxo clarius intelligatis.

§. 3. Pauci sunt Electi. quod ostenditur per varios status hominum.

Pauci electi! nam in opinione SS. Patrum, ex Ecclesiasticis qui pascuntur patrimonio Christi, damnantur plurimi. Prius V. dicere solebat, *Religiosus speravi bene de meâ salute, Cardinalis factus extimui, Pontifex creatus fermè despero.* Beato Gaufredo Priori Clarevallensi oblatus fuerat Episcopatus Tornacensis, quem tamen à se rejecit. Post mortem religioso cuipiam viro apparens dixit: *Ecce salvus sum, si fuissem de numero Episcoporum, fuissem de numero damnatorum.*

rum. *Pauci electi*! ex magnatibus, ac divitibus damnantur plurimi, Isai. 5. *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino, & descenderunt fortes ejus, & sublimes, gloriosi ejus.* Clarè Christus D. Matth. 19. v. 23. *quàm difficilè dives intrabit in regnum cælorum! contendite, intrare per angustam portam, pauci inveniunt illam.* Hæc Salvator dicit de divitibus in communi, quid dicemus de avaris? de usurariis? de oppressoribus pauperum? *Pauci electi*! ex adolescentibus damnantur plurimi, præcipuè ob vitium luxuriæ. Nolo per alios hominum status discurrere.

§. 4. *Dicta SS. Patrum.* In communi, timeo ne uti possim verbis S. Gregorii M. hom. 19. in Evang. *Etenim ad hodiernam festivitatem* (erat hodierna dominica Septuagesimæ) *quàm multi convenimus? Ecclesiæ parietes implemus, sed tamen quis sciat, quàm pauci sunt, qui de illo Electorum grege numerantur?* S. Chrysost. hom. 20. ad pop. Antioch. ausus fuit dicere, prout alibi insinuo: *Quot esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant? infestum est, quod dicturus sum, dicam tamen: non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur: quin de his dubito: quanta enim in omnibus malitia?*

§. 5. *Figura ex S. lit. Arca Israëlita edu-cti ex Æg.* Figura fuit arca, octo tantùm animæ in illa fuerunt salvatæ; perierunt diluvio reliqui mortales omnes. Pererius putat omnes adultos ex submersis fuisse damnatos. Moyses eduxit ex Ægypto sexcenta millia virorum absque parvulis & mulieribus: at non nisi duo Josue & Caleb pervenerunt ad terram promissionis. S. August. Ser. 32. de verbis Domini. *Non transitoriè vel negligenter, sed ingenti tremore considerandum est, quia de sexcentis millibus duo tantùm ad terram promissionis ingressi sunt.* Isaias electos ob paucitatem comparat spicis relictis in agro post messem, vel botris in vineâ post vindemiam. S. Chrysologus Ser. 97. hoc utitur simili, *flores multi, multitudinem fructuum pollicentur, sed ad fructum perseverant paucissimi.*

§. 6. *Deus vult omnes Salvos fieri. Immensa Charitas Christi. Sed hoc non sufficit.* Promisi in hâc Concione solatium meis Auditoribus, & contra propositum meum ingredior materiam, quæ omnes terrere, & sollicitos reddere potest. Itaque de numero damnandorum, vel salvandorum nos non simus solliciti, sed firmiter nobis persuadeamus, verissimum esse versum 4. c. 4. ep. 1. ad Timoth. *DEUS vult omnes homines salvos fieri.* & illud 1. ad Timoth. 1. v. 15. *fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod IESUS Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Primò, tam immensa, & infinita est Salvatoris nostri bonitas, & misericordia erga impios, ut si esset voluntas Patris, paratus sit denuo pro illis mori & crucifigi. Sed & ex alterâ parte hoc est indubitatum dogma, Voluntatem DEI ac Salvatoris, ad salutem hominis non sufficere. Si enim hæc sufficeret, omnes homines deberent salvari; sed requiritur, ut voluntas hominis cooperetur, & per opera pia ac sancta, vocationem suam certam faciat. Imò quod mortuus sit, non sufficit: quod sanguinem sudârit, non sufficit; nisi homo quoque ad salutem

hitem suam cooperetur: huc tendit hodierni Evangelii parabola.

§. 7. Invectiva in illos, qui bonitati Dei nimium confidũt.

Advertant hoc, rogo, qui licet impiè vivant, tamen bonitati divinæ nimium confidentes, de salute quoque suâ nimium confidunt. Observent Lutherani, audiant Calvinistæ, & cum illis frigidiores intelligant Catholici, dicentes cum auditoribus Abbatis Nili (postquam hic multis egisset de paucitate salvandorum) *Nos igitur frustra baptizati sumus, & crucem adoramus, & communicamus, & Christiani dicimur*; Si impii estis, vera hæc sunt, frustra estis baptizati, frustrà Christum adoratis Crucifixum, frustrà confugitis ad divinissimorum medicinam Vulnerum, frustrà mentem cœlestis præmii spe lactatis scelerati. Christi meritis cooperari oportet, si salutem quæritis: laborate in vineâ Domini, si expectatis mercedem.

§. 8. Praivit Christus D. suo exemplo.

Et primus quidem operarius in vineâ Domini ipse extitit Salvator, laboravit in sudore vultûs sui, & sanguine, laboravit ligone sanctissimæ Crucis usque in mortem, non tamen propterea hodierni operarii suos denarios acceperunt, sed quia & ipsi laboraverunt, & sudârunt & portârunt æstum & pondus diei. Hâc ratione meriti sunt mercedem. Neque nos alio modo poterimus obtinere, simus ergo diligentes operarii.

§. 9. Homo saluti suæ debet cooperari, quod ostenditur ex p. hist. c. 27. Actuum.

Pulcherrimam probationem hujus veritatis, quod homo ad salutem suam cooperari debeat, invenio in cap. 27. Actuum Ap. Conscendit S. Paulus navim, ut per pelagus Ciliciæ & Pamphyliæ iret Romam. Haud ita multo post suscitatus est nescio quis ventus Typhonicus (Euroaquilonem vocant,) cumque agitata, quâ fluctuum multitudine, quâ turbine ventorum navis vix posset eluctari, atque adeo gravissimâ in tempestate præscisa quasi esset universa spes salutis; in communi omnium consternatione hunc in modum cœpit verba facere gentium Doctor Paulus: v. 21. 22. 23. *Suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex vobis. Astitit enim mihi hâc nocte Angelus DEI, cui deservio, dicens: ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere, & ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum. Propter quod bono animo estote viri: credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi.*

§. 10. Prosecutio ut nautæ servent navim debent laborare.

Ita Apostolus. Verùm nautæ fidelem Pauli exhortationem parùm pensi habentes, è navi se se subducere, & tutiorem, ut rebantur, per undas natationem meditari: quod ubi Paulus animadvertebat, Centurionem & milites ita porrò est allocutus: *Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.* Sed liceat hic nobis te verbulo convenire Doctor gentium. Quid enim inquis, *nisi hi &c.* quid verò nautis opus? an non omnes fore salvos pollicitus est Angelus? quid? an sine illis DEUS te tuosque non posset à naufragii periculo vindicare? imò verò

 potest,

potest, sed sine nautis non vult, sine illorum operâ ipsis succurrere non placet. Nimirum nautas oportet ejicere ancoras & firmare, explicare vela, vel contrahere, erigere malum, vel deprimere, intendere remos, vel remittere: nautis laborandum est, vigilandum, sudandum. Neque enim sine illorum operâ visum est domino periclitantibus optatam conferre salutem. Dictum, factum. Laborarunt nautæ & & superarunt, remos intenderunt, & difficultatem vicerunt; usque adeò ut omnes, nemine uno desiderato, id est, animæ supra ducenta septuaginta sex, incolumes prorsùs in portum evaserint.

§. 11. *Prosecutio.* Præterquam, quod, cùm tandem allisa esset scopulo navis (ut sacræ referunt literæ) eluctati cum undis singuli enatarint in tabulis; heus! quid agitis? boni viri, quid agitis? quid natando vos defatigatis? quid brachia movetis? quid inter fluctus laboratis solliciti? an non enim Deus vobis promisit opem? an non Paulus divinum vobis addixit auxilium? ita est. Addixit ille quidem & promisit, non dubiam de cœlo opem: sed laborandum est tamen, cooperandum huic pollicitationi, occurrendum promisso.

Non aliter se res habet in negotio nostræ prædestinationis. Vult Deus nos omnes eripere ex naufragio, & periculo æternæ damnationis, inter irruentes ventos, & fluctus tentationum, inter charybdes scelerum offert nobis tabulam sanctissimi sacramenti Pœnitentiæ, offert varia media enatandi: Sed enatare cupientis est, ut tabulam apprehendat, ut brachia moveat, ut laboret.

Non ignorarunt hoc pii quondam Majores nostri, qui per omnem sæpe vitam, in opera pœnitentiæ incubuerunt: & nos dubitabimus? non ignoraverunt tot Sancti quondam Anachoretæ, tot Deo sacratæ Virgines, tot Christo militantes in claustris viri fœminæque, quibus vel omnis vita, vel pars ejus potissima traducta est in laboribus propter Christum, consumpta inediâ, peracta vigiliis, mortificationibus finita, pœnitentiis terminata innumeris. Cur amabò, nisi ut acceptæ DEI gratiæ cooperarentur, atque ita laborando cum DEI bonitate vasti hujus Oceani procellas superarent, & optatæ portum beatitudinis consequerentur? Profectò non fuit alia mens degentis in eremo Hieronymi, plorantis in deserto Magdalenæ, lugentis in regiâ Davidis, ut alios sexcentos silentio prætercam. Itaque laborandum est mortales, dum in hoc navigamus Oceano. Qui secus facit, qui ferias amat atque otium, qui laborem subterfugit, næ is periculo est vicinissimus, cui, si deinde submergatur, merito occini potest illud Oseæ c. 13. v. 9. *Perditio tua ex te Israël.* Glossa ordinaria: *Tu ipse es causa tuæ perditionis*, non illa Deo, vel Salvatori, sed impio est asscribenda.

§. 12. Sic laborarunt Sancti

Circumstantia hæc profundissimi hujus mysterii Prædestinationis, pulchris similibus declaratur. Calendaria aliqua hujus anni prædicunt annum fertilem; quæso, anne propterea vinitores *in Hocheim vel Weisenau* sede-

§. 13. Veritas hæc, necessariam esse nostram cooperationem, probatur similibus.

ſedebunt otioſi? quaſi verò, *inquis,* quin potius ad laborem ſe conferent magis ſtrenuè, & tantò ſe in colendis vineis gnaviores, diligentioresque præſtabunt, quantò uberiorem illis ſpem facit, licet valde ſæpe numero incerta ſit Aſtrologorum prædictio.

1. De calendario.

2. De belli duce.

Ita ferè belli dux, licet ab augure factam ſibi ſpem victoriæ intelligat; non ideo ante prælium canit triumphum, quaſi re jam feliciter confectâ; ſed claſſicum canit jucundiùs, congreditur cum hoſte confidentiùs, pugnat audaciùs, triumphat glorioſiùs. Ita ſervus aliquis certus eſt ſe ab hero accepturum mercedem, ſi tamen ſedulo labore illam mereatur. Ita ægro ſpondet ſanitatem medicus, ſi tamen præſcriptis utatur medicinis.

3. De ſervo.

4. De ægro.

Applicatio.

Pari ratione Salvator noſter promittit ſe inebriaturum nos torrente voluptatis, & vino lætitiæ in nuptiis Agni. O annum felicis æternitatis exoptatum! ſed dilecte mi, botri & uvæ, quæ hoc vinum ſtillabunt, creſcunt, non in vineis Engaddi, vel inſulâ Cypro, ſed in vineis montis Calvariæ, in arbore S. Crucis. Indè magno labore debent colligi, & exprimi ſub torculari Crucis. Sponſus ipſe ſic intravit in gloriam ſuam. Salvator noſter nobis ſpondet victoriam contra diabolum, carnem & mundum, ſed pugnandum eſt. Sanguine, & vulneribus triumphalis illa corolla obtinenda; Merces eſt cœleſtis gloria, omnibus illam Deus promittit, ſed nos ita vivere debemus, ut cuivis dici poſſit, *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium domini tui.* Pulchrè Theophilactus, *Vocare enim* (promittere, dare) *eſt DEI; electum autem fieri, aut non electum, etiam eſt noſtrum.* Ideo ſuadet S. Petrus ep. 2. c. 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera veſtra, certam faciatis vocationem veſtram.* Gloſſa ordinaria. *Certam facit vocationem ſuam, qui in bonis operibus perſeverat.* Gloſſa interlinearis. *Bene faciendo faciatis vos certos de præmio veſtræ vocationis.* juxta illud Chriſti D. Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Euſebius Emyſſ. *Non quæras aliam prædeſtinationem, in his enim verbis omnis & vitæ, & mortis prædeſtinatio conſiſtit.*

Agnovit hoc ille Religioſus, cui cum ſocius diceret, ſibi revelatum eſſe, fore eum damnandum; reſpondit, *Benedictus Deus, nec tamen ſic deſperabo, ſed pœnitentiam duplicabo, triplicabo, donec gratiam, & miſericordiam apud Deum Altiſſimum, qui pius eſt, inveniam.* En de pietate JESU loquitur hic Dei famulus, ſed & ſimul de pœnitentiâ; miſericordiam conſequimur, mi homo, divinam, quia pius eſt JESUS; ſed ſi hujus te facias participem pietatis, per Pœnitentiam. *Si cœleſtis gloria eſt vinum* lætitiæ, nos eſſe debemus vinitores, ut ſub torculari Crucis illud exprimamus. *Si illa gloria eſt corona & bravium*, ſic debemus pugnare, & currere, ut comprehendamus. *Si eſt merces*, fideles debemus eſſe ſervi.

§. 14. Generoſum dictum adoleſcentis, cum ei diceretur quòd eſſet damnandus.

Et quidem ſeduli, gnavi, diligentes, aſſidui. *Si medicina eſt Pœnitentia*, & neceſſaria ad ſanitatem, reluctante quamvis naturâ, tamen eſt acceptanda. Fateor promiſit Deus bonorum vitæ,

vitæ, uvas cœleſtis vineæ, fructus paradiſi, ſed non niſi vinitoribus, non niſi iis, qui terram operantur in ſudore vultûs ſui. Pollicitus eſt victoriam adverſum hoſtes in bello, ſed non niſi iis, qui cum Paulo bonum certamen certant. Addixit bravium athletis, ſed non niſi illis, qui in ſtadio curſum conſummârint. Pactus eſt mercedem cum famulis, ſed non niſi operariis. Denique ſanitatem ſpoſpondit infirmis, ſed non niſi obtemperantibus atque ad facienda Medici ſui imperia comparatis.

Aliud ſimile Evangelica vinea mihi ſuggerit. Ut vitis ferat fructus, ut uvæ matureſcant, indiget ligno, cui debet alligari. Neutrum ſufficit, non ſola vitis, non ſolum lignum: & vite, & ligno opus eſt. Pari ratione prædeſtinationem noſtram duo conficiunt; arbor ſive lignum Crucis, & vitis, id eſt, JESUS Salvator, & homo. Hic gratiæ vocanti debet cooperari.

§. 15. *Quare gloria æterna ſit corona Juſtitiæ.*

Idem ſenſus latet in v. 7. c. 4. ep. 2. ad Timoth. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi*; *in reliquo* (ſive propterea) *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi in illâ die juſtus judex.* Neque enim illa gloria eſt corona tantùm gratiæ & miſericordiæ, ſed meriti & juſtitiæ, ſive Deus illam confert, non tantùm ut benevolus benefactor, ſed ut juſtus judex. S. Anſelm. ibi. *Corona juſtitiæ, id eſt, quam juſtè merui, quam non dabit, ſed reddet mihi, quia juſtus judex eſt.* Et in hodierno Evangelio ait Paterfamilias, v. 4. *quod juſtum eſt, dabo vobis.* Item v. 8. *voca operarios, & redde illis mercedem.*

Alio pulchro ſimili rem declarat S. Chryſoſt. hom. 66. in Matth. Fingamus locum certaminis, quô multi & celebres athletæ confluxerunt, duos quoſdam præcipuâ quâdam familiaritate Principi junctos, acceſſiſſe, qui amicitiâ illius freti poſtulare audeant, ut ipſi victores proclamentur & coronentur, quibus ille reſpondeat: *Non eſt meum id dare vobis, ſed quibus labore & ſudore præparatum eſt.* Nunquid illum quaſi id non potentem facere condemnabimus? nequaquam. Sed juſtitiam ejus admirabimus. Sicut igitur Princeps ille, non quia non poteſt, ſed quia non vult certaminis leges transgredi, & juſtitiæ ordinem perturbare; bravium negat, ſic utique Chriſtum D. feciſſe affirmamus. Poteſt cœleſtem gloriam largiri veluti coronam gratiæ, ſed non vult. Reddit eam ut coronam juſtitiæ. §. 16. *Aliud ſimile S. Chryſoſt.*

§. 17. *Triplex effectus Paſſionis Chriſti D.*

Aptè ad rem noſtram S. Paulus ad Titum 2. v. 14. *Dedit* (ſcilicet Salvator noſter JESUS) *ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.*

Expreſſit Apoſtolus his verbis triplicem effectum Paſſionis. *Primus fuit*, ut nos redimeret: ſatisfecit enim pro nobis Patri. *Secundus*, ut mundaret nos in balneo pretioſiſſimi ſui ſanguinis, juxta illud Iſaiæ 1. v. 16. *lavamini, mundi eſtote.* *Tertius*, ut efficeret nos ſectatores bonorum operum; id eſt, non ſatis eſt recedere à malo, ſed oportet inſuper facere bonum. Perinde

inde ac si diceret Salvator noster: Non satis est ad salutem vestram, quod vos redemerim, quod meum pro vobis sanguinem fuderim; sed necesse est præterea, ut sitis, *sectatores bonorum operum Tit. 2. v. 14.* Textus græcus habet, *Zelotes bonorum operum.* S. Hieronymus. *Æmulatores.* Hoc est, inquit S. Chrysostomus, *magnâ cum alacritate, atque ingenti studio virtutis opera capessendo*; vel ut conformiter loquar hodierno Evangelio, sedulos nos, in vineâ Domini, operarios exhibere necesse est.

§. 18. *Opera ostendat, qui exigit retributionem.* S. Chrysost. in imperf. hom. 34. *Scitote quia mercenarii sumus conducti, mercenarius autem sine opere non potest esse; opera autem nostra sunt opera Iustitiæ.* Si mercenarii Christi sumus, primùm debemus aspicere, quæ pertinent ad gloriam DEI, & proximi profectum: & sicut mercenarius quâ die opus non fecerit, erubescit intrare domum, & petere sibi panem; quomodo tu non confunderis intrare in Ecclesiam, & stare ante conspectum DEI (& petere gloriam cœlestem vel cogitare de cœlo) quando nihil boni in conspectu DEI egisti? S. Basilius. *Opera ostende, & exige retributionem.*

Aureum profectò dictum, quod ego singulis vobis inculcatum vellem, iis verò potissimùm, qui sibi ipsi plus æquo blandiuntur de cœli certitudine, quique in solis Christi meritis, non in operibus confidendum existimant. Age lasciviæ, Venerisque cliens, si cœlum speras, si expectas retributionem, *opera ostende.* Ita te urget magnus ille sanctitate atque eruditione Basilius; imò verò tua te quondam urgebit conscientia. Opera ostende; sunt illa opera carnis, quæ teste Apostolo non cœlum, sed infernum merentur. Age invide, si quæ habes; *opera ostende.* Ubi charitas? ubi proximi dilectio? ubi studium benefaciendi? ubi opera misericordiæ? ubi semen gloriæ? nam *quod seminaverit homo, hoc & metet; qui de carne seminavit, de carne & metet &c.* Age gulæ ventrisque mancipium, si exigis retributionem à Numine, *Opera ostende.* Prô, quàm sunt illa homine indigna! quàm ipsis bestiis & brutis communia, quàm sordida, turpia, nefanda! tace de retributione cœlestis gloriæ.

Age inflatum superbiâ pectus, *ostende tua opera.* Heu opera non Christi, sed Luciferi! ab hoc igitur Magistro præmium, non à Christo expecta mercedem &c.

Exod. 13. v. 21. Filios Israël per desertum deduxit columna ignea, quæ ostendit illis viam ad terram promissionis. Sed hoc non fuit satis, eundum illis fuit cum magno labore, confligendumque cum hostibus. Terra illa lacte & melle fluens cœlestis gloriæ typus est. Columna est fides, vel Christus D. qui viam ostendit, imò præivit; sed hoc non est satis, nil nobis proderit vel fulgor columnæ, vel exemplum Christi, nisi ejus lucem sequamur. Non satis est radiantem vidisse columnam, sed vidisse & ivisse in ejus luce, requiritur. §. 19. *Israelitæ non tantù viderunt col. sed cum labore secuti sunt.*

§. 20. *Pulchrũ dictum S. Aug.*

Nunc igitur ſtatuamus hoc tandem, Aud. laborandum eſſe in hoc procellarum pelago, ne ſubmergamur: pugnandum, ſi amamus victoriam, currendum, ſi bravium expetimus, laborandum in vineâ Domini, ſi vinum gloriæ ſitimus, vigilandum in obſequio Dei, ſi deſideramus mercedem æternam.

Nihil aliud profectò voluit quondam S. Auguſt. cum diceret: *In brachiis Salvatoris mei cupio vivere & mori*: vivere inquit & mori, id eſt laborare, ſpirare, vigilare, certare, defatigari, & demum mori & quietem illam beatiſſimam in cœlis auſpicari.



CONCIO XII.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Qui habet aures audiendi audiat.

Luc. 8. v. 8.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRæſens Concio agit de efficaciâ Verbi DEI; & quod nihilominus multis non proſit.

§. 1. *Conſultatio Athenienſium, quâ ratione bonis legibus Reſp. firmanda.*

§. 2. *Quid ſignificent murenulæ aureæ.*

§. 3. *Semen Verbi Dei eſt efficax.*

§. 4. *Multi nihilominus audiunt ſine fructu. Conf. ex l. 1. reg. c. 28.*

§. 5. *Idem fit hodie.*

§. 6. *Confirmatur 2. ex l. 4. reg. c. 1.*

§. 7. *Querela S. Chryſoſtomi.*

§. 8. *Explicatio verſus Pſ. 28.* pone illos ut rotam.

§. 9. *Quinam projiciant verbum Dei poſt dorſum?*

§. 10. *Variæ ſimilitudines.*

§. 11. *Variæ aures Auditorum incircumciſæ.*

§. 12. *Perforatæ.*

§. 13. *Spinoſæ.*

§. 14. *Prurientes.*

§. 15. *Invectiva in illos qui tantum placentes volunt audire conciones.*

§. 16. *Diabolus ferventiſſimus Concionator; Rara de eo hiſtoria.*

§. 1. *Conſultatio Athenienſium, quâ ratione bonis legibus reſp. firmãda.*

IN ſapientiſſimo Athenienſium ſenatu magni momenti quæſtio olim fuit propoſita; quâ ratione optimis legibus ac inſtitutis firmarent civitatem. Varii variè, & prudenter reſponderunt, verùm cùm inter ſe non convenirent, unanimi tandem conſenſu in re tanti momenti conſulendum

dum sibi esse Oraculum Apollinis decreverunt. Quo facto id responsi tulerunt; *beatam fore Rempublicam, si liberorum auribus, quod omnium pretiosissimum est, appenderent.* Rati igitur parentes nihil esse pretiosius, vel auro, vel gemmis, mox nobilissimis, magnâ æmulatione, & pulcherrimis margaritis atque unionibus, juvenum virginumque aures ornaverunt. Non tamen putem fuisse inaurem Cleopatræ, quæ centies sestertium, id est, teste Budæo, ducenta quinquaginta millia aureorum appendebat. Sed errarunt boni Athenienses, neque satis prudentissimi oraculi mysterium intellexerunt.

§. 2. Quid significent murenulæ aureæ.

Phœbus dicere voluit, optimè constitutam forè Rempubl. Si parentes filiorum auribus instillarent præclara ad vitam honestè componendam monita atque præcepta: quæ si audirent, ornatas fore eorum aures quasi pulcherrimis murenulis. Tales Gen. 24. v.47. Eliazer obtulit Rebeccæ, sponsæ Isaaci, Cant. 1. v. 10. ait sponsus: *murenulas aureas faciemus tibi*, Is. 3. v. 18. *auferet Deus murenulas.* Eleganter ille poëta:

Gemmat ab aure lapis, nil mollius imâ
Auriculâ, & forti vulnere saxa gerit.
Quin gerit & fundos, quid? prædia tota, vel una
Aure gerit mulier; Major Atlante vir est.

Quid per murenulas vel ornatum aurium intelligat Spiritus Sanctus, advertit S. Augußt. hom. 26. ex 50. *Inauribus aureis significantur verba divina. Qui verbum DEI libenter audit, inaures animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet.* Hugo Card. *Inauris aurea est doctrina Catholica.* Dicam ego accommodè ad hod. Evang. *Inauris aurea est auditio Verbi DEI.* Si quis ex me hodie quærat, quâ ratione civitas hæc Moguntina optimis legibus firmari possit, Respondeo, firmabitur, si omnium aures ornatæ sint murenulis, sive, si omnes ad audiendum Verbum DEI, aures habeant, quales Salvator noster in hod. Evangelio requirit. Harum defectu in multis perit auditum Verbum DEI, sine omni fructu; audiunt siquidem perquam multi sæpè conciones ferventes, audiunt clamantem Christum, de morte, de judicio, de inferno; audiunt inquam, at non obediunt; non respondet concionibus fructus, ut meritò in auribus Auditorum defectus latere non exiguos suspicemur. Atque adeo non erit abs re, si de illis præsenti in Concione aliquantô disseram fusiùs atque prolixiùs. Vos interim arrectis auribus loquenti, rectas pariter & benevolas aures accommodate.

§. 3. Semen Verbi Dei est efficax.

Et inprimis quidem magnæ efficaciæ est semen Verbi DEI. Tria ejus granula, vel verba Salvatoris inciderunt in cor Petri & Andreæ, *Venite post me*, Matth. 4. v. 19. Et ecce fructum eorum insignem! nam relictis confestim retibus, & navi, *secuti sunt eum.* Nobilissimus fructus Verbi Dei est, Christum vocantem relictis omnibus creaturis statim sequi. Cor Matthæi in tolonio erat terra spinosa, plena curis sæculi, horrida usuris & fraudibus;

dibus; sed duo tantùm granula, vel verba Salvatoris, *sequere me*, Matth. 9. v 9. eradicarunt spinas, & fructum tulerunt cœlestem, Christum quippe secutus fuit illicò Matthæus.

Luc. 7. v. 38. Cor Magdalenæ erat terra cœnosa, lutulenta & contaminata sordibus luxuriæ: quamprimùm verò in Concione Christi, semen Verbi divini excepit, jam cœpit lacrymis animi sordes eluere, amare, dolere, gemere, quærere Christum, detestari scelera, amare virtutem &c. quæ omnia eximii fructus sunt divini seminis. Æquè cœnosa terra fuit cor Samaritanæ; ipsa enim erat adultera; paucis tamen verbis Christi conversa, Joh. 8. v. 11.

Terra petrosa erat cor utriusque latronis in Cruce ad latera Christi; fuêre illi impœnitentes ferè usque ad extremum vitæ articulum; tandem alter auditis aliquot suavissimis verbis, à Christo in Cruce prolatis, quibus pro inimicis veniam deprecabatur, conversus ad Deum, plenus fide, commotus contritione, amore æstuans, exclamat, *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum*; & aufert paradisum, Luc. 23. v. 42.

Simili ratione sæpè hodie multi peccatores se conferunt ad audiendum Verbum DEI; cor illis est spinis horridum, vel petris saxisque constratum, vel sordibus, & luto infectum, & convertuntur tamen; nimirum quia divinum illud semen recipiunt corde optimo; id est, bonâ voluntate sequendi Christum, agendi pœnitentiam &c. Multi alii eadem audiunt, sed sine omni fructu.

§. 4. *Multi nihilominibus audiunt sine fructu. Conf. ex l. 1. Reg. c. 28.*

Pulchra nobis rei hujus suppetunt exempla in S. Scripturâ 1. Reg. 28. ubi permittente Deo, & rogante Saule, à Pythone excitatur umbra Samuelis; permisit Deus, ut impio Regi illa umbra esset præco Verbi Dei, eique salutarem incuteret timorem, atque ad pœnitentiam excitaret. Si enim ait voce tristi v. 28. v. 17. *hæc faciet tibi Dominus; scindet regnum tuum, quia non obedisti voci Domini; dabit Dominus Israel tecum in manus Philistym, cras tu & filii tui mecum eritis.* Ecce semen Verbi DEI, sed sine fructu! Enim verò oportuisset Saulem ad has voces converti, oportuisset illum hoc fulmine percelli, & de mutandâ in meliorem rerum statum vitâ cogitare. Sed nihil minus ab illo factum. Territus quidem nonnihil fuit ab initio, cum primùm umbra in ejus prodiisset conspectum, sed cum evanescente ab oculis umbra, evanuit & timor ab animo. Oblitus est verborum illorum Saul, quorum debuisset immortalis extitisse memoria. O labilem & nimis brevem in negotio salutis memoriam.

§. 5. *Idem fit hodie.*

Hoc nimirum est hodiedum in more positum Christianorum quàm plurimis; audiunt cum Saule verbum Dei, audiunt dicentem pro suggestu Ecclesiastem de amore Dei, de odio peccati, de pœnis superbiæ, de invidiæ stimulis, de luxuriæ sordibus, de gulæ turpitudine, de Judicis severitate, de tormentorum magnitudine, de alterius vitæ æternitate, de sempiternis inferorum Cruciatibus. Audiunt inquam

inquam

quam; sed Saulem imitantur; mox enim obliviscuntur verborum illorum. Quid aget fervens quispiam Concionator? ut eos in salutarem conjiciat terrorem, producit ex inferis umbram divitis epulonis, qui è flammis illis concionatur lugubri voce. *Crucior in hâc flammâ Luc.16.v.24.* Aliàs producit tristissimam umbram, Christum pendentem in Cruce, ut lugubri aspectu terreat impios, ut moveat ad pœnitentiam; clamat Concionator instar Samuelis, *O impii! Deus recessit à vobis, tradet vos inimicis vestris: moriemini, fortè cras eritis in inferis* &c. hæc audiunt scelesti; quo fructu? stupent nonnihil; dici de illis potest illud, quod Evangelium dixit de Judæis audientibus perorantem Christum, *Mirabantur. Quidtum & quærebant eum interficere Joh.5.18.* Ita profectò adhuc hodiedum fieri amat apud Christianorum quàm plurimos. Audiunt in concionibus multa de Passione Christi; multa de ejus mansuetudine, de patientiâ, de bonitate, & *mirantur etiam*! sed interim contraria agunt omnia, vix egressi templo, iterum impatientes ut ante; iterum invidiæ stimulis agitati, ut ante, iterum iracundi, rabidi, furiosi! Hoc est, *mirantur: & iterum quærunt crucifigere.* Mirantur virtutem Christi, & imitantur vitia diaboli; stupent vias arduas, atque difficiles peccatorum, & illis tamen insistunt: mirantur proborum, & in hâc, & in alterâ vitâ felicitatem, sed ad illam non aspirant.

§. 6. Confirmatur 2. ex l. 4. Reg.c,1.

4.Reg.1.v.10. Impius Rex Ochozias misit quinquaginta viros ad Eliam in montem; sed *orante Elia descendit ignis de cœlo, & devoravit eos.* Territus fuit tristi nuntio Ochozias: nihilominus misit alios quinquaginta, sed & hos devoravit ignis de cœlo. Hic impiam mentem mutare debuisset Rex impius; nec tamen fecit; sed tertium misit ducem, cum quo tandem, imperante Angelo Elias descendit ad Regem, paucis, sed Domini verbis illum affatus v. 16. *quia misisti nuntios ad consulendum Belzebub, quasi non esset Deus in Israel, ideo de lectulo hoc non descendes, sed morte morieris*, O brevem, sed terribilem Concionem! Nec tamen meminit Sacer textus, quod Rex fleverit, quod pœnitentiam egerit, sed ait v.17. *Mortuus est ergo juxta sermones Domini.* Idem contra impios faciunt ferventes Concionatores, veluti Eliæ minantur ignem de cœlo, evocant flammas ex inferno, clamant, innumeros devorati ab igne tartareo, clamant: *Moriemini.* Sed quo fructu? capiuntur hæc verba dum audiuntur, moventur nonnihil pectora, tanguntur corda, feriuntur conscientiæ! sed, ah! nimis levi vulnere sauciantur. Adest quippe confestim rapax illa volucris inferni, adest Diabolus, & rapit semen bonum de cordibus eorum.

§. 7. Querela S Chrysostomi.

De similibus conqueritur S. Chrysostomus, cùm in concione adverteret aliquos peculiariter motos: *Videre vos videor ad hæc dicta incaluisse, & quasi cera emollitos: verùm cùm hinc fuerit abscessum, nulla erit horum apud vos recordatio.* Teste Plinio fons est, cujus liquor in templis vinum est, foris aqua. Id quod Borchorius de iis exponit, qui dum audiunt Verbum DEI, sunt quasi vinum, ferventes, atque

atque æstuant fervore rerum cœlestium: cumprimum verò pedem de templo movent, mutantur in aquam, perdunt sui pretium, amittunt devotionem.

§. 8. *Explicatio v. ex Ps. 81. Pone illos ut rotam.* Regius psaltes comparat illos rotæ, non cuicunque sed aquatili Ps. 82. v. 14. *Deus meus pone illos ut rotam.* Legit Lanspergius t. 2. Ser. 23. *pone illos Domine mi, ut fistularum rotam.* Cùm quis altior est hortus, qui à præterlabente rivo rigari non potest, fieri solet ingens aliqua rota plena ollis vel receptaculis, quæ cùm infra aquam hauriant, eam superius in motu statim effundunt. His rotis similes sunt multi Auditores Verbi DEI; hauriunt ex illo veluti fonte aquas salutares, sed mox effundunt. De his ait Ecclesiasticus cap. 21. v. 17. *Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit.* ibid. *audivit verbum luxuriosus, & projicit illud post dorsum suum.*

§. 9. *Quinam projiciant Verbum DEI post dorsum.* Quid est hoc obsecro, *audire verbum, & projicere illud post dorsum?* nisi neglectui habere, contemnere, non æstimare, ut par est; non perpendere, non ad illus veritatem dignitatemque vitam conformare. Nimirum audit verbum luxuriosus, verbum vitæ, verbum puritatis, verbum veritatis æternæ, quod nomine Dei Ecclesiasticus proponit. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* audit inquam, *sed projicit post dorsum*, contemnit hanc pulchritudinem, despicit claritatem, sordes amplectitur. Audit avarus tonantem pro concione DEI vocem, ex illo Jobi. 20. v. 15. *Divitias, quas devoraverat, evomet, & de ventre ejus retrahet eas Deus. Sed projicit post dorsum*, neque ideo ab usuris, rapinis, pauperum oppressionibus, atque aliis ejusmodi vitiis discedit. Audit superbus ex c. 18. v. 3. S. Matthæi vocem Domini; *nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Sed projicit post dorsum*: negligit, contemnit; tantùm abest ut aliquem inde fructum reportare conetur.

§. 10. *Varia similitudines.* Sed juvat rem eandem alio adhuc simili illustrare. Contingit subinde ut orto de nocte incendio, ejus rei citatis campanæ ictibus è turri signum detur dormientibus illâ in urbe civibus. Mox ergo è lecto proripit se Paterfamilias, atque altâ voce, suo nomine vocat, atque ocyus adesse jubet famulum, qui ut somnolentus est Endymion, ita etsi vocantem domini vocem percipiat, etsi audiat frequentes campanæ, mœstum resonantis clangorem, ictus, etsi alios iisdem in ædibus è strato se corripuisse intelligat, etsi audiat clamorem populi, per vicos, ac compita non sine sollicitudine discurrentes, etsi demum *periculum esse in morâ* intelligat, tamen ut suæ indulgeat pigritiæ, nequicquam movetur vel domini clamantis voce, vel imminentis necessitate periculi, vel vicinorum prætervolantium strepitu, vel promptâ domesticorum sedulitate: quin potius eodem in lecto se volutat, versat, reversat, perinde ac si nihil omnino timendum, aut nihil momenti alicujus & ponderis ageretur. Hic ipse hodiernâ die genius est multorum impiorum. Audiunt domini

mini

mini vocem, loquentem de æternis inferorum pœnis, audiunt strepitus conscientiæ, & sexcenta alia, quæ ad surgendum è longo scelerum somno movere possent deberentque, etiam veterno correptos. Dormiunt tamen non surgunt, non terrentur, vel certè terrentur parum, & rursùm indormiscunt.

Sic plurimi sine fructu audiunt Verbum DEI. Causam præcipuam insinuat Salvator noster in hodierno Evangelio citato themate, quo innuit, non omnes habere aures, quales habere deberent, dum verbum DEI excipiunt. Enimverò sunt qui aures habent petrosas, in quas si quid boni seminis incidat, non altiores quàm ad saxi superficiem radices aget. Audiunt quidem vocem vel DEI interius ad ostium stantis, pulsantis, intrare adnitentis, monentis, comminantis; vel tutelaris Genii tanquam domestici pædagogi, instruentis, adhortantis, deterrentis; ut de Conscientiæ altissimis vocibus. de Concionatorum clamoribus nihil dicam; sed quia semen hoc asperis cautibus inspergitur, radices non agit, vix verba audiunt, & cum voce semen omne, ejusque vis atque virtus evanescit.

§. 11. *Variæ aures auditorum.* Huc revocantur aures incircumcisæ à Jeremia, dùm inquit c.6.v.10. *Cui loquar, & quem contestabor ut audiat? ecce incircumcisæ aures & audire non possunt.* Id est, sunt aures duræ, asperæ, salebrosæ, & ut ibidem loquitur, *aggravatæ*, vel ex Ps. 57. v. 5. in morem *aspidis surdæ.* *Incircumcisæ.* Tales aures Judæis objicit Act. 7. v. 51. in vehementissimâ, quam coram pleno sacerdotum concilio generosus ille Protomartyr Stephanus habuit, oratione. *Durâ cervice & incircumcisis cordibus & auribus! vos semper Spiritui S. resistitis: Sicut Patres vestri, ita & vos.* Et verò qui id genus aures habent, resistunt non vocibus solùm humanis; sed & insuper divinis. Capiunt ea quæ dicuntur, recipiunt semen, veritatem ipsam prope intuentur; convincitur illorum intellectus; sciunt esse peccata gravissima; actus illos improbos lasciviæ, damnatos iracundiæ motus, infelices exitus gulæ; norunt superbiæ pœnas, intelligunt avaritiæ sordes; penetrant invidiæ damna; percipiunt vocationem DEI ad meliora, ad pœnitentiam; vix possunt reluctari divinis inspirationibus, & tamen indurato corde, & aggravatis auribus resistunt Spiritui S. Bene de illis Jeremias c. 5. v. 5. *Cognoverunt viam Domini, judicium DEI sui. Et ecce magis hi confregerunt jugum, ruperunt vincula.* Verùm scisse, & non fugisse, in pœnam illis erit, prout in fine dicam, damnationemque æternam.

§. 12. *Perforatæ.* Alii habent *aures perforatas*, quibus licet Verbum DEI inseratur, idem tamen mox excidit, ut non dissimiles sint viæ publicæ & regiæ, è quâ bonum semen statim rapit Diabolus. Illarum aurium fit mentio *Exod. 21, v. 6. Deut. 15. v. 17.* ubi sancitum, ut servus emptitius, qui septimo liberationis, sive Jubilæi anno, oblatâ libertate frui recusaret, & ex amore erga herum forte diceret, *Nolo egredi*, stigmate notatus perpetuæ addiceretur servituti: *assumes*

mes subulam, inquit textus, & *perforabis aurem ejus, in januâ domûs tuæ, & serviet tibi in æternùm.* Quis sensu mystico servus talis sit, explicat S. Joannes c.8. v.34. *qui facit peccatum, servus est peccati.* Qui carni se mancipat, durissimæ se Dominæ subjicit, servus est carnis; qui cupiditates suas sequitur catenatum se reddit plurimorum tyrannorum servum & mancipium; qui voluptatibus inhiat, crudelissimo turpissimoque scorto famulatur, qui mundo se donat, libertate se exuit, qui blandienti obsequitur dæmoni, compedes sibi injicit, qui corpori, & sensualitati nihil non indulget, ligatis manibus & pedibus in caveam conjicitur.

Et tamen quotusquisque est, cui non hæc grata videatur conditio? cui non hæc placeat servitus? cui non hic mancipatus arrideat? offertur annus jubilæus, promittitur libertas, spondetur gratia, ostenditur tempus reconciliationis, & modus. Sed magis illa placet servitus. Multorum cantilena est, *nolumus egredi*. O stulti! nolunt se asserere in libertatem, nolunt exui vinculis, ita nempe tyrannus ille infernalis illorum perforavit auriculas, ut de rebus his tàm necessariis tamque utilibus nihil in audire vel possint, vel cupiant: Hinc est, quod semen DEI nunquam incidat in ejusmodi corda; hinc est quod in ejusmodi solo *infelix lolium & steriles dominantur avenæ*; hinc est denique, quod avellantur tandem, & in æternos ignes, æternum infelices mittantur.

§. 13. Spinosa. Alii habent *aures Spinosas*. Audiunt multa de peccati turpitudine, de virtutis præstantiâ; multa de castitatis splendore, & turpitudine luxuriæ; multa de laudibus liberalitatis, & avaritiæ sordibus, multa de orationis dignitate, & damnis, negligentia, bonum haud dubie semen, & messis copiosæ initium, nisi inter spinas caderet. Honor, ambitio, negotia, lites, sollicitudo sæculi, voluptates, socii, similia sexcenta semen involvunt & suffocant. Quoties non Concionatores de morte dicunt terribilia? terribiliora de judicio, de inferno terribilissima. At quid proficiunt? id quod proficere solet, qui frumenti grana in spinas dissipavit. Quoties declamatum in templis adversùm ebriosos? quoties adversùm hypocritas, avaros, invidos, luxuriosos? profectò semen fuit optimum, imo cœleste, Angelicum, divinum. Sed quæ nostrorum cordium est malitia, suffocatus est in spinis fructus vitæ universus.

Habent demum alii *aures prurientes*, de quibus Apostolus 2. ad Tim. 4. v.3. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Quales aures illi habent, qui apud Isaiam c.30. v.10. inquiunt, *Loquimini nobis placentia.* In Hebræo; *mollia, blanda, mellita*; quibus nulla gravior aut molestior est oratio, quàm quæ larvam personatis detrahit, & non vulpinâ caudâ, vel mulcente manu, hoc est mollibus, atque ad aurium §. 14. Prurientes.

volu-

voluptatem melle fluentibus verbis, sed novaculâ & scalpro putridum peccati ulcus contrectat.

§. 15. Invectiva in illos qui placentes tantum volunt audire conciones.

Ita olim Rex Achab 3. Reg. 22. v. 25. 26. Micheâ spreto, à quo salubriter veritas proponebatur, maluit quadrigentis pseudo-prophetis assentatoribus aures præbere; quorum adulatione deceptus exitium sibi acceleravit. Eodem aurium pruritu laborarunt Judæi illi, qui eloquentiâ sacrorum Vatum, tanquam harmonico quodam concentu delectabantur, & eos nihilominus habebant ludibrio, & tum ipsorum, tum ipsius etiam DEI mandata longè sanctissima contemptui habebant. Quod Deus apud Ezechielem testatur, quem ita quasi præmunitum voluit atque animatum, ne idcirco prætermitteret ingerere veritatem cap. 33. v. 31. *in canticum oris sui vertunt sermones tuos, & tu es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sermone canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* In quem locum ita S. Hieronymus: *tales sunt hodie multi in Ecclesiâ, qui ajunt, venite audiamus illum, & illum, mirâ eloquentiâ prædicationis suæ, verba volventem.* Quantum autem hoc sit malum docet. S. Chrysost. hom. 38. ad pop. *Hoc Ecclesias DEI subvertit, quoniam nec vos sermonem audire quæritis, compunctorium; sed potius qui delectare sono valeat, per bonam compositionem, tanquam cytharœdos audientes: & nos, sæviter, ac ærumnosè facientes, vestras sequimur complacentias, cum eas deberemus exscindere.* Et tales audiunt verbum DEI sine fructu, imò in æternam illis cedet pœnam, & damnationem.

§. 16. Diabolus ferventissimus Concionator. Rara de eo historia.

Cui rei argumento sit terribilis illa historia, cujus locupletem habeo auctorem S. Antonium Archiep. Florentinum. Contingit in quodam monasterio, Concionatorem, paulò ante concionem incidere in morbum, itaque sollicito, ut fieri solet, priori de alio substituendo, nuntiat janitor, adesse præ foribus religiosum, nescio quem, vel unde peregrinum. Admittitur gratus hospes, adducitur ad Priorem cœnobii, cum hoc ille loqui familiariter, sua eidem offerre debita, ut ajebat, & obsequia; quæ sibi Prior inprimis grata fore atque opportuna dicebat, si infirmi vices concionatoris dicendo ad populum suppleret. Spondet ille hâc in re operam suam, dicitq; ad populum, tantâ linguæ facundiâ, tanto animorum motu, tantoque plausu præsentium, ut ad finem Concionis potissima Auditorum pars ubertim solveretur in lacrymas, atque alia etiam pœnitentiæ signa, licet alias insolita præ se ferret. Ita efficax fuerat in dicendo de enormitate peccati concionator ille hetroclitus, ita fervens in concitandis animorum motibus, ita serius in describendis inferni pœnis, ita elegans atque facundus in commendandis gaudiis paradisi. Atq; ecce dum hæc ita fiunt omnium cum stupore atque admiratione, vir quispiam sanctitate illustris permittente Deo agnoscit personatum hunc hospitem, & concionatorem peregrinum; agnoscit inquam ipsissimum il-

vitæ, uvas cœlestis vineæ, fructus paradisi, sed non nisi vinitoribus, non nisi iis, qui terram operantur in sudore vultûs sui. Pollicitus est victoriam adversum hostes in bello, sed non nisi iis, qui cum Paulo bonum certamen certant. Addixit bravium athletis, sed non nisi illis, qui in stadio cursum consummârint. Pactus est mercedem cum famulis, sed non nisi operariis. Denique sanitatem spospondit infirmis, sed non nisi obtemperantibus atque ad facienda Medici sui imperia comparatis.

Aliud simile Evangelica vinea mihi suggerit. Ut vitis ferat fructus, ut uvæ maturescant, indiget ligno, cui debet alligari. Neutrum sufficit, non sola vitis, non solum lignum: & vite, & ligno opus est. Pari ratione prædestinationem nostram duo conficiunt; arbor sive lignum Crucis, & vitis, id est, JESUS Salvator, & homo. Hic gratiæ vocanti debet cooperari.

§. 15. *Quare gloria æterna sit corona Justitiæ.* Idem sensus latet in v. 7. c. 4. ep. 2. ad Timoth. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo* (sive propterea) *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illâ die justus judex.* Neque enim illa gloria est corona tantùm gratiæ & misericordiæ, sed meriti & justitiæ, sive Deus illam confert, non tantùm ut benevolus benefactor, sed ut justus judex. S. Anselm. ibi. *Corona justitiæ, id est, quam justè merui, quam non dabit, sed reddet mihi, quia justus judex est.* Et in hodierno Evangelio ait Paterfamilias, v. 4. *quod justum est, dabo vobis.* Item v. 8. *voca operarios, & redde illis mercedem.*

Alio pulchro simili rem declarat S. Chrysost. hom. 66. in Matth. Fingamus locum certaminis, quô multi & celebres athletæ confluxerunt, duos quosdam præcipuâ quâdam familiaritate Principi junctos, accessisse, qui amicitiâ illius freti postulare audeant, ut ipsi victores proclamentur & coronentur, quibus ille respondeat: *Non est meum id dare vobis, sed quibus labore & sudore præparatum est.* Nunquid illum quasi id non potentem facere condemnabimus? nequaquam. Sed justitiam ejus admirabimus. Sicut igitur Princeps ille, non quia non potest, sed quia non vult certaminis leges transgredi, & justitiæ ordinem perturbare; bravium negat, sic utique Christum D. fecisse affirmamus. Potest cœlestem gloriam largiri veluti coronam gratiæ, sed non vult. Reddit eam ut coronam justitiæ. §. 16. *Aliud simile S. Chrysost.*

§. 17. *Triplex effectus Passionis Christi D.* Aptè ad rem nostram S. Paulus ad Titum 2. v. 14. *Dedit* (scilicet Salvator noster JESUS) *semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*

Expressit Apostolus his verbis triplicem effectum Passionis. *Primus fuit*, ut nos redimeret: satisfecit enim pro nobis Patri. *Secundus*, ut mundaret nos in balneo pretiosissimi sui sanguinis, juxta illud Isaiæ 1. v. 16. *lavamini, mundi estote.* *Tertius*, ut efficeret nos sectatores bonorum operum: id est, non satis est recedere à malo, sed oportet insuper facere bonum. Perinde

inde ac si diceret Salvator noster: Non satis est ad salutem vestram, quod vos redemerim, quod meum pro vobis sanguinem fuderim; sed necesse est præterea, ut sitis, *sectatores bonorum operum Tit. 2. v. 14.* Textus græcus habet, *Zelotes bonorum operum.* S. Hieronymus. *Æmulatores.* Hoc est, inquit S. Chrysostomus, *magnâ cum alacritate, atque ingenti studio virtutis opera capessendo*; vel ut conformiter loquar hodierno Evangelio, sedulos nos, in vineâ Domini, operarios exhibere necesse est.

§. 18. *Opera ostendat, qui exigit retributionem.* S. Chrysost. in imperf. hom. 34. *Scitote quia mercenarii sumus conducti, mercenarius autem sine opere non potest esse; opera autem nostra sunt opera Iustitiæ.* Si mercenarii Christi sumus, primùm debemus áspicere, quæ pertinent ad gloriam DEI, & proximi profectum: & sicut mercenarius quâ die opus non fecerit, erubescit intrare domum, & petere sibi panem; quomodo tu non confunderis intrare in Ecclesiam, & stare ante conspectum DEI (& petere gloriam cœlestem vel cogitare de cœlo) quando nihil boni in conspectu DEI egisti? S. Basilius. *Opera ostende, & exige retributionem.*

Aureum profectò dictum, quod ego singulis vobis inculcatum vellem, iis verò potissimùm, qui sibi ipsi plus æquo blandiuntur de cœli certitudine, quique in solis Christi meritis, non in operibus confidendum existimant. Age lasciviæ, Venerisque cliens, si cœlum speras, si expectas retributionem, *opera ostende.* Ita te urget magnus ille sanctitate atque eruditione Basilius; imò verò tua te quondam urgebit conscientia. Opera ostende; sunt illa opera carnis, quæ teste Apostolo non cœlum, sed infernum merentur. Age invide, si quæ habes; *opera ostende.* Ubi charitas? ubi proximi dilectio? ubi studium benefaciendi? ubi opera misericordiæ? ubi semen gloriæ? nam *quod seminaverit homo, hoc & metet; qui de carne seminavit, de carne & metet &c.* Age gulæ ventrisque mancipium, si exigis retributionem à Numine, *Opera ostende.* Prô, quàm sunt illa homine indigna! quàm ipsis bestiis & brutis communia, quàm sordida, turpia, nefanda! tace de retributione cœlestis gloriæ.

Age inflatum superbiâ pectus, *ostende tua opera.* Heu opera non Christi, sed Luciferi! ab hoc igitur Magistro præmium, non à Christo expecta mercedem &c.

Exod. 13, v. 21. Filios Israël per desertum deduxit columna ignea, quæ ostendit illis viam ad terram promissionis. Sed hoc non fuit satis, eundum illis fuit cum magno labore, confligendumque cum hostibus. Terra illa lacte & melle fluens cœlestis gloriæ typus est. Columna est fides, vel Christus D. qui viam ostendit, imò præivit; sed hoc non est satis, nil nobis proderit vel fulgor columnæ, vel exemplum Christi, nisi ejus lucem sequamur. Non satis est radiantem vidisse columnam, sed vidisse & ivisse in ejus luce, requiritur. §. 19. *Israelitæ non tantū viderunt col. sed cum labore secuti sunt.*

§. 20. *Pulchrũ dictum S. Aug.*

Nunc igitur ſtatuamus hoc tandem, Aud. laborandum eſſe in hoc procellarum pelago, ne ſubmergamur: pugnandum, ſi amamus victoriam, currendum, ſi bravium expetimus, laborandum in vineâ Domini, ſi vinum gloriæ ſitimus, vigilandum in obſequio Dei, ſi deſideramus mercedem æternam.

Nihil aliud profectò voluit quondam S. Auguſt. cum diceret: *In brachiis Salvatoris mei cupio vivere & mori*: vivere inquit & mori, id eſt laborare, ſpirare, vigilare, certare, defatigari, & demum mori & quietem illam beatiſſimam in cœlis auſpicari.



CONCIO XII.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Qui habet aures audiendi audiat.

Luc. 8. v. 8.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRæſens Concio agit de efficaciâ Verbi DEI; & quod nihilominus multis non proſit.

§. 1. *Conſultatio Athenienſium, quâ ratione bonis legibus Reſp. firmanda.*
§. 2. *Quid ſignificent murenulæ aureæ.*
§. 3. *Semen Verbi Dei eſt efficax.*
§. 4. *Multi nihilominus audiunt ſine fructu. Conf. ex l. 1. reg. c. 28.*
§. 5. *Idem fit hodie.*
§. 6. *Confirmatur 2. ex l. 4. reg. c. 1.*
§. 7. *Querela S. Chryſoſtomi.*
§. 8. *Explicatio verſus Pſ. 28.* pone illos ut rotam.
§. 9. *Quinam projiciant verbum Dei poſt dorſum?*
§. 10. *Variæ ſimilitudines.*
§. 11. *Variæ aures Auditorum incircumciſæ.*
§. 12. *Perforatæ.*
§. 13. *Spinoſæ.*
§. 14. *Prurientes.*
§. 15. *Invectiva in illos qui tantum placentes volunt audire conciones.*
§. 16. *Diabolus ferventiſſimus Concionator; Rara de eo hiſtoria.*

§. 1. *Conſultatio Athenienſium, quâ ratione bonis legibus reſp. firmãda.*

IN ſapientiſſimo Athenienſium ſenatu magni momenti quæſtio olim fuit propoſita; quâ ratione optimis legibus ac inſtitutis firmarent civitatem. Varii variè, & prudenter reſponderunt, verùm cùm inter ſe non convenirent, unanimi tandem conſenſu in re tanti momenti conſulendum

dum

dum sibi esse Oraculum Apollinis decreverunt. Quo facto id responsi tulerunt; *beatam fore Rempublicam, si liberorum auribus, quod omnium pretiosissimum est, appenderent.* Rati igitur parentes nihil esse pretiosius, vel auro, vel gemmis, mox nobilissimis, magnâ æmulatione, & pulcherrimis margaritis atque unionibus, juvenum virginumque aures ornaverunt. Non tamen putem fuisse inaurem Cleopatræ, quæ centies sestertium, id est, teste Budæo, ducenta quinquaginta millia aureorum appendebat. Sed errarunt boni Athenienses, neque satis prudentissimi oraculi mysterium intellexerunt.

§. 2. *Quid significent murenulæ aureæ.*

Phœbus dicere voluit, optimè constitutam forè Rempubl. Si parentes filiorum auribus instillarent præclara ad vitam honestè componendam monita atque præcepta: quæ si audirent, ornatas fore eorum aures quasi pulcherrimis murenulis. Tales Gen. 24. v.47. Eliazer obtulit Rebeccæ, sponsæ Isaaci, Cant. I. v. 10. ait sponsus: *murenulas aureas faciemus tibi*, Is. 3. v. 18. *auferet Deus murenulas.* Elegantèr ille poëta:

Gemmat ab aure lapis, nil mollius imâ
Auriculâ, & forti vulnere saxa gerit.
Quin gerit & fundos, quid? prædia tota, vel una
Aure gerit mulier; Major Atlante vir est.

Quid per murenulas vel ornatum aurium intelligat Spiritus Sanctus, advertit S. August. hom. 26. ex 50. *In auribus aureis significantur verba divina. Qui verbum DEI libenter audit, inaures animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet.* Hugo Card. *Inauris aurea est doctrina Catholica.* Dicam ego accommodè ad hod. Evang. *Inauris aurea est auditio Verbi DEI.* Si quis ex me hodie quærat, quâ ratione civitas hæc Moguntina optimis legibus firmari possit, Respondeo, firmabitur, si omnium aures ornatæ sint murenulis, sive, si omnes ad audiendum Verbum DEI, aures habeant, quales Salvator noster in hod. Evangelio requirit. Harum defectu in multis perit auditum Verbum DEI, sine omni fructu; audiunt siquidem perquam multi sæpè conciones ferventes, audiunt clamantem Christum, de morte, de judicio, de inferno; audiunt inquam, at non obediunt; non respondet concionibus fructus, ut meritò in auribus Auditorum defectus latere non exiguos suspicemur. Atque adeo non erit abs re, si de illis præsenti in Concione aliquantô differam fusiùs atque prolixiùs. Vos interim arrectis auribus loquenti, rectas pariter & benevolas aures accommodate.

Et inprimis quidem magnæ efficaciæ est semen Verbi DEI. Tria ejus granula, vel verba Salvatoris inciderunt in cor Petri & Andreæ, *Venite post me*, Matth. 4. v. 19. Et ecce fructum eorum insignem! nam relictis confestim retibus, & navi, *secuti sunt eum.* Nobilissimus fructus Verbi Dei est, Christum vocantem relictis omnibus creaturis statim sequi. Cor Matthæi in tolonio erat terra spinosa, plena curis sæculi, horrida usuris & fraudibus;

§. 3. *Semen Verbi Dei est efficax.*

dibus; sed duo tantùm granula, vel verba Salvatoris, *sequere me*, Matth.9. v.9. eradicarunt spinas, & fructum tulerunt cœlestem, Christum quippe secutus fuit illicò Matthæus.

Luc.7.v.38. Cor Magdalenæ erat terra cœnosa, lutulenta & contaminata sordibus luxuriæ: quamprimùm verò in Concione Christi, semen Verbi divini excepit, jam cœpit lacrymis animi sordes eluere, amare, dolere, gemere, quærere Christum, detestari scelera, amare virtutem &c. quæ omnia eximii fructus sunt divini seminis. Æquè cœnosa terra fuit cor Samaritanæ; ipsa enim erat adultera; paucis tamen verbis Christi conversa, Joh.8. v.11.

Terra petrosa erat cor utriusque latronis in Cruce ad latera Christi; fuêre illi impœnitentes ferè usque ad extremum vitæ articulum; tandem alter auditis aliquot suavissimis verbis, à Christo in Cruce prolatis, quibus pro inimicis veniam deprecabatur, conversus ad Deum, plenus fide, commotus contritione, amore æstuans, exclamat, *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum*; & aufert paradisum, Luc.23.v.42.

Simili ratione sæpè hodie multi peccatores se conferunt ad audiendum Verbum DEI; cor illis est spinis horridum, vel petris saxisque constratum, vel sordibus, & luto infectum, & convertuntur tamen; nimirùm quia divinum illud semen recipiunt corde optimo; id est, bonâ voluntate sequendi Christum, agendi pœnitentiam &c. Multi alii eadem audiunt, sed sine omni fructu.

§. 4. *Multi nihilomnibus audiunt sine fructu. Conf. ex l.1. Reg. c. 28.*

Pulchra nobis rei hujus suppetunt exempla in S. Scripturâ 1. Reg. 28. ubi permittente Deo, & rogante Saule, à Pythone excitatur umbra Samuelis; permisit Deus, ut impio Regi illa umbra esset præco Verbi Dei, eique salutarem incuteret timorem, atque ad pœnitentiam excitaret. Si enim ait voce tristi v. 28. v. 17. *hæc faciet tibi Dominus; scindet regnum tuum, quia non obedisti voci Domini; dabit Dominus Israel tecum in manus Philistym, cras tu & filii tui mecum eritis.* Ecce semen Verbi DEI, sed sine fructu! Enim verò oportuisset Saulem ad has voces converti, oportuisset illum hoc fulmine percelli, & de mutandâ in meliorem rerum statum vitâ cogitare. Sed nihil minus ab illo factum. Territus quidem nonnihil fuit ab initio, cum primùm umbra in ejus prodiisset conspectum, sed cum evanescente ab oculis umbra, evanuit & timor ab animo. Oblitus est verborum illorum Saul, quorum debuisset immortalis extitisse memoria. O labilem & nimis brevem in negotio salutis memoriam.

§. 5. *Idem fit hodie.*

Hoc nimirum est hodiedum in more positum Christianorum quàm plurimis; audiunt cum Saule verbum Dei, audiunt dicentem pro suggestu Ecclesiastem de amore Dei, de odio peccati, de pœnis superbiæ, de invidiæ stimulis, de luxuriæ sordibus, de gulæ turpitudine, de Judicis severitate, de tormentorum magnitudine, de alterius vitæ æternitate, de sempiternis inferorum Cruciatibus. Audiunt inquam

quam; sed Saulem imitantur; mox enim obliviscuntur verborum illorum. Quid aget fervens quispiam Concionator? ut eos in salutarem conjiciat terrorem, producit ex inferis umbram divitis epulonis, qui è flammis illis concionatur lugubri voce. *Crucior in hâc flammâ Luc.16.v.24.* Aliàs producit tristissimam umbram, Christum pendentem in Cruce, ut lugubri aspectu terreat impios, ut moveat ad pœnitentiam; clamat Concionator instar Samuelis, *O impii! Deus recessit à vobis, tradet vos inimicis vestris: moriemini, fortè cras eritis in inferis* &c. hæc audiunt scelesti; quo fructu? stupent nonnihil; dici de illis potest illud, quod Evangelium dixit de Judæis audientibus perorantem Christum, *Mirabantur. Quidtum & quærebant eum interficere Joh.5.18.* Ita profectò adhuc hodiedum fieri amat apud Christianorum quàm plurimos. Audiunt in concionibus multa de Passione Christi; multa de ejus mansuetudine, de patientiâ, de bonitate, & *mirantur etiam*! sed interim contraria agunt omnia, vix egressi templo, iterum impatientes ut ante; iterum invidiæ stimulis agitati, ut ante, iterum iracundi, rabidi, furiosi! Hoc est, *mirantur: & iterum quærunt crucifigere.* Mirantur virtutem Christi, & imitantur vitia diaboli; stupent vias arduas, atque difficiles peccatorum, & illis tamen insistunt: mirantur proborum, & in hâc, & in alterâ vitâ felicitatem, sed ad illam non aspirant.

§. 6. *Confirmatur 2. ex l. 4. Reg. c. 1.* 4. Reg.1.v.10. Impius Rex Ochozias misit quinquaginta viros ad Eliam in montem; sed *orante Elia descendit ignis de cœlo, & devoravit eos.* Territus fuit tristi nuntio Ochozias: nihilominus misit alios quinquaginta, sed & hos devoravit ignis de cœlo. Hic impiam mentem mutare debuisset Rex impius; nec tamen fecit; sed tertium misit ducem, cum quo tandem, imperante Angelo Elias descendit ad Regem, paucis, sed Domini verbis illum affatus v. 16. *quia misisti nuntios ad consulendum Belzebub, quasi non esset Deus in Israel, ideo de lectulo hoc non descendes, sed morte morieris*, O brevem, sed terribilem Concionem! Nec tamen meminit Sacer textus, quod Rex fleverit, quod pœnitentiam egerit, sed ait v.17. *Mortuus est ergo juxta sermones Domini.* Idem contra impios faciunt ferventes Concionatores, veluti Eliæ minantur ignem de cœlo, evocant flammas ex inferno, clamant, innumeros devorati ab igne tartareo, clamant: *Moriemini.* Sed quo fructu? capiuntur hæc verba dum audiuntur, moventur nonnihil pectora, tanguntur corda, feriuntur conscientiæ! sed, ah! nimis levi vulnere sauciantur. Adest quippe confestim rapax illa volucris inferni, adest Diabolus, & rapit semen bonum de cordibus eorum.

De similibus conqueritur S. Chrysostomus, cùm in concione adverteret aliquos peculiariter motos: *Videre vos videor ad hæc dicta incaluisse, & quasi cera emollitos: verùm cùm hinc fuerit abscessum, nulla erit horum apud vos recordatio.* Teste Plinio fons est, cujus liquor in templis vinum est, foris aqua. Id quod Borchorius de iis exponit, qui dum audiunt Verbum DEI, sunt quasi vinum, ferventes, atque §. 7. *Querela S. Chrysostomi.*

atque æstuant fervore rerum cœlestium: cumprimum verò pedem de templo movent, mutantur in aquam, perdunt sui pretium, amittunt devotionem.

§. 8. Explicatio v. ex Ps. 81. Pone illos ut rotam.

Regius psaltes comparat illos rotæ, non cuicunque sed aquatili Ps. 82. v. 14. *Deus meus pone illos ut rotam.* Legit Lanspergius t. 2. Ser. 23. *pone illos Domine mi, ut fistularum rotam.* Cùm quis altior est hortus, qui à præterlabente rivo rigari non potest, fieri solet ingens aliqua rota plena ollis vel receptaculis, quæ cùm infra aquam hauriant, eam superius in motu statim effundunt. His rotis similes sunt multi Auditores Verbi DEI; hauriunt ex illo veluti fonte aquas salutares, sed mox effundunt. De his ait Ecclesiasticus cap. 21. v. 17. *Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit.* ibid. *audivit verbum luxuriosus, & projicit illud post dorsum suum.*

§. 9. Quinam projiciant Verbum DEI post dorsum.

Quid est hoc obsecro, *audire verbum, & projicere illud post dorsum?* nisi neglectui habere, contemnere, non æstimare, ut par est; non perpendere, non ad illus veritatem dignitatemque vitam conformare. Nimirum audit verbum luxuriosus, verbum vitæ, verbum puritatis, verbum veritatis æternæ, quod nomine Dei Ecclesiasticus proponit. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* audit inquam, *sed projicit post dorsum*, contemnit hanc pulchritudinem, despicit claritatem, sordes amplectitur. Audit avarus tonantem pro concione DEI vocem, ex illo Jobi. 20. v. 15. *Divitias, quas devoraverat, evomet, & de ventre ejus retrahet eas Deus. Sed projicit post dorsum*, neque ideo ab usuris, rapinis, pauperum oppressionibus, atque aliis ejusmodi vitiis discedit. Audit superbus ex c. 18. v. 3. S. Matthæi vocem Domini; *nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Sed projicit post dorsum*: negligit, contemnit; tantùm abest ut aliquem inde fructum reportare conetur.

§. 10. Variæ similitudines.

Sed juvat rem eandem alio adhuc simili illustrare. Contingit subinde ut orto de nocte incendio, ejus rei citatis campanæ ictibus è turri signum detur dormientibus illâ in urbe civibus. Mox ergo è lecto proripit se Paterfamilias, atque altâ voce, suo nomine vocat, atque ocyus adesse jubet famulum, qui ut somnolentus est Endymion, ita etsi vocantem domini vocem percipiat, etsi audiat frequentes campanæ, mœstum resonantis clangorem, ictus, etsi alios iisdem in ædibus è strato se corripuisse intelligat, etsi audiat clamorem populi, per vicos, ac compita non sine sollicitudine discurrentes, etsi demum *periculum esse in morâ* intelligat, tamen ut suæ indulgeat pigritiæ, nequicquam movetur vel domini clamantis voce, vel imminentis necessitate periculi, vel vicinorum prætervolantium strepitu, vel promptâ domesticorum sedulitate: quin potius eodem in lecto se volutat, versat, reversat, perinde ac si nihil omnino timendum, aut nihil momenti alicujus & ponderis ageretur. Hic ipse hodiernâ die genius est multorum impiorum. Audiunt domini

mini

mini vocem, loquentem de æternis inferorum pœnis, audiunt strepitus conscientiæ, & sexcenta alia, quæ ad surgendum è longo scelerum somno movere possent deberentque, etiam veterno correptos. Dormiunt tamen non surgunt, non terrentur, vel certè terrentur parum, & rursùm indormiscunt.

Sic plurimi sine fructu audiunt Verbum DEI. Causam præcipuam insinuat Salvator noster in hodierno Evangelio citato themate, quo innuit, non omnes habere aures, quales habere deberent, dum verbum DEI excipiunt. Enimverò sunt qui aures habent petrosas, in quas si quid boni seminis incidat, non altiores quàm ad saxi superficiem radices aget. Audiunt quidem vocem vel DEI interius ad ostium stantis, pulsantis, intrare adnitentis, monentis, comminantis; vel tutelaris Genii tanquam domestici pædagogi, instruentis, adhortantis, deterrentis; ut de Conscientiæ altissimis vocibus. de Concionatorum clamoribus nihil dicam; sed quia semen hoc asperis cautibus inspergitur, radices non agit, vix verba audiunt, & cum voce semen omne, ejusque vis atque virtus evanescit.

§. 11. *Varia aures auditorum.* Huc revocantur aures incircumcisæ à Jeremia, dùm inquit c. 6. v. 10. *Cui loquar, & quem contestabor ut audiat? ecce incircumcisæ aures & audire non possunt.* Id est, sunt aures duræ, asperæ, salebrosæ, & ut ibidem loquitur, *aggravatæ*, vel ex Ps. 57. v. 5. in morem *aspidis surdæ.* *Incircumcisæ.* Tales aures Judæis objicit Act. 7. v. 51. in vehementissimâ, quam coram pleno sacerdotum concilio generosus ille Protomartyr Stephanus habuit, oratione. *Durâ cervice & incircumcisis cordibus & auribus! vos semper Spiritui S. resistitis: Sicut Patres vestri, ita & vos.* Et verò qui id genus aures habent, resistunt non vocibus solùm humanis; sed & insuper divinis. Capiunt ea quæ dicuntur, recipiunt semen, veritatem ipsam prope intuentur; convincitur illorum intellectus; sciunt esse peccata gravissima; actus illos improbos lasciviæ, damnatos iracundiæ motus, infelices exitus gulæ; norunt superbiæ pœnas, intelligunt avaritiæ sordes; penetrant invidiæ damna; percipiunt vocationem DEI ad meliora, ad pœnitentiam; vix possunt reluctari divinis inspirationibus, & tamen indurato corde, & aggravatis auribus resistunt Spiritui S. Bene de illis Jeremias c. 5. v. 5. *Cognoverunt viam Domini, judicium DEI sui. Et ecce magis hi confregerunt jugum, ruperunt vincula.* Verùm sciisse, & non fugisse, in pœnam illis erit, prout in fine dicam, damnationemque æternam.

Alii habent *aures perforatas,* quibus licet Verbum DEI inseratur, idem tamen mox excidit, ut non dissimiles sint viæ publicæ & regiæ, è quâ bonum semen statim rapit Diabolus. Illarum aurium fit mentio *Exod. 21, v. 6. Deut. 15. v. 17.* ubi sancitum, ut servus emptitius, qui septimo liberationis, sive Jubilæi anno, oblatâ libertate frui recusaret, & ex amore erga herum forte diceret, *Nolo egredi,* stigmate notatus perpetuæ addiceretur servituti: *assumes* §. 12. *Perforata.*

mes subulam, inquit textus, & *perforabis aurem ejus, in januâ domûs tuæ, & serviet tibi in æternùm.* Quis sensu mystico servus talis sit, explicat S. Joannes c.8. v.34. *qui facit peccatum, servus est peccati.* Qui carni se mancipat, durissimæ se Dominæ subjicit, servus est carnis; qui cupiditates suas sequitur catenatum se reddit plurimorum tyrannorum servum & mancipium; qui voluptatibus inhiat, crudelissimo turpissimoque scorto famulatur, qui mundo se donat, libertate se exuit, qui blandienti obsequitur dæmoni, compedes sibi injicit, qui corpori, & sensualitati nihil non indulget, ligatis manibus & pedibus in caveam conjicitur.

Et tamen quotusquisque est, cui non hæc grata videatur conditio? cui non hæc placeat servitus? cui non hic mancipatus arrideat? offertur annus jubilæus, promittitur libertas, spondetur gratia, ostenditur tempus reconciliationis, & modus. Sed magis illa placet servitus. Multorum cantilena est, *nolumus egredi.* O stulti! nolunt se asserere in libertatem, nolunt exui vinculis, ita nempe tyrannus ille infernalis illorum perforavit auriculas, ut de rebus his tàm necessariis tamque utilibus nihil in audire vel possint, vel cupiant: Hinc est, quod semen DEI nunquam incidat in ejusmodi corda; hinc est quod in ejusmodi solo *infelix lolium & steriles dominantur avenæ*; hinc est denique, quod avellantur tandem, & in æternos ignes, æternum infelices mittantur.

§. 13. Spinosa. Alii habent *aures Spinosas.* Audiunt multa de peccati turpitudine, de virtutis præstantiâ; multa de castitatis splendore, & turpitudine luxuriæ; multa de laudibus liberalitatis, & avaritiæ sordibus, multa de orationis dignitate, & damnis, negligentia, bonum haud dubie semen, & messis copiosæ initium, nisi inter spinas caderet. Honor, ambitio, negotia, lites, sollicitudo sæculi, voluptates, socii, similia sexcenta semen involvunt & suffocant. Quoties non Concionatores de morte dicunt terribilia? terribiliora de judicio, de inferno terribilissima. At quid proficiunt? id quod proficere solet, qui frumenti grana in spinas dissipavit. Quoties declamatum in templis adversùm ebriosos? quoties adversùm hypocritas, avaros, invidos, luxuriosos? profectò semen fuit optimum, imo cœleste, Angelicum, divinum. Sed quæ nostrorum cordium est malitia, suffocatus est in spinis fructus vitæ universus.

§. 14. Prurientes. Habent demum alii *aures prurientes*, de quibus Apostolus 2. ad Tim. 4. v.3. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Quales aures illi habent, qui apud Isaiam c.30. v.10. inquiunt, *Loquimini nobis placentia.* In Hebræo; *mollia, blanda, mellita*; quibus nulla gravior aut molestior est oratio, quàm quæ larvam personatis detrahit, & non vulpinâ caudâ, vel mulcente manu, hoc est mollibus, atque ad aurium volu-

voluptatem melle fluentibus verbis, sed novaculâ & scalpro putridum peccati ulcus contrectat.

§. 15. Invectiva in illos qui placentes tantum volunt audire conciones.

Ita olim Rex Achab 3. Reg. 21. v. 25. 26. Micheâ spreto, à quo salubriter veritas proponebatur, maluit quadrigentis pseudo-prophetis assentatoribus aures præbere; quorum adulatione deceptus exitium sibi acceleravit. Eodem aurium pruritu laborarunt Judæi illi, qui eloquentiâ sacrorum Vatum, tanquam harmonico quodam concentu delectabantur, & eos nihilominus habebant ludibrio, & tum ipsorum, tum ipsius etiam DEI mandata longè sanctissima contemptui habebant. Quod Deus apud Ezechielem testatur, quem ita quasi præmunitum voluit atque animatum, ne idcirco prætermitteret ingerere veritatem cap. 33. v. 31. *in canticum oris sui vertunt sermones tuos, & tu es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sermone canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* In quem locum ita S. Hieronymus: *tales sunt hodie multi in Ecclesiâ, qui ajunt, venite audiamus illum, & illum, mirâ eloquentiâ prædicationis suæ, verba volventem.* Quantum autem hoc sit malum docet. S. Chrysost. hom. 38. ad pop. *Hoc Ecclesias DEI subvertit, quoniam nec vos sermonem audire quæritis, compunctorium; sed potius qui delectare sono valeat, per bonam compositionem, tanquam cytharœdos audientes: & nos, sæviter, ac ærumnosè facientes, vestras sequimur complacentias, cum eas deberemus exscindere.* Et tales audiunt verbum DEI sine fructu, imò in æternam illis cedet pœnam, & damnationem.

§. 16. Diabolus ferventissimus Concionator. Rara de eo historia.

Cui rei argumento sit terribilis illa historia, cujus locupletem habeo auctorem S. Antonium Archiep. Florentinum. Contingit in quodam monasterio, Concionatorem, paulò ante concionem incidere in morbum, itaque sollicito, ut fieri solet, priori de alio substituendo, nuntiat janitor, adesse præ foribus religiosum, nescio quem, vel unde peregrinum. Admittitur gratus hospes, adducitur ad Priorem cœnobii, cum hoc ille loqui familiariter, sua eidem offerre debita, ut ajebat, & obsequia; quæ sibi Prior inprimis grata fore atque opportuna dicebat, si infirmi vices concionatoris dicendo ad populum suppleret. Spondet ille hâc in re operam suam, dicitq; ad populum, tantâ linguæ facundiâ, tanto animorum motu, tantoque plausu præsentium, ut ad finem Concionis potissima Auditorum pars ubertim solveretur in lacrymas, atque alia etiam pœnitentiæ signa, licet alias insolita præ se ferret. Ita efficax fuerat in dicendo de enormitate peccati concionator ille hetroclitus, ita fervens in concitandis animorum motibus, ita serius in describendis inferni pœnis, ita elegans atque facundus in commendandis gaudiis paradisi. Atq; ecce dum hæc ita fiunt omnium cum stupore atque admiratione, vir quispiam sanctitate illustris permittente Deo agnoscit personatum hunc hospitem, & concionatorem peregrinum; agnoscit inquam ipsissimum il-

lum esse Satanam, quem proinde de cathedrâ descendentem hunc fere in modum affatus adjurat: *Quid tibi cum verbo veritatis, Dei hominumque inimice, Satanas? quomodo audes Christi, atque Apostolorum fungi ministerio, perditissime Spiritus?*

Cui ille. *Quid in me habes, quod arguas? an non veritatis fui praeco? an non Auditores movi ad lacrymas? Scio hoc*, inquit vir Sanctus; *sed quia sine dubio intentione pessimâ fecisti; Adjuro te in nomine IESU Crucifixi, ut hic publicè veritatem fatearis.* Tum Satanas. *Ecce omnes hi ad horam credentes sunt; ad horam compuncti & lacrymantes, mox verò adveniente tempore tentationis recedent, iisdemque peccatis immergentur. Erit ergo verbum veritatis, à me etiam pronuntiatum, ipsis in opprobrium, & lacrymæ, quas fuderunt, contra eos in illâ die erunt in testimonium.*

Ite nunc impii Concionatorum contemptores; ite quibus cor est lapideum, & divino semper semini resistit: ite quibus aures sunt obturatæ spinis; ite &c. Nam si ipse vos de neglectâ veritatis viâ accusat veritatis inimicus Sathanas, si ipsa vos vestra damnat conscientia; si nullæ vos amplius terrent in hâc vitâ minæ; cogitate vos olim cum spinis præbituros sempiternis illis ignibus infelix pabulum atque alimentum! Nos verò Auditores, quibus curæ cordique est semen illud divinum, Verbum DEI, nos quibus corda patent atque aures, ad accipiendam, perficiendamque DEI voluntatem in hoc sæculo, jure lætari oportet, jure spe plenos atque exspectatione vitam degere tranquillam, quoad certissimos æternæ beatitudinis fructus ex illo divino semine in beatâ cœli æternitate pullulare videamus.

CON-



CONCIO XIII.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Ecce ascendimus Jerosolymam.

Luc. 18. v. 31.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponitur duplex quæstio: prima est, Quare Ecclesia hoc triduo, in Evangelio proponat Mysteria Passionis: altera, Cur Societas JESU, sub Oratione quadraginta horarum, cùm magnâ solennitate publicæ venerationi exponat Venerabile Sacramentum.

§. 1. *Societas IESU cœpit Antecineralia solenniter celebrare.*

§. 2. *Propositio.*

§. 3. *Recolere passionem, & venerari Eucharistiam, utrumque Christo D. est gratissimũ, quod simili explicatur.*

§. 4. *Quare Christus D. in V. Eucharistia & in Cruce sit botrus.*

§. 5. *Christus D. frequenter ante passionem ejusdem cum gustu fecit mentionem.*

§. 6. *Memoria Passionis impedit peccata, sive gravissimis peccatoribus est pœna.*

§. 7. *Diabolo, leoni rugienti hoc triduo se opponunt Eclesia & Societas IESV, proponendo Christum patientem, cujus conspectus frœnat concupiscẽtias.*

§. 8. *Confirmatur ex S. Amb. Iobo, & S. Gregor. Magno.*

§. 9. *Ecclesia in Evangelio, Societas in templis proponit mysteria passionis.*

§. 10. *Tragicum factum viduæ Romanæ animantis filios ad vindictam de nece Parentis.*

§. 11. *Applicatio.*

§. 12. *Prosopopœia Ecclesiæ, vel Societatis ad peccatores.*

§. 13. *Memoria passionis scutum est, quo Diabolus vincitur, ipso fatente.*

§. 14. *Mirabilis vermis in Persia.*

§. 15. *Ecclesia & Societas IESV conatur hoc triduo excitare peculiarem devotionem, qualis fuit Tobiæ. c. 1.*

§. 16. *In quibus debeamus prætereà imitari Tobiam.*

§. 17. *Historia de fugitivo David à facie Absalonis.*

§. 18. *Applicatio ad Christum D. & nos.*

§. 19. *Devotio S. Catharinæ Senensis hoc triduo, & ingens illi exhibita gratia.*

§. 20. *Visio affectuosa S. Gertrudis hoc triduo.*

§. 1. Societas IESV cœpit Antecineralia solenniter celebrare.

DOminicam hodiernam, uti & sequentes duos dies, minima Societas JESU præcipuâ celebrat solennitate. Obstupuit orbis dum ante annos circiter sexaginta hoc triduo instituit orationem quadraginta horarum, cum plenariis Indulgentiis pro iis, qui hoc triduo sanctissimis sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ reficiuntur. Eò tamen (quæ DEI gratia est) rem deduxit in præcipuis urbibus, ut in feriis bacchanalibus plures sacro se se epulo reficiant, quàm unquam ante vel in præcipuis etiam per annum festivitatibus facere consueverint.

§. 2. Propositio

Sed & alter huic fructui fructus accessit, nimirum ut hoc triduo singulari quâdam devotione sacratissima Dominicæ Passionis mysteria, non sine insigni animarum emolumento recolantur. Verùm ne quid mihi forte prolixior aliqua præfatio temporis præscindat, rem ipsam aggredior, sive causas & rationum momenta, quæ & sanctam Christi Ecclesiam induxerunt, ut hoc triduo proclamaretur passim Evangelium, quod esset quoddam veluti compendium, aut Epitome Passionis sacrosanctæ; & Societati prætcrea nostræ stimulos addiderunt, ut solennitate quàm potuit maximâ, hos ipsos dies, quos alii vitiis solent, ac vanitatibus addicere, DEO divinoque cultui inprimis consecratos, commendatosque voluerit.

§. 3. Recolere passionē, & venerari Eucharistiā, utrumq̄ Christo Domino est gratissimum, quod simili explicatur.

Non sine causâ Ecclesia Catholica septem ferè septimanis ante diem Parasceves pulcherrimo Evangelio in memoriam nobis revocat Christi Assertoris nostri Passionem; nec sine rationum momentis Societas JESU insuper intendit, ut hoc triduo peculiari cultu, reverentiâ & oratione colatur Venerabile Sacramentum. 1. Utrumque Christo Domino est longè gratissimum, quod ex pulchro simili licebit colligere. Si quando viris de civitate aut provinciâ præcipuis uvæ solent offerri à subditis, id triplici fere temporis differentiâ fieri consuevit. 1. ipso tempore vindemiæ, quæ maximæ & sapidissimæ sunt, illum in finem cutello resecantur. 2. Naturâ vel arte asservantur uvæ in alterum & tertium mensem post vindemiam, & sunt gratissimæ, quemadmodum fecisse legimus Judicum 8. Ephramitas, qui Gedeoni, similem obtulerunt uvam, adeo gratam acceptamque, ut is exclamaret, *Melior est racemus Ephraim, vindemiis Aliezer*. 3. Sed tertium & longè quidem principibus gratissimum munus existit, cùm uno vel altero mense ante vindemiam matura uva exhibetur.

§. 4. Quare Christus D. in Ven. Euchar. & in cruce sit botrus.

Sensu mystico, uva pulcherrima, & dulcissimi Saporis est cœlestis sponsus Christus JESUS, vel prout eum nobis imaginamur pendentem in Cruce, vel prout is se sub accidentibus panis abscondit in Sacramento Eucharistiæ. Forte enim ideò ait Cant. 1. v. 13. Sponsa, *botrus Cypri dilectus meus*. Tempus vindemiæ fuit dies Parasceves, quo uva hæc torculari Crucis pressa nobilissimum fudit liquorem pretiosissimi sanguinis. Pridie itaque Parasceves in institutione Eucharistiæ, ipso verò die in arâ SS.

Crucis

Crucis hic botrus oblatus fuit cœlesti Patri. Jam verò eandem uvam bimestri post, Ecclesia eidem voluit offerre, nimirùm diu post vindemiam Passionis; & ad illum finem instruit festum Corporis Christi, quo peculiari cultu adoratur sanctissima Eucharistia, in commemorationem Passionis, & mortis Christi Salvatoris nostri.

Advertite jam zelum, & ingenium Societatis Jesu ad inveniendum munus dignum suo duce! bimestri ferè ante vindemiam Passionis elegit hoc triduum, ut illo Salvatorem nostrum, vel in Cruce pendentem, vel in Eucharistiâ absconditum, sed veluti uvam, cœlesti Patri offeremus. Nihil quippe Deo prȩstare possumus gratius, nil acceptius; quàm si non ipso solùm tempore Passionis ejus & mortis; non solùm mensibus aliquot postea, sed etiam ante, amarissimæ Passionis ejus, cum peculiari cultu Eucharistiæ, in nobismetipsis memoriam renovemus.

§. 5. Christus D. frequenter ante Passionem ejusdem cum gustu fecit mentionē.

Et hinc est, quod & ipse Salvator ante Passionis executionem ejusdem apud discipulos frequentem fecit mentionem, præcipuè in hodierno Evangelio, in quo brevem totius passionis historiam contexuit. *Ecce ascendimus* &c. Putant SS. Patres, Salvatorem hæc narrasse singulari quodam gustu, & lætitiâ, quæ exterioribus etiam insignis emicuit. Causa fuit: quod quis amat, ac desiderat, de eo & loqui amat, juxta illud, *ex abundantiâ cordis os loquitur.* Ambitiosus loqui gaudet de honoribus; dives de opibus, sponsus de die nuptiali. Christus Dominus pro se quæsivit nominis exaltationem, pro suis æternos honores: sed quia sciebat se obtinere non posse, nisi per crucem, ideo libenter de illâ fuit locutus. Ingentes quæsivit opes, margaritas pretiosas, gemmas pulcherrimas: animas nimirum hominum, sed quia labor hic constabat sanguine, & morte, ideo de cruentâ illâ mortis suæ tragœdiâ differere gestit. Sciebat diem Parasceves fore diem suum nuptialem, sed ah! quales nuptiæ! in quibus corona contexta fuit ex sentibus & spinis; vestis nuptialis ex vili purpurâ, nuptialis aula, mons Calvariæ; nuptialis thalamus, lignum Crucis; nuptialis mensa, fel & acetum; nuptialis Musica, calumniæ, blasphemiæ & tristes illæ voces, Joh. 19. v. 6. *Crucifige, Crucifige*; nihilo tamen minus, quia non ignorabat, hoc die, his nuptiis se desponsandum cum sponsâ, quam divinissimo jam pridem amore deperibat, de illâ, deque illis verba facere, non molestiæ erant, sed deliciæ: advertitque Sponsa, sponso esse gratum sæpe illarum nuptiarum, sive Passionis meminisse. Et sanè frequenter id fecit in Canticis, imò socias virgines & filias invitavit Cant. 3. v. 11. *Egredimini & videte filiæ sicut &c.* Idem ergo vult Ecclesia, idem suadet Societas JESU, ut hoc triduo, & totâ quadragesimâ Passionis simus memores, quia his delectatur affectibus JESUS.

Sed ecce alteram mihi causam suggerit Origenes in c. 6. ad Rom. *Est*

§.6. *Memoria Passionis impedit peccata, sive gravissimis peccatoribus est pœna.*

tanta vis Crucis Christi, ut si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla possit superare invidia; sed continuò ad illius præsentiam totus ille peccati, & carnis fugatur exercitus. Loquitur Origenes de potenti exercitu, qui sub imperatore diabolo hunc in modum, in tres distinctus est legiones, ut primam ducat Concupiscentia carnis, alteram Concupiscentia oculorum, tertiam denique superbia vitæ. Quæris, quinam sub his vexillis mereatur miles? quot scelera sunt, quot occasiones peccati, quot depravati socii, tot sunt milites in hoc exercitu. Septem verò præcipuè sunt oppidò terribiles, *superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia.* His copiis instructus Lucifer, semper quidem atque omni tempore, sed his præcipuè feriis bacchanalibus oppugnat animas, in hoc unum intentus, ut divina Majestas, & multis, & gravibus sceleribus, præcipuè gulâ, ebrietatibus, comessationibus, & sexcentis vitiis, quæ inde sequuntur, impudicitiis, luxuriis &c. quasi totidem hostilibus jaculis saucietur. Ad hunc finem Satanas hoc triduo circuit 1. Pet. 5. v. 8. nec frustra: Heu! quàm variis vitiis, à quàm multis renovatur & rursum luditur tragœdia passionis! heu Jesus rursum venditur, rursus conspuitur, &c. *Ecce ascendimus Ierosolymam.*

§. 7. *Diabolo, leoni rugienti hoc triduo se opponunt Ecclesia & Societas Iesu proponendo Christum patientem, cujus conspectus frenat concupiscentias.*

Verùm huic exercitui se opponit Ecclesia, & cum illa Societas Jesu; harum intentio est, peccatores hoc triduo movere ad pœnitentiam, ingenerare odium peccati, ad vitæ morumque emendationem traducere; verbo, Ecclesiæ & Societatis zelus est, ut hoc triduo Deus non offendatur, ut homines & impii cessent peccare. Cessare facit aspectus & memoria Christi Crucifixi, cap. 53. v. 2. ait Isaias, *Vidimus eum & non erat aspectus, despectum & novissimum virorum*, in hebraico, *Cessationem virorum*, id est, Christus patiens facit viros cessare. Ex simili sensum penitiùs inspiciamus. Lacessunt se nonnunquam duo aulæ proceres ad pugnam, quam vocant, singularem, indicitur illis & locus, & hora. Descenditur in arenam, stringuntur gladii, fervet utrique sanguis, utrique certum est, gloriosè vel vincere, vel cadere generosè! ardorem accendunt spectatores, præsertim si & illi de aulicâ sunt nobilitate, & bene noti fortesque commilitones. Hæc dum fiunt, ecce tibi derepente prodit in medium aulæ Princeps, quem dum præsentem animadvertunt gemini nobiles, mox arma ponunt, ex arenâ se subducunt, gladios recondunt, fœdus ineunt atque amicitiam. Tantùm potest Principis vel Regis conspectus! ardentes viros cessare facit.

Ita profectò in nobismetipsis usu venire contingit Audit. in animis nostris confligunt non milites, vel proceres, sed passiones, funera spirantes, atque interitum sempiternum. Duellum indixit virtuti vitium, vitio virtus: & ecce, dum fervet pruritus malarum inclinationum, ad scelus occurrit princeps, Dominus dominantium,

Rex

Rex Regum JESUS Crucifixus! hic inquam occurrit, dum peccantis animum ſubit patientis memoria Salvatoris, &, *O felicem occurſum!* confeſtim acquieſcit illa paſſionum tempeſtas, ſedatur fervor, diſſidium componitur, revocatur priſtina mentis tranquillitas. Tantum poteſt ſola JESU Crucifixi memoria! Hinc præclarè Origenes: *Certum eſt, quia ubi mors Chriſti circumfertur, ibi non poteſt regnare peccatum.*

§. 8. *Confirmatur ex S. Ambroſio, Iob & S. Gregorio M.* S. Ambroſius in Pſal. 118. *Inſige pectori & cordi tuo imaginem Crucifixi, ut opera tua peccato mortua ſint.* Job. 38. *quis concluſit oſtiis mare, quæ ſunt termini quos tranſgredi non poteſt?* S. Greg. l. 38. mortalium. cap. ult. ait *Cor peccatoris eſſe mare: elevatur fluctibus ſuperbia, deprimitur moribus diffidentia, fervet æſtu concupiſcentia* &c. *quis hoc mare concludet?* reſpondet; *poſſunt per oſtia aperta paſſiones Chriſti non inconvenienter intelligi; has humanum genus prius irriſit, poſtea expavit, quaſi contra oppoſita oſtia elidendi maris, & tumore elatum venit, & fractum virtute diſſiluit.*

§. 9. *Eccleſia in Evang. Societas in templis proponit myſteria Paſſionis.* Itaque Eccleſia in hiſtoriâ Evangelii, Societas JESU in templis & aris, per pias imagines, imò Sanctiſſimam Hoſtiam magno & inſolito ornatu expoſitam, flagellati v. g. Salvatoris repræſentat carnificinam; luctuoſam faciem coronati ſpinis, funeſtum bajulantis Crucem exitum, mœſtiſſimam pendentis in infami trabe effigiem, & acerbiſſimam tandem morientis tragœdiam; nimirum ut miſeranda hæc ſpectacula, quemadmodum oculos, ita & animos perſtringant noſtros, ita & vulnerent amoris jaculo mentes atque ad ſalutarem peccati omnis horrorem fugamque appellant. *Certum enim eſt, quia ubi mors Chriſti circumfertur, ibi non poteſt regnare peccatum, &c. tanta eſt vis Crucis Chriſti!*

§. 10. *Tragicum factum viduæ Romanæ animantis filios ad vindictam de nece parentis.* Videtur facere Eccleſia, & Societas JESU, quod teſte Plutarcho matrona quondam fecit Romana. Nam cùm ſeditioſi quipiam maritum ejus nefariè tuliſſent è medio, neque ipſa ſe de nece Chariſſimi conjugis ulciſci poſſet, omni ratione modoque, filiis conata fuit perſuadere, ut ipſi de nece parentis injuſtâ, ſumerent vindictam. Sed longè ſecus ac ipſa putârat, evenit. Filii enim Chriſti legis, quàm præcepti Matris amantiores, parricidam non modò nullis proſecuti ſunt injuriis, ſed fœdus inſuper atque amicitiam cum eodem illo inierunt ſingularem.

Enim verò indignè rem illam ferens mulier, & vix animo concoquens efferato, aliud moliri viſa eſt ſtratagema. Reſervârat penes ſe veſtem atque induſium, in quo nuper fuerat trucidatus maritus, ſanguine tincta omnia, & ſanguineis adhuc maculis veluti characteribus inſignita.

Has itaque exuvias ad filiorum abjicit pedes, hûc ferè in modum locuta:

Agno-

Agnoscitis, O chari filii, parentis vestri has vestes, ejus cruore respersas. Ecce hic est sanguis Patris vestri. Clamat cruore ille contra impios, qui eum effuderunt. Clamat & contra vos, qui fœdus cum illis pangitis; fœdus vobis fœdum, Patri contumeliosum; Discindite ergò omnem cum illis initam societatem, nisi velitis paterno sanguine esse ingrati, & viscera materna transfodere novo quodam vulnere.

Oravit sic Mater & peroravit: confestim filii mutatâ pacis clementiæque sententiâ, precibus voluntatique Matris de vindictâ subscripsêre.

§. 11. *Applicatio.* Terribiliori nece in monte Calvariæ sublatus est Filius DEI, frater noster, Pater noster; interfectores, parricidas superiori anno pro concione oculis vestris exhibui, nominavi auctores, inter præcipuos fuerunt Diabolus, & Peccatum. At quid Auditores facimus, nos filii tam dilecti Patris, dulcissimi Jesu? quid enim? an non ipse est, qui creavit nos? non ipse nos genuit? non ipse nos reficit, alit, conservat? Ingrata proles! pudenda inhumanitatis vestræ memoria! non tantùm non obliviscimur laborum ejus, plagarum, doloris, sanguinis, ac mortis denique acerbissimæ.

Sed & conjurationem adversus ipsum plusquàm Cantinianam suscipimus. O pudor! adjungimus nos inimicis Christi, sancimus fœdera cum illius hostibus, amicitiam contrahimus, cum vitiis, cum carne, mundo & Cacodæmone. Sentit hoc Mater Ecclesia, non illa sanguinem spirans & furorem, sed amorem & delicias; sentit, inquam, hanc filiorum suorum, hoc potissimum tempore, voluntatem perversam; hinc non potest quin altùm ingemiscat, atque ut aliud prorsus persuadeat, non vestes tantùm cruentas Crucifixi JESU, sed ipsum etiam in Venerabili Sacramento latitantem exponit, quin & adjungit tristissimas sive sanguinem sudantis; sive coronati spinis; sive flagellis saucitati imagines, atque ex imo pectore ducens suspiria, clamat:

§. 12. *Prosopopæja Ecclesiæ, vel Societatis ad peccatores.* *O filii! Nati! Si tamen hoc nomine vos appellare fas erit:* quid enim? cernitis hæc mœroris mei Symbola? aspicitis hæc amoris in vos divini monumenta? non meministis fortassis? Patrem vestrum sudasse pro vobis tam copiosum in horto sanguinem? non cogitatis de largo illo sanguinis imbre, quem ad columnam inter carnificum virgas, & flagra profudit? non occurrit quantum sanguinis ex divinissimo vertice expresserint peracuti hi vepres, & spinæ? *O mei filii!* en hic ipse sanguis, in Venerabili Sacramento, filii DEI est! hic cruor contra vos clamat: vos fœdus initis cum Diabolo? clamat Christi sanguis vindictam, Vos amicitiam cum Venere? cum Baccho? cum voluptatibus? cum vitiis? cum inferno? atqui non cessat hic divinissimus sanguis clamare vindictam. Discindite ergò hæc pacta infernalia, dissolvite amicitias, dirumpite fœdus, violate impiam pacem, frangite fidem, quam mundo dedistis & Diabolo; nisi in sanguinem Filii DEI,

DEI, quo redempti estis, etiam impii, feroces atque crudeles existere velitis. Videtis dulcissimam JESU Matrem sub Cruce stantem? ah! illi saltem parcite, nec novo perfidiæ vulnere maternum ejus pectus sauciate; nolite mœstissimam illius animam novo mœroris gladio transfodere. En Auditores! en Sanctissimæ Matris nostræ ad nos sermonem. Verùm aliud mihi de vobis, quos piissimos JESU filios & vivere, & mori velle, non nescio, persuadeo; novi plurimorum in recolendâ Christi passione pietatem, & vivam ejusdem memoriam, quæ vobis factum est, quo innumeris hostium infernalium vitiorumque insultibus atque tentationibus, & facilè & feliciter resistitur.

§. 13. Memoria Passionis scutum est, quo diabolus vincitur, ipsomet fatente.

Cùm S. Edmundus dixisset tentanti Diabolo: *Adjuro te per aspersionem Sanguinis Christi, ut dicas mihi, quid est, quo te maximè vincere possim*; respondit: *hoc solo quod tu modo dicis.* Hæc ergo est altera causa, ob quam Ecclesia, & Societas JESU hoc triduo nos volunt esse memores Passionis Christi, & pretiosissimi ejus sanguinis, ut illo obstinata corda peccatorum expugnentur ad pœnitentiam.

§. 14. Mirabilis Vermis in Persiá.

Refert Ælianus l. 5. de animal. cap. 3. in Persia reperiri vermem, cujus sanguis admirabilis est virtutis; dum Reges Persarum illo urbes hostium capiunt; neque arietes, testudines aliaque bellica tormenta ad eas capiendas necessaria sunt: Dum enim portæ vel muri illo Sanguine asperguntur dissiliunt & disjiciuntur; diceres, suppositos non sulphureos, sed sanguineos à verme cuniculos. De rei veritate non disputo; hoc agit hoc triduo Mater Ecclesia, obstinata corda peccatorum, veluti Dæmonis castella, aspersione Sanguinis Christi conatus vincere, emollire, expugnare.

Si enim sanguini vermis ea inest vis, atque potentia, de Sanguine JESU Christi quid dicemus? Sed properandum mihi video ad alia.


§. 15. Ecclesia Societas Iesu conantur hoc triduo excitare peculiarem devotionem qualis fuit Tobiæ c. 1.

Non est hoc satis fervori atque zelo Ecclesiæ, & Societatis, ut tantummodo non peccemus, sed præcipuam insuper requirit per quadragesimam devotionem, in usu Sanctissimorum Sacramentorum, in visitatione templorum, in assiduitate orationis &c. ut dum Salvatorem plurimi sceleribus, & odio; nos illum cultu & amoribus prosequamur. Pulchrum nobis suppetit hujus rei exemplum in Tobia. c. 1. v. 4. nam *cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel primitiva sua fideliter offerens.*

Quinam sint vituli aurei, quos Rex inferni hoc triduo in urbibus erigit, scitis; imagines Bacchi, idola Veneris, abominationum simulacra; qui illa adorent, non desunt, Societas JESU verò instituit 40. horas orationum, 1. Ut fugiamus mala consortia, ut dicamus cum Jeremia cap. 9. v. 2. *Quis dabit mihi in solitudine diversorium & derelinquam populum meum, & recedā ab eis? quia omnes adulteri sunt cœtus præva-*

prævaricantium. Eja animæ piæ fugite hoc triduo cœtus impiorum, pergite ad ſolitudinem, ad petram in monte Calvariæ; Sanctiſſima Chriſti Vulnera, tutiſſima nobis offerunt & jucundiſſima divertendi loca.

§. 16. In quibus præterea debeamq imitari Tobiam. 2. Cum Tobia pergendum eſt ad templum, properandum ad aram, evolandum ad Sancta Sanctorum, id eſt, ad Venerabile Sacramentum. 3. Offeramus primitias frugum, ſive Chriſtum D. per devotam Communionem 4. Ferventes preces. Hæc intendunt Eccleſia, & Societas JESU. Verùm ut & ferventer hæc fiant, & cum voluptate, proponunt ſimul Chriſtum Patientem, cujus memoria efficax eſt ſtimulus ad omnem devotionem, qui, & cœleſtes deſcribunt delicias, quas bonus JESUS illis impertitur, qui dum alii dediti ſunt voluptatibus, ipſi ſe meditationi Paſſionis addicunt. Itaque homines hoc triduo in duos videntur diſtributi eſſe cœtus: hinc videas cœtus flagellantium Chriſtum; Chriſtum coronantium, illudentium, iterum crucifigentium. O damnata Societas! cujus non minima pars ſunt, compreſſatores, ebrioſi, blaſphematores, larvati, & incarnati Dæmones, luxuriæ deditì Venerique mortales.



DIE CINERUM.

EXHORTATIO.

Pulvis es, & in pulverem reverteris,

Gen. 3. v. 19.

SYNOPSIS.

EXhortatio hæc, primùm breviter oſtendit, hominem & divitias, & aurum &c. tandem converti in cinerem. Deinde adducit aliquot rationes, ob quas Eccleſia initio quadrageſimæ utitur aſperſione cinerum.

§. 1. *Ceremonia cinerum in Eccleſiâ, nos monet, ut ſimus memores noſtræ mortalitatis, cujus Symbolũ eſt cinis.*

§. 2. *Homo, Reges, divitiæ &c. in hoc mundo, tandem convertuntur in cinerem.*

§. 3. *Regio Sodomæ converſa in regionem cinerum; rei hujus eſt exemplum.*

§. 4. *Incinerationem præcedit, turpiſſima putrefactio corporis humani.*

§. 5. *Pulchræ rationes, ob quas Eccleſia initio Quadrageſimæ utitur ceremoniâ cinerum.*

§. 6. *Aliæ tres rationes, uſus Cinerum.*

Elegan-

§. 1. Cæremonia Cinerum in Ecclesia, nos monet, ut simus memores nostræ mortalitatis, cujus Symbolum est Cinis.

ELegantissimam periphrasim, mortalis hominis invenio apud S. Isidorum lib. 1. differ. diff. 23. ubi ait: *Homines sunt tardi ad Sapientiam, veloces ad mortem, de præteritis nudi, de præsentibus exigui, de futuris incerti. Concipiuntur in iniquitate, in peccato nascuntur; in labore vivunt, in dolore moriuntur; tandem in cinerem revertuntur.* Ita, principium vitæ est, iniquitas, prosecutio, labor; finis, mors & cinis. Si quis fortassis talia non credat, vel veritates has non apprehendat, ut oporteret, sciat sibi dici à S. Chrysostomo hom. 2. de incomprehensibilitate DEI; *Sepulchra, & monumenta inspice Majorum: illa enim facilè suo exemplo tibi possunt persuadere pulverem & lutum te esse.* Cum nihilominus plurimi harum veritatum rarò recordentur, & rarissimè cogitent de morte, hodiernâ primâ die quadragesimæ, Mater nostra Ecclesia, piissimâ cæremoniâ cinerum, nos monet, ut meminerimus nos quoque esse convertendos in cinerem, & fortassis brevi, ut per hanc memoriam, disponamur ad jejunium, orationem, & alia opera dignosque fructus pœnitentiæ, quos per quadragesimam facere necesse est.

§. 2. Homo, Reges, divitiæ &c. in hoc mundo, tandem convertuntur in Cinerem.

Verba, quibus ex libro Genesis, Ecclesia hodie utitur, *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*, meo judicio eleganter explicavit S. Augustinus in Ps. 9. *Noli, O homo, attendere rumorem tuum, noli attendere gradum tuum, in quo elevatus es; te circumdant familiæ, & si numerosum aurum & argentum &c. diversus es à paupere, rebus non tuis, extrinsecus appositis. Te in illis vide, non illa in te; attende te ipsum, non quod habes*, & reperies te esse cinerem. Cùm Rex Balthasar diceret Danieli, c. 14. v. 5. de suo idolo: *Non videtur tibi Bel esse Deus?* pulchrè hic illi cum risu respondit, *Ne erres Rex: iste enim intrinsecus luteus est, & forinsecus æneus.* Talia Idola, tales Deos habet hic mundus. Multis idolum videtur Plutus Deus divitiarum; sed licet exterius sit aureus, intus luteus est: homo dives momento convertitur in cineres. Venus exterius florida est & rosea; intus lutea, abeunt voluptates, homo illis fruitus fit cinis. Adoratur à multis, velut idolum, Juno, ob coronas, ob sceptra, sed intus omnia sunt lutea, etiam Reges convertuntur in cinerem.

§. 3. Regio Sodomæ conversa in regionem cinerum, est res hujus exemplum.

S. Petrus ep 2 c. 2. v. 6. ait, *Et civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens.* Nimirum, regio illa amœnissima, in qua sitæ fuerunt illæ civitates, facta est, ut loquitur Orosius, *regio cinerum.* Pulcherrimæ arbores, jucundissimi horti, excelsæ turres, fortes quondam muri, splendida palatia, divitiæ Sodomæ, gemmæ, aurum argentum, incolæ; *Omnia hodie sunt cinis*, relictus in exemplum illis qui impiè vivunt, qui voluptatibus, & divitiis inhiant, ut reddantur memores, cuivis in morte dicendum, *Pulvis & cinis es.* In cinerem cum Sodoma reverteris; sic mortales, postquam mortui sunt, *insipientiæ suæ*, Sap. 10. v. 8. *relinquunt hominibus memoriam, [illegible]rem.* Ut tu-

mulis Regum Principumque frequenter, breve sed acutum hoc epitaphium fuerit inscriptum: *Vas cinerum.*

§. 4. *Incinerationem praecedit turpissima putrefactio corporis humani*

Incinerationem hominis demortui, plerumque praecedit putrefactio humani corporis, de quâ ait Job. c. 17. v. 14. *Putredini dixi, Pater meus es, & soror mea vermibus.* & Isaias cap. 14. v. 11. *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Utinam hodie oculis vestris exhibere possem, fatiscentem paulatim, intra paucos certè dies fabricam humani corporis, liquatam in sordium liquorem, & tabem, livescentem primò, tum fluentem, tum vermibus innumeris scatentem, cum intolerabili foetore. Parco auribus, parco oculis, parco naribus vestris; pudet corporis nostri turpitudinem ostendere; ideo tegitur terrâ & saxis, quia horrendum est illam intueri.

Nihil fermè in rerum naturâ est foediùs, nihil abominabiliùs, quàm humani corporis putrefactio. Atque hic ejus est finis, etiam in regibus, & reginis, donec tandem putrefacta membra convertantur in terram, & cineres. Pudeat Christianos, ob rem tam abominabilem, corpus inquam nostrum, ut illi bene sit, toties DEUM offendere! pudeat, rem tantae turpitudini reservatam sic amare, sic colere, sic nutrire, ut animae immortali sit causa aeternae damnationis. Quia horum omnium facile obliviscimur, quales simus secundùm corpus, quales futuri simus, sollicita nostra Mater Ecclesia hodie aspersione cinerum, & illis verbis: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris,* mortis & finis nostri sanctam & salutarem memoriam nobis inculcat.

§. 5. *Pulchrae rationes ob quas Ecclesia initio quadragesimae utitur hâc ceremoniâ.*


Facit autem hoc Ecclesia, initio quadragesimae, quae est tempus poenitentiae, quia cineris aspersio in sacris literis usitata fuit, ad significandum dolorem & moestitiam, vel in propriâ, vel in aliena causâ, Lib. 2. Regum cap. 13. v. 19. dicitur de Thamar, oppressâ & violatâ, *quae aspergens cinerem capiti suo, scissâ talari tunicâ, impositisq; manibus super caput suum, ibat ingrediens & clamans.* Hoc petit Ecclesia, ut hâc quadragesimâ faciant animae adulterae, quae per salutarem poenitentiam reverti cogitant ad sponsum suum. Talia fecit poenitens Magdalena, cùm surgens & currens per plateas venit ad domum Simonis, ubi cum lacrymis stetit retrò, secus pedes Salvatoris Luc. 7. v. 18. Sic Mardochaeus, Esther cap. 4. v. 1. *Scidit vestimenta sua, & indutus est Sacco, spargens cinerem capiti;* eadem fecit tristissima Esther, cùm sententiam mortis latam in populum suum ab illo avertere voluisset. Ad talem luctum animam poenitentem invitat Jeremias cap. 6. v. 26. *Filia populi mei accingere cilicie & conspergere cinere. Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repentè veniet vastator super vos.* Hodie adest tempus, quo Mater Ecclesia lugere incipit mortem Unigeniti Filii DEI in Cruce: hic luctus, memoria hujus mortis tam infamis, exigit, ut aspergamur cinere, ut jejunemus, ut oremus, ut agamus poenitentiam: nam,

nam, fortè repentè, aderit mors, vastatrix, spoliatrix, & omnia convertet in cinerem. Cum amici Job viderent illum sedentem in fimeto, in miserabili statu, plenum ulceribus, ut à plantâ pedis, usque ad verticem capitis non esset in eo sanitas, Job cap. 2. v. 12. *Ipsi quoque exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus, sparserunt pulverem suum super caput suum in cœlum.* Nos hodie incipimus peculiari devotione oculos nostros conjicere in JESUM Crucifixum, plenum vulneribus, plenum sanguine, toto corpore saucium; ah! animæ piæ! plorate, flete, fundite lacrymas; super capita vestra spargite cineres, in signum, quod cogitetis de morte, & de seriâ pœnitentiâ. Sic Jonæ c. 3. *Rex Ninives surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.* Idem fecerunt incolæ civitatis: & Deus quoque mutavit sententiam suam. Ninive subversa non est. Si & nos hâc quadragesimâ per pœnitentiam DEUM placare volumus, *Surgamus* &c.

§. 6. *Aliæ tres rationes, usus Cinerum.* In pœnitentiâ tria potissimum spectantur. 1. Ut DEUS offensus placetur, & nobis reconcilietur. 2. Ut peccator puniatur, sive ut per opera pœnosa divinæ Justitiæ satisfaciat. 3. Ut deinceps à peccato removeatur: quæ omnia, hodie per cæremoniam Cinerum effectui damus. Nam 1. Cinis est symbolum agnitionis humanæ infirmitatis, quæ nos movet, ut à DEO veniam deprecemur, ut dicamus cum Job cap. 10. v. 9. *Memento quaeso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* Hâc humilitate DEUM placamus. Cùm miser & mortalis homo, pulverem & cinerem capiti inspergit, quodammodo divinam bonitatem erga miserrimum, & pulverulentum hominem implorat, & hæc miseriæ ostentatio DEUM movet ad misericordiam. Cùm peccator se DEO ostendit, veluti pulverem, & cinerem, suam imbecillitatem Deo exhibet, *ut qui sit tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ. Ps. 1. v. 4.* Hoc DEO valde placet. 2. Aspersione cineris ostendit homo, se paratum, & promptum ad jejunium, ad opera pœnitentiæ, per quæ in unione meritorum Christi satisfacimus pro peccatis. 3. Certum est, Memoriam mortis esse potens frænum, quo à malo retrahimur, ne iterum peccemus ut bene monet Ecclesiasticus c. 7. v. 40. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua & in æternum non peccabis.*

Quod alibi latius ostendo.

Auditores &c.



CONCIO XIV.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Cùm jejunasset quadraginta diebus.

Matth. 4. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRofert hæc concio encomia Jejunii; cum acri invectivâ in Voratores carnium, tempore Quadragesimæ.

§. 1. *Quomodo Esther Regina placarit iram Assueri.*

§. 2. *Iisdem mediis incipit hodie Ecclesia placare iram Numinis.*

§. 3. *Propositio.*

§. 4. *Sententia Tertulliani opulenta mysteriis &c.*

§. 5. *Gula radix scelerum.*

§. 6. *Ecclesia per jejunium conatur illum fomitem extinguere.*

§. 7. *Sub convivio interemptus fuit S. Ioan. Bap.*

§. 8. *Invectiva in voratores carnium*

§. 9. *Encomia Iejunii.*

§. 10. *Tempus quadragesimæ est tempus acceptabile.*

§. 11. *Prodest jejunium: declaratur simili.*

§. 12. *Aliud de gruibus.*

§. 13. *Iejunium facit ut evolare possimus ad ramos S. Crucis.*

§. 14. *Iejunium nutrit pios affectus, præcipuè erga mysteria passionis.*

§. 15. *Confirmatur ex S. Chrysologo & S. Ambrosio.*

§. 16. *Punit Deus voratores carnium.*

§. 17. *Applicatio.*

§. 18. *Symbolum Feri.*

§. 19. *Gravis Dei punitio.*

§. 20. *Pia adhortatio S. Chrysostomi ad observationem Iejunii.*

§. 21. *Vide quid hac quadragesimâ propter Christum facias.*

§. 1. Quomodo Esther Regina placarit iram Assueri.

DE Regina Esther, cum irati furorem Assueri placare, latamque mortis sententiam à populo suo avertere cogitaret, posteaquam audisset à Mardochæo in Susan pendere in publico foro fatale decretum, ita sacer textus pronunciat c. 14. v. 1. 2. *Esther Regina confugit ad Dominum, pavens periculum quod imminebat. Cumque deposuisset vestes regias, fletibus, ac luctui apta indumenta suscepit, & cinere implevit caput, & corpus suum humiliavit jejuniis, & deprecabatur Dominum DEUM Israel.* Addit Philo Judæus l. 1. de vita Moysis. *Toto illo triduo nec loqui,*

loqui, nec audire, nec cibis frui licebat, nulli vacans sensus, erat Esther, præsenti malo prægravante.

Hæc ergo in gravi necessitate fecit prudentissima Regina. 1. Spem suam posuit in Domino. 2. Induit se vestibus pœnitentiæ. 3. Soluta est in lacrymas. 4. Omni alteri gaudio tantisper renuntiavit. 5. Usa est cinere. 6. & jejunio. 7. precibus denique ferventissimis.

§. 2. Iisdem mediis incipit hodie Ecclesia placare iram Numinis.

Modò nobis illud est tempus, quo memoriâ repetimus terribilem mortis sententiam edictam à Patre cœlesti in Filium, secundum quam pro genere humano mortem oppetere debuit, & mortem quidem crucis longè gravissimam crudelissimam. Recolimus hoc tempore, crudelia, infanda, inaudita tormenta, quæ Salvator noster lubens pro nobis sustinuit, Sed quia plurimi ingrati sunt, quia multi gravissimis sceleribus divinam offendere Majestatem non cessant, ideò iratus Deus nova expedit flagella, & novas plagas meditatur, timendumque est, ne super multos à justa Nemesi, super multos inquam, fortè aliquos ex his præsentibus, fatalis sententia mortis æternæ feratur.

Ideo Mater nostra Ecclesia hoc sanctissimo tempore quadragesimæ. 1. Confugit ad Dominum. 2. exuit se vestibus lætitiæ & gloriæ, id quod ipso quoque altarium & parietum luctu demonstrat. 3. Provocat suos ad lacrymas pœnitentiæ. 4. Prohibet atque proscribit mundanæ vanitatem lætitiæ. 5. Per cineres jam monuit, nos haud ita procul abesse à sepulchro. 6. Monet ut sedulò instemus precibus. 7. Denique præcipit ut jejuniis corpora maceremus; ut ejusmodi mediis cœlestem nobis Assuerum concilienmus.

§. 3. Propositio.

Thronus ad quem ducimur, est sanctissima Crux, in qua videmus JESUM Crucifixum, cui data est potestas ferendi sententiam vitæ, vel mortis: est enim Judex vivorum, & mortuorum. Eia tristi corde, spiritu contribulato, ruamus coram hoc throno in genua, osculantes non jam sceptrum, sed sanguineos JESU pedes, ut misericordiam obtineamus. Enimverò discimus hoc ab Esthere; illa nobis modum ostendit, ac methodum placandi fulminantem DEI dexteram. Nimirum si & precibus, & piâ, quà corporis, quà animi demissione, nos exerceamus jejuniis. Hunc in scopum tendet hic meus ad vos sermo, quem ita dividam in tres partes, ut in duabus prioribus jejunii laudes, atque encomia proponam, in tertiâ verò adjũgam ea, quæ carnium per hanc quadragesimam voratoribus merito possint terrorem, timoremque incutere.

§. 4. Sententia Tertulliani opulenta mysteriis &c.

Sententiam mysteriis plenam, in laudem jejunii protulit Tertull. l. adv. Psychic. c. 5. nam postea quam ibi egisset de Judæis postulantibus in deserto à Moyse carnes, ita inquit: *primus populus primi hominis resculpsit crimen.* Id est, pertinax populus per immoderatam appetentiam carnium, in se quasi renovavit peccatum originale. Clarius Sapientissimus Doctor gulam confert cum peccato originali. Hoc inprimis, præterquam quod sit turpis

turpis macula, radix est, & fomes pravorum affectuum, passionum & cupiditatum: quod homo ita inclinetur ad malum, quod ita sit proclivis ad iram, ita projectus ad turpia &c. non est ascribendum naturæ, sed peccato originali; sine illo homo inclinationem expertus fuisset naturalem ad virtutem, ad pietatem, ad amorem Numinis, ad bonum universum. Deinde peccatum originale pestis est virtutum, & causa affectuum non modo malorum, sed dispositio etiam ad peccata actualia. Omitto alias labis hujus proprietates, sufficiant hæ duæ, ut ob illas in societatem sui, & quasi similitudinem, gulam pertrahat.

§. 5. *Gula radix scelerum.* Renovat hæc illud peccatum, quia similiter est radix, & fomes, & causa, & fons pessimorum affectuum, & gravissimorum scelerum. *Gula*, inquit P. Celada, *inflammat luxuriam, accendit iras*, (patet experientia) *alit odia, laxat linguas in detractationes, in contumelias, in blasphemias, in murmurationes, in imprecationes, in verba lasciva, gula titillat concupiscentias.* Et verò amabò vos, an re non idem mecum sentitis Auditores? vos interrogo, si qui hic forsan estis gulæ, ventrisque mancipia; quid nobilem illum Spiritum, procreatum ad summa quæque deprimit ad infima? *gula.* Quid genuinam mentis animositatem emollit? *gula.* Quid ad infandas Veneris libidines abducit? *gula.* Quid multos in turpissimos lapsus impellit? *gula.* Quid opum, honorum, famæ, imo etiam vitæ jacturam sæpe numero causat? *gula.* Quid hominem ad bestiarum indolem, sordes, atque naturam detrudit? *gula.* O malum detestandum! nimirum ideo tam sollicitus est hostis generis humani Cacodæmon, ideò ita satagit atque laborat, ut hoc vitium magis magisque serpat in orbe terrarum, tanquam venenata radix multorum scelerum, virtutum interitus, & sanctitatis.

§. 6. *Ecclesia per jejunium conatur illum fomitem extinguere.* Hinc est quod econtrà ita in hoc studium incumbat Ecclesia, ut fomitem hunc extinguat per medium quidem efficassimum, scilicet Jejunium. Tertull. *Salutem æmulo modo* (verba sunt consideratione dignissima) *reaccendit inedia.* q. d. sicut gula renovat peccatum originale, sicut accendit concupiscentias; sic inedia extinguit, & incendit amorem virtutis. P. Celada. *Jejunium cohibet iram, reprimit impetum lasciviæ, comprimit odia, cohibet linguam; hominem habilem, promptum reddit ad omnem sanctitatem.* Temperantes vivunt quasi in statu innocentiæ. Ideò S. Ambrosius l. 1. de Elia & jejun. c. 3. *Quid est jejunium nisi vitæ cœlestis imago?* talia, ut jam clarè loquar, desiderat Ecclesia, ut hac quadragesimâ abstineamus à malo, ut vivamus sanctè! Ad hæc autem necesse est, ut vivamus sobriè.

§. 7. *Sub convivio interemptus fuit S. Ioannes B.* Regula est certissima, & veritas verissima: occasione gulæ, & comessationum patrari scelera, quæ aliàs non patrarentur. S. Marcus. c. 6. Satis clarè insinuat Herodiadem diu struxisse insidias vitæ S. Joannis Baptistæ, ait enim v. 19. *Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat.* Sæpius sollicitârat Regem, ut

Joannem

Joannem tolleret è medio. Fortè dixit, propudiosum est tuæ Majestati, ferre hominem tam importunum, audacem, temerarium. *Non solent ejusmodi momos tolerare excelsa capita.* Major es, O Rex, quàm ut ab ejusmodi homunculo tuam sinas dignitatem, majestatemque prostitui. Sentiat loquaculus ille Eremita, & discat damno suo, quid sit Regum iras lacessere.

§. 8. *Invectiva in Voratores carnium.* Nil tamen illa profecit oratio: expectandum erat tempus aliud, persuasioni magis idoneum. Et quod illud obsecro tempus? *cum dies opportunus accidisset*, dies scilicet jucunditatis, lætitiæ, epularum, convivii. Adornârat die suo natali convivium Herodes Rex, adest & puella; editur, bibitur, luditur, saltatur. Placet puellaris saltus Herodi; dum mensæ accumbit, dum corpus ferculis exquisitissimis, vinoque præstantissimo expleret. Et tandem in mandatis dat speculatori, ut in gratiam saltatriculæ id petentis, subito inclitum demetat caput Joannis Baptistæ. Id quod probè perpendens S. Ambrosius l. de virgin. *Rapitur ad pœnam convivali tempore, perimitur gladio, caput ejus affertur in disco; hoc crudelitatis ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur. Sanguine effuso opus est, ut condiantur epulæ.* Et S. Chrysologus Ser. 174. *Ecce quid parturiunt totis noctibus protracta convivia?* ah liceat mihi verbum interfari pace tuâ Chrysologe; *parturiunt* convivia, quidquid est, fuitque mali in orbe, *parturiunt* luxuriam, *parturiunt* contemptum DEI, *parturiunt* crudelitatem, furorum rebelliones, proditiones, tyrannidem, sanguinem, cædes, funera, & sexcenta talia horrenda monstra *parturiunt.*

Nolo ego modò his locis uti contra comessationes, & compotationes in communi, quibus per annum DEUS gravissimè offenditur: Sed ad præsentis temporis conditionem accommodo. Multos per annum, Herodias, id est, Caro allicit ad peccata mortalia, ut denuò effundant sanguinem Christi, ut crudeles sint non in Joannem Baptistam, sed ipsum Jesum filium DEI. At frustrà. Et ecce modo in quadragesimâ tempus adest oportunum.

Ecclesia enim sub peccato mortali præcipit duo. Abstinentiam à carnibus, & unicam in die refectionem. Hoc carni tam videtur durum & horridum, ut malit per transgressionem præcepti Christum rursum crucifigi, quam gulam, vorandique libidinem coercere. Ecce quid parturit appetitus edendi carnes! Funestum sine dubio spectaculum fuit, cum regiæ mensæ in disco appositum fuit cruentum caput S. Joannis. O voratores carnium! tale vobis spectaculum imaginemini, cùm apponitur v. g. perdix, gallina, & quævis caro, assa vel elixa.

Cogitate in altero disco vos intueri cruentum caput Christi, vel effusum ejus sanguinem, qui vindictam contra vos clamat; quia per prohibitum esum carnium denuo à vobis effunditur. Jejunio ergo quadragesimali Ecclesia primùm intendit, ut per illud vitia,

vitia, & scelera reprimantur; sic iratum nobis DEUM reconciliabimus.

§. 9. Encomia jejunii. Sed prætereà quoque intendit, ut adjuvante jejunio, sanctissimum quadragesimæ tempus optimè impendamus in pœnitentiâ, oratione, atque exercitio virtutum reliquarum. Ad hoc aptum est tempus jejunii. 2. Cor. c. 6. v. 2. ait S. Paulus, *tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te; ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Super hæc verba S. Leo concionem quartam de quadr. sic exorditur. *Prædicaturus vobis Sacratissimum, maximumque jejunium, quo aptius utar exordio, quàm ut verbis Apostoli incipiam. Ecce nunc tempus acceptabile;* Quamvis enim nulla sint tempora, quæ divinis non sint plena muneribus, & semper nobis ad misericordiam DEI præstetur accessus per ipsius gratiam; tamen, nunc omnium mentes majori studio ad spirituales profectus moveri, & ampliori fiduciâ oportet animari, quando ad universa pietatis officia, illius nos diei, in quo redempti sumus, recursus invitat, ut excellens super omnia Passionis Dominicæ Sacramentum, purificatis, & corporibus, & animis celebremus.

§. 10. Tempus quadragesimæ est tempus acceptabile. Atque ideo magnâ divinæ institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, jejunia casta decoquant. Est v. g. qui totius anni decursu animam habuit multis peccatis lethalibus gravatam; *Ecce nunc tempus acceptabile*, nunc, & onus illud grave excute, ne te repentè deprimat in infernum.

Est alius, qui non nisi sacrilegas, sciens, volensque scelerum suorum confessiones contexuit, atque adeo se in difficilem salutis statum conjecit: *Ecce nunc dies* salutis; consule mi homo, dum licet, rebus tuis, ne pereas æternum. Est qui multis jam septimanis, mensibus, etiam annis, intestinum fovit bellum, odia inquam & inimicitias erga alios; *Ecce nunc tempus acceptabile*, nunc iras ponendi tempus, & cum mansueto JESU mansuetudinem re ipsâ exhibendi occasio. Alii sunt, pro dolor! non pauci, quibus parum cordi fuit hactenus ac curæ, Patientis JESU meditatio, & amor erga crucem Sacrosanctam. *Ecce nunc dies salutis, dies Passionis, dies Crucis, dies dolorum.*

§. 1[illegible] Prod[illegible] jejun[illegible] decla[illegible] tur [illegible] Verùm ad hæc ferè universa, tùm devotè recolenda, tùm etiam in usum praxinque redigenda non sanè parum conducit, imò necessarium est jejunium: id quod S. Chrysostomus hoc simili explicat. *Quemadmodum*, inquit, *naves moderate onerata, mare velocius transeunt; nimio verò onere gravata submerguntur; ita pariter repleta cibis corpora, unà secum deprimunt & spiritum, quò minus is expeditè vastissimum Dominica Passionis oceanum meditando possit atque imitando pernavigare.*

Et bestiæ hanc veritatem docent. Grues cum ingruente hyeme peregrinas & amœnas revisere cupiunt regiones, comparant se aliquot dierum inediâ, quò sint ad volandum leviores; imò

imò & vescuntur arenis. Norunt enim quod cùm saturæ sunt, defectu volatus atque impotentiâ præpediti, facillimè capiantur.

Pari ratione gulosi à Satanâ, nullo pene negotio, irretiuntur. Hinc animæ, quæ sacro hoc tempore sæpius volare contendunt ad montem Calvariæ, inde ad montes gloriæ, inediâ se se debent, & jejunio disponere. Idem omninò sentit aureus ille orator Chrysologus Ser. 2. *Vacuandus venter moderatione jejunii, ut exoneratus animus possit ad alta pervolare, ad virtutes; ut possit ad ipsum pietatis auctorem, totus aliger pervolare. Hoc Elias probat, qui dominici continuatione jejunii defæcatus à carnali pondere, mortis victor evolavit ad cœlum.*

§. 13. *Iejunium facit, ut evolare possimus ad ramos S. Crucis.* Auditores, si quod in anno tempus est, librandi se se, atque evolandi ad Crucifixum, hoc certè quàm commodissimum jure poterit meritissimo vocari. Evolemus itaque: *nam quid juvat continuo quasi talpam terræ pulverique inhærere defixum*; evolemus in palmam ad Amorem nostrum. Alarum remigia, leves pennas, sanctissimas cogitationes, desideria cœlestia, affectus aërios nobis suppeditabit jejunium & temperantia. Nam & S. Ephrem inquit hom. de jejunio: *Iejunium est vehiculum ad cœlum.*

§. 14. *Iejunium nutrit pios affectus, præcipuè ergà mysteria Passionis.* Encomium hoc jejunii elegantissimis verbis proponit Zeno Ser. de Jejun. *Iejunia concupiscentias vincunt, & tentationes repellunt* (hæc fuit prima pars concionis) *& omnes bonæ voluntatis affectus enutriunt.* Ex his ultimis verbis sic discurro. Hoc acceptabile tempus quadragesimæ, tempus est, quo nos plenos esse oportet optimis piis affectibus. Recolimus v. g. hoc tempore cruentæ mysterium flagellationis, virgæ ac flagella vulnerabunt animas nostras haud dubio amore JESU. Revocamus in memoriam peracutas crudeles illas spinas & sanguisugas: Spinæ hæ tibi tuum transfigunt cor. Numeramus difficillimos gressus Salvatoris nostri ad montem myrrheum Calvariæ. His insistendi vestigiis nos incesset voluptas, si quidem JESUM diligimus, &c. Sed omnes hos affectus nutrit jejunium.

§. 15. *Confirmatur ex S. Chrysologo & S. Ambrosio.* Zenoni breviter addo S. Chrysologum & S. Ambrosium, ille ait Ser. 31. *Iejunium eradicat crimina, evellit delicta, vitia invertit* (en iterum primam partem conc.) *insuper charitatem serit, parat innocentiæ messem.*

Hic Ser. 39. de Jejun. *Jejunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis.* Ecce pulcherrimas causas, ob quas Ecclesia, cum Esthere non tantùm luget, non plorat tantùm, non tantùm vacat orationi & precibus, sed humiliat se etiam jejunio, ut illius merito per omne virtutum genus, DEI iram avertat.

Restat, ut moneam voratores carnium, pœnas ac supplicia, quibus

Q 2 Deus

§. 16. *Punit Deus voratores carnium.* Deus in ejusmodi carnales solet animadvertere, esse gravissimas. Certè exempla illius rei suppetunt luculenta; & inprimis sacris in literis, Num. 11. v. 9. ait murmurans populus; *quis dabit nobis carnes ad vescendum? anima nostra arida est, & nauseat super cibo isto levissimo.* Perinde ac si diceret; an non locupletior est cœli terræque dominus, quàm ut unico tantùm ferculo suos pascat amicos, ac reficiat? cur manna tantùm nobis suppeditat? quasi verò solo pane, neque alio additamento vel cibo digni essemus! quid mirum quod effundamur in murmura? Sic illi. Sed O malè, sanæ mentis mortales! non animadvertitis, quid sit nimium credere gulæ, ventrique? ait enim Dominus, *Cras comedetis carnes, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam &c.*

§ 17. *Applicatio.* Quod factum est ita, v. 33. *adhuc carnes erant in dentibus eorum, & furor Domini concitatus in populum percussit eum plagâ magnâ nimis, vocatusque est locus ille, sepulcrum concupiscentiæ*, Psal. 77. v. 30. *adhuc escæ eorum in ore eorum, & ira domini ascendit super eos.*

Nos, hoc sacro tempore, Ecclesia deducit per desertum pœnitentiæ, viam perquàm asperam, & difficilem, viam S. Crucis, viam quæ ducit ad mortificationem, ad montem Calvariæ.

Interdicitur nobis hâc in viâ esus carnium; non quod ille per se atque ex naturâ suâ malus sit atque illicitus, sed ut Spiritui subjiciatur caro, & frœno mortificationis contineatur, ut in viâ crucis, ac pœnitentiæ perseveret. Sed erumpunt non pauci in querelas, solvuntur in murmura, nauseam suam atque fastidium, quà verbis præ se ferunt, quà factis: Nauseat, inquiunt, appetitus noster haleces, non facit ad stomachum esus Salpæ tam diuturnus; carnes quærimus, nam carnei sumus. Itane? pergite sic porro, comedite quoad lubet carnes; ego verò vobis DEI ter opt. maximi iram vindictamque, non vanus augur prænuntio. Percutiet vos plagâ magnâ nimis Omnipotens, percutiet conscientiæ propriæ stimulus, percutiet aliud ex alio infortunium, atque utinam non tandem infelix fatum, & longa æternitas percutiat.

§. 18. *Symbolum Feri.* Nec mirum, graves incurrere pœnas illos, qui vero DEI cultu neglecto, novum sibi fabricant idolum, ventrem suum, & *quorum Deus venter est*, ut loquitur Apostolus ad Philip. 3. v. 19. Ægyptii quondam Numinis instar habuêre cæpas: nec tamen suis in epulis iisdem abstinuêre. Unde Ferus in theatro Symbol. cœpas pingit cum lemmate: *Numen, & absonium*, nimirum, cæpas devorant gulæ mancipia, sed ex illis ipsis cæpis, ex illâ ipsâ gulâ, haud ita multò post lacrymæ promanârunt ab oculis. Hæc est cæparum natura; hic gulæ effectus. Vindex minatur DEI dextera, *DEUS non irridetur.*

§. 19. *Gravis Dei punitio.* Neque est, cur aliqui has minas rideant. Riserunt multi cum damno suo. Teste Baronio, ad annum Christi 947. Elfegus Vintoniensis in Angliâ Episcopus initio quadragesimæ fervente

venter perorârat contra violatores jejunii. Fuit qui mordaciter, & concionem, & concionatorem irrisit; quod cum viro sancto fuisset relatum, dixit: *O miser! nescis quid ventura tibi pariat dies!* Dictum probavit eventus. Sequenti enim manè amarulentus ille irrisor in lecto repertus fuit extinctus. Cavete irrisores quadragesimæ! simili in vos plagâ furor Domini quovis momento potest animadvertere.

§. 20. Pia adhortatio S. Chrysostomi ad observationẽ jejunii. Si tamen, his etiam consideratis, quibusdam adhuc jejunium nimis videatur arduum atque difficile, illos alloquor verbis S. Chrysostomi t. 1. in cap. 1. Genes. hom. 1. *Ne attendas ad laborem solum sed ad fructum. Labor quidem nobis est in jejunando, at nondum pro Domino IESU, crucifixi sumus. Majora ipse tulit, parva nos reddimus. Crucifixus est propter te, & sitit, & bibit acetum cum felle propter te, quid tu propter ipsum? Stas in labore, nondum pependisti in cruce. Ne sis ingratus erga Dominum IESUM; qui non compatitur IESU, ignorat IESUM.*

Præclariùs vos Epilogi loco commonere non potuissem, nisi his ipsis allegatis Chrysostomi verbis. *Crucifixus est propter te IESUS? quid tu propter illum? suum pro te fudit Sanguinem; quid tu pro illo? lethalem tuâ gratiâ pro te sustinere voluit agoniam, quid tu pro illo? spineâ voluit coronâ propter te redimiri? ubi spina, quæ tuum vicissim caput transfixerint? ubi flagella, quæ tuum laniarint corpus? ubi crux, quæ tuos fatigârit humeros? ubi lancea quæ tuum latus reseravit? quid tu propter ipsum?* fortassis volutasti te in spinis cum S. Benedicto, in nivibus cum S. Francisco? eloquere si tentasti quid simile. An cum D. Ignatio Lojola gelidis in undis collotenus stetisti? minime verò, inquis. *§. 21. Vide quid hàc quadragesimâ propter Christum facias.*

Ne ergo minora sperne: propter JESUM tuum jejuna, propter Christum mortifica carnem tuam; ne in hoc saltem sis ingratus erga Dominum JESUM. *Qui non compatitur IESU, ignorat IESUM.*



CONCIO XV.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

Miserere mei Domine, fili David.

Matth. 15. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit hæc Concio encomia Orationis: præsertim, quòd per illam nostram salutem, & media ad illam necessaria debeamus obtinere.

§. 1. Cur Cananæa à Christo D. vocetur canis.

NOn dedecori, sed laudi est Cananææ, quod Salvator noster illam comparet cani. Canis venaticus dum prædam inquirit, pernici agilitate hinc inde discurrit, fervens, anhelans, æstuans, quoad feræ alicujus vestigia deprehendat. Enimverò tum in latratum prorumpit. Meo judicio, afflictissima mater miseræ filiæ domo exivit, tristis,

tristis, suffusa lacrymis, frequens suspiriis, cum silentio inquirens cœlestem medicum, de cujus & benignitate, & potentiâ sanandi ægros perquam multa audiverat: Ut primum ejus in conspectum venit, canis instar latrare cœpit, *Miserere mei Domine, fili David &c.* Tacet, dissimulat, nec verbulum ei respondet Salvator, perinde ac si non audiret. Nihilominus instar latrantis canis adeò illa latrare perrexit, ut Apostoli dicerent v. 25. *dimitte eam, quia clamat post nos.*

Fortassis non latravit tantum, sed etiam, ut canes solent, ad pedes Christi se abjecit; fortè vestigia ore, & linguâ lambere illi volupe fuit: donec tandem importunis clamoribus, & vocibus instanti & ardenti oratione Dominum ad misericordiam commovit.

§. 2. Docet nos ferventem Orationem quæ jungi debet jejunio.

Cananæa mulier nos hoc sacro tempore quadragesimæ docet ferventem orationem, quæ sacrum jejunium, de quo egi ante octiduum, & perfectius reddit, & gratius. Declarat id pulchro simili S. Chrysologus Ser. 8. *Quod oleum lucerna est, hoc jejunio pietas. Sicut lucernæ lumen olei pinguedo succendit, & moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium perlucere; sic pietas facit splendere jejunium, & ad totam radiare continentiâ claritatem.* Antiquissima majorum nostrorum devotio est, ut in Ecclesiis ante imagines Crucifixi perpetuò ardeant lampades, quas vocant aliquas æternas, id est, ut diebus & noctibus luceant. Tales lampades hoc tempore, corda vestra esse desidero; aureas ex auro charitatis, plenas oleo bonorum operum, jejunii potissimùm; accensas verò ab igne, & flammis ferventissimæ orationis. Illius & necessitatem, & utilitatem hâc concione unico argumento demonstrabo, nimirum DEUM velle, ut salutem nostram, & media ad illam necessaria, obtineamus per orationem.

§. 3. Quomodo Christus D. per orationem obtinuerit Electos.

Ratio, quâ modo ostendam excellentiam orationis, subtilis est, & Theologica, ita tamen eam conabor proponere, ut ex illâ facilè intelligatis, & necessitatem, & utilitatem orationis, Ps. 2. v. 8. ait Regius Psaltes, *Postula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam.* His verbis, vel hoc præcepto Pater cœlestis imperat Filio, ut ferventibus precibus à se postulet, optatam hæreditatem, id est, electos, futuros cohæredes Christi; jubetque ut pro illis quos vellet efficaciter redimere, multùm, & ardenter oret. Hoc præceptum Christus Dominus implevit, Joannis, 17. v. 23. *Hæc locutus est JESUS, & sublevatis oculis in cœlum dixit, Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi. Pater Sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Continent hæc verba ardentissimam, & affectuosissimam Christi D. orationem pro Electis.

§. 4. Efficax oratio Christi, præsertim in trihorio Crucis.

Similes preces Patri frequenter in occulto obtulit, integris, & multis noctibus, quas pernoctavit in oratione; & præcipuè quandò ultimo vitæ trihorio in Cruce, cum lacrymis & clamore valido cordis, pro suis, & salvandis peccatoribus ardenter

oravit:

oravit: Enimverò tùm obtinuit à Patre cœlesti, ut tu, vel ego, vel hi, vel illi sint salvandi: Tum pretioso Christi sanguine scriptus est liber aureus prædestinationis. Ab æternitate quidem scriptus fuit in idæis divinis; sed in tempore hoc factum est in Cruce per ardentem orationem, & sanguinem Christi. Gaudete animæ piæ, quia orante Christo in cruce pro vobis, *nomina vestra scripta sunt in libro vitæ.* Postulavit Christus; & dedit illi Pater suam hæreditatem.

§. 5. *Sanguine Christi sumus redempti, sed ejus precio addere voluit orationem.*

Verùm gravis ex hoc discursu oritur difficultas. Nonnè enim Filius DEI Salvator mundi, suam hæreditatem, & gentes, & genus humanum, & præcipuè Electos obtinuit à Patre primo momento Conceptionis suæ, quo factus homo, dixit, *In capite libri scriptum est de me &c.* Nonne deinde obtinuit per passionem, per mortem Crucis, per vulnera, & sanguinem? Sic est, Auditores, ejus morte & sanguine sumus redempti: divinissimus ejus cruor fuit pretium, & litrum, quo sumus empti. *Non enim corruptibilibus, auro & argento, sed pretioso suo sanguine Filius DEI nos redemit*, ait Sanctus Petrus 1. Pet. 1. v. 18. Quo non obstante, cœlestis Pater eandem hæreditatem novo titulo, sive novâ monetâ, scilicet oratione, à Filio emi voluit, atque obtineri: conformiter fundamento, vel principio Theologico, quo Scholæ docent, eandem rem duplici titulo cadere sub meritum.

§. 6. *Conversiones factæ sub Cruce, utriq; titulo sunt asscribendæ.*

Patet in oratione illâ Christi in Cruce, Luc. 23. v. 34: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Poterat tanquam filius DEI, tanquam Redemptor suis crucifixoribus dicere, quæ dixit Magdalenæ Luc. 7. v. 47. vel Paralytico, *Remittuntur vobis peccata vestra.* Ob quæ verba murmurârunt Judæi; *quis est hic, qui etiam peccata dimittit? quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* sed DEUS est, qui pendet in Cruce, & potuisset dicere, *Dimitto vobis peccata vestra*; non tamen voluit id facere sine oratione. Et quod quidam redierint percutientes pectora sua, asscribendum est, & Passioni & Orationi Christi: Quod Centurio dixerit Matth. 27. v. 54. *Verè hic est filius DEI*, fuit effectus orationis Christi; quod hodiè graves convertantur peccatores, suâ oratione in cruce Christus obtinuit.

§. 7. *Declaratur simili.*

Quemadmodum in Galliâ multi ad magnos honores, & eximia officia perveniunt, & præclaris factis, meritisque, & numeratione pecuniæ, cum aliorum intercessione, sine qua Rex tale officium, etiam pro pecuniâ non concederet: ita cœlestis Pater dilecto Filio dedit suam hæreditatem, & propter merita atque Passionem, & propter ardentem orationem, quâ illam expetiit.

§. 8. *Eodem duplici titulo obtinemus nostram salutem Per merita.*

Pari omninò ratione, gratias quas nobis optare possumus, & æternam salutem, quam speramus, promeruit nobis Christus suâ passione, & morte. Sed non est satis, Audit. Postulate insuper peccatorum remissionem; postulate cor contritum; postulate virtutum perfectionem & gratiæ augmentum: sive ardentissimis preci-

Passionis & nostrâ Orationem. precibus hæc petite. Postulate, & efficaciter sanguis Christi vobis proderit. Desideratis felicem laborum vestrorum atque operum successum? postulate in precibus. Anhelatis ad vitam Deo gratam & homine dignam Christiano? postulate in precibus. Optatis mentis serenitatem, animi pacem, tranquillitatem conscientiæ? rogate eandem in precibus. Anhelatis ad perfectum Jesu amorem, ad virtutem pulchritudinem, cœlorum delicias? petite in precibus. Suspiratis ad felicem vitæ finem atque exitum ex hac aura mortali bene auspicatum? petite, orate, postulate, instate in precibus. Imitamini Cananæam, estote canes, currite, anhelate, latrate, projicite vos ad pedes Christi, lambite ejus sanctissima vulnera, sugite pretiosum sanguinem; repetite millies. *Iesu fili David miserere.* S. Gregorius, *Vult rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci.*

§. 9. *Confirmatur ex S. Paulo ex cap. 2. ad Ephes.* Ad Ephesios 2. v. 4. ait S. Paulus. *Dives est* (Deus) *in misericordia*: ad Rom. 10. v. 12. *Dives in omnes.* Occurrerunt hi mihi versus cum hisce diebus in oratione dolorosi Rosarii Jesum sudantem sanguinem mihi repræsentarem, & cogitarem: Vere dives es in misericordia, *mi Iesu*, dives in omnes, *mi Salvator*, nobis fluit divinus hic sudor, nobis stillat pretiosissimum hoc balsamum, nobis manant tam pretiosi & speciosi fontis illius rivuli. Sed unde obsecro oritur, hunc sanguinem pro omnibus effusum non omnibus prodesse; cur tot damnantur, cum piissimus Salvator velit omnes salvari?

Sic est. Est hæc voluntas in Christo D. sed eam ipsam Theologi duplicem esse contendunt, *Efficacem* alteram, alteram *Inefficacem*, Inefficaci voluntate in omnes est dives: sed hæc voluntas nunquam sortitur effectum. Efficaci, in quosdam tantum est dives, & liberalis, illos nimirum de quibus Apostolus in iisdem versibus ait, *qui invocant illum*, qui postulant, qui ardenter petunt. Inter myriades damnatorum, non est ullus pro quo Christus mortuus non sit, neque tamen hoc illis profuit, vel proderit unquam, quia non postularunt, dum viverent, ut oportebat. Quæso, oremus nos, obsecremus, obtestemur, ut salvi fiamus. § 10. *Cur non omnibus prosit sanguis Christi.*

Beneficiorum omnium maximum, Incarnationem Verbi, media oratione peractum esse, meditatur subtilissimus Celada, meus quondam in Hispania Professor. Quærunt enim SS. Patres & Scholæ, an B. Virgo & antiqui Patres meruerint mysterium Incarnationis? Respondent meruisse, *non quoad substantiam, sed quoad accelerationem.* Potuisset illud Deus adhuc multis sæculis differre, sed accensa illa Sanctorum suspiria, *Rorate cœli desuper* Is. 49. v. 8. &c. Illius permoverunt bonitatem, ut quoad executionem accelerarit. Citatus Pater meditatur, petivisse illam quasi à Deo, varia ejus attributa, Omnipotentiam, Sapientiam, Veritatem, Pacem, Misericordiam; sed ultimum movens ad operationem, & rem totam tradens executioni ardens fuit B. Virginis oratio. Sed clarius advertite sublimem cogitationem P. Celadæ. § 11. *Ardens oratio B. V. & antiquorum PP. obtinuit accelerationē Incarnationis.*

Missus fuit Angelus Gabriel ad B. V. in Nazareth ad petendum consensum pu- § 12. *Illa verba B. V. Ecce*

ancilla Domini &c. fuerunt simul ardens oratio.

purissimæ puellæ in cooperationem tanti mysterii. Et nisi suum illa præbuisset consensum, Filius Dei homo factus non fuisset. Consensit autem illis verbis, *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*. Luc. 1. v. 28. At verò non consensum tantummodo sed ardentissimam simul orationem continuerunt hæc verba: hic enim simul fuit sensus & mens Virginis. *Omnipotens æterne Deus! fiat hoc tandem*, quod Archangelus Gabriel mihi proponit. *O Pater*, per misericordiam tuam tandem hoc fiat, ut mittas quem missurus es. *O Verbum Patris, ò fili, fiat hoc*, ut ostendas mihi faciem tuam, ah fiat! *O S. Spiritus, fiat*, ut descendas tandem in uterum meum; ecce sanguinem meum, ut tua obumbratione formetur corpus filii Altissimi. *O Sanctissima Trinitas, fiat, ecce ancilla Domini.* Hæc Virginis ardens oratio tandem efficaciter promeruit executionem mysterii Incarnationis. Ingens hoc beneficium B. V. obtinuit Oratio.

§. 11. *Preces Iudaeorum accelerarunt sententiam mortis Christi.*

Idem fermè de ipsa Christi Domini morte dicere possumus. Proditur, venditur, traditur à Juda, rapitur ad diversa tribunalia, sistitur diversis Judicibus, accusatur fortiter, adornantur falsi testes: nullus tamen audet, vel vult ferre in innocentem sententiam mortis, imò, testimonium perhibent sanctitati: *At illi*, Judæi, scilicet Principes sacerdotum, de populo plurimi, Luc. 23. v. 10. *Instabant vocibus magnis, postulantes, ut crucifigeretur*; nescii se petere, & postulare tantum beneficium. Beda; *quia verò totam accusationem adversus Dominum, sollicita Pilati interrogatione videbant evacuatam tandem ad solas se preces converterunt, instantes magnis vocibus*; unde Pilatus: *Adjudicavit fieri petitionem eorum.* Tantum impiorum etiam preces potuerunt, ut mortem Christi, à quâ pendebat redemptio generis humani, accelerarint. Ut verò nobis eadem prosit, ut prosit ejus passio, ut prosint sanctissima Vulnera, & pretiosius sanguis Christi, instare debemus precibus, suspiriis, magnis vocibus: *vult enim Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate superari*, ait S. Gregorius.

§. 14. *Dispar mors duorum latronum pendentium in Cruce.*

Age igitur ut probè videamus, agnoscamusque quantum in negotio salutis momenti sit positum in oratione, duo nobis proponamus specula, & sibi conjunctas diversissimæ mortis imagines. Ad latus suffixi in Crucem Salvatoris duo pependerunt latrones, quorum alter inter voces blasphemas atque impias, damnatum evomuit Spiritum æternis Tartari flammis cruciandum. Ah! infelicem vitæ terminum! Et in præsentia quidem, in conspectu, ad latus Salvatoris? Alter verò audire meruit verba illa dulcissima, Luc. 23. v. 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* Unde illi obsecro tanta gratia, nisi ab oratione, profecta? ajebat quippe v. 42. *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum.* Paucissimæ hæ voculæ orationem continent, non ardentem minus, quam humilem; dicere enim voluit: Domine per tuum ego te sanguinem, etiam atque etiam rogo, per virtutem tuam divinissimam, & charitatem in primis, qua me perditum, totumque terrarum orbem prosequeris, infinitam, per mortem tuam acer-

acerbissimam, per coronam illam spineam, per illas Vulnerum in benedictis manibus, pedibusque cicatrices, iterum iterumque oro, obsecro, *Memento mei cum veneris &c.* Oravit breviter hic latro, & peroravit feliciter. Exaudita est oratio ejus. Bonus Jesus dives erga illum fuit in misericordia, fuit liberalis, paradisum dedit: sed ipse invocavit, periit, postulavit.

§. 15. *Apostrophe ad animas pias.* Ah animæ piæ, hoc facite in hac quadragesima, frequenter, & ardenter imitamini Cananæam, currite, anhelate, clamate, latrate, orate. Ecce Salvatorem vestrum in Venerabili Sacramento! ecce ejus imaginem in Cruce! ruite in genua, petite gratias, quas vultis: est dives, est liberalis, aperit thesauros, referat penetralia cordis; sed vult simul rogari se Dominus, vult sollicitari quodammodo & cogi, vult invocari fortiter & constanter. Nimirum ejusmodi preces solet exaudire Salvator.

§. 16. *Symbolum Patris Hesii.* Psalmo 9. v. 17. ait David. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Vocula, *præparatio* duplicem continet sensum: primus est; ut oratio nostra exaudiatur, debet præparari. Est enim oratio Musica, seu harmonia, seu variorum consonantia instrumentorum, testudinis v. g. cytharæ, omnes chordæ debent ordinari, attrahi, remitti, &c. Pari ratione ante orationem componi debent omnes affectus, potentiæ, & facultates animæ, sensus corporis, labia, os, lingua, ut sibi consonent, & dirigantur in Deum. Guilh. Hesius Poëta societatis nostræ egregius puerum exhibet suis in emblematibus, utrisque ludentem manibus in sambuco, cui ipse ingeniosum hoc lemma subscripsit, *Fidem concordia sanam, sola probat.* Mihi pro re mea liceat unicam tantum immutare voculam, & dicere, *Preces concordia sanas, sola probat,* hujus vel sambuci, vel cytharæ harmonia, mirum quantum SS. Angelos ipsumque etiam Deum afficiat. Orationem bene præparatam exaudit Deus.

Alter is est sensus, dum pro *præparatione* Remigius legit, *Meditationem,* Cassiodorus *concupiscentiam,* id est, oratio pauperis debet esse plena ferventibus desideriis, obsecrationibus, postulationibus, instantiis. Quidquid tali oratione, præsertim hoc sacro tempore Passionis petierimus, hoc bonus Deus nobis impertietur. Quod dum prolixius expono, facere, non possum, quin elegantissimum ex Psal. 49. versum 5. allegem. *Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.* S. Hieronymus legit, *Congregate mihi sanctos meos.* S. Cyprianus, *Colligite illi sanctos ejus.* Arnobius ait; hanc priorem partem versus loqui de magnis & eximiis Sanctis, qui convocantur, vel congregantur, ut in psalmis, & organis laudent Dominum ut ferventer orent. Alteram partem versus, *qui ordinant testamentum ejus &c.* Chaldæus Paraphrastes sic legit: *qua pepigerunt pactum, & operam navarunt orationi, quæ similis est oblationibus.* §. 17. *Suavissimus locus ex Ps. 49. de testamento orientis [?]*

Ex quo loco has tandem formo maximas, sive propositiones. 1. Qui sanctitatem desiderat eximiam, & in excel-

lenti gradu, ut modo quodam perfe-fectiſſimo laudet Deum, illum ita deditum eſſe orationi oportet, ſicut magni quondam ſancti in orationis ſtudio excelluerunt. 2. Diditi Orationi, ſunt Sancti Chriſti D. 3. Ordinant teſtamentum Chriſti, id quod ſic intelligo: Teſtamentum eſt ultima morientis voluntas, quæ vel verbo, vel ſcripto poſt mortem quibusdam manifeſtatur, ut eam dent executioni, ut vocantur vulgo Teſtamentarii. Hoc ſenſu, ordinare teſtamentum, eſt idem, ac illud exequi. Teſtamentum ſive ultima Chriſti morientis voluntas extitit, ut noſtra ſint Sanctiſſima ſua Vulnera, noſter ſuus ſanguis, noſtra denique merita ſua infinita; illa nobis legavit. Sed executio pendet ab oratione. Orationis amatores ultimam Chriſti voluntatem primum pro ſe, deinde etiam pro aliis exequuntur, non nobis tantum ſed aliis merita Chriſti per orationem applicare poſſumus.

Digreſſio ad Sodales Congregationis Agonia Chriſti in Cruce. Gratulor ex animo Sodalibus Chriſti agonizantis in Cruce, hi quovis menſe congregantur, & colliguntur, ut publica oratione Roſarii quinque SS. Vulnerum ſibi, & aliis impetrent felicem horam mortis. Eja orate ferventer, inſtantes precibus, non deſiſtite jaculari in cœlum vota veſtra, ac gemitus; nimirum hoc eſt ordinare teſtamentum Chriſti. Sodales hujus Congregationis dico eſſe teſtamentarios Chriſti Crucifixi.


§. 18. *Diditi Orationi faciunt pactum cum Jeſu.* Quarta demum maxima ſupereſt, ſeu regula. Diditi orationibus pactum inierunt cum Chriſto D. O nobile pactum, adeſte fideliſſimi ſodales agonizantis in cruce Salvatoris. Vos, vos inquam potiſſimum intelligo; qui & pactum inter vos mutuum iniiſtis, ut alter oret pro altero; alter alterum ſuæ reddat pietatis participem, alter alterum in via virtutum promoveat. Et verò quod rei caput eſt, ipſum etiam Chriſtum, in pacti hujus Societatem vocaſtis, dum vos illi preces, orationes, virtutes, & pietatem; ille verò vobis animi tranquillitatem, proſperum in omnibus rebus ſucceſſum & beatum denique vitæ terminum adpromittit; ſed ut ſæpius inſinuavi, petentibus, poſtulantibus, obſecrantibus.

§. 19. *Fervens oratio ligat manus judicis ne poſſit punire.* Et adhuc timetis, Animæ piæ? adverto cauſam, Peccaſtis! timetis, ne Judex æquus, & ſeverus puniat. Nunquid? ſed ponite timorem, ſi modo agitis pœnitentiam, & orationi ſedulo vacatis, ſalva res erit. Orantes irata Nemeſis punire non poteſt. Oratio fervens ligat illi manus, avertit fulmen, compeſcit iram, furorem extinguit. Falſus eſt ſponſæ Cant. 4. v. 9. *Vulneraſti cor meum.* vel, *ligaſti*: Vincula verò, & ligamina ſponſæ, quibus ſponſum captivum ligavit, fuerunt lachrymantes oculi, & crines capitis. Sic ait: *In uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui*, lectio hebraica, *In uno torque colli tui &c.* Secundum hanc lectionem, Oratio eſt aurea catena, quæ Dei manus ligat, ne percutere poſſit. Alias ſponſus hæc verba ejusdem fere ſenſus dixit ſponſæ: *Coma capitis tui*, ſcilicet, me ligarunt, me captivum fecerunt, id eſt, tui affectus, tuæ cogitationes ſanctæ, caſtæ, piæ; tua ardentia deſideria; ſive *Coma capitis tui ſicut purpura Regis juncta canalibus*. Alii le-

legunt, *Rex ligatus in eis.* Perquam ſanè commodè, & oportunè ligati Regis noſtri facta hic eſt mentio. Habemus Auditores optimi, habemus inquam ligatum Regem Judicem, ligatum catenis latronum, ligatum ad columnam illam cruentam, tinctam ejus Sanguine pretioſiſſimo. Bene habet; ipſæ manus, & brachia clavis alligata ſunt Cruci, fulmina torquere, percutere, punire non poteſt, ligemus adhuc fortiùs. Agedum porro & novos expediamus funiculos; novas aptemus catenas, aurea vincula devotæ orationis. Ut purpurei ſint funes, ut ignei; intingamus purpuræ Sanguinis Christi, inflammemus flammis ardentium ſuſpiriorum.

Profectò his implicitus quaſi laqueis vinculiſque Samſon ille fortiſſimus, ſuam erga nos iram mutabit in manſuetudinem, indignationem in amorem, furorem in clementiam. Erit dives & liberalis in miſericordia, largietur Paradiſum, ſed poſtulantibus.

NB. Si Concio hac debeat dilatari, adde in Propoſitione hoc punctum. Dixi nuper, Iejunio placari iram Dei; placat quoque oratio; præſertim ſi in gravibus & publicis neceſſitatibus cum Cananæa ad illam confugiamus. Vide Sylvam. tit: Oratio.



CONCIO XVI.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Erat Jeſus ejiciens dæmonium. Luc. 11. v. 14.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ODium eſt terribilis vipera, quæ per paſchalem Confeſſionem, & Communionem, ex corde humano debet expelli.

§. 1. *Cor hominis thronus, & domus eſt vel Chriſti, vel Diaboli, declaratur per varias picturas.*

§. 2. *Quid ſint viperæ & ſerpentes in hac domo.*

§. 3. *Hoc eſt de eſſentia bona Confeſſionis.*

§. 4. C. 10. *ad Hebr. S. Paulus omnib. offert veniam peccatorum in Sanguine Chriſti.*

§. 5. *Sed ſi teneamus viam novam monſtratam à Chriſto.*

§. 6. *Ignoſcere fuit olim vera pietas Chriſtianorum.*

§. 7. *Heroicum factum Alex: M. primi inſiſtentis in urbem hoſtium.*

§. 8. *Differentia inter Sanguinem Abelis, & Chriſti D.*

§. 9. *Qua ratione Chriſtus fecerit pacem per Sanguinem Crucis.*

§. 10. *Tres modi conciliandi inimicos,*

§. 1. *Cor hominis thronus & domus est vel Christi vel Diaboli. Declaratur per varias picturas.*

QUæ litera Evangelii nobis refert, de regno, domo, atrio Belzebub, non intelligere nos oportet de Monarchia aliqua, vel regno, & Provincia hujus mundi, sed, ut verbo dicam, de corde hominis. Cor nostrum est regnum, vel domus, cujus possessionem sibi vendicare cupiunt Christus, & Diabolus. Cujusnam thronus cor hominis sit, picturæ suæ quædam, vel imagines nobis repræsentant. Vidistisne cor pictum, habitatum viperis, & bufonibus? vipera est superbia, luxuria bufo &c. tale cor est atrium Belzebub. Vidistisne cor aliud, retibus mundi implicitum? aliud occlusum retibus voluptatum? ejusmodi cor est thronus Satanæ. Aspexistisne cor pictum inter spinas? in spinis, ac sentibus avaritiæ habitare consuevit Diabolus, &c.

Ego in libello pio, cujus titulus, *Cor hominis Iesu Sacrum*, cum gaudio spectare soleo cor, totum aureum, nitidum, præfulgens, & circumamictum radiis, ad instar solis, in quo in byssino pulvinari, veluti præsepio quiescat Jesulus, hoc cor est regnum, domus, & thronus Christi. Aliud est coronatum, & cinctum liliis, scilicet virginitatis, castitatis, puritatis. Inter lilia commoratur cœlestis sponsus. Omitto sexcentas alias similis generis picturas.

Unum adhuc vobis ostendam Sacro quadragesimæ tempori accommodum. Est illud veluti ara, vel altare, cujus medium ornat piissima imago Crucifixi. O factum bene! si corda vestra sunt tales aræ, si illis impressa est imago Crucifixi, estis regnum, domus, atrium Jesu.

§. 2. *Quid sint vipera & serpentes in hac domo.*

Sed, quid si etiam hoc Sacro tempore in aliquorum cordibus habitent certi quidam venenati bufones, & serpentes? quid si quædam pestilentes viperæ? intelligo per has bestias nonnulla quædam scelera, quæ Confessiones paschales reddere solent sacrilegas. Talis vipera est pudor, quo victi complures, gravia peccata in sacro tribunali recensere non audent; & de his agere quotannis solenne mihi est ante festa paschalia. Modò ostendam, illum, qui bene vult peragere paschalem confessionem, oportere, ex corde ignoscere inimicis. Odium est dæmonium, quod, antequam Christus D. per Communionem, ingrediatur, debet expelli. Vipera est, serpens est, bufo est; cui, humanis è cor-

è cordibus ejiciendo dum operam navo; tu Cordium Deus ac Rector, tuam mihi gratiam, atque auxilium adhibere digneris.

§. 3. *Hoc est de essentia bonæ confessionis.*

De essentia bonæ confessionis est, injurias & offensas omnes ex animo remittere, & inimicos ex corde diligere.

Dicant nobiles, dicant aulici, dicant filii hujus sæculi, gloriosum esse se ulcisci, nihil esse dulcius vindicta: scio has doceri veritates, vel falsitates in Schola mundi, oppono tamen his omnibus Increatæ Sapientiæ consilium, & præceptum, diligendos esse inimicos. At arduum hoc est, inquies, & perquam difficile, est hæc lex nova, est via hactenus incognita. Difficilis fateor lex est, semita est incognita, sed quam nobis vel promulgavit, vel ambulavit ipse Filius Dei. Si volumus nobis ignosci, debemus ignoscere, juxta petitionem Orationis dominicæ, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.*

§. 4. *c. 10. ad Hebr. S. Paulus omnibus offert veniam peccatorum.*

Eandem nos servare jubet regulam atque eidem semitæ insistere S. Paulus ad Hebr. 10. v. 19. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id est, carnem suam.* Primæ partis hujus versus hic est sensus, licet graviter, & multùm peccaverimus, tamen animis nequaquam cadere, sed cum fiducia sperare debemus introitum in sancta sanctorum, in æterna tabernacula, *in Sanguine Christi*, quem in Cruce effudit, & copiosè, & abundanter, licet unica gutta infinitis hominum peccatis infinitè prævaleat, unde si peccatores etiam gravissimi pœniteant, & convertantur, non est quod timeant, sed sperent remissionem, & gratiam cum fiducia *in Sanguine Christi*. Cujus efficacia omnes culpas, & offensas nobis dimittit. Præcipuè in Sacramento pœnitentiæ, & tribunali confessionis.

§. 5. *Sed si teneamus viam novam monstratam à Christo.*

Sed altera pars citati versus à nobis vicissim requirit, ut ad æternam salutem ambulemus per illam novam viam, quam ipse primus initiavit, verbo & exemplo. Verbo, cum novum præceptum de dilectione inimicorum promulgavit, exemplo cum in Cruce oravit pro inimicis, & crucifixoribus; ut bene dixerit S. Chrysostomus, viam hanc novam, de qua Apostolus loquitur, esse dilectionem inimicorum.

Non dubito Auditores, quin hac sancta quadragesima ex animo desideratis veniam, & remissionem peccatorum, non dubito quin eandem speretis cùm fiducia in sanguine Christi; sed & vos, exemplo Christi, diligite inimicos vestros, ponite inimicitias, de odiis nihil cogitate amplius, nihil de studio vindictæ, nihil de serpentibus istis & viperis, nihil de hoc dæmonio. Hinc est quod 1. Petri 2. v. 21. 22. monemur: *In hoc vocati estis, quia Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus; qui peccatum non fecit, neque inventus dolus in ore ejus, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste.* Eleganter hic S. Chrys. in Ps. 118. *Hæc est Christianorum bonitas, cum omnibus pacem habeant, non se vindicent, pro inimicis orent, bene faciāt iis, quos oderunt. Hæc est Christianorū bonitas, quod* Chri-

Christus fecit in capite suo, hoc voluit esse in membris suis. (est locus pro pulchro affectu.)

§. 6. *Ignoscere, fuit olim vera pietas Christianorũ.* Præclara sanè bonitas! laudanda pietas! & commendandus illorum affectus Christianorum, qui pulcherrimo præeuntem exemplo Christum ardenter sequuntur. Audin mi homo? si inimico, amore Christi ultro veniam delicti offeras, hæc est pietas Christianorum. Si nihil de odio cogitas, nihil de vindicta, hæc est bonitas! si omnem vindicandi tui occasionem repudias! hæc demum vera, sincera, & genuina bonitas Christianorum! Prævivit exemplo longè illustrissimo ipse Deus-homo. Ut ne nobis amplius difficile videatur atque arduum.

§. 7. *Heroicum factum Alex. M. primi insidentis in urbem hostium.* De magno illo Macedonum Alexandro referunt auctores, quod cum jam primam atque principem Persiæ civitatem bellica obsidione cingeret, videretque militem suum ob murorum altitudinem nonnihil terreri, primus ipse per scalas evolavit in altum, atque ab illis se, quanquam non sine gravi periculo, demisit in urbem. Quo ducis exemplo animatus confestim miles idem tentare, aggredi, atque etiam felicem ad exitum cœpit perducere. Dux noster Aud. Jesus est; huic Sacramentum diximus in bapt. mundum expugnaturus, ac dæmonem pro hostibus oravit in cruce: & nos renuimus idem præstare? nos subterfugiemus aleam? nos impossibile hoc factum arbitremur? minimè gentium.

§. 8. *Differentia inter sanguinẽ Abelis & Christi D.* Ante Christi adventum, & promulgationem novæ legis: licita fuit vindicta; postea verò quàm filius Dei pro inimicis sanguinem suum dedit, prohibita, proscripta, eliminata est. Pulchram differentiam inter sanguinem Abelis, & sanguinem Christi insinuat S. Paulus ad Hebr. 12. v. 24. *Accessistis ad testamenti novi mediatorem Iesum & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel.*

Genesis 4. v. 10. iratus Cain in agro consurrexit adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum; mox adfuit Dominus & dixit, *Quid fecisti Cain? vox Sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram.*

Non minus alter innocentissimus Abel ab impio Cain, ab impia Synagoga trucidatur in ligno crucis. Uterque fudit sanguinem, & sanguinem disertum, facundum, eloquentem; sed magno cum discrimine. Alia quippe vox fuit primi, alia secundi Abelis: hic enim non vindictam clamavit, sed misericordiam. Hic dixit *Pater ignosce illis.* Sed Ambrosius l. de fuga sæculi cap. 5. *Iste vindictam clamavit, hic indulgentiam,* (cogitate vos videre hinc in agro jacentem Abelem in sanguine suo, inde verò Christum in cruce per omnes corporis partes sanguine purpuratum) *ille peccatum fratris accusat, hic peccatum mundi remisit, ille prodidit crimen, hic texit.* Eja mi Christiane, ebullitne tuus tibi sanguis circa præcordia? succenditur præ ira? ardet præ furore? æstuat præ vindictæ desiderio? age Christum inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte Calvariæ; non quære accusationes, non neces clama, sed veniam, sed charitatem, sed indulgentiam.

Certè

§. 9. *Qua ratione Christus fecerit pacem per sanguinem Crucis.*

Certè admirabili quodam & suavissimo modo Salvator reconciliationem nostram quæsivit, & pacem cum inimicis.

Mysterium advertit S. Paulus ad Coloss. 1. v. 20. *Pacem faciens per Sanguinem Crucis sua*, id est, mori voluit in cruce, & sanguinem suum pretiosum fundere, ut pacem faceret inter diffidentes, explicat hoc Apostolus latius ad Ephes. 2. v. 14. *Ipse fecit utraque unum, & medium parietem materia dissolvens, inimicitias in carne sua & duos condere in semetipso in unum hominem, faciens pacem, ut reconciliet ambos per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Latent in his verbis pulcherrimi modi conciliandi inimicos, & diffidentes.

§. 10. *Tres modi conciliandi inimicos, quos omnes observavit Christus D.*

Primus est; si quandoque contingat duos aulæ proceres, fatales fovere inimicitias, Rex illud intelligens, vocat utrumque ad intimum conclave, suavibusque verbis diffidentes componit animos, iisque pacem, & unionem persuadet. Tunc dici potest, Rex per semetipsum, & sua auctoritate firmavit hanc pacem.

Tales rixæ fuerunt inter Ephestionem & Craterum, uterque erat in amoribus Alexandro. Sed vel hanc ipsam ob causam, & ob divisum, ut existimabant, amorem Principis mutuæ fomitem inimicitiæ succenderunt. Paucissimis verbis Alexander hoc placavit dissidium, & ex utroque unum fecit, ajebat enim, *Meo amori hoc date, & vos amate.* Eja mi Christiane, scio inimicitias, quas foves, tuum inveteratum odium non me latet; Sed ante paschalem confessionem deponendum est; ecce patent portæ intimi conclavis Regis Regum Christi; ecce patet divinum latus, patet benignissimum Cor Jesu; ingredere, Rex te vocat, Rex invitat, Rex tui alloquendi flagrat desiderio; ingredere modo, sed hoc rogat, ut ejus amori, quo pro te mortuus est, hoc des, ut ignoscas inimicis. Imo tuam aulam, tuum cor, tui pectoris penetralia paratus est ingredi in Venerabili Eucharistia, si tamen ejus amori hoc des, ut prius condones inimicis. Resistis pertinax? Amori Jesu hoc negabis? absit, audi, ipse Jesus à te pacem petit.

Dictum Alex. M.

§. 11. *Aliud simile.*

2. In aula primaria nuper duo Nobiles strictis gladiis fuerunt congressi; sed vir Princeps utriusque amantissimus, se interponens casu læsus est; viso hujus sanguine ira utriusque sedata amicis dexteris pacem jurarunt, dederunt hoc amori, vulneri & sanguini tanti Principis; de quo dicere possumus, per semetipsum hanc pacem fecit. Vos, qui fovetis odia, estis hi nobiles, irruitis in vos invicem gladiis, & spiculis. Gladii sunt verba aculeata, detractoria &c. Rex Regum Christus in cruce se intermedium ponit: hunc vestris gladiis, vestro letali odio, vestris desideriis vindictæ necessario rursum configitis, ecce vulnera! ecce sanguinem! Amori hujus Regis, ejus Vulneribus, ejus sanguini hoc date, ut pacem faciatis, præsertim hac quadragesima.

§. 12. *Christus in Cruce pro inimico est fidejussor.*

Tertius modus ineundæ pacis est. Cum subinde irati diffidentium animi componi non possunt, eligitur fidejussor, qui promittit se utriusque honori & voluntati satisfacturum. Quod si fiat, pax concluditur. Concedo tibi mi Christia-

ſtiane, eſſe tibi cauſam, cur ab inimico vindictam, & ſatisfactionem exigas, Sed ecce, Filius Dei Salvator tuus in cruce, præſtat ſe tibi fidejuſſorem. hic ſatisfecit pro tuo inimico, & paratus eſt tibi ulterius ſatisfacere. Age dic, poteſne majorem de illo optare vindictã, quam ut hoſtis tuus mille petitus vulneribus concidatur? ſatisfecit deſiderio tuo Jeſus in ſua flagellatione, quid ultra quæris? Deſideras fortè ſpinas, vepres, ac ſentes, quibus in inimici tui caput ad ſanguinem usque pro libitu deſævias? En ſpinis, hunc in finem tuus voluit coronari Salvator. Prurit tibi dextera ad impingendos hoſti tuo colaphos atque alapas? En Jeſum, aſpice malè mulctatum alapis, ne eas ſuus cogeretur hoſtis ſuſtinere. Crucem animo meditaris, qua premas humeros adverſarii? En clavos, quibus affigas? En crucem pro te proque illo ultro tulit Jeſus in montem Calvariæ! illi pependit affixus. Ferrum optas acuere, quo hoſti tuo animam elidas? ferrum jam excepit ſuo in pectore Chriſtus. Quid ultra moliris? quid machinaris præterea? quid furis amens? an non tuo ſatis ſuperque furori factum eſt in tuo fidejuſſore Jeſu? quid deſideras præterea? vide ſis quæſo, ne novis illum per inauditam crudelitatem tormentis afficias. Da aliquid ejus amori, ante paſchalem Confeſſionem ignoſce inimico tuo & toto corde. Expelle tam dirum dæmonium, ut Jeſus per paſchalem Communionem ingredi poſſit, & velit.

Deſcriptio ardentis vindictæ.

Sed pro hoſte Chriſtus ſatisfecit.

Patheticus locus cum memoria myſteriorum Paſſionis.

§. 13. *Heroica aliqua exempla condonantium injurias.*

Talia habuerunt præ oculis, qui heroicis & generoſis actibus injurias condonarunt. Exemplo ſit illa matrona in Italia, quæ juvenem, qui unicum ejus filium occiderat, in ſuis ædibus abſcondit, & clam alio miſit, ne in Judicis manus incideret, mota aſpectu lignei ſimulacri pendentis in cruce.

Prodeat & S. Miletius Antiochenus Patriarcha, qui urbis gubernatorem, cum nefariam tuliſſet exilii ſententiam, ſuo corpore texit, ne populi lapidibus obrueretur. Accedat & D. Catharina Senenſis (Surius 29. Apr.) quæ ægrotæ ſe continuo calumnianti, conviciantique eò ſervivit fideliùs, eò aſtitit diligentiùs, in ipſum usq; mortis agonem. D. Sabinus, Spoletanorum Epiſcopus, quid hac in re præſtiterit egregium, accipite. Fuerunt illi, juſſu Venuſtiani, ambæ præſciſæ manus; ſed mox acerrimus dolor ita excruciare cœpit oculos tyranni, ut à Sabino coactus fuerit rogare medelam. Ergo vir Sanctus procidere in genua, verſus cœlum ſtillantia cruore brachia elevare, pro ſalute malefactoris ſui atq; incolumitate Deum orare, neque verò deſiſtere, quoad Venuſtianus ſanitatem obtinuit.

O nobilem orandi modum! quem hoc Sancto tempore quadrageſimæ vobis ſuadeo, Auditores, ex illis æternæ ſapientiæ verbis Matth. 5. v. 44. *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro calumniantibus & perſequentibus vos.* Talis oratio eſt potentiſſima apud Deum, eſt præterea præparatio & diſpoſitio perfectiſſima ad paſchalem confeſſionem. Hæc oratio promeritam à cervicibus noſtris avertit iram.

§. 14. *Novus modus orandi pro inimicis.*

Salvator noſter in monte Oliveti ardentiſſimè, cum lacrymis & ſanguineo ſudo-

§. 15. *Oratio Chriſti in.*

monte O-liveti non exauditur à Patre, sed illa in cruce pro crucifixoribus. sudore oravit, ut transiret calix passionis, sed nō fuit exauditus. In Cruce orat pro crucifixoribus, paucis verbis, mox plures convertuntur; brevissima oratio statim effectum obtinuit. Quomodo? tolli innocentē è medio sine causa, sine culpa perimi parentem à filiis, Regem interfici à subditis, Filium Dei ab ingrato populo trucidari. Enimverò facinus est post hominum memoriam ab orbe condito longè atrocissimum. Fuerat sine dubio jam parata tellus, ut patulo rictu absorberet impia nefanda capita; sed orans in cruce Jesus atq; orans pro suis inimicis prohibuit. Coquebat jam fulmina atrata cœli nubes, quibus exanimaret momento crucifixores scelestos. Sed, amans hostium charitas, avertit periculum. Parabant exitum ex antris suis atque speluncis bestiæ, leones & tigrides, ut mille in frusta discerperent Judæos; sed oratio Christi pro inimicis cohibuit feras, ne quid inferrent hostibus suis detrimenti. Oravit Jesus & exauditus est pro reverentia sua

Talem orationem hodie suadeo sodalibus Christi Agonizantis, ut antequam orent Rosarium quinque Vulnerum, ex animo condonent injurias; ut orent pro inimicis, nec dubitent se obtenturos, quod petunt, scilicet felicem ex hac vita mortali exitum, quo nihil potest optari dulcius.

§. 16. *Similis oratio nobis commendatur* Orationem talem mirè commendat Regius Psaltes Ps. 34. v. 13. *Oratio mea in sinu convertetur.* Ps. 68. v. 14. *Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus,* quasi diceret: obtuli Domino orationem, quam scio illi placere; qua fretus magna peto à Deo meo, & in sinu cordis mei habeo fiduciam, preces illas nō fore irritas. qualis autem oratio fuerit innuit cit. Ps. *Obmutui & non aperui os meum,* nimirum cùm, 2. Reg. 16. v. 7. Semel post me clamaret, *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial.* imo *cum mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam, oravi, clamavi ad Dominum, ut Deus sit illis propitius.* De hac oratione ait David, quod illam obtulerit tempore, quo scivit illam Deo placere. Auctor incognitus in hunc locum, ait, Davidem locutum de oratione Christi in cruce, *Pater ignosce illis*, & ait: *Sed quod hic loquitur de oratione, quam pro persecutoribus fecit tempore Passionis, ostendit dicens: tempus beneplaciti Deus, id est, opportunum ad impetranda omnia.*

O agonizantis in cruce sacrosancta Jesu sodales charissimi! vos hic mihi liceat compellare, nam vobis servit præcipuè opportunum illud ad impetranda omnia tempus! si tamen cum mansuetissimo agno, mansuetudinis quoque memores, in precibus vestris, in affectibus, in suspiriis, ex corde inimicis ignoscitis. Enim verò si hoc facitis, tempus nacti estis ad impetranda quælibet opportunum. Quid enim non impetraretis? sanitatem corporis ad Dei gloriam quæritis? quærite illam, sed non nisi in tempore illo opportuno, cùm veniam facitis hostibus &c. Vitæ beatioris exitum desideratis? voti vos compotes faciet Jesus, si modò temporis illius opportuni habere rationem velit s. §. 17. *Pia allocutio ad Sodales Agoniæ, ut sic orando impetrent felicem mortem.*

Quid si ex Auditoribus al quis sit, qui ob hæc omnia, quæ dixi, quòd sine dilectione inimicorum fiduciam in sanguine Jesu habere non possimus, §. 18. *Mirabilis conversio sclopeti in crucifixi.*

quod illa dilectio nova sit atque expedita ad cœlum semita, quod sit ad veram animi pacem, & ad Confessionem dispositio necessaria, quod ad quævis à rerum omnium parente Deo obtinenda motivum efficacissimum, quod avertendi quodvis à nobis malum ars optima, & methodus &c. Non tamen vincere se potest, ut inimicum diligat, si talis inquam sit, quid agam denique? Unum adhuc succurrit: *Nil tentasse nocet.*

Valentiæ in Hispania celebris Concionator ex Ordine S. Dominici, persuasit pellici viri nobilis, ut ab ejus infami se consuetudine dimoveret, fecit illa, brevi tempore tota alia nova Magdalena. Tantum verò vir nobilis inde concepit odium in hominem religiosum, tantumque desiderium vindictæ, ut illum proximo quoque tempore tollere è medio decreverit. In illum finem paravit sclopetum; quod dum ex insidiis in hostem vellet explodere, ecce tibi momento convertitur in Crucifixum, quo nobilis ille adeo exterritus fuit atque commotus, ut statim ruerit in genua, veniam delicti postulans. Ergone Crucifixus adeo potens est, ut inimicitias interficiat?

§. 1. *Apostrophe ad Iesum.*

Audin! Adhuc ne bullit vobis sanguis? adhuc fervet dextera ad vindictam? adhuc fluctuatis in procellis odii implacabilis? nihil vos sacra Christi Vulnera attinent? nihil movet pallida ejus facies, atque exanimis figura? Crucifixum cernitis? & hosti ex animo condonare est impossibile? Metuo, metuo ne hoc sit certissimum damnationis vestræ argumentum. Jesu! O miserere tandem infelicium, qui jam orco proximi nullo alio medio abstrahi possunt humano, ab illo immani in miseram æternitatem præcipitio. Jesu per tuum te sanguinem rogo, emolli dura & saxea corda, transfige viscera, vulnera conscientias, aperi oculos, ut & videant, & sentiant, in quanto salutis suæ discrimine versentur.

CONCIO XVII.

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

Cùm sublevasset ergo oculos Jesus. Joan. 6. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXplicat encomia Misericordiæ erga proximum: Bona enim est Oratio, cum Jejunio, & Eleemosyna.

§. 1. En-

§. 1. Encomia Misericordiæ erga proximum.

SUavissimi Salvatoris oculi, quibus esurientem aspexit populum in deserto, misericordiam nos docent, atque compassionem. Felicem urbem, in qua divites & potentes cum Jesu sublevant oculos; sed benignos, quibus circumspiciunt, ubi sint pauperes, ubi afflicti. Aperit hos oculos Misericordia nobilissima virtus, quam, noto passim nomine, vocant Eleemosynam; de qua Arch. Raphaël ad Tobiam, *Bona est oratio cum jejunio & Eleemosyna.* Egi jam meis concionibus hac quadragesimâ de jejunio, egi de oratione; nunc quia Evangelium hodiernum subministrat occasionem, par est, ut & de eleemosyna aliquid ad vos dicere instituam. Bene enim S. Chrysologus Ser. 8. *Quod est terris ver, hoc misericordiam scimus esse jejunio; sicut ver, mater est florum, ita misericordia genitrix virtutum. Iejunium est sanctitatis hostia, sacrificium castitatis* (idem dic de oratione) *sed sine misericordia incenso, ad divinum non potest conspectum in odorem suavitatis conscendere: jejunium aperit cœlum,* (aperit oratio) *sed nisi tunc adfuerit misericordia, nostrarum patrona causarum, securi de venia non erimus.* S. Leo ser. 5. de eleemos. *Eleemosyna pro vobis exorabunt, ut ad omne opus bonum idonei esse possitis.*

§. 2. Propositio. Declarantur aliqua hac Concione.

Cùm itaque virtutum & bonorum sacro hoc tempore quadragesimæ, inprimis nos esse studiosos oporteat, non abs re me facturum existimo, si præsenti hac concione de laudibus eleemosynæ fructibusque ad vos differere contendero. Adeste animis, si qui coram estis divites: audietis, quæ ad salutem vestram non modo utilia, sed etiam perquam sint necessaria. Sed & vos adeste ò pau-

ancilla Domini &c. fuerunt simul ardēs oratio. purissimæ puellæ in cooperationem tanti mysterii. Et nisi suum illa præbuisset consensum, Filius Dei homo factus non fuisset. Consensit autem illis verbis, *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*. Luc. 1. v. 28. At verò non consensum tantummodo sed ardentissimam simul orationem continuerunt hæc verba: hic enim simul fuit sensus & mens Virginis. *Omnipotens æterne Deus! fiat hoc tandem*, quod Archangelus Gabriel mihi proponit. *O Pater*, per misericordiam tuam tandem hoc fiat, ut mittas quem missurus es. *O Verbum Patris, ô fili, fiat hoc*, ut ostendas mihi faciem tuam, ah fiat! *O S. Spiritus, fiat*, ut descendas tandem in uterum meum; ecce sanguinem meum, ut tua obumbratione formetur corpus filii Altissimi. *O Sanctissima Trinitas, fiat, ecce ancilla Domini.* Hæc Virginis ardens oratio tandem efficaciter promeruit executionem mysterii Incarnationis. Ingens hoc beneficium B. V. obtinuit Oratio.

§. 11. *Preces Iudaeorum accelerarunt sententiam mortis Christi.* Idem fermè de ipsa Christi Domini morte dicere possumus. Proditur, venditur, traditur à Juda, rapitur ad diversa tribunalia, sistitur diversis Judicibus, accusatur fortiter, adornantur falsi testes: nullus tamen audet, vel vult ferre in innocentem sententiam mortis, imò, testimonium perhibent sanctitati: *At illi*, Judæi, scilicet Principes sacerdotum, de populo plurimi, Luc. 23. v. 10. *Instabant vocibus magnis, postulantes, ut crucifigeretur*; nescii se petere, & postulare tantum beneficium. Beda; *quia verò totam accusationem adversus Dominum, sollicita Pilati interrogatione videbant evacuatam tandem ad solas se preces converterunt, instantes magnis vocibus*: unde Pilatus: *Adjudicavit fieri petitionem eorum.* Tantum impiorum etiam preces potuerunt, ut mortem Christi, à quâ pendebat redemptio generis humani, accelerarint. Ut verò nobis eadem prosit, ut prosit ejus passio, ut prosint sanctissima Vulnera, & pretiosius sanguis Christi, instare debemus precibus, suspiriis, magnis vocibus: *vult enim Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate superari*, ait S. Gregorius.

§. 14. *Dispar mors duorum latronum pendentium in Cruce.* Age igitur ut probè videamus, agnoscamusque quantum in negotio salutis momenti sit positum in oratione, duo nobis proponamus specula, & sibi conjunctas diversissimæ mortis imagines. Ad latus suffixi in Crucem Salvatoris duo pependerunt latrones, quorum alter inter voces blasphemas atque impias, damnatum evomuit Spiritum æternis Tartari flammis cruciandum. Ah! infelicem vitæ terminum! Et in præsentia quidem, in conspectu, ad latus Salvatoris? Alter verò audire meruit verba illa dulcissima, Luc. 23. v. 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* Unde illi obsecro tanta gratia, nisi ab oratione, profecta? ajebat quippe v. 42. *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum.* Paucissimæ hæ voculæ orationem continent, non ardentem minus, quam humilem; dicere enim voluit: Domine per tuum ego te sanguinem, etiam atque etiam rogo, per virtutem tuam divinissimam, & charitatem in primis, qua me perditum, totumque terrarum orbem prosequeris, infinitam, per mortem tuam acer-

acerbissimam, per coronam illam spineam, per illas Vulnerum in benedictis manibus, pedibusque cicatrices, iterum iterumque oro, obsecro, *Memento mei cum veneris &c.* Oravit breviter hic latro, & peroravit feliciter. Exaudita est oratio ejus. Bonus Jesus dives erga illum fuit in misericordia, fuit liberalis, paradisum dedit: sed ipse invocavit, periit, postulavit.

§. 15. *Apostrophe ad animas pias.* Ah animæ piæ, hoc facite in hac quadragesima, frequenter, & ardenter imitamini Cananæam, currite, anhelate, clamate, latrate, orate. Ecce Salvatorem vestrum in Venerabili Sacramento! ecce ejus imaginem in Cruce! ruite in genua, petite gratias, quas vultis: est dives, est liberalis, aperit thesauros, reserat penetralia cordis; sed vult simul rogari se Dominus, vult sollicitari quodammodo & cogi, vult invocari fortiter & constanter. Nimirum ejusmodi preces solet exaudire Salvator.

§. 16. *Symbolum Patris Hesii.* Psalmo 9. v. 17. ait David. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Vocula, *præparatio* duplicem continet sensum: primus est; ut oratio nostra exaudiatur, debet præparari. Est enim oratio Musica, seu harmonia, seu variorum consonantia instrumentorum, testudinis v. g. cytharæ, omnes chordæ debent ordinari, attrahi, remitti, &c. Pari ratione ante orationem componi debent omnes affectus, potentiæ, & facultates animæ, sensus corporis, labia, os, lingua, ut sibi consonent, & dirigantur in Deum. Guilh. Hesius Poëta societatis nostræ egregius puerum exhibet suis in emblematibus, utrisque ludentem manibus in sambuco, cui ipse ingeniosum hoc lemma subscripsit, *Fidem concordia sanam, sola probat.* Mihi pro re mea liceat unicam tantum immutare voculam, & dicere, *Preces concordia sanas, sola probat,* hujus vel sambuci, vel cytharæ harmonia, mirum quantum SS. Angelos ipsumque etiam Deum afficiat. Orationem bene præparatam exaudit Deus.

Alter is est sensus, dum pro *præparatione* Remigius legit, *Meditationem,* Cassiodorus *concupiscentiam,* id est, oratio pauperis debet esse plena ferventibus desideriis, obsecrationibus, postulationibus, instantiis. Quidquid tali oratione, præsertim hoc sacro tempore Passionis petierimus, hoc bonus Deus nobis impertietur. Quod dum prolixius expono, facere, non possum, quin elegantissimum ex Psal. 49. versum 5. allegem. *Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.* S. Hieronymus legit, *Congregate mihi sanctos meos.* S. Cyprianus, *Colligite illi sanctos ejus.* Arnobius ait; hanc priorem partem versus loqui de magnis & eximiis Sanctis, qui convocantur, vel congregantur, ut in psalmis, & organis laudent Dominum ut ferventer orent. Alteram partem versus, *qui ordinant testamentum ejus &c.* Chaldæus Paraphrastes sic legit: *qui pepigerunt pactum, & operam navarunt orationi, quæ similis est oblationibus.* §. 17. *Suavissimus locus ex Ps. 49. de testamento morientis Iesu.*

Ex quo loco has tandem formo maximas, sive propositiones. 1. Qui sanctitatem desiderat eximiam, & in excel-

lenti gradu, ut modo quodam perfectissimo laudet Deum, illum ita deditum esse orationi oportet, sicut magni quondam sancti in orationis studio excelluerunt. 2. Dediti Orationi, sunt Sancti Christi D. 3. Ordinant testamentum Christi, idquod sic intelligo: Testamentum est ultima morientis voluntas, quæ vel verbo, vel scripto post mortem quibusdam manifestatur, ut eam dent executioni, ut vocantur vulgo Testamentarii. Hoc sensu, ordinare testamentum, est idem, ac illud exequi. Testamentum sive ultima Christi morientis voluntas extitit, ut nostra sint Sanctissima sua Vulnera, noster suus sanguis, nostra denique merita sua infinita; illa nobis legavit. Sed executio pendet ab oratione. Orationis amatores ultimam Christi voluntatem primum pro se, deinde etiam pro aliis exequuntur, non nobis tantum sed aliis merita Christi per orationem applicare possumus.

Digressio ad Sodales Congregationis Agonia Christi in Cruce. Gratulor ex animo Sodalibus Christi agonizantis in Cruce, hi quovis mense congregantur, & colliguntur, ut publica oratione Rosarii quinque SS. Vulnerum sibi, & aliis impetrent felicem horam mortis. Eja orate ferventer, instantes precibus, non desistite jaculari in cœlum vota vestra, ac gemitus; nimirum hoc est ordinare testamentum Christi. Sodales hujus Congregationis dico esse testamentarios Christi Crucifixi.

§. 18. *Dediti Orationi faciunt pactum cum Jesu.* Quarta demum maxima superest, seu regula. Dediti orationibus pactum inierunt cum Christo D. O nobile pactum, adeste fidelissimi sodales agonizantis in cruce Salvatoris. Vos, vos inquam potissimum intelligo; qui & pactum inter vos mutuum iniistis, ut alter oret pro altero; alter alterum suæ reddat pietatis participem, alter alterum in via virtutum promoveat. Et verò quod rei caput est, ipsum etiam Christum, in pacti hujus Societatem vocastis, dum vos illi preces, orationes, virtutes, & pietatem; ille verò vobis animi tranquillitatem, prosperum in omnibus rebus successum & beatum denique vitæ terminum adpromittit; sed ut sæpius insinuavi, petentibus, postulantibus, obsecrantibus.

§. 19. *Fervens oratio ligat manus judicis ne possit punire.* Et adhuc timetis, Animæ piæ? adverto causam, Peccastis! timetis, ne Judex æquus, & severus puniat. Nunquid? sed ponite timorem, si modo agitis pœnitentiam, & orationi sedulo vacatis, salva res erit. Orantes irata Nemesis punire non potest. Oratio fervens ligat illi manus, avertit fulmen, compescit iram, furorem extinguit. Fassus est sponsæ Cant. 4. v. 9. *Vulnerasti cor meum.* vel, *ligasti*: Vincula verò, & ligamina sponsæ, quibus sponsum captivum ligavit, fuerunt lachrymantes oculi, & crines capitis. Sic ait: *In uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui*, lectio hebraica, *In uno torque colli tui &c.* Secundum hanc lectionem, Oratio est aurea catena, quæ Dei manus ligat, ne percutere possit. Alias sponsus hæc verba ejusdem fere sensus dixit sponsæ: *Coma capitis tui*, scilicet, me ligarunt, me captivum fecerunt, id est, tui affectus, tuæ cogitationes sanctæ, castæ, piæ; tua ardentia desideria; sive *Coma capitis tui sicut purpura Regis juncta canalibus.* Alii le-

legunt, *Rex ligatus in eis*. Perquam sanè commodè, & oportunè ligati Regis nostri facta hic est mentio. Habemus Auditores optimi, habemus inquam ligatum Regem Judicem, ligatum catenis latronum, ligatum ad columnam illam cruentam, tinctam ejus Sanguine pretiosissimo. Bene habet; ipsæ manus, & brachia clavis alligata sunt Cruci, fulmina torquere, percutere, punire non potest, ligemus adhuc fortiùs. Agedum porro & novos expediamus funiculos; novas aptemus catenas, aurea vincula devotæ orationis. Ut purpurei sint funes, ut ignei; intingamus purpuræ Sanguinis Christi, inflammemus flammis ardentium suspiriorum.

Profectò his implicitus quasi laqueis vinculisque Samson ille fortissimus, suam erga nos iram mutabit in mansuetudinem, indignationem in amorem, furorem in clementiam. Erit dives & liberalis in misericordia, largietur Paradisum, sed postulantibus.

NB. Si Concio hac debeat dilatari, adde in Propositione hoc punctum. Dixi nuper, Iejunio placari iram Dei; placat quoque oratio; præsertim si in gravibus & publicis necessitatibus cum Cananæa ad illam confugiamus. Vide Sylvam. tit. Oratio.



CONCIO XVI.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Erat Jesus ejiciens dæmonium. Luc. II. v. 14.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ODium est terribilis vipera, quæ per paschalem Confessionem, & Communionem, ex corde humano debet expelli.

§. 1. *Cor hominis thronus, & domus est vel Christi, vel Diaboli, declaratur per varias picturas.*

§. 2. *Quid sint viperæ & serpentes in hac domo.*

§. 3. *Hoc est de essentia bonæ Confessionis.*

§. 4. *C. 10. ad Hebr. S. Paulus omnib. offert veniam peccatorum in Sanguine Christi.*

§. 5. *Sed si teneamus viam novam monstratam à Christo.*

§. 6. *Ignoscere fuit olim vera pietas Christianorum.*

§. 7. *Heroicum factum Alex. M. primi insilientis in urbem hostium.*

§. 8. *Differentia inter Sanguinem Abelis, & Christi D.*

§. 9. *Qua ratione Christus fecerit pacem per Sanguinem Crucis.*

§. 10. *Tres modi conciliandi inimicos.*

§. 1. *Cor hominis thronus & domus est vel Christi vel Diaboli. Declaratur per varias picturas.*

QUæ litera Evangelii nobis refert, de regno, domo, atrio Belzebub, non intelligere nos oportet de Monarchia aliqua, vel regno, & Provincia hujus mundi, sed, ut verbo dicam, de corde hominis. Cor nostrum est regnum, vel domus, cujus possessionem sibi vendicare cupiunt Christus, & Diabolus. Cujusnam thronus cor hominis sit, picturæ suæ quædam, vel imagines nobis repræsentant. Vidistisne cor pictum, habitatum viperis, & bufonibus? vipera est superbia, luxuria bufo &c. tale cor est atrium Belzebub. Vidistisne cor aliud, retibus mundi implicitum? aliud occlusum retibus voluptatum? ejusmodi cor est thronus Satanæ. Aspexistisne cor pictum inter spinas? in spinis, ac sentibus avaritiæ habitare consuevit Diabolus, &c.

Ego in libello pio, cujus titulus, *Cor hominis Iesu Sacrum*, cum gaudio spectare soleo cor, totum aureum, nitidum, præfulgens, & circumamictum radiis, ad instar solis, in quo in byssino pulvinari, veluti præsepio quiescat Jesulus, hoc cor est regnum, domus, & thronus Christi. Aliud est coronatum, & cinctum liliis, scilicet virginitatis, castitatis, puritatis. Inter lilia commoratur cœlestis sponsus. Omitto sexcentas alias similis generis picturas.

Unum adhuc vobis ostendam Sacro quadragesimæ tempori accommodum. Est illud veluti ara, vel altare, cujus medium ornat piissima imago Crucifixi. O factum bene! si corda vestra sunt tales aræ, si illis impressa est imago Crucifixi, estis regnum, domus, atrium Jesu.

§. 2. *Quid sint vipera & serpentes in hac domo.*

Sed, quid si etiam hoc Sacro tempore in aliquorum cordibus habitent certi quidam venenati bufones, & serpentes? quid si quædam pestilentes viperæ? intelligo per has bestias nonnulla quædam scelera, quæ Confessiones paschales reddere solent sacrilegas. Talis vipera est pudor, quo victi complures, gravia peccata in sacro tribunali recensere non audent; & de his agere quotannis solenne mihi est ante festa paschalia. Modò ostendam, illum, qui bene vult peragere paschalem confessionem, oportere, ex corde ignoscere inimicis. Odium est dæmonium, quod, antequam Christus D. per Communionem, ingrediatur, debet expelli. Vipera est, serpens est, bufo est; cui, humanis è cor-

è cordibus ejiciendo dum operam navo; tu Cordium Deus ac Rector, tuam mihi gratiam, atque auxilium adhibere digneris.

§. 3. *Hoc est de essentia bona confessionis.*

De essentia bonæ confessionis est, injurias & offensas omnes ex animo remittere, & inimicos ex corde diligere.

Dicant nobiles, dicant aulici, dicant filii hujus sæculi, gloriosum esse se ulcisci, nihil esse dulcius vindicta: scio has doceri veritates, vel falsitates in Schola mundi, oppono tamen his omnibus Increatæ Sapientiæ consilium, & præceptum, diligendos esse inimicos. At arduum hoc est, inquies, & perquam difficile, est hæc lex nova, est via hactenus incognita. Difficilis fateor lex est, semita est incognita, sed quam nobis vel promulgavit, vel ambulavit ipse Filius Dei. Si volumus nobis ignosci, debemus ignoscere, juxta petitionem Orationis dominicæ, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.*

§. 4. *c. 10. ad Hebr. S. Paulus omnibus offert veniam peccatorum.*

Eandem nos servare jubet regulam atque eidem semitæ insistere S. Paulus ad Hebr. 10. v. 19. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id est, carnem suam.* Primæ partis hujus versus hic est sensus, licet graviter, & multùm peccaverimus, tamen animis nequaquam cadere, sed cum fiducia sperare debemus introitum in sancta sanctorum, in æterna tabernacula, *in Sanguine Christi*, quem in Cruce effudit, & copiosè, & abundanter, licet unica gutta infinitis hominum peccatis infinitè prævaleat, unde si peccatores etiam gravissimi pœniteant, & convertantur, non est quod timeant, sed sperent remissionem, & gratiam cum fiducia *in Sanguine Christi*. Cujus efficacia omnes culpas, & offensas nobis dimittit. Præcipuè in Sacramento pœnitentiæ, & tribunali confessionis.

§. 5. *Sed si teneamus viam novam monstratam à Christo.*

Sed altera pars citati versus à nobis vicissim requirit, ut ad æternam salutem ambulemus per illam novam viam, quam ipse primus initiavit, verbo & exemplo. Verbo, cum novum præceptum de dilectione inimicorum promulgavit, exemplo cum in Cruce oravit pro inimicis, & crucifixoribus; ut bene dixerit S. Chrysostomus, viam hanc novam, de qua Apostolus loquitur, esse dilectionem inimicorum.

Non dubito Auditores, quin hac sancta quadragesima ex animo desideratis veniam, & remissionem peccatorum, non dubito quin eandem speretis cùm fiducia in sanguine Christi, sed & vos, exemplo Christi, diligite inimicos vestros, ponite inimicitias, de odiis nihil cogitate amplius, nihil de studio vindictæ, nihil de serpentibus istis & viperis, nihil de hoc dæmonio. Hinc est quod I. Petri 2. v. 21. 22. monemur: *In hoc vocati estis, quia Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, neque inventus dolus in ore ejus, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste.* Eleganter hic S. Chrys. in Ps. 118. *Hæc est Christianorum bonitas, cum omnibus pacem habeant, non se vindicent, pro inimicis orent, bene faciãt iis, quos oderunt. Hæc est Christianorũ bonitas, quod* Chri-

Christus fecit in capite suo, hoc voluit esse in membris suis. (est locus pro pulchro affectu.)

§. 6. *Ignoscere, fuit olim vera pietas Christianorũ.* Præclara sanè bonitas! laudanda pietas! & commendandus illorum affectus Christianorum, qui pulcherrimo præeuntem exemplo Christum ardenter sequuntur. Audin mi homo? si inimico, amore Christi ultro veniam delicti offeras, hæc est pietas Christianorum. Si nihil de odio cogitas, nihil de vindicta, hæc est bonitas! si omnem vindicandi tui occasionem repudias! hæc demum vera, sincera, & genuina bonitas Christianorum! Prævivit exemplo longè illustrissimo ipse Deus-homo. Ut ne nobis amplius difficile videatur atque arduum.

§. 7. *Heroicum factum Alex. M. primi insidientis in urbem hostium.* De magno illo Macedonum Alexandro referunt auctores, quod cum jam primam atque principem Persiæ civitatem bellica obsidione cingeret, videretque militem suum ob murorum altitudinem nonnihil terreri, primus ipse per scalas evolavit in altum, atque ab illis se, quanquam non sine gravi periculo, demisit in urbem. Quo ducis exemplo animatus confestim miles idem tentare, aggredi, atque etiam felicem ad exitum cœpit perducere. Dux noster Aud. Jesus est; huic Sacramentum diximus in bapt. mundum expugnaturus, ac dæmonem pro hostibus oravit in cruce; & nos renuimus idem præstare? nos subterfugiemus aleam? nos impossibile hoc factum arbitremur? minimè gentium.

§. 8. *Differentia inter sanguinẽ Abelis & Christi D.* Ante Christi adventum, & promulgationem novæ legis: licita fuit vindicta; postea verò quàm filius Dei pro inimicis sanguinem suum dedit, prohibita, proscripta, eliminata est. Pulchram differentiam inter sanguinem Abelis, & sanguinem Christi insinuat S. Paulus ad Hebr. 12. v. 24. *Accessistis ad testamenti novi mediatorem Iesum & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel.*

Genesis 4. v. 10. iratus Cain in agro consurrexit adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum; mox adfuit Dominus & dixit, *Quid fecisti Cain? vox Sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram.*

Non minus alter innocentissimus Abel ab impio Cain, ab impia Synagoga trucidatur in ligno crucis. Uterque fudit sanguinem, & sanguinem disertum, facundum, eloquentem; sed magno cum discrimine. Alia quippe vox fuit primi, alia secundi Abelis: hic enim non vindictam clamavit, sed misericordiam. Hic dixit *Pater ignosce illis.* Sed Ambrosius l. de fuga sæculi cap. 5. *Iste vindictam clamavit, hic indulgentiam,* (cogitate vos videre hinc in agro jacentem Abelem in sanguine suo, inde verò Christum in cruce per omnes corporis partes sanguine purpuratum) *ille peccatum fratris accusat, hic peccatum mundi remisit, ille prodidit crimen, hic texit.* Eja mi Christiane, ebullitne tuus tibi sanguis circa præcordia? succenditur præ ira? ardet præ furore? æstuat præ vindictæ desiderio? age Christum inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte Calvariæ; non quære accusationes, non neces clama, sed veniam, sed charitatem, sed indulgentiam.

Certè

§ 9. *Qua ratione Christus fecerit pacem per sanguinem Crucis.*

Certè admirabili quodam & suavissimo modo Salvator reconciliationem nostram quæsivit, & pacem cum inimicis.

Mysterium advertit S. Paulus ad Coloss. 1. v. 20. *Pacem faciens per Sanguinem Crucis suæ*, id est, mori voluit in cruce, & sanguinem suum pretiosum fundere, ut pacem faceret inter diffidentes, explicat hoc Apostolus latius ad Ephes. 2. v. 14. *Ipse fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ dissolvens, inimicitias in carne sua & duos condere in semetipso in unum hominem, faciens pacem, ut reconciliet ambos per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Latent in his verbis pulcherrimi modi conciliandi inimicos, & diffidentes.

§. 10. *Tres modi conciliandi inimicos, quos omnes observavit Christus D.*

Primus est; si quandoque contingat duos aulæ proceres, fatales fovere inimicitias, Rex illud intelligens, vocat utrumque ad intimum conclave, suavibusque verbis diffidentes componit animos, iisque pacem, & unionem persuadet. Tunc dici potest, Rex per semetipsum, & sua auctoritate firmavit hanc pacem.

Tales rixæ fuerunt inter Ephestionem & Craterum, uterque erat in amoribus Alexandro. Sed vel hanc ipsam ob causam, & ob divisum, ut existimabant, amorem Principis mutuæ fomitem inimicitiæ succenderunt. Paucissimis verbis Alexander hoc placavit dissidium, & ex utroque unum fecit, ajebat enim, *Meo amori hoc date, & vos amate.* Eja mi Christiane, scio inimicitias, quas foves, tuum inveteratum odium non me latet; Sed ante paschalem confessionem deponendum est; ecce patent portæ intimi conclavis Regis Regum Christi; ecce patet divinum latus, patet benignissimum Cor Jesu; ingredere, Rex te vocat, Rex invitat, Rex tui alloquendi flagrat desiderio; ingredere modo, sed hoc rogat, ut ejus amori, quo pro te mortuus est, hoc des, ut ignoscas inimicis. Imo tuam aulam, tuum cor, tui pectoris penetralia paratus est ingredi in Venerabili Eucharistia, si tamen ejus amori hoc des, ut prius condones inimicis. Resistis pertinax? Amori Jesu hoc negabis? absit, audi, ipse Jesus à te pacem petit.

Dictum Alex. M.

2. In aula primaria nuper duo Nobiles strictis gladiis fuerunt congressi; sed vir Princeps utriusque amantissimus, se interponens casu læsus est; viso hujus sanguine ira utriusque sedata amicis dexteris pacem jurarunt, dederunt hoc amori, vulneri & sanguini tanti Principis; de quo dicere possumus, per semetipsum hanc pacem fecit. Vos, qui fovetis odia, estis hi nobiles, irruitis in vos invicem gladiis, & spiculis. Gladii sunt verba aculeata, detractoria &c. Rex Regum Christus in cruce se intermedium ponit: hunc vestris gladiis, vestro letali odio, vestris desideriis vindictæ necessario rursum configitis, ecce vulnera! ecce sanguinem! Amori hujus Regis, ejus Vulneribus, ejus sanguini hoc date, ut pacem faciatis, præsertim hac quadragesima. §. 11. *Aliud simile.*

Tertius modus ineundæ pacis est. Cum subinde irati diffidentium animi componi non possunt, eligitur fidejussor, qui promittit se utriusque honori & voluntati satisfacturum. Quod si fiat, pax concluditur. Concedo tibi mi Christia- §. 12. *Christus in Cruce pro inimico est fidejussor.*

ſtiane, eſſe tibi cauſam, cur ab inimico vindictam, & ſatisfactionem exigas, Sed ecce, Filius Dei Salvator tuus in cruce, præſtat ſe tibi fidejuſſorem. hic ſatisfecit pro tuo inimico, & paratus eſt tibi ulterius ſatisfacere. Age dic, poteſne majorem de illo optare vindictã, quam ut hoſtis tuus mille petitus vulneribus concidatur? ſatisfecit deſiderio tuo Jeſus in ſua flagellatione, quid ultra quæris? Deſideras fortè ſpinas, vepres, ac ſentes, quibus in inimici tui caput ad ſanguinem usque pro libitu deſævias? En ſpinis, hunc in finem tuus voluit coronari Salvator. Prurit tibi dextera ad impingendos hoſti tuo colaphos atque alapas? En Jeſum, aſpice malè mulctatum alapis, ne eas ſuus cogeretur hoſtis ſuſtinere. Crucem animo meditaris, qua premas humeros adverſarii? En clavos, quibus affigas? En crucem pro te proque illo ultro tulit Jeſus in montem Calvariæ! illi pependit affixus. Ferrum optas acuere, quo hoſti tuo animam elidas? ferrum jam excepit ſuo in pectore Chriſtus. Quid ultra moliris? quid machinaris præterea? quid furis amens? an non tuo ſatis ſuperque furori factum eſt in tuo fidejuſſore Jeſu? quid deſideras præterea? vide ſis quæſo, ne novis illum per inauditam crudelitatem tormentis afficias. Da aliquid ejus amori, ante paſchalem Confeſſionem ignoſce inimico tuo & toto corde. Expelle tam dirum dæmonium, ut Jeſus per paſchalem Communionem ingredi poſſit, & velit.

Deſcriptio ardentis vindictæ.

Sed pro hoſte Chriſtus ſatisfecit.

Patheticus locus cum memoria myſteriorum Paſſionis.

§. 13. *Heroica aliqua exempla cõdonantiã injurias.*

Talia habuerunt præ oculis, qui heroicis & generoſis actibus injurias condonarunt. Exemplo ſit illa matrona in Italia, quæ juvenem, qui unicum ejus filium occiderat, in ſuis ædibus abſcondit, & clam alio miſit, ne in Judicis manus incideret, mota aſpectu lignei ſimulacri pendentis in cruce.

Prodeat & S. Miletius Antiochenus Patriarcha, qui urbis gubernatorem, cum nefariam tuliſſet exilii ſententiam, ſuo corpore texit, ne populi lapidibus obrueretur. Accedat & D. Catharina Senenſis (Surius 29. Apr.) quæ ægrotæ ſe continuo calumnianti, conviciantique eò ſervivit fideliùs, eò aſtitit diligentiùs, in ipſum usq; mortis agonem. D. Sabinus, Spoletanorum Epiſcopus, quid hac in re præſtiterit egregium, accipite. Fuerunt illi, juſſu Venuſtiani, ambæ præſciſæ manus; ſed mox acerrimus dolor ita excruciare cœpit oculos tyranni, ut à Sabino coactus fuerit rogare medelam. Ergo vir Sanctus procidere in genua, verſus cœlum ſtillantia cruore brachia elevare, pro ſalute malefactoris ſui atq; incolumitate Deum orare, neque verò deſiſtere, quoad Venuſtianus ſanitatem obtinuit.

O nobilem orandi modum! quem hoc Sancto tempore quadrageſimæ vobis ſuadeo, Auditores, ex illis æternæ ſapientiæ verbis Matth. 5. v. 44. *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro calumniantibus & perſequentibus vos.* Talis oratio eſt potentiſſima apud Deum, eſt præterea præparatio & diſpoſitio perfectiſſima ad paſchalem confeſſionem. Hæc oratio promeritam à cervicibus noſtris avertit iram. §. 14. *Novus modus orandi pro inimicis.*

Salvator noſter in monte Oliveti ardentiſſimè, cum lacrymis & ſanguineo ſudo- §. 15. *Oratio Chriſti in*

monte Oliveti non exauditur à Patre, sed illa in cruce pro crucifixoribus.

sudore oravit, ut transiret calix passionis, sed nō fuit exauditus. In Cruce orat pro crucifixoribus, paucis verbis, mox plures convertuntur; brevissima oratio statim effectum obtinuit. Quomodo? tolli innocentē è medio sine causa, sine culpa perimi parentem à filiis, Regem interfici à subditis, Filium Dei ab ingrato populo trucidari. Enimverò facinus est post hominum memoriam ab orbe condito longè atrocissimum. Fuerat sine dubio jam parata tellus, ut patulo rictu absorberet impia nefanda capita; sed orans in cruce Jesus atq; orans pro suis inimicis prohibuit. Coquebat jam fulmina attrata cœli nubes, quibus exanimaret momento crucifixores scelestos. Sed, amans hostium charitas, avertit periculum. Parabant exitum ex antris suis atque speluncis bestiæ, leones & tigrides, ut mille in frusta discerperent Judæos; sed oratio Christi pro inimicis cohibuit feras, ne quid inferrent hostibus suis detrimenti. Oravit Jesus & exauditus est pro reverentia sua

Talem orationem hodie suadeo sodalibus Christi Agonizantis, ut antequam orent Rosarium quinque Vulnerum, ex animo condonent injurias; ut orent pro inimicis, nec dubitent se obtenturos, quod petunt, scilicet felicem ex hac vita mortali exitum, quo nihil potest optari dulcius.

§. 16. *Similis oratio nobis commendatur*

Orationem talem mirè commendat Regius Psaltes Ps. 34. v. 13. *Oratio mea in sinu convertetur.* Ps. 68. v. 14. *Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus*, quasi diceret: obtuli Domino orationem, quam scio illi placere; qua fretus magna peto à Deo meo, & in sinu cordis mei habeo fiduciam, preces illas nō fore irritas. qualis autem oratio fuerit innuit cit. Ps. *Obmutui & non aperui os meum*, nimirum cùm, 2. Reg. 16. v. 7. Semel post me clamaret, *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial*, imo *cum mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam, oravi, clamavi ad Dominum, ut Deus sit illis propitius.* De hac oratione ait David, quod illam obtulerit tempore, quo scivit illam Deo placere. Auctor incognitus in hunc locum, ait, Davidem locutum de oratione Christi in cruce, *Pater ignosce illis*, & ait: *Sed quod hic loquitur de oratione, quam pro persecutoribus fecit tempore Passionis, ostendit dicens: tempus beneplaciti Deus, id est, opportunum ad impetranda omnia.*

§ 17. *Pia allocutio ad Sodales Agoniæ, ut sic orando impetrent felicem mortem.*

O agonizantis in cruce sacrosancta Jesu sodales charissimi! vos hic mihi liceat compellare, nam vobis servit præcipuè opportunum illud ad impetranda omnia tempus! si tamen cum mansuetissimo agno, mansuetudinis quoquè memores, in precibus vestris, in affectibus, in suspiriis, ex corde inimicis ignoscitis. Enim verò si hoc facitis, tempus nacti estis ad impetranda quælibet opportunum. Quid enim non impetraretis? sanitatem corporis ad Dei gloriam quæritis? quærite illam, sed non nisi in tempore illo opportuno, cùm veniam facitis hostibus &c. Vitæ beatioris exitum desideratis? voti vos compotes faciet Jesus, si modò temporis illius opportuni habere rationem velit s.

§. 18. *Mirabilis conversio scleperi in crucifixi.*

Quid si ex Auditoribus al quis sit, qui ob hæc omnia, quæ dixi, quod sine dilectione inimicorum fiduciam in sanguine Jesu habere non possimus,

§. 1. Encomia Miſericordiæ erga proximum.

SUaviſſimi Salvatoris oculi, quibus eſurientem aſpexit populum in deſerto, miſericordiam nos docent, atque compaſſionem. Felicem urbem, in qua divites & potentes cum Jeſu ſublevant oculos; ſed benignos, quibus circumſpiciunt, ubi ſint pauperes, ubi afflicti. Aperit hos oculos Miſericordia nobiliſſima virtus, quam noto paſſim nomine, vocant Eleemoſynam; de qua Arch. Raphaël ad Tobiam, *Bona eſt oratio cum jejunio & Eleemoſyna.* Egi jam meis concionibus hac quadrageſimâ de jejunio, egi de oratione; nunc quia Evangelium hodiernum ſubminiſtrat occaſionem, par eſt, ut & de eleemoſyna aliquid ad vos dicere inſtituam. Bene enim S. Chryſologus Ser. 8. *Quod eſt terris ver, hoc miſericordiam ſcimus eſſe jejunio; ſicut ver, mater eſt florum, ita miſericordia genitrix virtutum: Jejunium eſt ſanctitatis hoſtia, ſacrificium caſtitatis* (idem dic de oratione) *ſed ſine miſericordiæ incenſo, ad divinum non poteſt conſpectum in odorem ſuavitatis conſcendere: jejunium aperit cœlum,* (aperit oratio) *ſed niſi tunc adfuerit miſericordia, noſtrarum patrona cauſarum, ſecuri de venia non erimus.* S. Leo ſer. 5. de eleemoſ. *Eleemoſynæ pro vobis exorabunt, ut ad omne opus bonum idonei eſſe poſſitis.*

§. 2. Propoſitio. Declarantur aliqua hac Concione.

Cùm itaque virtutum & bonorum ſacro hoc tempore quadrageſimæ, inprimis nos eſſe ſtudioſos oporteat, non abs re me facturum exiſtimo, ſi præſenti hac concione de laudibus eleemoſynæ fructibusque ad vos diſſerere contendero. Adeſte animis, ſi qui coram eſtis divites: audietis, quæ ad ſalutem veſtram non modo utilia, ſed etiam perquam ſint neceſſaria. Sed & vos adeſte ô pau-

ò pauperes: intelligetis, quæ ad consolationem vestram, atque subsidium, non modicum, ut spero, emolumentum sunt allatura.

§. 3. *Per hanc virtutem divites merentur mortem Sanctam, & cœlum.* Itaque hoc volo, & opto, ut divites sint liberales in egenos, ut hac liberalitate mereantur felicem mortem, & cœlum. Fortunæ filius fuit apud Romanos Marcus Antonius; hæc enim liberali manu in illum effudit honores, dignitates, consulatum, opes. Verùm eadem Dea Fortuna, *ut vitrea est*, fracta est; *ut volubilis est*, voluta est; *ut mutabilis*, mutata est; *ut transiens*, transiit; *ut fraudulenta*, albæ gallinæ filium decepit: Vocavit in auxilium ad illum evertendum, Mortem, quæ momento rotam fortunæ impulit atque evertit. Ergò cum jam Antonius se à morte proximum animadverterit, auream post se reliquit sententiam, teste Seneca l. 3. de benef. cap. 3. *Hoc habeo, quodcunq; dedi.* Subdit Seneca. *O quantum habere potuit, si voluisset! hæ sunt divitiæ certæ, & permansuræ*, (quæ dantur) *quæris quomodo illa tua facias? dono dando. Ergo certam tibi earum atq; inexpugnabilem possessionem para*.

§. 4. *Illa divitia sunt nostra, qua dantur pauperibus.* Hæc Ethnicus. Ita divites, colligite pecunias, corradite thesauros, coacervate divitias, non equidem vestram vobis sortem invideo: sed memento te præterea, fragilem esse fortunæ imaginem, non solidam: caducam, non perennem, non marmoream, sed vitream. Momento labitur, volvitur, frangitur, conteritur. Veniet hora mortis: enimverò tùm vestra erunt, non quas filiis relinquitis, opes, non quas custodiunt arcæ, gemmæ, non quod custodiunt ferratæ cistæ argentum & aurum: *Sed, quæ erogastis in pauperes.* Illi, illi vobis soli supererunt thesauri, hæ permansuræ in æternum divitiæ. Illarum est inexpugnabilis possessio, nulli obvia prædoni, nulli furi, nulli tyranno, nulli casu fortunæ.

Id quod sic asseverat D. Leo ser. de jejun. &c. *Pars corporalium facultatum, quæ indigentibus ministratur, in divitias transit æternas. Nihil uniuscujusq; tam proprium, quam quod impendit in proximum.* Hoc est facere aliquid de suo suum. Eja divites, facite aliquid de vestro frumento, vestrum: de vestibus, de nummis, de facultatibus, de cibis atque epulis: solum enim vestrum est, teste S. Leone, quod dum egenis & pauperibus confertur, *in divitias transit æternas*. §. 5. *Confirmatur ex S. Leone.*

Confirmatur ex c. 11. v. 17. Prov. *Benefacit animæ suæ vir misericors.* Cajetanus ex Hebræo sic legit. *Vir gratiæ.* Sed cur gratiæ? Respondebo Theologicè! *Gratia est semen gloriæ*, ideò gratia divina nihil sublimius. Pari ratione Eleemosyna est semen gloriæ. Quem in finem breviter iterum, & graviter D. Leo. *Da, quod accipias, sere quod metas. sparge quod colligas.* Optas mi homo accipere aliquando à magno illo Patre familias denarium vitæ cœlestis? *da modo quod accipias.* Anhelas ad illas perennes mensæ divinæ delicias? *præmitte cibos.* Desideras aliquando bibere, & inebriari de torrente voluptatis? *Da pauperibus & sitientibus saltem haustum aquæ.* Velles aliquando metere fructum gloriæ? *modò semina semen misericordiæ.* Vis colligere rosas admirabilis illius paradisi? *modò per charitatem in pauperes, illius tibi possessionem acquire.* §. 6. *& cap. 11. Proverb. Eleemosyna enim est semen gloriæ.*

Quid

Quid enim (ait Cassiodorus in Ps. 40.) *Dici potest sublimius, quid gloriosius? quando aut pauperes prætermissi* (pauperes prætermissi sunt, in quorum persona dicit Christus D. Matth. 25. v. 42. *esurivi, & non dedistis mihi panem, &c.*) *in ignem dirigunt, aut remunerati*) cum quibus Judex dicet, *nudus fui, & cooperuistis me &c.* (*ad dexteram collocabunt.* Datæ eleemosynæ erunt illis causa salutis.

§ 7. *Quando divites sunt in die tribulationis; Tum misericordia illos debet redimere.*

Et his proinde solis divites fidere possunt, Ecclesiastici 40. v. 24. *Fratres in adjutorium in tempore tribulationis* (scicet, adsunt) *& super eos misericordia liberabit.* Syrus sic habet, *plus eleemosyna redimit.* Sermo est divitibus, qui liberantur, & quasi de novo rediment ur ad salutem per eleemosynas. Sed quid est, quod dicitur in tempore tribulationis? & quando divites in tribulatione? an illa fortassis tribulatio, nullius fermè rei laborare defectu? epulari quotidiè splendidè? nihil non genio indulgere, excellere honoribus, deliciis affluere? præclaram sanè tu mihi tribulationem excogitas.

Sed heus tu! exspecta paululum, necdum omnium dierum sol occubuit: nam si non hodie, cras forsitan aut perendie illa non expectata ingruet tempestas, occurret tribulatio. Videre est in mortis horula. Enimverò tum incidunt in tribulationem divites, premuntur angustia, conscientia cruciantur, mille subeunt ærumnas, dolores, pavores, calamitates, æstus animi, perturbationes, discrimina.

At, nunquid mitis est, qui succurrat miseris Salvator? Ita succurret Jesus, sed non nisi mediante misericordia succurret. Adverte hoc dives, & tibi dictum puta. Familiarem tibi facito misericordiam, si Jesum in illa tam periculosa tribulatione cupis experiri amicum.

§. 8. *Viri misericordes sunt ornamentum Reipub.*

Pulcherrimum Reipublicæ, & civitatis alicujus ornamentum sunt divites, in honoribus & dignitatibus constituti! sed si sint misericordes, & viri gratiarum. Quales in hac eximia virtute esse debeant, ex egregiis auctoribus intelligetis. S. Greg. Naz. in panegyri de Constantino ait: *Quid* (scilicet commemorabo) *faciles aditus? quid aures patientissimas? quid benigna responsa? quid vultum ipsum Augusti decoris, gravitatis hilaritate permixta?* Quatuor potissimum sunt capita, quæ in Constantino cum primis laudanda memorat Gregorius. *Faciles aditus.* Et verò tantò amplius præ aliis hoc indigent beneficio pauperes, quantò magis præ aliis premuntur. Sed quid fieri solet hodie? estne facilis inopi accessus ad divitem? dicite vos Procuratores, vos Advocati, vos Judices; cum adest pauperculus, cum pulsat fores vestras vidua, dicite (nam interrogo duntaxat) patetne ostium? an vero ad preces pauperum dicitur. *Nescio vos, clausa est janua?* Dicite, an & patientes sunt aures? an in lingua residet affabilitas? in fronte liberalitas? in oculis benignitas? in pectore clementia, & compassio? in manibus liberalitas? qualia vestra sunt responsa? qualis vultus, qui mores? vestras hic ego compello conscientias. Pacat⁹, cum Theodosiū informat, ait: *Principis mens tantò in suos benignior esse debet quātò fortuna est præstātior.* Hoc idem ego dico de divitib⁹; quo ditiores,

tiores, eo & liberaliores eos esse oporteret in pauperes. Felix est respublica, beata civitas, in qua sunt divites; sunt illi gloria, & urbis decus. *Si tamen liberales in egnos, si munifici, si patres inopum extiterint.*

§.9. *Liberalitas Alexandri Severi.*

De Alexandro Severo dixit Lampridius: *amabilis, comis erat, ita ut posceret quisq; quod vellet.* Probabile est, non concessisse omnia; ut ut sit, benignè tamen semper respondit. Ille dives laudandus est, à quo pauperes, inopes, viduæ, pupilli, audent aliquid petere. Si fieri potest, exaudiant preces; si non, sint saltem amabiles & comes in responsis. Vultum benignum, benignos oculos, linguam dulcem erga pauperes, in divitibus requiro.

§.10. *Qualis Christus D. fuit in transfiguratione, tales debent esse divites in rep.*

Quales esse debeant, discant à Christo D. Hic Matth. 17. v. 4. transfiguratur in monte Thabor. Inter alia ait textus, *Resplenduit facies ejus, sicut sol.* Colligo ex his verbis, faciem Christi fuisse planè irradiatam, sed tamen ita ut agnosceretur à discipulis facies, ut notaretur illa vultus reluceret suavitas. Paschasius l. 8. in Matth. *Sic temperavit divina Majestas hujus visionis formam, ut & mirabilis esset visio, qua divinitas prædicaretur in Christo & humanus eam mortalium ferre posset visus.* Et explicat. *Transformatio claritatem addidit ex majestate divinitatis, sed faciem non subtraxit humanitatis.* Christus D. Sol fuit, sed cum amabili facie. Sic ex hoc loco in mea materia discurro. Cœlum est quoddam politicum, Respublica. Huic cœlo sua sunt astra, sui planetæ, sua luna, suus sol. Sol est dives. (nam de aliis modò non dissero sideribus) sed facies debet esse pulchra, nitida, serena, amabilis. O divites, qui caperata semper fronte, immiti supercilio, vultu ad severitatem composito & Catoniano, pauperes intuemini! O ingrati soles, à quibus tam inclementes radii vibrantur! quorum aspectum horrent viduæ, cum eo refici deberent atque oblectari. Benignissimum se ostendit summa sua in gloria, in maxima majestate humillimum, in splendore serenissimo clementissimum Salvatorem, nos cum primum ad gloriam aliquam, atque splendorem elevati fulgemus, immites erimus? austeri, torvi, immisericordes, ne dicam sæpè etiam crudeles & impii. Aliud nos docet æterna Sapientia.

De Tito Cæsare probati referunt auctores Suetonius & Tacitus, quod tantæ fuerit suavitatis Imperator, ut appellari meruerit, *Deliciæ orbis.* Nemo ab illo recedebat tristis. De Stilicone cecinit Claudianus, §. 11. *Titus Cæsar, cur Delicium Orbis.*

Non sic virginibus flores, non frugibus imbres, Ut tuus aspectus populo. *Laus aliorum Imperatorum.*

Sed & alii tyranni, Reges barbari, dicti sunt *terror orbis.* De Attila Rege Asiæ dixit Seneca, *Salutantem silentio, & vultu arrogantis transiens.* Tacitus de Nerone, *Minax voce, vultu, oculis inardescens.* Suetonius de Imperatore Claudio: *ira spumante rictu, tumentibus naribus.* Plinius de Juliano: *truculentus aspectu & vultu.*

§.12. *Applicatio.*

Differentiam, quam cernitis inter Imperatores ego invenio inter divites alicujus urbis. Sunt aliqui ob suam erga pauperes amabilitatem, illorum deliciæ. *Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,* ut illorum aspectus egenis.

Nam

Nam (S. Ambrosius,) *popularis & grata omnibus est bonitas, nihilq; quod tantopere illabatur humanis sensibus: incredibile est, quantũ procedit ad cumulum dilectionis.* De Davide idem Ambr. *Charus erat omnibus, ita sibi gratis officiis plebem obligabat.* Talis David est ille Nobilis, ille Advocatus, ille Doctor, ille mercator; gratus pauperibus, quos gratis officiis, & liberalibus eleemosynis sibi obligat.

Sed quosnam de aliis audimus Sermones? nunquid, hic judex est terror pauperum? Nunquid ille procurator pauperes vultu arroganti transit? nunquid ille dives minax voce, vultu, oculis inardescens? nunquid ille mercator, ira spumante rictu, tumentibus naribus, nunquid? ille truculentus aspectu & vultu! Ingratis omnibus! Nunquid?

§. 13. *Quales divites sunt erga pauperes: talis erit Iudex Christus erga illos. Vt patet in Lazaro & Epulone.*

Agedum audite! quales modo estis erga pauperes, talis vobis in illa die erit tremendus judex. Terror vester, minax ore, oculis inardescens. Rem clarius in exemplo spectabitis. Luc. 16. 21. de divitis illius epulonis in Lazarum immisericordia nemini non constat: imò tam duri fuit pectoris atque immitis, (quod exponunt nonnulli) ut canes etiam adversum Lazarum irritarit. Sed, videte mihi lugubrem hujus tragœdiæ catastrophen! Sedet paulo post in flammis epulo. Ita fit; qui prius jacebat in plumis & purpura, nunc igneo volutatur in lecto. Quid præterea? guttam aquæ postulat. A quo? à Lazaro. Cur, ita mi epulo? *quia crucior in hac flamma.* O te infelicem! guttulam rogas? *at non impetrabis.* Clama, roga, insta, vociferare: *non impetrabis.* Funde lachrymas sanguineas: *non impetrabis.* Implora divinam clementiam: *non impetrabis.* Abrahamum sollicita: *non impetrabis.* Abraham, Auditores, judicem nobis repræsentat Christum. Erit cùm in agone quasi medius inter flammas versabitur Cræsus aliquis, & dives immisericors; rogabit guttulam Sanguinis Christi Jesu; hæc enim sufficeret: *at non impetrabit.* Convertet se ad sinum Abrahæ, ad vulnera Christi: *repelletur.* Emendicabit solatium ab Angelis; *irridebitur.* Implorabit opem Reginæ cœlitum: *non agnoscetur à matre misericordiæ, filius tam degener & immisericors*; audire cogetur tremenda illa verba Salvatoris, Matth. 25. v. 12. *Nescio vos, clausa est janua,* S. 71. *Homo tu tibi misericordia factus es ipse mensura; quantum quaris misericordiæ, tantum fac.*

Audivistis sæpius v. 3. c. 2. Cant. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ. Sicut malus inter ligna silvarum.* §. 14. *Divites cur spinæ.* Advertit Aponius in hoc loco fieri mentionem mali, liliorum, & spinarum, & ait esse sermonem de divitibus alicujus urbis. Pulchra arbor est mal⁹, pulchros simul progenerat fructus. Ejusmodi arbor est dives misericors. Poma, sunt opera charitatis. Flos elegans est liliũ; sed sine fructu. Nitet ut lilium avarus dives, sed ubi fructus? ubi charitas? ubi amor? ubi beneficentia? *apage lilium,* quod colore tantùm præstas amabili, non fructibus. *Apage dives,* cui solus est decor in nomine, non in charitate. *Et spinæ suos habent flores.* Quid flos sine fructu? quid sine rosis spineta? non recreant, sed lacerant; non fructificant sed vexant; pungunt non ungunt. En genuinam di-

Mirabilis catastrophe.

vitum avarorum imaginem! sed quorum finis est mitti in clibanum ardentem, in ignes, in flammas, in infernum.

§. 15. Locus ex S. Paulo c. 10. ad Hebr. Repeto quod ante insinuavi. Si divites volunt, ut Christus Judex in angustiis mortis compatiatur, prius ipsi compati debent. S. Paulus ad Hebr. 10. v. 30. *Mihi vindicta, & ego retribuam. Iudicabit Dominus populum suum: horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Perinde acsi diceret Apostolus, Erit ò divites, erit cùm adversum vos clamabunt vindictam peccata, cum suas vires fraudesque, & mille nocendi artes expromet Diabolus, cùm repentino vos obruet fato calamitas. Quid erit animi? quid spei miseris? respondet Apostolus; *Rememoramini pristinos dies*: dicite, an inopum egistis causam? an pauperum sublevastis inopiam? *Rememoramini, & videte an vinctis compassi estis*; an *& socii taliter conversantium* (in mœrore scilicet, angustia & paupertate) *effecti fueritis.*

Quod si hujus rei vos solatur memoria, salva sunt omnia; macti animis, neque enim est, quod pertimescant rigidum, clementes: inhumanum, benevoli. Nam & vobis compatietur Christus; & vestram in se suscipiet causam; vestram, Misericordia sublevabit inopiam. Sin minus! timete atque expavescite. *Qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quantum vis misericordiæ, tantum fac.*

§. 16. Misericordia nostra erit mensura misericordia divina. Aliter hæc verba explicat S. Chrysostomus Hom. 11. in cap. 4. ad Coloss. *Itaq; ne hoc exiguum fuerit, si quando ad sanctos* (pauperes, egenos, tristes) *consolati fuerimus; & nostra præsentia, & comitatu, & sermone, & officii sedulitate consolati, sicq; simul cum illis afflicti fuerimus. Vinctis enim compassi estis. tanquam ipsi simul vincti. Si quando afflictiones illorum nostras fecerimus, coronarum etiam consortes erimus.* Sic explico: Est aliqua v. g. vidua, quam opprimunt omnes, omnes despiciunt, omnes habent ludibrio atque contemptui. Illa interim cum Jesu gaudet in spinis, exultat in flagellis, delectatur in cruce: non quòd dolores non sentiat aut cruciatus; sed quod eas amore Jesu æquo semper animo, vultuque scit tolerare. Est è contrario dives quispiam, cui omnia fluunt è voto, quem nulla flagellat adversitas, nullus unquam dolor invadit. Sed an ideo dicendus felix? nequaquam sanè: nisi erga hanc viduam ostendat commiserationis affectum, nisi illius causam amore Christi suscipiat ac tueatur, nisi deploratam ejus conditionem modis omnibus sublevare conetur, nisi consoletur, nisi sua præsentia & sermone compatiatur; nisi simul cum illa affligatur, nisi pauperum afflictiones suas faciat. Id si fecerit, enimverò tum appellabo & exclamabo felicem, & pretiosissimæ, quam sibi vidua patientiæ laude illustris nectit, in cœlis coronæ participem.

§ 17. Quales debeant esse divites in reg. exemplo S. Maria Magdalena. Restat locus adhuc pulcherrimus, ex quo divitibus ostendam, quales eos esse desiderem. Luc. 7. v. 38. dicitur de Magdalena. *Stans retro secus pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Quatuor laudantur in Magdalena. 1. *S. lachrymis rigavit pedes Iesu.* Adverto ex vestris oculis Audit. idem hoc sacro tempore facere desideratis. *p. 2. Capillis tersit. 3. pia & dulcia SS. pe-*

SS. pedibus dedit oscula. Et mihi peccatori mi Jesu permitte, ut idem piis affectibus faciam. 4. *unguenta adhibuit.* Nemini negatur suum erga Salvatorem affectum similibus obsequiis declarare: præ aliis tamen feliciores sunt divites. S. Gregorius apud D. Thomam inculcat, hunc locum elegantissimè explicans de Misericordibus, sic ait 1. *lachrymis pedes Domini rigamus, si quibuslibet ultimis membris Domini compassionis affectu inclinemur.* Pauperes ergo sunt pedes Christi, eia divites affundite compassionis lachrymas. 2. *Capillis pedes Domini tergimus, quando Sanctis ejus, aut quibus ex charitate compatimur, ex his, quæ nobis superfluunt, miseremur.* 3. Oscula, denotant suavia verba & alloquia, benignos sermones. 4. Unguentum cum odore diffluens est symbolum Eleemosynæ; per hanc ungimus pedes, sive pauperes Christi Salvatoris.

§. 18. *Hic §. applaudit viris Misericordibus.* O terque quaterque beatam illam rempublicam in qua complures ejusmodi sunt Magdalenæ! volo dicere, in qua divitum oculi proni sunt atque effusi in pias compassionis lachrymas, in qua divites prolixos habent capillos beneficentiæ, & suavissima verborum oscula; & misericordiæ. Perpendite hoc animis vestris, Auditores, & certò vobis persuadete, si quam in pauperes confertis Eleemosynam, rigare vos pedes Salvatoris; deinde illos tergere capillis, imò & amoris oscula libare, & fragrantissimo charitatis oleo perfundere. Quo quadruplici motus beneficio, atque amoris actu Salvator, iisdem vos quondam spectabit oculis, quibus intuitus est abjectam ad suos pedes Magdalenam iisdem suos alloquetur verbis, eodem demulcebit solatio, eandem denique gratiam, & misericordiam impertiet.

Finio, & coronidis loco addo laudatissimam illam Cardinalis Radzivilii epigraphen, quam egregio suo symbolo subjunxit in hæc verba, *Et donis delicta piantur.* Inscriptæ legebantur hæ voces crepidini altaris, in quo oblatum Deo agnellum exhibebat. §. 19. *Symbolum Cardin. Radzivilij.*

Ita est, O divites, *Et donis delicta piantur*; & compassione, & affectu, & Eleemosynis. *Munera crede mihi placant, hominesq; Deosq;.* Expiantur delicta precibus, fateor: expiantur Exomologesi sacra, non nego: expiantur jejuniis, ciliciis, flagellationibus, humiliationibus, atq; aliis pietatis Christianæ exercitiis: verum quam maximè, (potissimum, scelera divitum.) *Eleemosyna. Et donis delicta piantur.* Nam *Charitas*, teste scriptura sacra, illa præsertim Charitas, quæ inopum succurrit inopiæ, *operit multitudinem peccatorum.*



CONCIO XVIII.

DOMINICA JUDICA.

Quis ex vobis arguet me de peccato?
Joh. 8. v. 46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

HÆc Concio acriter invehitur in Sacrilege Confitentes, & Communicantes.

§. 1. *Quam perfecta debeat esse confessio Paschalis.*

§. 2. *Ad ducuntur illi potissimum, qui ajunt per illos renovari præcipuâ mysteria Passionis.*

§. 3. *Detestanda impietas sacrilegè communicantium.*

§. 4. *S. Cyprianus comparat eos lictoribus, qui vim intulerunt Corpori Christi.*

§. 5. *Prosecutio.*

§. 6. *S. Ambrosius eos adjungit illis, qui pedibus conculcarunt Christum.*

§. 7. *Ex mente S. Thomæ de Villa Nova repetunt blasphemias &c.*

§. 8. *Theodoretus vocat Crucifixores.*

§. 9. *Sacrilega communio est officina, in qua iterum cuduntur instrumenta Passionis.*

§. 10. *Sunt præterea similes Judæis, sagis, &c.*

§. 11. *Varia historia.*

§. 12. *Applicantur ad sacrilege communicantes.*

§. 13. *Sunt immaniores bestiis.*

§. 14. *Pia astrophe ad Jesum ut illis ignoscat,* quia nesciunt quid faciant.

§. 15. *Graves minæ super sacrilege communicantes.*

§. 1. *Quam perfecta debeat esse Confessio Paschalis.*

COnfessio paschalis, ad quam paucos intra dies omnes obligabit Christianos præceptum Ecclesiæ, tam debet esse pœnitens, tam integra, tam sincera, tam humilis denique & perfecta, ut illum, qui deinde ex alio Ecclesiæ præcepto ad sacram cupit synaxin accedere, in illo animæ statu collocet, ut ante Communionem ex hodierno Evangelio cum Christo Salvatore non immeritò dicere possit, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* saltem lethali, quod fecerim, & per confessionem in Sacramento pœnitentiæ non eluerim. Væ illi, qui ad sanctam Domini mensam audebit accedere, si illum Deus, si Angeli, si propria arguat conscientia de peccato graviore! hæc est

est illa materia, quam in meis ante paschalia festa Concionibus quot annis ferè tractare consuevi; nec sine optato fructu. Præsentem dividam in duas partes. In altera adducturus graves aliquot sanctorum Patrum sententias adversùm sacrilegè communicantes. In altera, similes illos esse Judæis, hæreticis, sagis, qui sanctissimam Eucharistiam frequenter horrendis tractârunt modis, ostendam. *O Sancte Spiritus*, illam, quæ in hac concione, & mihi & meis auditoribus est necessaria, gratiam concede, per merita Salvatoris nostri Jesu Christi, cui sit honor & gloria. Amen.

§. 2. *Adducuntur illi potissimũ, qui ajunt per illos renovari præcipua Mysteria Passionis.*

Ex sententiis sanctorum Patrum contra sacrilegè & indignè communicantes, illas tantùm selegi, quibus ostenderunt tales renovare præcipua sacrosanctæ passionis mysteria. Qui Christo Salvatori in infantia statim primus struxit insidias, impius fuit tyrannus Herodes, cruentus ille tot animularum innocentium latro, inter quas putavit se sublaturum è medio natum Regem Judæorum. Ait verò S. Chrysost. hom. 7. in c. 2. S. Matthæi; *Hujus similes sunt, qui indignè abutuntur communione mysterii; habent enim in se tyrannum regno Christi jugiter invidentem. Hic suos cultores* (sacrilegè communicantes) *simulat & mittit ad Christum* (ad sumendam Venerabilem hostiam) *ut specie, quidem adorare videantur.*

§. 3. *Detestanda impietas sacrilegè communicantium.*

Liceat hic nobis nonnihil interloqui S. Pater Chrysostome! Enimverò temperare mihi non possum ulterius, quin dum hæc tua pronuntio verba, in quorundam, fortassis etiam ex his præsentium execrandam malitiam, aliquantò acrius invehar, qui ut tyranno suo, à quo obsidentur, morem gerant diabolo, falso corde atque ore sacrilego Jesum in Venerabili Eucharistiæ Sacramento conveniunt, adorant, suspiciunt. Detestanda profectò est pietas illa, ita indignè sacro epulo vescentium, *si tamen pietas appellari meretur*, & non impietas potiùs, atque ut ante dixi malitia. Erit, erit illa quondam dies, quæ speciosam hanc fucatæ pietatis larvam removebit, à fronte, vultu, oculis atque animis: tùm sanè apparebit, cujus fuerint principis legati, cujus Regis satrapæ, cujus tyranni, nimirum Cacodæmonis pedissequi. Nam ut revertar ad D. Chrysost. hos ille devotulos simulat, hos ille sic fuco pietatis tingit, & pingit, hos ille sic ad speciem illustrat, hos sic induit ovinis pellibus, quos mittit ad Christum, *ut specie quidem adorare videantur, quantùm verò in ipsis est, interimant eum, quem adorare se simulant.* Tyranni itaque sunt indignè communicantes, novi sunt Herodes.

§. 4. *S. Cyprianus comparat lictoribus, qui vim intulerunt corpori Christi.*

S. Cyprianus ser. de lapsis ait: *qui faucibus adhuc exhalantibus suum scelus* (scilicet quod perpetrârunt per sacrilegam confessionem, vel illud peccatum, quod ex pudore vel pertinacia non volunt confiteri) *& contagia funesta redolentibus corpus domini invadunt. Vis enim infertur corpori & sanguini domini.* His verbis innuit S. Cyprianus, se habuisse præ oculis mysterium captivitatis Christi, in qua, data impia tessera proditorio osculo Judæ, milites & servi Pharisæorum invaserunt corpus Salvatoris, magna vi, furia & clamore. In incursu summam vim intulerunt Christo, imò injecerunt

cerunt alii laqueos & funes, alii calce eum petierunt, alii dejecerunt in terram, pugnos alii impegerunt & colaphos, alii immũdis etiam pedibus Christum calcârunt. Magna sine dubio violentia Christo fuit illata, ut dixerit, *hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Hoc semel contigit tempore Passionis: corporaliter Filius Dei iterum vinculis vinciri à latronibus non potest. Hoc tamen certum est S. Cypriano; qui habent exhalantes fauces, sordidum spiritum, infame scelus; ut habuit Judas, cùm proditorium libavit osculum, & tamen impio ore suscipere audent SS. Eucharistiam; quantum in ipsis est, eandem rursum vim Christi corpori benedicto inferunt. Indignè communicare, est Christo vim inferre, est illi injicere funes, & catenas, est illum deturbare in terram, est illum calce, colaphis & pugnis onerare.

§. 5. *Prosecutio.*

Instituit Salvator noster Eucharistiam, ut sub illis speciebus ingrederetur corda pura, sancta, lota prius suo sanguine: sed tales illum cogunt (permittit id fieri ex infinito amore, huic potestati peccatoris se subjecit filius Dei in Eucharistia) ut subeat cor impium, turpe, impurum, ut ingrediatur in foveam, in qua habitant serpentes, imò juratus ejus inimicus Satanas. Nonne hoc est inferre vim corpori, & sanguini Christi? nunquid hoc est illum hostiliter invadere? Sunt itaque indignè communicantes fratres Judæ, pertinent ad nefariam, conjicientium in vincula salvatorem, cohortem. Sed audiamus S. Ambr. sic ille c. 10. ad Hebr.

Hoc peccato conculcatur Corpus Domini. Hic Sanctus habuit præ oculis illa mysteria Passionis, in quibus probabiliter conculcatus fuit pedibus impiorum carnificum juxta versum Ps. 55. v. 3. *Conculcaverunt me inimici mei, quoniam multi bellantes adversum me: conculcavit me homo.* Probabile est aliquot Judæos id fecisse in captivitate. Probabiliter idem contigit nocte, qua in domo Caiphæ in subterranea specu miserè fuit tractatus. Dixi nuper, contigisse id, cùm sanguinolentus à flagellatione jacuit ad columnam prostratus; cùm in coronatione corruit de sede in terram, & potissimùm cum in bajulatione sub onere crucis aliquoties corruit in terram. Sed corporaliter hoc factum est tempore Passionis, nec fiet iterum. Sed S. Ambrosio hoc certum est, sacrilegam communionem tam esse enorme scelus; ut spiritualiter, nil aliud sit, quàm sacratissimũ Domini corpus & ejus sanguinem sacrilegis rursum pedibus conculcare.

§. 6. *S. Ambrosius adjungit illis qui pedibus conculcarunt Christum.*

§. 7. *Ex mente S. Thomæ de Villa Nova repetunt blasphemias &c.*

Venio ad sententiam S. Thomæ de Villa Nova: *quascunque blasphemias, irrisiones, quæcunque opprobria impiissimi Judæi corporaliter in Christum exercuerunt, has omnes spiritualiter repetit impius comestor.* Sic discurrite ex hoc loco. Judæus v. g. blasphemans Christum; & indignè communicans, *idem sunt.* Judæus irridens & expuens in faciem Christi; & indignè sumens corpus & sanguinem Christi; *idem sunt.* Judæus in coronatione flectens genua, dicens *Ave Rex Judæorum*, Judæus Christo infligens alapam, & impius talis comestor panis Angelici, *idem sunt.* Nimirum verissima est allegata D. Thomæ sententia, *Quæcunque blasphemias &c.* Judæi flexo per ludibrium

dibrium poplite, amarulentis Christum convitiis prosciderunt; iisdem proscindit Jesum in Eucharistia impius comestor. Illi quasi histrionıam profiterentur, ridiculis illum gestibus salutarunt: *hic* idem facere non dubitat. *illi* purulentam saniem & sputa, & phlegma ejecerunt in faciem Jesu benedictam: *hic* easdem repetit injurias. *Illi* mutato nequiter ore, exserta lingua, confertis oculis atque invidia flagrantibus Christum aspexêrunt: similis est & *hujus* in eundem obtutus. *Illi* tanquam fatuum tractarunt eum, qui æterna est Sapientia: *non secùs facit sacrilegus comestor.*

Judæus exspuens in faciem Jesu, & sacrilegè communicans fratres sunt.

Sed audiamus Theodoretum in illum locum S. Pauli, *quicunque &c. Hoc significat, quòd quemadmodum tradidit illum Iudas: ipsi autem insultaverunt, & cum probris & convitiis affecerunt; ita cum ignominia & dedecore afficiunt, qui sanctissimum ejus corpus immundis manibus, impollutum & incestum os immittunt.* Ad summum deniq; progreditur S. Petrus Damianus l. 4. ep. 14. *Qui dominicum corpus pollutis tractare manibus non veretur, crucifigentium Iesum particeps esse convincitur.*

§. 8. *Theodoretus vocat crucifixores.*

Fundamentum posuit in illo versu S. Pauli c. 6. v. 6. ad Hebr. *Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Hoc itaque peccato renovatur crucifixio. Hoc peccatum, sacrilega communio, est nova crux, cui sacrilegi hi, quantum in ipsis est, filium Dei, præcipue SS. in Eucharistia corpus, rursum affigunt.

§. 9. *Sacrilega communio est officina.*

Hoc indignè communicantium scelus triste illud est armamentarium, in quo crudelissima Dominicæ Passionis instrumenta sunt fabricata. In hoc denuò elaborantur tres illi clavi, qui rursum Salvator Jesu cruci affigatur. In hoc præparantur mallei, quibus clavi adigantur per sacros Christi pedes & manus. In hoc torquentur funes, & laquei, quibus distrahatur innocentissimum & virgineum corpus Jesu, in hoc cuditur immite Longini ferrum, quod latus referet Sacrosanctum, in hoc colligantur virgæ, nectuntur flagella, consuitur purpura, convolvuntur in coronam spinæ, aptatur in crucem fatalis arbor. Et non exclametur cum Tertulliano, *Prô scelus! semel Iudæi Christo manus intulerunt, isti quotidie, corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ!* O res, O lingua! talis lingua meritò æternùm ardet in inferno. Ne miremini obsecro, me in iras consurgere, justas habet ira querelas. *Considera* (sunt verba S. Chrysost. hom. 60. ad pop.) *quantum adversus proditorem indignaris, & contra eos, qui illum crucifixerunt. Itaque considera, ne & tu quoque reus sis corporis & sanguinis Domini.* Haud satis scio Auditores, an hoc primo concionis meæ puncto, hoc sacro tempore Passionis contra sacrilegè communicantes, gravius quidquam dicere possim. *Dico* esse novos Herodes, Tyrannos novos crudelissimos, novos invasores & conculcatores corporis Christi: *Dico* illos renovare omnes injurias, blasphemias, & irrisiones Christo illatas. *Dico* esse novos crucifixores. Et hæc ex sanctis Patribus universa.

in qua cuduntur iterum instrumenta Pass. Patheticus locus.

Restat concionis pars altera. Pro cujus explicatione prima statim fronte significo sacrilegè communicantes esse similes hodiernis Judæis, Hæreticis & Magis.

§. 10. *Sunt præterea similes Iudæis, Sagis &c.*

ftiane, effe tibi caufam, cur ab inimico vindictam, & fatisfactionem exigas, Sed ecce, Filius Dei Salvator tuus in cruce, præftat fe tibi fidejufforem. hic fatisfecit pro tuo inimico, & paratus eft tibi ulterius fatisfacere. Age dic, potesne majorem de illo optare vindictã, quam ut hoftis tuus mille petitus vulneribus concidatur? fatisfecit defiderio tuo Jefus in fua flagellatione, quid ultra quæris? Defideras fortè fpinas, vepres, ac fentes, quibus in inimici tui caput ad fanguinem usque pro libitu defævias? En fpinis, hunc in finem tuus voluit coronari Salvator. Prurit tibi dextera ad impingendos hofti tuo colaphos atque alapas? En Jefum, afpice malè mulctatum alapis, ne eas fuus cogeretur hoftis fuftinere. Crucem animo meditaris, qua premas humeros adverfarii? En clavos, quibus affigas? En crucem pro te proque illo ultro tulit Jefus in montem Calvariæ! illi pependit affixus. Ferrum optas acuere, quo hofti tuo animam elidas? ferrum jam excepit fuo in pectore Chriftus. Quid ultra moliris? quid machinaris præterea? quid furis amens? an non tuo fatis fuperque furori factum eft in tuo fidejuffore Jefu? quid defideras præterea? vide fis quæfo, ne novis illum per inauditam crudelitatem tormentis afficias. Da aliquid ejus amori, ante pafchalem Confeffionem ignofce inimico tuo & toto corde. Expelle tam dirum dæmonium, ut Jefus per pafchalem Communionem ingredi poffit, & velit.

Defcriptio ardentis vindictæ.

Sed pro hofte Chriftus fatisfecit.

Patheticus locus cum memoria myfteriorum Paffionis.

§. 13. *Heroica aliqua exempla condonantium injurias.*

Talia habuerunt præ oculis, qui heroicis & generofis actibus injurias condonarunt. Exemplo fit illa matrona in Italia, quæ juvenem, qui unicum ejus filium occiderat, in fuis ædibus abfcondit, & clam alio mifit, ne in Judicis manus incideret, mota afpectu lignei fimulacri pendentis in cruce.

Prodeat & S. Miletius Antiochenus Patriarcha, qui urbis gubernatorem, cum nefariam tuliffet exilii fententiam, fuo corpore texit, ne populi lapidibus obrueretur. Accedat & D. Catharina Senenfis (Surius 29. Apr.) quæ ægrotæ fe continuo calumnianti, convitiantique eò fervivit fideliùs, eò aftitit diligentiùs, in ipfum usq; mortis agonem. D. Sabinus, Spoletanorum Epifcopus, quid hac in re præftiterit egregium, accipite. Fuerunt illi, juffu Venuftiani, ambæ præfcifæ manus; fed mox acerrimus dolor ita excruciare cœpit oculos tyranni, ut à Sabino coactus fuerit rogare medelam. Ergo vir Sanctus procedere in genua, verfus cœlum ftillantia cruore brachia elevare, pro falute malefactoris fui atq; incolumitate Deum orare, neque verò defiftere, quoad Venuftianus fanitatem obtinuit.

O nobilem orandi modum! quem hoc Sancto tempore quadragefimæ vobis fuadeo, Auditores, ex illis æternæ fapientiæ verbis Matth. 5. v. 44. *Diligite inimicos veftros, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro calumniantibus & perfequentibus vos.* Talis oratio eft potentiffima apud Deum, eft præterea præparatio & difpofitio perfectiffima ad pafchalem confeffionem. Hæc oratio promeritam à cervicibus noftris avertit iram. §. 14. *Novus modus orandi pro inimicis.*

Salvator nofter in monte Oliveti ardentiffimè, cum lacrymis & fanguineo fudo- §. 15. *Oratio Chrifti in*

mente O-livetí non exauditur à Patre, sed illa in cruce pro crucifixoribus. sudore oravit, ut transiret calix passionis, sed nõ fuit exauditus. In Cruce orat pro crucifixoribus, paucis verbis, mox plures convertuntur; brevissima oratio statim effectum obtinuit. Quomodo? tolli innocentẽ è medio sine causa, sine culpa perimi parentem à filiis, Regem interfici à subditis, Filium Dei ab ingrato populo trucidari. Enimverò facinus est post hominum memoriam ab orbe condito longè atrocissimum. Fuerat sine dubio jam parata tellus, ut patulo rictu absorberet impia nefanda capita; sed orans in cruce Jesus atq; orans pro suis inimicis prohibuit. Coquebat jam fulmina atrata cœli nubes, quibus exanimaret momento crucifixores scelestos. Sed, amans hostium charitas, avertit periculum. Parabant exitum ex antris suis atque speluncis bestiæ, leones & tigrides, ut mille in frusta discerperent Judæos; sed oratio Christi pro inimicis cohibuit feras, ne quid inferrent hostibus suis detrimenti. Oravit Jesus & exauditus est pro reverentia sua

Talem orationem hodie suadeo sodalibus Christi Agonizantis, ut antequam orent Rosarium quinque Vulnerum, ex animo condonent injurias; ut orent pro inimicis, nec dubitent se obtenturos, quod petunt, scilicet felicem ex hac vita mortali exitum, quo nihil potest optari dulcius.

§.16. *Similis oratio nobis commendatur* Orationem talem mirè commendat Regius Psaltes Ps. 34. v. 13. *Oratio mea in sinu convertetur.* Ps. 68. v. 14. *Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus,* quasi diceret: obtuli Domino orationem, quam scio illi placere; qua fretus magna peto à Deo meo, & in sinu cordis mei habeo fiduciam, preces illas nõ fore irritas. qualis autem oratio fuerit innuit cit. Ps. *Obmutui & non aperui os meum,* nimirum cùm, 2. Reg. 16. v. 7. Semel post me clamaret, *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial,* imo *cum mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam, oravi, clamavi ad Dominum, ut Deus sit illis propitius.* De hac oratione ait David, quod illam obtulerit tempore, quo scivit illam Deo placere. Auctor incognitus in hunc locum, ait, Davidem locutum de oratione Christi in cruce, *Pater ignosce illis,* & ait: *Sed quod hic loquitur de oratione, quam pro persecutoribus fecit tempore Passionis, ostendit dicens: tempus beneplaciti Deus, id est, opportunum ad impetranda omnia.*

O agonizantis in cruce sacrosancta Jesu sodales charissimi! vos hic mihi liceat compellare, nam vobis servit præcipuè opportunum illud ad impetranda omnia tempus! si tamen cum mansuetissimo agno, mansuetudinis quoque memores, in precibus vestris, in affectibus, in suspiriis, ex corde inimicis ignoscitis. Enim verò si hoc facitis, tempus nacti estis ad impetranda quælibet opportunum. Quid enim non impetraretis? sanitatem corporis ad Dei gloriam quæritis? quærite illam, sed non nisi in tempore illo opportuno, cùm veniam facitis hostibus &c. Vitæ beatioris exitum desideratis? voti vos compotes faciet Jesus, si modò temporis illius opportuni habere rationem velit s. §. 17. *Pia allocutio ad Sodales Agoniæ, ut sic orando impetrent felicem mortem.*

Quid si ex Auditoribus aliquis sit, qui ob hæc omnia, quæ dixi, quod sine dilectione inimicorum fiduciam in sanguine Jesu habere non possimus, §. 18. *Mirabilis conversio sclopeti in crucifixū.*

§. 1. Encomia Misericordia erga proximum.

SUavissimi Salvatoris oculi, quibus esurientem aspexit populum in deserto, misericordiam nos docent, atque compassionem. Felicem urbem, in qua divites & potentes cum Jesu sublevant oculos; sed benignos, quibus circumspiciunt, ubi sint pauperes, ubi afflicti. Aperit hos oculos Misericordia nobilissima virtus, quam noto passim nomine, vocant Eleemosynam; de qua Arch. Raphaël ad Tobiam, *Bona est oratio cum jejunio & Eleemosyna.* Egi jam meis concionibus hac quadragesimâ de jejunio, egi de oratione; nunc quia Evangelium hodiernum subministrat occasionem, par est, ut & de eleemosyna aliquid ad vos dicere instituam. Bene enim S. Chrysologus Ser. 8. *Quod est terris ver, hoc misericordiam scimus esse jejunio; sicut ver, mater est florum, ita misericordia genitrix virtutum: Jejunium est sanctitatis hostia, sacrificium castitatis* (idem dic de oratione) *sed sine misericordia incenso, ad divinum non potest conspectum in odorem suavitatis conscendere: jejunium aperit cœlum*, (aperit oratio) *sed nisi tunc adfuerit misericordia, nostrarum patrona causarum, securi de venia non erimus.* S. Leo ser. 5. de eleemos. *Eleemosyna pro vobis exorabunt, ut ad omne opus bonum idonei esse possitis.*

§. 2. Propositio. Declarantur aliqua hac Concione.

Cùm itaque virtutum & bonorum sacro hoc tempore quadragesimæ, inprimis nos esse studiosos oporteat, non absre me facturum existimo, si præsenti hac concione de laudibus eleemosynæ fructibusque ad vos disserere contendero. Adeste animis, si qui coram estis divites: audietis, quæ ad salutem vestram non modo utilia, sed etiam perquam sint necessaria. Sed & vos adeste

ò pauperes: intelligetis, quæ ad consolationem vestram, atque subsidium, non modicum, ut spero, emolumentum sunt allatura.

§. 3. *Per hanc virtutem divites merentur mortem Sanctam, & cælum.* Itaque hoc volo, & opto, ut divites sint liberales in egenos, ut hac liberalitate mereantur felicem mortem, & cælum. Fortunæ filius fuit apud Romanos Marcus Antonius; hæc enim liberali manu in illum effudit honores, dignitates, consulatum, opes. Verùm eadem Dea Fortuna, *ut vitrea est*, fracta est; *ut volubilis est*, voluta est; *ut mutabilis*, mutata est; *ut transiens*, transiit; *ut fraudulenta*, albæ gallinæ filium decepit: Vocavit in auxilium ad illum evertendum, Mortem, quæ momento totam fortunæ impulit atque evertit. Ergò cum jam Antonius se à morte proximum animadverterit, auream post se reliquit sententiam, teste Seneca l. 3. de benef. cap. 3. *Hoc habeo, quodcunq; dedi.* Subdit Seneca. *O quantum habere potuit, si voluisset! hæ sunt divitiæ certæ, & permansuræ*, (quæ dantur) *quæris quomodo illa tua facias? dono dando. Ergo certam tibi earum atq; inexpugnabilem possessionem para.*

§. 4. *Illæ divitiæ sunt nostræ, quæ dantur pauperibus.* Hæc Ethnicus. Ita divites, colligite pecunias, corradite thesauros, coacervate divitias, non equidem vestram vobis sortem invideo: sed memento te præterea, fragilem esse fortunæ imaginem, non solidam: caducam, non perennem, non marmoream, sed vitream. Momento labitur, volvitur, frangitur, conteritur. Veniet hora mortis: enimverò tùm vestra erunt, non quas filiis relinquitis, opes, non quas custodiunt arcæ, gemmæ, non quod custodiunt ferratæ cistæ argentum & aurum: *Sed, quæ erogastis in pauperes.* Illi, illi vobis soli supererunt thesauri, hæ permansuræ in æternum divitiæ. Illarum est inexpugnabilis possessio, nulli obvia prædoni, nulli furi, nulli tyranno, nulli casu fortunæ.

Id quod sic asseverat D. Leo ser. de jejun. &c. *Pars corporalium facultatum, quæ indigentibus ministratur, in divitias transit æternas. Nihil uniuscujusq; tam proprium, quam quod impendit in proximum.* Hoc est facere aliquid de suo suum. Eja divites, facite aliquid de vestro frumento, vestrum: de vestibus, de nummis, de facultatibus, de cibis atque epulis: solum enim vestrum est, teste S. Leone, quod dum egenis & pauperibus confertur, *in divitias transit æternas.* §. 5. *Confirmatur ex S. Leone.*

Confirmatur ex c. 11. v. 17. Prov. *Benefacit animæ suæ vir misericors.* Cajetanus ex Hebræo sic legit. *Vir gratiæ.* Sed cur gratiæ? Respondebo Theologicè! *Gratia est semen gloriæ*, ideo gratia divina nihil sublimius. Pari ratione Eleemosyna est semen gloriæ. Quem in finem breviter iterum, & graviter D. Leo. *Da, quod accipias, sere quod metas, sparge quod colligas.* Optas mi homo accipere aliquando à magno illo Patre familias denarium vitæ cœlestis? *da modo quod accipias.* Anhelas ad illas perennes mensæ divinæ delicias? *præmitte cibos.* Desideras aliquando bibere, & inebriari de torrente voluptatis? *Da pauperibus & sitientibus saltem haustum aquæ.* Velles aliquando metere fructum gloriæ? *modò semina semen misericordiæ.* Vis colligere rosas admirabilis illius paradisi? *modo per charitatem in pauperes, illius tibi possessionem acquire.* §. 6. *& cap. 11. Proverb. Eleemosyna enim est semen gloriæ.*

Quid

Quid enim (ait Caſſiodorus in Pſ. 40.) *Dici poteſt ſublimius, quid glorioſius? quando aut pauperes prætermiſſi* (pauperes prætermiſſi ſunt, in quorum perſona dicit Chriſtus D. Matth. 25. v. 42. *eſurivi, & non dediſtis mihi panem, &c.*) *in ignem dirigunt, aut remunerati*) cum quibus Judex dicet, *nudus fui, & cooperuiſtis me &c.* (*ad dexteram collocabunt.* Datæ eleemoſynæ erunt illis cauſa ſalutis.

§ 7. *Quando divites ſunt in die tribulationis; Tum miſericordia illos debet redimere.*

Et his proinde ſolis divites fidere poſſunt, Eccleſiaſtici 40. v. 24. *Fratres in adjutorium in tempore tribulationis* (ſcilicet, adſunt) *& ſuper eos miſericordia liberabit.* Syrus ſic habet, *plus eleemoſyna redimit.* Sermo eſt divitibus, qui liberantur, & quaſi de novo redimuntur ad ſalutem per eleemoſynas. Sed quid eſt, quod dicitur in tempore tribulationis? & quando divites in tribulatione? an illa fortaſſis tribulatio, nullius fermè rei laborare defectu? epulari quotidiè ſplendidè? nihil non genio indulgere, excellere honoribus, deliciis affluere? præclaram ſanè tu mihi tribulationem excogitas.

Sed heus tu! exſpecta paululum, necdum omnium dierum ſol occubuit: nam ſi non hodie, cras forſitan aut perendie illa non expectata ingruet tempeſtas, occurret tribulatio. Videre eſt in mortis horula. Enimverò tum incidunt in tribulationem divites, premuntur anguſtia, conſcientia cruciantur, mille ſubeunt ærumnas, dolores, pavores, calamitates, æſtus animi, perturbationes, diſcrimina.

At, nunquid mitis eſt, qui ſuccurrat miſeris Salvator? Ita ſuccurret Jeſus, ſed non niſi mediante miſericordia ſuccurret. Adverte hoc dives, & tibi dictum puta. Familiarem tibi facito miſericordiam, ſi Jeſum in illa tam periculoſa tribulatione cupis experiri amicum.

§. 8. *Viri miſericordes ſunt ornamentum Reipub.*

Pulcherrimum Reipublicæ, & civitatis alicujus ornamentum ſunt divites, in honoribus & dignitatibus conſtituti! ſed ſi ſint miſericordes, & viri gratiarum. Quales in hac eximia virtute eſſe debeant, ex egregiis auctoribus intelligetis. S. Greg. Naz. in panegyri de Conſtantino ait: *Quid* (ſcilicet commemorabo) *faciles aditus? quid aures patientiſſimas? quid benigna reſponſa? quid vultum ipſum Auguſti decoris, gravitatis hilaritate permixta?* Quatuor potiſſimum ſunt capita, quæ in Conſtantino cum primis laudanda memorat Gregorius. *Faciles aditus.* Et verò tantò amplius præ aliis hoc indigent beneficio pauperes, quantò magis præ aliis premuntur. Sed quid fieri ſolet hodie? eſtne facilis inopi acceſſus ad divitem? dicite vos Procuratores, vos Advocati, vos Judices; cum adeſt pauperculus, cum pulſat fores veſtras vidua, dicite (nam interrogo duntaxat) patetne oſtium? an vero ad preces pauperum dicitur. *Neſcio vos, clauſa eſt janua?* Dicite, an & patientes ſunt aures? an in lingua reſidet affabilitas? in fronte liberalitas? in oculis benignitas? in pectore clementia, & compaſſio? in manibus liberalitas? qualia veſtra ſunt reſponſa? qualis vultus, qui mores? veſtras hic ego compello conſcientias. Pacatus, cum Theodoſiũ informat, ait: *Principis mens tantò in ſuos benignior eſſe debet quãtò fortuna eſt praſtãtior.* Hoc idem ego dico de divitibus; quo di-

tiores,

tiores, eo & liberaliores eos esse oporteret in pauperes. Felix est respublica, beata civitas, in qua sunt divites; sunt illi gloria, & urbis decus. *Si tamen liberales in egnos, si munifici, si patres inopum extiterint.*

§. 9. *Liberalitas Alexandri Severi.*

De Alexandro Severo dixit Lampridius: *amabilis, comis erat, ita ut posceret quisq; quod vellet.* Probabile est, non concessisse omnia; ut ut sit, benignè tamen semper respondit. Ille dives laudandus est, à quo pauperes, inopes, viduæ, pupilli, audent aliquid petere. Si fieri potest, exaudiant preces; si non, sint saltem amabiles & comes in responsis. Vultum benignum, benignos oculos, linguam dulcem erga pauperes, in divitibus requiro.

§. 10. *Qualis Christus D. fuit in transfiguratione, tales debent esse divites in rep.*

Quales esse debeant, discant à Christo D. Hic Matth. 17. v. 4. transfiguratur in monte Thabor. Inter alia ait textus, *Resplenduit facies ejus, sicut sol.* Colligo ex his verbis, faciem Christi fuisse planè irradiatam, sed tamen ita ut agnosceretur à discipulis facies, ut notaretur illa vultus reluceret suavitas. Paschasius l. 8. in Matth. *Sic temperavit divina Majestas hujus visionis formam, ut & mirabilis esset visio, qua divinitas prædicaretur in Christo & humanus eam mortalium ferre posset visus.* Et explicat. *Transformatio claritatem addidit ex majestate divinitatis, sed faciem non subtraxit humanitatis.* Christus D. Sol fuit, sed cum amabili facie. Sic ex hoc loco in mea materia discurro. Cœlum est quoddam politicum, Respublica. Huic cœlo sua sunt astra, sui planetæ, sua luna, suus sol. Sol est dives. (nam de aliis modò non dissero sideribus) sed facies debet esse pulchra, nitida, serena, amabilis. O divites, qui caperata semper fronte, immiti supercilio, vultu ad severitatem composito & Catoniano, pauperes intuemini! O ingrati soles, à quibus tam inclementes radii vibrantur! quorum aspectum horrent viduæ, cum eo refici deberent atque oblectari. Benignissimum se ostendit summa sua in gloria, in maxima majestate humillimum, in splendore serenissimo clementissimum Salvatorem, nos cum primum ad gloriam aliquam, atque splendorem elevati fulgemus, immites erimus? austeri, torvi, immisericordes, ne dicam sæpè etiam crudeles & impii. Aliud nos docet æterna Sapientia.

§. 11. *Titus Cæsar, cur Delicium Orbis.*

De Tito Cæsare probati referunt auctores Suetonius & Tacitus, quod tantæ fuerit suavitatis Imperator, ut appellari meruerit, *Deliciæ orbis.* Nemo ab illo recedebat tristis. De Stilicone cecinit Claudianus,

Laus aliorum Imperatorum.

Non sic virginibus flores, non frugibus imbres, Ut tuus aspectus populo.

Sed & alii tyranni, Reges barbari, dicti sunt *terror orbis.* De Attila Rege Asiæ dixit Seneca, *Salutantem silentio, & vultu arrogantis transiens.* Tacitus de Nerone, *Minax voce, vultu, oculis inardescens.* Suetonius de Imperatore Claudio: *ira spumante rictu, tumentibus naribus.* Plinius de Juliano: *truculentus aspectu & vultu.*

§. 12. *Applicatio.*

Differentiam, quam cernitis inter Imperatores ego invenio inter divites alicujus urbis. Sunt aliqui ob suam erga pauperes amabilitatem, illorum deliciæ. *Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,* ut illorum aspectus egenis.

Nam

Nam (S. Ambrosius,) *popularis & grata omnibus est bonitas, nihilq; quod tantopere illabatur humanis sensibus: incredibile est, quantū procedit ad cumulum dilectionis.* De Davide idem Ambr. *Charus erat omnibus, ita sibi gratis officiis plebem obligabat.* Talis David est ille Nobilis, ille Advocatus, ille Doctor, ille mercator; gratus pauperibus, quos gratis officiis, & liberalibus eleemosynis sibi obligat.

Sed quosnam de aliis audimus Sermones? nunquid, hic judex est terror pauperum? Nunquid ille procurator pauperes vultu arroganti transit? nunquid ille dives minax voce, vultu, oculis inardescens? nunquid ille mercator, ira spumante rictu, tumentibus naribus, nunquid? ille truculentus aspectu & vultu! Ingratis omnibus! Nunquid?

§. 13. *Quales divites sunt erga pauperes: talis erit Iudex Christus erga illos. Vt patet in Lazaro & Epulone.*

Agedum audite! quales modo estis erga pauperes, talis vobis in illa die erit tremendus judex. Terror vester, minax ore, oculis inardescens. Rem clarius in exemplo spectabitis. Luc. 16. 21. de divitiis illius epulonis in Lazarum immisericordia nemini non constat: imò tam duri fuit pectoris atque immitis, (quod exponunt nonnulli) ut canes etiam adversum Lazarum irritarit. Sed, videte mihi lugubrem hujus tragœdiæ catastrophen! Sedet paulo post in flammis epulo. Ita fit; qui prius jacebat in plumis & purpura, nunc igneo volutatur in lecto. Quid præterea? guttam aquæ postulat. A quo? à Lazaro. Cur, ita mi epulo? *quia crucior in hac flamma.* O te infelicem! guttulam rogas? *at non impetrabis.* Clama, roga, insta, vociferare: *non impetrabis.* Funde lachrymas

Mirabilis catastrophe.

sanguineas: *non impetrabis.* Implora divinam clementiam: *non impetrabis.* Abrahamum sollicita: *non impetrabis.* Abraham, Auditores, judicem nobis repræsentat Christum. Erit cùm in agone quasi medius inter flammas versabitur Cræsus aliquis, & dives immisericors; rogabit guttulam Sanguinis Christi Jesu; hæc enim sufficeret: *at non impetrabit.* Convertet se ad sinum Abrahæ, ad vulnera Christi: *repelletur.* Emendicabit solatium ab Angelis; *irridebitur.* Implorabit opem Reginæ cœlitum: *non agnoscetur à matre misericordiæ, filius tam degener & immisericors;* audire cogetur tremenda illa verba Salvatoris, Matth. 25. v. 12. *Nescio vos, clausa est janua,* S. 71. *Homo tu tibi misericordiæ factus es ipse mensura; quantum quaris misericordiæ, tantum fac.*

§. 14. *Divites cur spinæ.*

Audivistis sæpius v. 3. c. 2. Cant. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ. Sicut malus inter ligna silvarum.* Advertit Aponius in hoc loco fieri mentionem mali, liliorum, & spinarum, & ait esse sermonem de divitibus alicujus urbis. Pulchra arbor est malus, pulchros simul progenerat fructus. Ejusmodi arbor est dives misericors. Poma, sunt opera charitatis. Flos elegans est liliū; sed sine fructu. Nitet ut lilium avarus dives, sed ubi fructus? ubi charitas? ubi amor? ubi beneficentia? *apage lilium,* quod colore tantùm præstas amabili, non fructibus. *Apage dives,* cui solus est decor in nomine, non in charitate. *Et spinæ suos habent flores.* Quid flos sine fructu? quid sine rosis spineta? non recreant, sed lacerant; non fructificant sed vexant; pungunt non ungunt. En genuinam di-

vitum avarorum imaginem! sed quorum finis est mitti in clibanum ardentem, in ignes, in flammas, in infernum.

§. 15. *Locus ex S. Paulo c. 10. ad Hebr.* Repeto quod ante insinuavi. Si divites volunt, ut Christus Judex in angustiis mortis compatiatur, prius ipsi compati debent. S. Paulus ad Hebr. 10. v. 30. *Mihi vindicta, & ego retribuam. Iudicabit Dominus populum suum: horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Perinde ac si diceret Apostolus, Erit ò divites, erit cùm adversum vos clamabunt vindictam peccata, cum suas vires fraudesque, & mille nocendi artes expromet Diabolus, cùm repentino vos obruet fato calamitas. Quid erit animi? quid spei miseris? respondet Apostolus; *Rememoramini pristinos dies*; dicite, an inopum egistis causam? an pauperum sublevastis inopiam? *Rememoramini, & videte an vinctis compassi estis*; an *& socii taliter conversantium* (in mœrore scilicet, angustia & paupertate) *effecti fueritis.*

Quod si hujus rei vos solatur memoria, salva sunt omnia; macti animis, neque enim est, quod pertimescant rigidum, clementes: inhumanum, benevoli. Nam & vobis compatietur Christus; & vestram in se suscipiet causam; vestram, Misericordia sublevabit inopiam. Sin minus! timete atque expavescite. *Qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quantum vis misericordia, tantum fac.*

§. 16. *Misericordia nostra erit commensura misericordia divina* Aliter hæc verba explicat S. Chrysostomus Hom. 11. in cap. 4. ad Colosſ. *Itaq; ne hoc exiguum fuerit, si quando ad sanctos* (pauperes, egenos, tristes) *consolati fuerimus; & nostra præsentia, & comitatu, & sermone, & officii sedulitate consolati, sicq; simul cum illis afflicti fuerimus. Vinctu enim compassi estis. tanquam ipsi simul vincti. Si quando afflictiones illorum nostras fecerimus, coronarum etiam consortes erimus.* Sic explico: Est aliqua v. g. vidua, quam opprimunt omnes, omnes despiciunt, omnes habent ludibrio atque contemptui. Illa interim cum Jesu gaudet in spinis, exultat in flagellis, delectatur in cruce: non quòd dolores non sentiat aut cruciatus; sed quod eas amore Jesu æquo semper animo, vultuque scit tolerare. Est è contrario dives quispiam, cui omnia fluunt è voto, quem nulla flagellat adversitas, nullus unquam dolor invadit. Sed an ideo dicendus felix? nequaquam sanè: nisi erga hanc viduam ostendat commiserationis affectum, nisi illius causam amore Christi suscipiat ac tueatur, nisi deploratam ejus conditionem modis omnibus sublevare conetur, nisi consoletur, nisi sua præsentia & sermone compatiatur; nisi simul cum illa affligatur, nisi pauperum afflictiones suas faciat. Id si fecerit, enimverò tum appellabo & exclamabo felicem, & pretiosissimæ, quam sibi vidua patientiæ laude illustris nectit, in cœlis coronæ participem.

Restat locus adhuc pulcherrimus, ex quo divitibus ostendam, quales eos esse desiderem. Luc. 7. v. 38. dicitur de Magdalena. *Stans retro secus pedes ejus, lacbrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Quatuor laudantur in Magdalena. 1. *S. lachrymis rigavit pedes Iesu.* Adverto ex vestris oculis Audit. idem hoc sacro tempore facere desideratis. p. 2. *Capillis tersit.* 3. *pia & dulcia* § 17. *Quales debeant esse divites in rep. exemplo S. Mariæ Magdalenæ.*

SS. pe-

SS. pedibus dedit oscula. Et mihi peccatori mi Jesu permitte, ut idem piis affectibus faciam. 4. *unguenta adhibuit.* Nemini negatur suum erga Salvatorem affectum similibus obsequiis declarare: præ aliis tamen feliciores sunt divites. S. Gregorius apud D. Thomam inculcat, hunc locum elegantissimè explicans de Misericordibus, sic ait 1. *lachrymis pedes Domini rigamus, si quibuslibet ultimis membris Domini compassionis affectu inclinemur.* Pauperes ergo sunt pedes Christi, eia divites affundite compassionis lachrymas. 2. *Capillis pedes Domini tergimus, quando Sanctis ejus, aut quibus ex charitate compatimur, ex his, quæ nobis superfluunt, miseremur.* 3. Oscula, denotant suavia verba & alloquia, benignos sermones. 4. Unguentum cum odore diffluens est symbolum Eleemosynæ; per hanc ungimus pedes, sive pauperes Christi Salvatoris.

§. 18. *Hic §. applaudit viris Misericordibus.* O terque quaterque beatam illam rempublicam in qua complures ejusmodi sunt Magdalenæ! volo dicere, in qua divitum oculi proni sunt atque effusi in pias compassionis lachrymas, in qua divites prolixos habent capillos beneficentiæ, & suavissima verborum oscula; & misericordiæ. Perpendite hoc animis vestris, Auditores, & certò vobis persuadete, si quam in pauperes confertis Eleemosynam, rigare vos pedes Salvatoris; deinde illos tergere capillis, imò & amoris oscula libare, & fragrantissimo charitatis oleo perfundere. Quo quadruplici motus beneficio, atque amoris actu Salvator, iisdem vos quondam spectabit oculis, quibus intuitus est abjectam ad suos pedes Magdalenam iisdem suos alloquetur verbis, eodem demulcebit solatio, eandem denique gratiam, & misericordiam impertiet.

§. 19. *Symbolum Cardin. Radzivilij.* Finio, & coronidis loco addo laudatissimam illam Cardinalis Radzivilii epigraphen, quam egregio suo symbolo subjunxit in hæc verba, *Et donis delicta piantur.* Inscriptæ legebantur hæ voces crepidini altaris, in quo oblatum Deo agnellum exhibebat.

Ita est, O divites, *Et donis delicta piantur*; & compassione, & affectu, & Eleemosynis. *Munera crede mihi placant, homines q́; Deos q́;.* Expiantur delicta precibus, fateor: expiantur Exomologesi sacra, non nego: expiantur jejuniis, ciliciis, flagellationibus, humiliationibus, atq; aliis pietatis Christianæ exercitiis: verum quam maximè, (potissimum, scelera divitum.) *Eleemosyna. Et donis delicta piantur.* Nam *Charitas*, teste scriptura sacra, illa præsertim Charitas, quæ inopum succurrit inopiæ, *operit multitudinem peccatorum.*



CONCIO XVIII.

DOMINICA JUDICA.

Quis ex vobis arguet me de peccato?
Joh. 8. v. 46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

HÆc Concio acriter invehitur in Sacrilege Confitentes, & Communicantes.

§. 1. *Quam perfecta debeat esse confessio Paschalis.*
§. 2. *Adducuntur illi potissimum, qui ajunt per illos renovari præcipuâ mysteria Passionis.*
§. 3. *Detestanda impietas sacrilegè communicantium.*
§. 4. *S. Cyprianus comparat eos lictoribus, qui vim intulerunt Corpori Christi.*
§. 5. *Prosecutio.*
§. 6. *S. Ambrosius eos adjungit illis, qui pedibus conculcarunt Christum.*
§. 7. *Ex mente S. Thomæ de Villa Nova repetunt blasphemias &c.*
§. 8. *Theodoretus vocat Crucifixores.*
§. 9. *Sacrilega communio est officina, in qua iterum cuduntur instrumenta Passionis.*
§. 10. *Sunt præterea similes Iudæis, sagis, &c.*
§. 11. *Varia historia.*
§. 12. *Applicantur ad sacrilege communicantes.*
§. 13. *Sunt immaniores bestiis.*
§. 14. *Pia apostrophe ad Iesum ut illis ignoscat,* quia nesciunt quid faciant.
§. 15. *Graves minæ super sacrilege communicantes.*

§. 1. Quam perfecta debeat esse Confessio Paschalis.

COnfessio paschalis, ad quam paucos intra dies omnes obligabit Christianos præceptum Ecclesiæ, tam debet esse pœnitens, tam integra, tam sincera, tam humilis denique & perfecta, ut illum, qui deinde ex alio Ecclesiæ præcepto ad sacram cupit synaxin accedere, in illo animæ statu collocet, ut ante Communionem ex hodierno Evangelio cum Christo Salvatore non immeritò dicere possit, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* saltem lethali, quod fecerim, & per confessionem in Sacramento pœnitentiæ non eluerim. Væ illi, qui ad sanctam Domini mensam audebit accedere, si illum Deus, si Angeli, si propria arguat conscientia de peccato graviore! hæc est

est illa materia, quam in meis ante paschalia festa Concionibus quot annis ferè tractare consuevi; nec sine optato fructu. Præsentem dividam in duas partes. In altera adducturus graves aliquot sanctorum Patrum sententias adversùm sacrilegè communicantes. In altera, similes illos esse Judæis, hæreticis, sagis, qui sanctissimam Eucharistiam frequenter horrendis tractârunt modis, ostendam. *O Sancte Spiritus*, illam, quæ in hac concione, & mihi & meis auditoribus est necessaria, gratiam concede, per merita Salvatoris nostri Jesu Christi, cui sit honor & gloria. Amen.

§. 2. *Adducuntur illi potissimiū, qui ajunt per illos renovari præcipua Mysteria Passionis.*

Ex sententiis sanctorum Patrum contra sacrilegè & indignè communicantes, illas tantùm selegi, quibus ostenderunt tales renovare præcipua sacrosanctæ passionis mysteria. Qui Christo Salvatori in infantia statim primus struxit insidias, impius fuit tyrannus Herodes, cruentus ille tot animularum innocentium latro, inter quas putavit se sublaturum è medio natum Regem Judæorum. Ait verò S. Chrysost. hom. 7. in c. 2. S. Matthæi; *Hujus similes sunt, qui indignè abutuntur communione mysterii; habent enim in se tyrannum regno Christi jugiter invidentem. Hic suos cultores* (sacrilegè communicantes) *simulat & mittit ad Christum* (ad sumendam Venerabilem hostiam) *ut specie, quidem adorare videantur.*

§. 3. *Detestanda impietas sacrilegè communicantium.*

Liceat hic nobis nonnihil interloqui S. Pater Chrysostome! Enimverò temperare mihi non possum ulterius, quin dum hæc tua pronuntio verba, in quorundam, fortassis etiam ex his præsentium execrandam malitiam, aliquantò acrius invehar, qui ut tyranno suo, à quo obsidentur, morem gerant diabolo, falso corde atque ore sacrilego Jesum in Venerabili Eucharistiæ Sacramento conveniunt, adorant, suspiciunt. Detestanda profectò est pietas illa, ita indignè sacro epulo vescentium, *si tamen pietas appellari meretur*, & non impietas potiùs, atque ut ante dixi malitia. Erit, erit illa quondam dies, quæ speciosam hanc fucatæ pietatis larvam removebit, à fronte, vultu, oculis atque animis: tùm sanè apparebit, cujus fuerint principis legati, cujus Regis satrapæ, cujus tyranni, nimirum Cacodæmonis pedissequi. Nam ut revertar ad D. Chrysost. hos ille devotulos simulat, hos ille sic fuco pietatis tingit, & pingit, hos ille sic ad speciem illustrat, hos sic induit ovinis pellibus, quos mittit ad Christum, *ut specie quidem adorare videantur, quantùm verò in ipsis est, interimant eum, quem adorare se simulant.* Tyranni itaque sunt indignè communicantes, novi sunt Herodes.

§. 4. *S. Cyprianus comparat lictoribus, qui vim intulerunt corpori Christi.*

S. Cyprianus ser. de lapsis ait: *qui faucibus adhuc exhalantibus suum scelus* (scilicet quod perpetrârunt per sacrilegam confessionem, vel illud peccatum, quod ex pudore vel pertinacia non volunt confiteri) *& contagia funesta redolentibus corpus domini invadunt. Vis enim infertur corpori & sanguini domini.* His verbis innuit S. Cyprianus, se habuisse præ oculis mysterium captivitatis Christi, in qua, data impia tessera proditorio osculo Judæ, milites & servi Pharisæorum invaserunt corpus Salvatoris, magna vi, furia & clamore. In incursu summam vim intulerunt Christo, imò injecerunt

dibrium poplite, amarulentis Christum convitiis prosciderunt; iisdem proscindit Jesum in Eucharistia impius comestor. Illi quasi histrioniam profiterentur, ridiculis illum gestibus salutarunt: *hic* idem facere non dubitat. *illi* purulentam saniem & sputa, & phlegma ejecerunt in faciem Jesu benedictam: *hic* easdem repetit injurias. *Illi* mutato nequiter ore, exserta lingua, confertis oculis atque invidia flagrantibus Christum aspexêrunt: similis est & *hujus* in eundem obtutus. *Illi* tanquam fatuum tractarunt eum, qui æterna est Sapientia: *non secùs facit sacrilegus comestor.*

Judæus expuens in faciem Jesu, & sacrilegè communicans fratres sunt.

Sed audiamus Theodoretum in illum locum S. Pauli, *quicunque &c. Hoc significat, quòd quemadmodum tradidit illum Iudas: ipsi autem insultaverunt, & cum probris & convitiis affecerunt; ita cum ignominia & dedecore afficiunt, qui sanctissimum ejus corpus immundis manibus, impollutum & incestum os immittunt.* Ad summum deniq; progreditur S. Petrus Damianus l. 4. ep. 14. *Qui dominicum corpus pollutis tractare manibus non veretur, crucifigentium Iesum particeps esse convincitur.*

§. 8. *Theodoretus vocat crucifixores.*

Fundamentum posuit in illo versu S. Pauli c. 6. v. 6. ad Hebr. *Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Hoc itaque peccato renovatur crucifixio. Hoc peccatum, sacrilega communio, est nova crux, cui sacrilegi hi, quantum in ipsis est, filium Dei, præcipue SS. in Eucharistia corpus, rursum affigunt.

§. 9. *Sacrilega communio est officina.*

Hoc indignè communicantium scelus triste illud est armamentarium, in quo crudelissima Dominicæ Passionis instrumenta sunt fabricata. In hoc denuò elaborantur tres illi clavi, qui rursum Salvator Jesu cruci affigatur. In hoc præparantur mallei, quibus clavi adigantur per sacros Christi pedes & manus. In hoc torquentur funes, & laquei, quibus distrahatur innocentissimum & virgineum corpus Jesu; in hoc cuditur immite Longini ferrum, quod latus referet Sacrosanctum, in hoc colligantur virgæ, nectuntur flagella, consuitur purpura, convolvuntur in coronam spinæ, aptatur in crucem fatalis arbor. Et non exclametur cum Tertulliano, *Prô scelus! semel Iudas Christo manus intulerunt, isti quotidie, corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ!* O res, O lingua! talis lingua meritò æternùm ardet in inferno. Ne miremini obsecro, me in iras consurgere, justas habet ira querelas. *Considera* (sunt verba S. Chrysost. hom. 60. ad pop.) *quantum adversus proditorem indignaris, & contra eos, qui illum crucifixerunt. Itaque considera, ne & tu quoque reus sis corporis & sanguinis Domini.* Haud satis scio Auditores, an hoc primo concionis meæ puncto, hoc sacro tempore Passionis contra sacrilegè communicantes, gravius quidquam dicere possim. *Dico* esse novos Herodes, Tyrannos novos crudelissimos, novos invasores & conculcatores corporis Christi: *Dico* illos renovare omnes injurias, blasphemias, & irrisiones Christo illatas. *Dico* esse novos crucifixores. Et hæc ex sanctis Patribus universa.

in qua cuduntur iterum instrumenta Pass. Patheticus locus.

Restat concionis pars altera. Pro cujus explicatione prima statim fronte significo sacrilegè communicantes esse similes hodiernis Judæis, Hæreticis & Magis,

§. 10. *Sunt præterea similes Iudæis, Sagis &c.*

Magis, Sagisque. Inter omnes homines nullos ferè magis detestamur, quàm Judæos, Hæreticos & Sagas: idque variis de causis, sed præcipuè ob hanc, quod sint jurati osores & persecutores sanctissimæ Eucharistiæ; eò quod sciamus, quibus injuriis affecerint & afficiant SS. hostiam.

De Judæis referunt historiæ, 1. quod coëmptas ab impiis Christianis hostias perforârint acubus & subulis; quodque sæpius ex his hostiis miraculosus sanguis effluxerit. 2. Subinde impii Judæi conciderunt illas cultris. Hoc contigit Bruxellis Anno 1369. 3. Rodingæ in Franconia Anno 1299. injecerunt sacram hostiam mortario, eamque, cum sanguine manare cœpisset, injecerunt cloacæ. 4. Parisiis anno 1290. imposuerunt Sartagini & cum colorem non mutaret, transfoderunt eam pugione: tum sanguis effluxit. 5. Alibi eas injecerunt in ardentes fornaces, nec tamen comburere potuerunt. Quis vel ob hanc unam causam maledictos Judæos non execratur? quis non maledicit?

§. 11. *Varia historia.* Habete patientiam sacrilegi: mox dicam aliqua, ad quæ aures tinnient, si vel scintilla timoris Dei in vobis est reliqua. Arguam vos mox de scelere gravissimo. De exasperatis Hæreticis, & Sacramentariis scimus, quod SS. Sacramento adhuc graviores injurias intulerint. Contigit (ne opus sit illa narrare, quæ annos centum hæresis, in Gallia, Belgio & Anglia patravit) ut sacras hostias ex ciboriis abjecerint in terram, & pedibus conculcârint, ut bestiis, canibus & equis devorandas abjecerint, ut sepeliverint in cloacis. Terribiliora adhuc peragere non verentur sagæ: confessæ sunt se à dæmone ad id coactas S. hostias conspuere, conculcare, projicere. In Italia impia saga anno 1273. hostiam assavit in prunis, cùm ecce tibi illa in carnem conversa sanguine stillavit: quo spectaculo territa furia, eam involvit linteo, & in fimo vicini stabuli sepelivit; ubi septem ipsos annos delituit quoad mirabiliter reperta fuit. Fuit in Italia sine dubio & ipse Magus, qui sacris hostiis usus fuit in litteris ad amasiam. Sunt hodie perditi nebulones qui illis utuntur, ne lædi possint. Horrent ad hæc aures piæ, & bonorum mentes non immeritò contremiscunt. Et cur non horrent illi, qui per sacrilegum Sacramentorum usum æquè graves injurias inferunt SS. Sacramento?

§. 12. *Applicantur ad sacrilege Communicantes.* Advertite animos, Auditores, horrendum est quod loquor, & credi vix posset, nisi dictis, pondus atque momentum adderent, SS. Patrum gravissimi quique. Indignè ad sacram synaxin, id est, animo peccati gravioris conscientia contaminato, neque in sacro pœnitentiæ tribunali, per sinceram veramque confessionem eluto accedere; aliud nihil est, quàm sacrum Christi corpus & sanguinem, *o immanitas!* acubus transfigere, cultris secare, pugionibus impetere, lædere, confodere, trucidare. *O tyrannis!* quis non exhorrescat? quis non hæc audiens totis artubus contremiscat? quodvis peccatum in confessione præ pudore, vel nequitia dissimulatum, *acus est, culter est, pugio est.* Indignè communicare, nil aliud est, quàm SS. hostiam injicere cloacæ S. Bern. *Qui mortiferi sceleris conscii præstantissimum*

sæculi

ſaculi pretium, in conſcientiæ ſuæ fœtidum ſterquilinium projiciunt. Indignè communicare, & SS. Sacramentum imponere mortario, contundere, projicere in ignem, imponere prunis & ſartagini; *idem ſunt* Cor talis impii eſt mortarium, eſt ſartago, & accenſa fornax. Quod ſi Chriſto Domino optio daretur; jacere humi, ſicut nudus jacuit in præſepio, vel in cruce: mallet ſine dubio hoc, quam in tam ſcelerato corde collocari.

§ 13. *Sunt immaniores beſtiis.* Horruiſtis præcipuè, cum ſacram retuli hoſtiam projectam ad beſtias. Idem fit in communione ſacrilega. De luxuria audiviſtis non rarò, quod in bruta convertat homines, quod eos varias transmutet in formas, in feles, in moloſſos, in lupos, hircos. Et tales beſtiæ, tales hirci, tales moloſſi, *O impietas!* audent diviniſſima profanare myſteria! audent Dei Vicarium Sacerdotem fraudulenter convenire; audent impurum os admovere convivio cœleſti! An non hoc eſt, S. hoſtiam ad beſtias abjicere, imò in antra ferarum, latibula ſordidiſſima, in tam ſordida pectora, quæ multiplices ſcelerum belluæ inhabitant.

Exeſte canes, lupi, tigrides, exeſte monſtra inferni neque enim veſtrum eſt, participes fieri panis illius Angelici veſtræ ſunt lautitiæ, ſordes: veſtræ epulæ, quisquiliæ: veſtra fercula, putrida ſunt oſſa cadaverum, non pretioſa caro, & ſanguis Chriſti Jeſu.

§. 14. *Pia Apoſtrophe ad Ieſum.* Judicate jam, an hi ſacrilegi non ſint ſimiles Judæis, Hæreticis, & Sagis, id eſt, oſores, contemptores, irriſores ſanctiſſimi Sacramenti: Proinde rei corporis & ſanguinis Domini, ut ſunt Judæi, Hæretici & Sagæ. O mi amantiſſime Salvator, permitte me uti tua oratiuncula, qua uſus es in cruce: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciant.* Ah mi Redemptor, tu ſcis an non ex hoc etiam numero ſint ejusmodi infelices animæ! ſi ſint, ah! miſerere, ignoſce, *da veniam mitiſſime Ieſu, quia neſciunt quid faciant;* vel certè neſcierunt hactenus, quantum ſit ſcelus indignè ſacram accedere Synaxin. Ignoraverunt, quòd iterum te pedibus calcarent, quòd violentas tibi manus & laqueos injicerent, quòd contemptui haberent ac ludibrio! *ah ignoſce!* Non ſibi perſuaſerunt tantum eſſe ſcelus, ſacro epulo ſe reficere mente non pura: non venit illis in mentem, quòd ſpinas iterum infigerent tuo capiti, quòd flagellis in te animadverterent cruentis, quòd ad mortem te condemnarent innocuum, quod in crucem agerent de novo. *Ah! ignoſce!* Per tua te vulnera rogo, *ignoſce.* *ut illis ignoſcat, quia neſciunt quid faciant.*

O Salvator, miſericordiam tuam pro illis obteſtor, non Juſtitiam; Clementiam, non Severitatem; Charitatem, non iram, quam ipſi neſcientes in ſe ultrò provocarunt.

Sic eſt, *amantiſſime Ieſu*, ſunt illi, qui tam audaces fuerunt, ut ori tuo cum Juda oſculum dederint, ideo miſericordia magna opus eſt. Ignoſce illis & miſerere, ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Ita ſunt illi, qui auſi fuerunt per indignam communionem ore ſacrilego comedere corpus, & bibere ſanguinem tuum. ideò, *Miſericordia!* O *Redemptor, ignoſce!*

§. 15. *Gravissima super Sacrilegè Communicantes.*

Si qui autem essent, qui hæc audiunt, sciunt, intelligunt, & tamen hoc paschali tempore rursum sacrilegi esse volunt epulatores & comestores corporis & sanguinis Christi, hi timeant justitiam. Quisquis talis est, audiat verba, quæ hodie adhuc legi in ferventi Concionatore gallico. Sic sonant:

Audite sacrilegi communicantes: *Testor Deum, testor vulnera Salvatoris, testor pretiosissimum ejus sanguinem; testor vindices Angelos, cœlum, elementa, & omnes creaturas*: graves fuerunt contumeliæ, blasphemiæ, irrisiones, Christo à Judæis illatæ; gravia illorum scelera, sed æquè gravia sunt sacrilegæ confessiones & communiones: Utinam vox mea penetraret aures non solùm vestras, sed & impias mentes atque animos in malo obstinatos! O crucifixores innocentis agni! *nostis*, quid impiis factum Judæis? *nostis*, quo modo vita fuerint defuncti? *nostis*, quibus illi sint addicti suppliciis? nempè atrocibus, horrendis, æternis. *Testor iterum Deum scelerum vindicem*; & vos eadem manent fata, eadem inferni tormenta, cruciatus iidem, nisi jam monitis meis, imò Christi Jesu, vos ad pœnitentiam ultima forsan vice invitantis, acquiescitis.



CONCIO XIX.

DOMINICA PALMARUM.

Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Matth. 21. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AFferuntur variæ causæ, ob quas Christus D. cum tanto triumpho voluit ingredi Jerosolymam.

§. 1. *Cur ultima septimana Quadragesima vocetur magna.*

§. 2. *Prima causa est ut ostendat se Filium Dei.*

§. 3. *Hic triumphus fuit opus Dei.*

§. 4. *Causa 2. Sic impleta fuit pulchra figura.*

§. 5. *Causa 3. Sic fuit impleta figura filiæ Iephte cum lætitia euntis ad mortem.*

§. 6. *Prosecutio.*

§. 7. *Prosopopæja Filiæ animantis Patrem.*

§. 8.

§. 1. *Cur ultima septimana quad. vocetur Magna?*

IN *magnam Hebdomadam pervenimus Dei gratia* inquit hom. in Gen. D. Chrysostomus. Magnam autem vocamus, non quod plures dies contineat, sed quia magna & ineffabilia mysteria, atque beneficia in illa, in humani generis bonum atque commodum peracta sunt. In illa solutum tandem est diuturnum bellum, extincta est mors; maledictio interempta, Diaboli tyrannis sublata, vasa Diaboli direpta; Deus hominibus reconciliatus, cœlum factum penetrabile, verbo, *Hebdomas, qua Deus pacis pacifica fecit omnia, in cœlis & in terra.* Hebdomadam magnam ordimur, quia in illa magnam Dei misericordiam sumus experti; quia magna patuit ejus justitia, ad Rom. 3. v. 25. *quem proposuit Deus propitiationem, ad ostensionem justitiæ suæ.* Majorem item charitatem nobis exhibere non potuit, qua se in mortem crucis obtulit Patri pro inimicis. Accedunt magna prodigia, quæ feria sexta hujus Hebdomadæ videbimus. Obscurabitur sol, luna non dabit splendorem suum, concutientur montes, dissilient petræ, movebuntur saxa, &c. Magnam sine dubio Hebdomadam ingredimur, qua magnus Dei Filius in cruce pro nobis morietur. *Itaque* (S. Bern. ser. 4. hujus Hebd.) *vigilate fratres, ne infructuosè nos hujus temporis Sacramenta pertranseant præparemus nos, ut Christo patienti compati videamur. Quis enim tam irreligiosus, qui hac septimana non compungatur? quis tam iracundus, ut non indulgeat? quis tam flagitiosus, ut non contineat? quis tam malitiosus ut non pœniteat illis diebus?* Magnam denique septimanam aggredimur, quia magno triumpho illam Salvator noster exorsus est. Quali pompa hodierna die urbem Jerosolymam sit ingressus, audivistis in Evangelio; ego hac Concione quinque vobis causas proponam; ob quas filius Dei tam glorioso triumpho Passioni suæ præludere decreverit.

§. 2. *Prima causa est, ut ostendat se Filium Dei.*

Voluit inprimis Salvator noster hodierno triumpho, & gloriosissimo ingressu in urbem, declarare suam omnipotentiam, & ostendere se esse Filium Dei. Si Origeni credimus & S. Thomæ; fuit hic triumphus omnium mirabilium, quæ fecit, prodigium mirabilissimum constabat in urbe odium Principum, Sacerdotum invidia, Scribarum & Pharisæorum furor adversus Jesum: jam collegerant concilium, ut ipsum interficerent, lataque erat sententia

tiores, eo & liberaliores eos esse oporteret in pauperes. Felix est respublica, beata civitas, in qua sunt divites; sunt illi gloria, & urbis decus. *Si tamen liberales in egnos, si munifici, si patres inopum extiterint.*

§.9. *Liberalitas Alexandri Severi.*

De Alexandro Severo dixit Lampridius: *amabilis, comis erat, ita ut posceret quisq; quod vellet.* Probabile est, non concessisse omnia; ut ut sit, benignè tamen semper respondit. Ille dives laudandus est, à quo pauperes, inopes, viduæ, pupilli, audent aliquid petere. Si fieri potest, exaudiant preces; si non, sint saltem amabiles & comes in responsis. Vultum benignum, benignos oculos, linguam dulcem erga pauperes, in divitibus requiro.

§.10. *Qualis Christus D. fuit in transfiguratione, tales debent esse divites in rep.*

Quales esse debeant, discant à Christo D. Hic Matth. 17. v. 4. transfiguratur in monte Thabor. Inter alia ait textus, *Resplenduit facies ejus, sicut sol.* Colligo ex his verbis, faciem Christi fuisse planè irradiatam, sed tamen ita ut agnosceretur à discipulis facies, ut notaretur illa vultus reluceret suavitas. Paschasius l. 8. in Matth. *Sic temperavit divina Majestas hujus visionis formam, ut & mirabilis esset visio, qua divinitas prædicaretur in Christo & humanus eam mortalium ferre posset visus.* Et explicat. *Transformatio claritatem addidit ex majestate divinitatis, sed faciem non subtraxit humanitatis.* Christus D. Sol fuit, sed cum amabili facie. Sic ex hoc loco in mea materia discurro. Cœlum est quoddam politicum, Respublica. Huic cœlo sua sunt astra, sui planetæ, sua luna, suus sol. Sol est dives. (nam de aliis modò non dissero sideribus) sed facies debet esse pulchra, nitida, serena, amabilis. O divites, qui caperata semper fronte, immiti supercilio, vultu ad severitatem composito & Catoniano, pauperes intuemini! O ingrati soles, à quibus tam inclementes radii vibrantur! quorum aspectum horrent viduæ, cum eo refici deberent atque oblectari. Benignissimum se ostendit summa sua in gloria, in maxima majestate humillimum, in splendore serenissimo clementissimum Salvatorem, nos cum primum ad gloriam aliquam, atque splendorem elevati fulgemus, immites erimus? austeri, torvi, immisericordes, ne dicam sæpè etiam crudeles & impii. Aliud nos docet æterna Sapientia.

De Tito Cæsare probati referunt auctores Suetonius & Tacitus, quod tantæ fuerit suavitatis Imperator, ut appellari meruerit, *Deliciæ orbis.* Nemo ab illo recedebat tristis. De Stilicone cecinit Claudianus, §. 11. *Titus Cæsar, cur Delicium Orbis.*

Non sic virginibus flores, non frugibus imbres, Ut tuus aspectus populo. *Laus aliorum Imperatorum.*

Sed & alii tyranni, Reges barbari, dicti sunt *terror orbis.* De Attila Rege Asiæ dixit Seneca, *Salutantem silentio, & vultu arrogantis transiens.* Tacitus de Nerone, *Minax voce, vultu, oculis inardescens.* Suetonius de Imperatore Claudio: *ira spumante rictu, tumentibus naribus.* Plinius de Juliano: *truculentus affectu & vultu.*

Differentiam, quam cernitis inter Imperatores ego invenio inter divites alicujus urbis. Sunt aliqui ob suam erga pauperes amabilitatem, illorum deliciæ. *Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,* ut illorum aspectus egenis. §. 12. *Applicatio.*

Nam

Nam (S. Ambrosius,) *popularis & grata omnibus est bonitas, nihilq; quod tantopere illabatur humanis sensibus: incredibile est, quantū procedit ad cumulum dilectionis.* De Davide idem Ambr. *Charus erat omnibus, ita sibi gratis officiis plebem obligabat.* Talis David est ille Nobilis, ille Advocatus, ille Doctor, ille mercator; gratus pauperibus, quos gratis officiis, & liberalibus eleemosynis sibi obligat.

Sed quosnam de aliis audimus Sermones? nunquid, hic judex est terror pauperum? Nunquid ille procurator pauperes vultu arroganti transit? nunquid ille dives minax voce, vultu, oculis inardescens? nunquid ille mercator, ira spumante rictu, tumentibus naribus, nunquid? ille truculentus aspectu & vultu! Ingratis omnibus! Nunquid?

§. 13. *Quales divites sunt erga pauperes: talis erit Iudex Christus erga illos. Vt patet in Lazaro & Epulone.* Agedum audite! quales modo estis erga pauperes, talis vobis in illa die erit tremendus judex. Terror vester, minax ore, oculis inardescens. Rem clarius in exemplo spectabitis, Luc. 16. 21. de divitis illius epulonis in Lazarum immisericordia nemini non constat: imò tam duri fuit pectoris atque immitis, (quod exponunt nonnulli) ut canes etiam adversum Lazarum irritarit. Sed, videte mihi lugubrem hujus tragœdiæ catastrophen! Sedet paulo post in flammis epulo. Ita fit; qui prius jacebat in plumis & purpura, nunc igneo volutatur in lecto. *Mirabilis catastrophe.* Quid præterea? guttam aquæ postulat. A quo? à Lazaro. Cur, ita mi epulo? *quia crucior in hac flamma.* O te infelicem! guttulam rogas? *at non impetrabis.* Clama, roga, insta, vociferare: *non impetrabis.* Funde lachrymas sanguineas: *non impetrabis.* Implora divinam clementiam: *non impetrabis.* Abrahamum sollicita: *non impetrabis.* Abraham, Auditores, judicem nobis repræsentat Christum. Erit cùm in agone quasi medius inter flammas versabitur Cræsus aliquis, & dives immisericors; rogabit guttulam Sanguinis Christi Jesu; hæc enim sufficeret: *at non impetrabis.* Convertet se ad sinum Abrahæ, ad vulnera Christi: *repelletur.* Emendicabit solatium ab Angelis; *irridebitur.* Implorabit opem Reginæ cœlitum: *non agnoscetur à matre misericordiæ, filius tam degener & immisericors*; audire cogetur tremenda illa verba Salvatoris, Matth. 25. v.12. *Nescio vos, clausa est janua,* S. 71. *Homo tu tibi misericordiæ factus es ipse mensura; quantum quaris misericordiæ, tantum fac.*

Audivistis sæpius v. 3. c. 2. Cant. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ. Sicut malus inter ligna silvarum.* §. 14. *Divites cur spina.* Advertit Aponius in hoc loco fieri mentionem mali, liliorum, & spinarum, & ait esse sermonem de divitibus alicujus urbis. Pulchra arbor est malus, pulchros simul progenerat fructus. Ejusmodi arbor est dives misericors. Poma, sunt opera charitatis. Flos elegans est liliū; sed sine fructu. Nitet ut lilium avarus dives, sed ubi fructus? ubi charitas? ubi amor? ubi beneficentia? *apage lilium,* quod colore tantùm præstas amabili, non fructibus. *Apage dives,* cui solus est decor in nomine, non in charitate. *Et spinæ suos habent flores.* Quid flos sine fructu? quid sine rosis spineta? non recreant, sed lacerant; non fructificant sed vexant; pungunt non ungunt. En genuinam di-

vitum avarorum imaginem! sed quorum finis est mitti in clibanum ardentem, in ignes, in flammas, in infernum.

§. 15. *Locus ex S. Paulo c. 10. ad Hebr.* Repeto quod ante insinuavi. Si divites volunt, ut Christus Judex in angustiis mortis compatiatur, prius ipsi compati debent. S. Paulus ad Hebr. 10. v. 30. *Mihi vindicta, & ego retribuam. Iudicabit Dominus populum suum: horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Perinde acsi diceret Apostolus, Erit ò divites, erit cùm adversum vos clamabunt vindictam peccata, cum suas vires fraudesque, & mille nocendi artes expromet Diabolus, cùm repentino vos obruet fato calamitas. Quid erit animi? quid spei miseris? respondet Apostolus; *Rememoramini pristinos dies*: dicite, an inopum egistis causam? an pauperum sublevastis inopiam? *Rememoramini, & videte an vinctis compassi estis*; an & *socii taliter conversantium* (in mœrore scilicet, angustia & paupertate) *effecti fueritis.*

Quod si hujus rei vos solatur memoria, salva sunt omnia; macti animis, neque enim est, quod pertimescant rigidum, clementes: inhumanum, benevoli. Nam & vobis compatietur Christus; & vestram in se suscipiet causam; vestram, Misericordia sublevabit inopiam. Sin minus! timete atque expavescite. *Qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quantum vis misericordia, tantum fac.*

§. 16. *Misericordia nostra erit mensura misericordia divina* Aliter hæc verba explicat S. Chrysostomus Hom. 11. in cap. 4. ad Coloss. *Itaq; ne hoc exiguum fuerit, si quando ad sanctos* (pauperes, egenos, tristes) *consolati fuerimus; & nostra præsentia, & comitatu, & sermone, & officii sedulitate consolati, sicq; simul cum illis afflicti fuerimus. Vinctu enim compassi estis, tanquam ipsi simul vincti. Si quando afflictiones illorum nostras fecerimus, coronarum etiam consortes erimus.* Sic explico: Est aliqua v. g. vidua, quam opprimunt omnes, omnes despiciunt, omnes habent ludibrio atque contemptui. Illa interim cum Jesu gaudet in spinis, exultat in flagellis, delectatur in cruce: non quòd dolores non sentiat aut cruciatus; sed quod eas amore Jesu æquo semper animo, vultuque scit tolerare. Est è contrario dives quispiam, cui omnia fluunt è voto, quem nulla flagellat adversitas, nullus unquam dolor invadit. Sed an ideo dicendus felix? nequaquam sanè: nisi erga hanc viduam ostendat commiserationis affectum, nisi illius causam amore Christi suscipiat ac tueatur, nisi deploratam ejus conditionem modis omnibus sublevare conetur, nisi consoletur, nisi sua præsentia & sermone compatiatur; nisi simul cum illa affligatur, nisi pauperum afflictiones suas faciat. Id si fecerit, enimverò tum appellabo & exclamabo felicem, & pretiosissimæ, quam sibi vidua patientiæ laude illustris nectit, in cœlis coronæ participem.

Restat locus adhuc pulcherrimus, ex quo divitibus ostendam, quales eos esse desiderem. Luc. 7. v. 38. dicitur de Magdalena. *Stans retro secus pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Quatuor laudantur in Magdalena. 1. *S. lachrymis rigavit pedes Iesu.* Advertoex vestris oculis Audit. idem hoc sacro tempore facere desideratis. *p. 2. Capillis tersit. 3. pia & dulcia* §. 17. *Quales debeant esse divites in rep. exemplo S. Mariæ Magdalenæ.*


SS. pe-

SS. pedibus dedit oscula. Et mihi peccatori mi Jesu permitte, ut idem piis affectibus faciam. 4. *unguenta adhibuit.* Nemini negatur suum erga Salvatorem affectum similibus obsequiis declarare: præ aliis tamen feliciores sunt divites. S. Gregorius apud D. Thomam inculcat, hunc locum elegantissimè explicans de Misericordibus, sic ait 1. *lachrymis pedes Domini rigamus, si quibuslibet ultimis membris Domini compassionis affectu inclinemur.* Pauperes ergo sunt pedes Christi, eia divites affundite compassionis lachrymas. 2. *Capillis pedes Domini tergimus, quando Sanctis ejus, aut quibus ex charitate compatimur, ex his, quæ nobis superfluunt, miseremur.* 3. Oscula, denotant suavia verba & alloquia, benignos sermones. 4. Unguentum cum odore diffluens est symbolum Eleemosynæ; per hanc ungimus pedes, sive pauperes Christi Salvatoris.

§. 18. *Hic §. applaudit viris Misericordibus.* O terque quaterque beatam illam rempublicam in qua complures ejusmodi sunt Magdalenæ! volo dicere, in qua divitum oculi proni sunt atque effusi in pias compassionis lachrymas, in qua divites prolixos habent capillos beneficentiæ, & suavissima verborum oscula; & misericordiæ. Perpendite hoc animis vestris, Auditores, & certò vobis persuadete, si quam in pauperes confertis Eleemosynam, rigare vos pedes Salvatoris; deinde illos tergere capillis, imò & amoris oscula libare, & fragrantissimo charitatis oleo perfundere. Quo quadruplici motus beneficio, atque amoris actu Salvator, iisdem vos quondam spectabit oculis, quibus intuitus est abjectam ad suos pedes Magdalenam iisdem suos alloquetur verbis, eodem demulcebit solatio, eandem denique gratiam, & misericordiam impertiet.

Finio, & coronidis loco addo laudatissimam illam Cardinalis Radzivilii epigraphen, quam egregio suo symbolo subjunxit in hæc verba, *Et donis delicta piantur.* Inscriptæ legebantur hæ voces crepidini altaris, in quo oblatum Deo agnellum exhibebat. §. 19. *Symbolum Cardin. Radzivilij.*

Ita est, O divites, *Et donis delicta piantur*; & compassione, & affectu, & Eleemosynis. *Munera crede mihi placant, hominesq; Deosq;.* Expiantur delicta precibus, fateor: expiantur Exomologesi sacra, non nego: expiantur jejuniis, ciliciis, flagellationibus, humiliationibus, atq; aliis pietatis Christianæ exercitiis: verum quam maximè, (potissimum, scelera divitum.) *Eleemosyna. Et donis delicta piantur.* Nam *Charitas*, teste scriptura sacra, illa præsertim Charitas, quæ inopum succurrit inopiæ, *operit multitudinem peccatorum.*



CONCIO XVIII.

DOMINICA JUDICA.

Quis ex vobis arguet me de peccato?
Joh, 8. v.46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

HÆc Concio acriter invehitur in Sacrilege Confitentes, & Communicantes.

§. 1. *Quam perfecta debeat esse confessio Paschalis.*

§. 2. *Ad ducuntur illi potissimum, qui ajunt per illos renovari præcipuâ mysteria Passionis.*

§. 3. *Detestanda impietas sacrilegè communicantium.*

§. 4. *S. Cyprianus comparat eos lictoribus, qui vim intulerunt Corpori Christi.*

§. 5. *Prosecutio.*

§. 6. *S. Ambrosius eos adjungit illis, qui pedibus conculcarunt Christum.*

§. 7. *Ex mente S. Thomæ de Villa Nova repetunt blasphemias &c.*

§. 8. *Theodoretus vocat Crucifixores.*

§. 9. *Sacrilega communio est officina, in qua iterum cuduntur instrumenta Passionis.*

§. 10. *Sunt præterea similes Iudæis, sagis, &c.*

§. 11. *Varia historia.*

§. 12. *Applicantur ad sacrilege communicantes.*

§. 13. *Sunt immaniores bestiis.*

§. 14. *Pia apostrophe ad Iesum ut illis ignoscat,* quia nesciunt quid faciant.

§. 15. *Graves minæ super sacrilege communicantes.*

§. 1. *Quam perfecta debeat esse Confessio Paschalis.*

COnfessio paschalis, ad quam paucos intra dies omnes obligabit Christianos præceptum Ecclesiæ, tam debet esse pœnitens, tam integra, tam sincera, tam humilis denique & perfecta, ut illum, qui deinde ex alio Ecclesiæ præcepto ad sacram cupit synaxin accedere, in illo animæ statu collocet, ut ante Communionem ex hodierno Evangelio cum Christo Salvatore non immeritò dicere possit, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* saltem lethali, quod fecerim, & per confessionem in Sacramento pœnitentiæ non eluerim. Væ illi, qui ad sanctam Domini mensam audebit accedere, si illum Deus, si Angeli, si propria arguat conscientia de peccato graviore! hæc est

est illa materia, quam in meis ante paschalia festa Concionibus quot annis ferè tractare consuevi; nec sine optato fructu. Præsentem dividam in duas partes. In altera adducturus graves aliquot sanctorum Patrum sententias adversùm sacrilegè communicantes. In altera, similes illos esse Judæis, hæreticis, sagis, qui sanctissimam Eucharistiam frequenter horrendis tractârunt modis, ostendam. *O Sancte Spiritus*, illam, quæ in hac concione, & mihi & meis auditoribus est necessaria, gratiam concede, per merita Salvatoris nostri Jesu Christi, cui sit honor & gloria. Amen.

§ 2. *Adducuntur illi potissimũ, qui ajunt per illos renovari præcipua Mysteria Passionis.*

Ex sententiis sanctorum Patrum contra sacrilegè & indignè communicantes, illas tantùm selegi, quibus ostenderunt tales renovare præcipua sacrosanctæ passionis mysteria. Qui Christo Salvatori in infantia statim primus struxit insidias, impius fuit tyrannus Herodes, cruentus ille tot animularum innocentium latro, inter quas putavit se sublaturum è medio natum Regem Judæorum. Ait verò S. Chrysost. hom. 7. in c. 2. S. Matthæi; *Hujus similes sunt, qui indignè abutuntur communione mysterii; habent enim in se tyrannum regno Christi jugiter invidentem. Hic suos cultores* (sacrilegè communicantes) *simulat & mittit ad Christum* (ad sumendam Venerabilem hostiam) *ut specie, quidem adorare videantur.*

§. 3. *Detestanda impietas sacrilegè communicantium.*

Liceat hic nobis nonnihil interloqui S. Pater Chrysostome! Enimverò temperare mihi non possum ulterius, quin dum hæc tua pronuntio verba, in quorundam, fortassis etiam ex his præsentium execrandam malitiam, aliquantò acrius invehar, qui ut tyranno suo, à quo obsidentur, morem gerant diabolo, falso corde atque ore sacrilego Jesum in Venerabili Eucharistiæ Sacramento conveniunt, adorant, suspiciunt. Detestanda profectò est pietas illa, ita indignè sacro epulo vescentium, *si tamen pietas appellari mereatur*, & non impietas potiùs, atque ut ante dixi malitia. Erit, erit illa quondam dies, quæ speciosam hanc fucatæ pietatis larvam removebit, à fronte, vultu, oculis atque animis: tùm sanè apparebit, cujus fuerint principis legati, cujus Regis satrapæ, cujus tyranni, nimirum Cacodæmonis pedissequi. Nam ut revertar ad D. Chrysost. hos ille devotulos simulat, hos ille sic fuco pietatis tingit, & pingit, hos ille sic ad speciem illustrat, hos sic induit ovinis pellibus, quos mittit ad Christum, *ut specie quidem adorare videantur, quantùm verò in ipsis est, interimant eum, quem adorare se simulant.* Tyranni itaque sunt indignè communicantes, novi sunt Herodes.

§. 4. *S. Cyprianus comparat lictoribus, qui vim intulerunt corpori Christi.*

S. Cyprianus ser. de lapsis ait: *qui faucibus adhuc exhalantibus suum scelus* (scilicet quod perpetrârunt per sacrilegam confessionem, vel illud peccatum, quod ex pudore vel pertinacia non volunt confiteri) *& contagia funesta redolentibus corpus domini invadunt. Vis enim infertur corpori & sanguini domini.* His verbis innuit S. Cyprianus, se habuisse præ oculis mysterium captivitatis Christi, in qua, data impia tessera proditorio osculo Judæ, milites & servi Pharisæorum invaserunt corpus Salvatoris, magna vi, furia & clamore. In incursu summam vim intulerunt Christo, imò injecerunt

dibrium poplite, amarulentis Christum convitiis prosciderunt; iisdem proscindit Jesum in Eucharistia impius comestor. Illi quasi histrioniam profiterentur, ridiculis illum gestibus salutarunt: *hic* idem facere non dubitat. *illi* purulentam saniem & sputa, & phlegma ejecerunt in faciem Jesu benedictam: *hic* easdem repetit injurias. *Illi* mutato nequiter ore, exserta lingua, confertis oculis atque invidia flagrantibus Christum aspexêrunt: similis est & *hujus* in eundem obtutus. *Illi* tanquam fatuum tractarunt eum, qui æterna est Sapientia: *non secùs facit sacrilegus comestor.*

Judas exspuens in faciem Jesu, & sacrilegè communicans fratres sunt.

Sed audiamus Theodoretum in illum locum S. Pauli, *quicunque &c. Hoc significat, quòd quemadmodum tradidit illum Judas: ipsi autem insultaverunt, & eum probris & convitiis affecerunt; ita eum ignominia & dedecore afficiunt, qui sanctissimum ejus corpus immundis manibus, impollutum & incestum os immittunt.* Ad summum deniq; progreditur S. Petrus Damianus l. 4. ep. 14. *Qui dominicum corpus pollutus tractare manibus non veretur, crucifigentium Iesum particeps esse convincitur.*

§. 8. *Theodoretus vocat crucifixores.*

Fundamentum posuit in illo versu S. Pauli c. 6. v. 6. ad Hebr. *Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Hoc itaque peccato renovatur crucifixio. Hoc peccatum, sacrilega communio, est nova crux, cui sacrilegi hi, quantum in ipsis est, filium Dei, præcipue SS. in Eucharistia corpus, rursum affigunt.

§. 9. *Sacrilega communio est officina.*

Hoc indignè communicantium scelus triste illud est armamentarium, in quo crudelissima Dominicæ Passionis instrumenta sunt fabricata. In hoc denuò elaborantur tres illi clavi, qui rursum Salvator Jesu cruci affigatur. In hoc præparantur mallei, quibus clavi adigantur per sacros Christi pedes & manus. In hoc torquentur funes, & laquei, quibus distrahatur innocentissimum & virgineum corpus Jesu, in hoc cuditur immite Longini ferrum, quod latus referet Sacrosanctum, in hoc colligantur virgæ, nectuntur flagella, consuitur purpura, convolvuntur in coronam spinæ, aptatur in crucem fatalis arbor. Et non exclametur cum Tertulliano, *Prô scelus! semel Iudas Christo manus intulerunt, isti quotidie, corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ!* O res, O lingua! talis lingua meritò æternùm ardet in inferno. Ne miremini obsecro, me in iras consurgere, justas habet ira querelas. *Considera* (sunt verba S. Chrysost. hom. 60. ad pop.) *quantum adversus proditorem indignaris, & contra eos, qui illum crucifixerunt. Itaque considera, ne & tu quoque reus sis corporis & sanguinis Domini.* Haud satis scio Auditores, an hoc primo concionis meæ puncto, hoc sacro tempore Passionis contra sacrilegè communicantes, gravius quidquam dicere possim. *Dico* esse novos Herodes, Tyrannos novos crudelissimos, novos invasores & conculcatores corporis Christi: *Dico* illos renovare omnes injurias, blasphemias, & irrisiones Christo illatas. *Dico* esse novos crucifixores. Et hæc ex sanctis Patribus universa.

in qua renduntur iterum instrumenta Pass.

Patheticus locus.

Restat concionis pars altera. Pro cujus explicatione prima statim fronte significo sacrilegè communicantes esse similes hodiernis Judæis, Hæreticis &

§ 10. *Sunt præterea similes hodiernis Judæis, Hæreticis & Magis.*

Magis, &c.

Magis, Sagisque. Inter omnes homines nullos ferè magis detestamur, quàm Judæos, Hæreticos & Sagas: idque variis de causis, sed præcipuè ob hanc, quod sint jurati osores & persecutores sanctissimæ Eucharistiæ; eò quod sciamus, quibus injuriis affecerint & afficiant SS. hostiam.

De Judæis referunt historiæ, 1. quod coëmptas ab impiis Christianis hostias perforârint acubus & subulis; quodque sæpius ex his hostiis miraculosus sanguis effluxerit. 2. Subinde impii Judæi conciderunt illas cultris. Hoc contigit Bruxellis Anno 1369. 3. Rodingæ in Franconia Anno 1299. injecerunt sacram hostiam mortario, eamque, cum sanguine manare cœpisset, injecerunt cloacæ. 4. Parisiis anno 1290. imposuerunt Sartagini & cum colorem non mutaret, transfoderunt eam pugione: tum sanguis effluxit. 5. Alibi eas injecerunt in ardentes fornaces, nec tamen comburere potuerunt. Quis vel ob hanc unam causam maledictos Judæos non execratur? quis non maledicit?

§. 11. *Varia historia.* Habete patientiam sacrilegi: mox dicam aliqua, ad quæ aures tinnient, si vel scintilla timoris Dei in vobis est reliqua. Arguam vos mox de scelere gravissimo. De exasperatis Hæreticis, & Sacramentariis scimus, quod SS. Sacramento adhuc graviores injurias intulerint. Contigit (ne opus sit illa narrare, quæ annos centum hæresis, in Gallia, Belgio & Anglia patravit) ut sacras hostias ex ciboriis abjecerint in terram, & pedibus conculcârint, ut bestiis, canibus & equis devorandas abjecerint, ut sepeliverint in cloacis. Terribiliora adhuc peragere non verentur sagæ: confessæ sunt se à dæmone ad id coactas S. hostias conspuere, conculcare, projicere. In Italia impia saga anno 1273. hostiam assavit in prunis, cùm ecce tibi illa in carnem conversa sanguine stillavit: quo spectaculo territa furia, eam involvit linteo, & in fimo vicini stabuli sepelivit; ubi septem ipsos annos delituit quoad mirabiliter reperta fuit. Fuit in Italia sine dubio & ipse Magus, qui sacris hostiis usus fuit in litteris ad amasiam. Sunt hodie perditi nebulones qui illis utuntur, ne lædi possint. Horrent ad hæc aures piæ, & bonorum mentes non immeritò contremiscunt. Et cur non horrent illi, qui per sacrilegum Sacramentorum usum æquè graves injurias inferunt SS. Sacramento?

Advertite animos, Auditores, horrendum est quod loquor, & credi vix posset, nisi dictis, pondus atque momentum adderent, SS. Patrum gravissimi quique. Indignè ad sacram synaxin, id est, animo peccati gravioris conscientia cotaminato, neque in sacro pœnitentiæ tribunali, per sinceram veramque confessionem eluto accedere; aliud nihil est, quàm sarrum Christi corpus & sanguinem, *o immanitas!* acubus transfigere, cultris secare, pugionibus impetere, lædere, confodere, trucidare. *O tyrannis!* quis non exhorrescat? quis non hæc audiens totis artubus contremiscat? quodvis peccatum in confessione præ pudore, vel nequitia dissimulatum, *acus est, culter est, pugio est.* Indignè communicare, nil aliud est, quàm SS. hostiam injicere cloacæ S. Bern. *Qui mortiferi sceleris conscii præstantissimum* *§. 12. Applicantur ad sacrilege Communicantes.*

sæculi

sæculi pretium, in conscientiæ suæ fœtidum sterquilinium projiciunt. Indignè communicare, & SS. Sacramentum imponere mortario, contundere, projicere in ignem, imponere prunis & sartagini; *idem sunt.* Cor talis impii est mortarium, est sartago, & accensa fornax. Quod si Christo Domino optio daretur; jacere humi, sicut nudus jacuit in præsepio, vel in cruce: mallet sine dubio hoc, quam in tam scelerato corde collocari.

§. 13. *Sunt immaniores bestiis.* Horruistis præcipuè, cum sacram retuli hostiam projectam ad bestias. Idem fit in communione sacrilega. De luxuria audivistis non raro, quod in bruta convertat homines, quod eos varias transmutet in formas, in feles, in molossos, in lupos, hircos. Et tales bestiæ, tales hirci, tales molossi, *O impietas!* audent divinissima profanare mysteria! audent Dei Vicarium Sacerdotem fraudulenter convenire; audent impurum os admovere convivio cœlesti! An non hoc est, S. hostiam ad bestias abjicere, imò in antra ferarum, latibula sordidissima, in tam sordida pectora, quæ multiplices scelerum belluæ inhabitant.

Exeste canes, lupi, tigrides, exeste monstra inferni neque enim vestrum est, participes fieri panis illius Angelici vestræ sunt lautitiæ, sordes: vestræ epulæ, quisquiliæ: vestra fercula, putrida sunt ossa cadaverum, non pretiosa caro, & sanguis Christi Jesu.

§. 14. *Pia Apostrophe ad Iesum.* Judicate jam, an hi sacrilegi non sint similes Judæis, Hæreticis, & Sagis, id est, osores, contemptores, irrisores sanctissimi Sacramenti: Proinde rei corporis & sanguinis Domini, ut sunt Judæi, Hæretici & Sagæ. O mi amantissime Salvator, permitte me uti tua oratiuncula, qua usus es in cruce: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciant.* *ut illis ignoscat, quia nesciunt quid faciant.* Ah mi Redemptor, tu scis an non ex hoc etiam numero sint ejusmodi infelices animæ! si sint, ah! miserere, ignosce, *da veniam mitissime Iesu, quia nesciunt quid faciant;* vel certè nescierunt hactenus, quantum sit scelus indignè sacram accedere Synaxin. Ignoraverunt, quòd iterum te pedibus calcarent, quòd violentas tibi manus & laqueos injicerent, quòd contemptui haberent ac ludibrio! *ah ignosce!* Non sibi persuaserunt tantum esse scelus, sacro epulo se reficere mente non pura: non venit illis in mentem, quòd spinas iterum infigerent tuo capiti, quòd flagellis in te animadverterent cruentis, quòd ad mortem te condemnarent innocuum, quod in crucem agerent de novo. *Ah! ignosce!* Per tua te vulnera rogo, *ignosce.*

O Salvator, misericordiam tuam pro illis obtestor, non Justitiam; Clementiam, non Severitatem; Charitatem, non iram, quam ipsi nescientes in se ultrò provocarunt.

Sic est, *amantissime Iesu*, sunt illi, qui tam audaces fuerunt, ut ori tuo cum Juda osculum dederint, ideo misericordia magna opus est. Ignosce illis & miserere, secundùm magnam misericordiam tuam. Ita, sunt illi, qui ausi fuerunt per indignam communionem ore sacrilego comedere corpus, & bibere sanguinem tuum. ideò, *Misericordia! O Redemptor, ignosce!*

§. 1. Cur ultima septimana quad. vocetur Magna?

IN *magnam Hebdomadam pervenimus Dei gratia* inquit hom. in Gen. D. Chrysostomus. Magnam autem vocamus, non quod plures dies contineat, sed quia magna & ineffabilia mysteria, atque beneficia in illa, in humani generis bonum atque commodum peracta sunt. In illa solutum tandem est diuturnum bellum, extincta est mors; maledictio interempta, Diaboli tyrannis sublata, vasa Diaboli direpta; Deus hominibus reconciliatus, cœlum factum penetrabile, verbo, *Hebdomas, qua Deus pacis pacifica fecit omnia, in cœlis & in terra.* Hebdomadam magnam ordimur, quia in illa magnam Dei misericordiam sumus experti; quia magna patuit ejus justitia, ad Rom. 3. v. 25. *quem proposuit Deus propitiationem, ad ostensionem justitia sua.* Majorem item charitatem nobis exhibere non potuit, qua se in mortem crucis obtulit Patri pro inimicis. Accedunt magna prodigia, quæ feria sexta hujus Hebdomadæ videbimus. Obscurabitur sol, luna non dabit splendorem suum, concutientur montes, dissilient petræ, movebuntur saxa, &c. Magnam sine dubio Hebdomadam ingredimur, qua magnus Dei Filius in cruce pro nobis morietur. *Itaque* (S. Bern. ser. 4. hujus Hebd.) *vigilate fratres, ne infructuosè nos hujus temporis Sacramenta pertranseant preparemus nos, ut Christo patienti compati videamur. Quis enim tam irreligiosus, qui hac septimana non compungatur? quis tam iracundus, ut non indulgeat? quis tam flagitiosus, ut non contineat? quis tam malitiosus ut non pœniteat illis diebus?* Magnam denique septimanam aggredimur, quia magno triumpho illam Salvator noster exorsus est. Quali pompa hodierna die urbem Jerosolymam sit ingressus, audivistis in Evangelio; ego hac Concione quinque vobis causas proponam; ob quas filius Dei tam glorioso triumpho Passioni suæ præludere decreverit.

§. 2. Prima causa est, ut ostendat se Filium Dei.

Voluit inprimis Salvator noster hodierno triumpho, & gloriosissimo ingressu in urbem, declarare suam omnipotentiam, & ostendere se esse Filium Dei. Si Origeni credimus & S. Thomæ; fuit hic triumphus omnium mirabilium, quæ fecit, prodigium mirabilissimum constabat in urbe odium Principum, Sacerdotum invidia, Scribarum & Pharisæorum furor adversus Jesum: jam collegerant concilium, ut ipsum interficerent, lataque erat sententia

mortis, & proclamata voce præconis per plateas, & affixis hinc inde ad valvas schedulis divulgata, cum serio decreto, ut qui nôsset, ubi lateret *Iesus Nazarenus*, id Concilio manifestaret. Ministri, Satellites, Apparitores erant destinati, qui illum caperent. Hodierna die, qua tres Judæorum peregrinorum milliones ad celebrandum Pascha convenire consueverant, clarissima die, in urbis conspectu, insidens asino, cum suis Apostolis urbem ingreditur, & jurati ejus hostes, Principes, Pharisæi, Scribæ, primi sunt, qui ei obviam occurrunt, qui ramos præscindunt ab arboribus, qui vestimenta substernunt in via, qui magnis acclamant vocibus, *Hosanna filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini*: respondente populo, acclamantibus magnis ac parvis, & omni turba, *Benedictus qui venit.*

§. 1. *Hic triumphus fuit opus Dei.* O mutationem cordium! O opus dexteræ excelsi! In vili jumento filium Dei, solis instar radiantem ob oculos statuo mihi. Quemadmodum enim hic pulcherrimis radiis momento dissipat nebulas, tenebras fugat: ita amœnissima Christi facies, lucidissimis oculorum radiis, odium & invidiam hostium dissipavit. Pergit per præcipuas urbis plateas, inter festivas voces, ad templum, ubi Principes & Scribæ, illum veluti Messiam & summum Sacerdotem excipiunt, honorant ut Regem, venerantur ut filium David, ut verum Deum adorant. Itaque attoniti plurimi ob tantum applausum, & videntes mirabilia, quæ fierent, interrogant, *Quis est hic?* responderunt ipsi parvuli, *Hic est Iesus propheta magnus*; responderunt Principes. *est Filius David*, ut impleretur v. 3. Ps. 8. *Ex ore infantium & lactentium, perfecisti laudem propter inimicos tuos*; qui hodierno triumpho, summopere conterriti expavescunt Et versus 11. c. 40. Isaiæ. *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur.* Neque enim adversarii ejus negare possunt, divinum quidpiam in hoc homine latere. Impletus quoque fuit versus 14. c. 45. Is. *Viri sublimes ad te venient post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur, dicentes, in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* Has & similes voces ex suis inimicis extorsit Christus D. in gloriosissimo suo triumpho.

2. Voluit Christus D. in hodierno triumpho impleri pulchram figuram. In Bethphage, parvo pago ad montis Oliveti pinguissima & optima erant pascua, in quibus pascebantur Agni, qui à sacerdotibus erant destinati pro agno paschali. Quinque diebus ante diem paschæ ex præcepto legis, deducebantur hi agni in urbem, ornati floribus & coronis, hymnos inter & festivas acclamationes, præcipuè agnus summi Sacerdotis. Nam qui illum deducebant, præferebant manibus ramos de palmis & olivis. Hæc figura hodierna luce fuit adimpleta. §. 4. *Causa 2. sic impleta fuit pulchra figura.*

Post quinque dies, die Parasceves immolabitur in ara crucis verus agnus paschalis, *qui tollit peccata mundi*, Joan. 1. v. 29. ut suo cruento, reliquis sacrificiis omnibus finem imponat, vera propitiatio pro peccatis totius mundi.

Meri-

Meritò ergo hodie, sive quinque diebus ante, ab ipsis sacerdotibus, cum magno applausu, cum palmarum & olivarum ramis, per præcipuas urbis plateas deducitur in templum, acclamante populo, *Benedictus &c.*

§. 5. *3. Causa. Sic fuit impleta figura filiæ Iepthe cum lætitia euntis ad mortem.*

3. Impleri voluit figuram filiæ Jephte. Hic enim dum copias contra hostem educeret, *votum vovit Domino*, se, si de hostibus triumpharet, illud quod primum de domo sua sibi occurreret, sacrificaturum. Victoriam obtinuit: & ecce revertenti domum, cum gaudio unigenita occurrit filia, virginum applaudentium, choro stipata.

O tristem occursum! O turbata gaudia! ergo mox tristitia quasi nubibus offundi paternus animus, ingemiscere, filiæque votum aperire suum. Nec territa fuit Virgo, cum ex patre intellexit sibi esse moriendum, sed generosa generosè respondit *fiat pater, fiat! hoc precor unum, ut aliquid mihi temporis concedas, quo in solitudinem secedam, ut ibi lachrymis fletuique indulgeam.* Consentit pater, sed certum insuper diem, quo se sistat, paternis manibus Deo immolanda filia, imperat.

§. 6. *Prosecutio.*

Jussa ad unguem exequitur puella, in solitudinem se recipit, ibi secum animo versat tum patris imperium, tum puellaris vitæ suæ, floridæque brevitatem; labuntur ex oculis lachrymæ; infractum tamen manet pectus, & mens supra conditionem generis gloriosa. Cœlum implet gemitibus, non tamen invita reluctatur; sed ad præfixum temporis momentum viam relegit, ad parentem revertitur, paratam se neci victimam offert. Sed juvat hac super re facundè differentem audire S. Ambrosium l. 3. off. c. 12. *Non fletus æqualium movit puellam (ut fugeret) non dolor flexit, nec gemitus retardavit, nec dies præteriit, nec hora fefellit. Rediit ad patrem, quasi ad votum rediret, & voluntate propria cunctantem impulit* (rogavit puella patrem, ut se immolaret) *fecitq; arbitratu spontaneo, ut quod erat impietatis fortuitum, fieret pietatis sacrificium.*

§. 7. *Prosopopœia filiæ animantis Patrem.*

En paratum puellæ animum! en masculum in Virgine pectus! en virile robur in fœmina! rediit ad patrem quasi ad votum rediret! nimirum habebat in votis emori. Desiderabat offerri se victimam, anhelabat ad necem. Quid quod etiam precibus institisse videtur, compellasseque parentem, ut ne quid naturali abreptus affectu, suæ adversum ageret conscientiæ. Perinde ac si diceret! Ne te, optime genitor, à voto tuo quidpiam absterreat, *Non ætas mea florida*; maturam me virtuti victimam ne dubites. *Non forma vultus mei atque elegantia*, major siquidem est, atque illustrior generosi pectoris fortitudo.

Non sociarum mearum luctus & comploratio: potior est Dei ter optimi, maximi voluntas. Pater stringe ferrum; *en apertum sinum!* immerge gladium, *ecce pectus*; quid moras trahis? age quod agis, sic visum Deo; exequere quod jurasti, imple quod vovisti, en me paratam, non deprecor fata, non renuo, non detrecto.

Sic illa; & lubens certe, volensque neci se subdidit, cum gaudio se sacrificio & immolationi in manus patris obtulit; hoc generosissima puella toti mundo voluit constare, potuisse se effugere:

gere mortem, sed noluisse, voluisse potius mori pro bono populi.

§. 8. *Quo gaudio Christo D. venit ad Passionem.* Ut hoc idem nobis constaret de Christo Domino, diem suæ passionis & mortis, glorioso ingressu in urbem voluit ordiri: ultrò inimicam civitatem voluit ingredi. Cum Principes sacerdotum intellexissent, totum ferè populum sequi Christum, ob suscitatum in Bethania Lazarum, eodem die in Jerusalem coëgerunt concilium adversus Jesum, in quo decretum fuit, expedire pro salute populi, ut Jesus Nazarenus moriatur. (Sed jam ante à Patre cœlesti in consistorio divinæ justitiæ sententia illa in Filium lata erat.) quo audito Dominus secessit è Jerusalem, abiitque in civitatem Ephrem, duodecim vel quatuordecim leucis distantem, juxta desertum; Joannis 11. v. 45. *Abiit in regionem juxta desertum in civitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.*

§. 9. *Prompta ejusdem voluntas moriendi.* Secessit autem Salvator, tum ut in solitudine dies aliquot impenderet lachrymis, & ardentissimis desideriis, tum ut testaretur naturæ humanæ veritatem, secundum quam mortem timebat ac fugiebat: & præcipuè, ut evidenter ostenderet, se ex mera & libera voluntate, mortis necessitatem subire. Præstituto enim die à Patre, de Ephrem statim rediit Jerosolymam, tam festinus via, gressu adeo præpropero, ut illam celeritatem notarint Apostoli, & quæsiverint, quid hoc rei? Principes nostri in Magistrum nostrum tulerunt sententiam mortis, & ita properat in urbem? an non igitur futurorum præscius est Dominus? an ignorat fortassis, quid inimica Judæorum machinetur impietas? sic rem describit S. Marcus c. 10. v. 32. *Erant autem in viam ascendentes Ierosolymam, & præcedebat illos Iesus, & stupebant.* quod advertens Dominus, aperuit illis Sacramentum instantis mortis, illis verbis, v. 33. *Ecce ascendimus Ierosolymam.* q. d. probè scio, atrocia mihi patari tormenta: non me fugiunt varia & crudelissima suppliciorum genera, quibus in me, crudelem in modum humana desæviet barbaries; versatur mihi ob oculos amarus ille calix passionis quem sum bibiturus; jam video cruenta illa flagella, mites virgas, funes & laqueos quibus in meum innocens corpus sæviet: jam intueor, imò sentio spinarum aculeos, quos meo capiti magna vi & crudelitate imprimet, &c. non me latent blasphemæ militum voces, nec in exploratum habeo ponderosum Crucis lignum, in quod ero suffigendus prope diem. Equidem cognita habeo ista, & quæ sunt ejus generis sexcenta, plena injuriis, doloribus, tormentis. Et verò evadere possem, si ita visum esset: at non lubet, non placet. *Prosopopœja Christi. proferentis hæc verba. Ecce ascendimus &c.*

Vult me Pater probosa in cruce, morte defungi? *volo & ego.* Vult me coronari spinis? *volo ego.* Vult me vestimentis spoliatum, columnæ astrictum, vulneratum flagellis? *volo & ego*; *fiat, O pater.* Vult me condemnatum ad mortem *quidni velim & ego?* Imò, volo, æstuo, desidero, anhelo, sitio, fiat, fiat. Accelera gradum proditor Juda, fugite à Magistro discipuli, venite carnifices Judæi, fluite sanguinum rivuli, venite spinæ, virgæ, vulnera, tormenta! Veni, meo à corpore consecutura salutem mor-

mortalium Crux alma! non te renuo, quin ultro potius amplector, stringo, exosculor. Aperi portas Jerosolyma, ecce venio.

§. 10. Christus D. sponte passus est sine omni violentia. Hanc Christi D. voluntatem diu ante prævidit Isaias cap. 53. v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Nulla in Christo Domino fuit coactio, vis nulla, nulla violentia. Nam violentum sic definit Philosophus. *Violentum est, quod est à principio extrinseco, passo non conferente vim*, id est, ut in eo, quod patitur, nihil sit, quod ab intrinseco auxilietur. Licet ergo Christus Dominus ligat⁹ sit vinculis, licet alligatus columnæ, licet affixus Cruci, nulla tamen illi adhibita est violentia, quia intra se habuit suam voluntatem, & amorem, qui voluit ligari, flagellari, crucifigi. *Mortuus est, quia voluit.* Factus est obediens usque ad mortem crucis, *quia voluit.* Ut hoc nobis constaret, ultrò, sponte, cum gaudio cum magno triumpho, in hostium conspectu hodiernâ die Jerosolymam fuit ingressus. Hæ circumstantiæ, quas alias, & hodie vobis meditandas propono, quod innocens mortuus sit, quod volens, quod ex infinita charitate &c. plurimum ad cognitionem mysterii Passionis conducunt.

§. 11. Præmisit Passioni triumphū ut esset ignominiosior. 4. Conjungere voluit Christus D. hodiernum triumphum & sui exaltationem, cum futura passione, & opprobriis, vel, ut loquitur D. Chrysostomus, *præmisit passioni tantam in hodierna pompa nominis sui gloriam, ut quanto fuisset exaltatus sublimius, tanto magis postmodum humiliaretur, & deprimeretur profundius*; impleretur que v. 2. Psal. 101. *Elevans allisisti me.* Quò enim magis quispiam vas aliquod vult confringere, eò elevat altius ut fortius terræ allidat.

Nimirum hoc ipsum fecit cœlestis Pater: *elevavit* suum ille filium, sed ut mox humiliaret: *extulit*, sed ut deprimeret: *erexit*, sed ut terræ rursum allideret. Ita & hodie fieri amat. Proximus est luctui comes, & socius quasi individuus, gaudium, ita tamen ut hoc, uno plerumque vel altero passu soleat præcedere. *Rarò hoc in orbe Sol honoris, ac gloria diu fulget innubis*; rara sibi constat sine adversitate pedissequa prosperitas; id quod de Salvatore nostro disertè Divus exponit Chrysostomus hom. 13. in varia loca S. Matth. *Ideo cum tanta gloria est ingressus, ut amplius eorum adversus se incitaret invidiam, quia jam tempus passionis instabat.* Eo enim passu invidia solet sumere augmentum, quo gloria alterius, cui malè volunt, incrementum.

§. 12. Invidia Pharisæorum erga Christum D. Ex eo duntaxat, quod viderint, & audiverint, quanti populus universus eum faceret, ob resuscitatum à mortuis Lazarum, tanta rabie furibundi contabuerunt, ut concilium cogerent adversus eum, & quasi ignitæ prunæ, ira bileque succensi præ angustia Spiritus exclamarint: *quid facimus, quia hic homo multa signa facit, &c.* Quid hodie ipsos cogitasse putamus, cum eum tanta majestate sublimem, tanta pompa, tanto universæ urbis applausu receptum, tanta gloria honoratum, viderunt, & audiverunt, ab omnibus ut Salvatorem, Messiam & Regem salutatum?

§. 13. Christus Non dubito Auditores, placet vobis Regis vestri gloria, gaudetis, quod tanta

In passione non debemus deserere.

ta majestate recipiatur in urbem, recreant vos rami olivarum, repetitis in cordibus vestris cum jubilo festivas acclamationes, ita, *Benedictus filius David, benedictus sit mundi Salvator, benedictus Jesus!* Sed præparate animos vestros, ut post paucos dies cum luctu & fletu audiatis tristissimam historiam passionis. Adhæremus illi hodie in gloria, non deseramus in tribulatione. Cum tristissimus David fugeret ex Jerusalem à facie perduellis Absalonis, comitem se illi præstitit magni nominis miles Gethæus, nomine, Ethai. Cui David; amice mi, scias graves mihi imminere calamitates; cogor cedere regno, instat hostis &c. itaque cum fratribus domum secede, ne te futura, sævaque tempestas pariter involvat. Sed generosè respondit generosus heros, 2. Reg. 15. v. 21. *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex: quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit & servus tuus.* Triumphabundus hodie urbem ingreditur Rex noster; sed intra paucos dies alia pompa id fiet, cum à lictoribus & latronibus captivus per urbem ducetur ad Principes Sacerdotum, & judicum tribunalia, sed dicamus animosè, *Mi Iesu, ubi fueris tu, & nos erimus.* Palmarum rami mutabuntur in cruentas virgas & spinas, quibus regium caput coronabitur; *mi Iesu*, cum fueris sub virgis, cum fueris inter spinas, non te deseremus. Recentes aggratulantium voces in impias convertentur blasphemias, agnorum voces, in ululatus luporum; *mi Iesu*, cum fueris inter lupos, imò inter tauros, canes, leones & tigrides, assiduos nos tibi socios præstabimus.

Sed ultima restat hodierni ratio triumphi, quam ita exponit S. Bernardus ser. 1. dom. palm. ubi hanc movet quæstionem, cur Salvator optimus, processionem habere voluerit, qui mox futuram noverat passionem? primam rationem quam dedit, jam vobis exposui: *Vt amarior esset passio, quam processio præcessisset, ab eodem enim populo, in eodem loco, & ipso tempore, paucissimis diebus interpositis, primò, cum tanto triumpho susceptus, postea crucifixus est.* Deinde pergit: *O quàm dissimile est, tolle, tolle, crucifige eum, & Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis, quam dissimile, Rex Israël & non habemus Regem, nisi Cæsarem, quam dissimiles, rami virentes, & Crux! flores & spinæ! quæ causa hujus vicissitudinis?* respondet mellifluus doctor. §. 14. *Ratio S. Bernardi ut videamus, verum esse illud Extrema gaudii luctus occupat.*

Vt videat sæcularis anima, videat & intelligat, quoniam extrema gaudii luctus occupat. Hic nimirum est transitoriæ finis lætitiæ, hic fructus gloriæ temporalis. Uti triumphus Christi mutatus fuit in feralem pompam, sic omnis hujus mundi gloria, fama, honor, voluptas, gaudium, triumphus, prosperitas, verbo omnes vanitatum comœdiæ vertuntur in tragœdias. Expertus fuit Regum, opinione mundi, omnium fortunatissimus Salomon, ipse tamen testimonium perhibet huic veritati, Eccl. 1. v. 14. *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio Spiritus.* In hoc mundo lætis miscentur tristia.

Quis fortunatior, ex omnibus quos Austria dedit Imperatoribus, Carolo V. & tamen dum Bruxellis omnia regna filio suo Philippo traderet, coram toto §. 15. *Testimonium Caroli V. dum Bru-*

senatu

xellit regna abdicaret. senatu cum lacrymis testatus est, se tota vita, licet ea prospera fuerit, & palmis plenissima, nec ad horæ quidem quadrantem, pura solidaque fruitum fuisse lætitia, sed semper curis intermixta, imperfecta, exigua. Cui accedit Imperator Theodosius, qui cum apud Monachum frugaliter comedisset, dixit, *O vos felices! in veritate dico; in aula natus & educatus sum, sed nunquam sine sollicitudine cibum capio.*

Et Theodosii, Imp.

Eleganter Ovidius;

Usq; adeo nulla est sincera voluptas,
Sollicitumq; aliquid lætis intervenit.

Et Boëthius:

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulos agit furentes,
Apiumq; par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci,
Ferit icta corda morsu.

Itaque in aliam imposterum curam incumbite, Auditores; si vera quæritis & sincera gaudia. Non crescunt in hujus mundi hortulis hi flosculi; ad cœlum oculos transferatis necesse est, atque ad Jesum vestrum, si vultis ut innubis vobis rideat Sol lætitiæ. Eia *ad Iesum* oculos, ad Jesum animos, *ad Iesum* cogitationes, *ad Iesum* spem vestram atque omnem fiduciam dirigite, hac præsertim hebdomade sancta, futurum certò polliceor, ut ejusdem fiatis participes triumphi, gloriæ, voluptatis ac gaudii, quo in resurrectione sua gloriosa perfusa est anima Jesu sanctissima, Amen.



CONCIO XX.

DIE PARASCEVES.

Historiæ Passionis D.N. JESU CHRISTI, PARS I.

Egressus est Jesus cum discipulis suis, trans torrentem Cedron in montem Oliveti, ubi erat hortus.
Johannis 18. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TOtam historiam Passionis ex quatuor Evangelistis divido in septem Partes, sive totidem Conciones, quarum quælibet materiam pro tribus, vel quatuor horis suppeditat. Hæc prima ordine, tractat Mysteria Horti; conaturus Auditorum animis imprimere Jesum in agonia sudantem sanguinem.

§.51. Da-

§ 1. *Oratores in re gravi sub variis symbolis optant sibi eloquentiam.* SOlent peroraturi de re aliqua gravi & magni momenti Oratores, sub metaphora sibi optare, vel penicillum Zeuxis, vel digitos Apellis, vel colores Parrhasii, vel facultatem rerum, quam imaginatricem vocant, alicujus Rubenii, vel inventionem alicujus Michaëlis Angeli; clarius eloquar: optant sibi ingenium Homeri, mentem Platonis, Phrases Diogenis, artem oratoriam Æschinis, impetum Demosthenis, linguam Ciceronis: Sed quid Ethnicos commemoro? Oratores Christiani desiderant aureum os Chrysostomi, quærunt mel Bernardi, ambiunt facundiam Ambrosii, sectantur flumen Cypriani; hoc tantum fine, ut rem sibi in dicendo propositam pro dignitate possint explicare gravius, & pro necessitate facundius.

§. 2. *De re gravissima dicturus auctor* Mihi auditores hac oratione coram vobis de re maxima perorandum est; de Passione & Morte Filii Dei· Capita præcipua sunt hæc. Christus Jesus post ultimam cœnam, post institutionē Venerabilis Eucharistiæ, egressus ex urbe per vallem Josaphat & torrentem Cedron, subinde ingressus est hortum in monte Oliveti; ubi post longam orationem in pavore, tædio, mœrore animi sui atque tristitia, factus in agonia sudavit sanguinem. Inter hæc à Juda & Principum cohorte ibidem captus est, non secus ac latro. Inde rapto ad Annam nefarius satelles Regi Regum terribilem impegit colaphum. A Caipha in nocturno concilio damnatur ad mortem in subterranea specu reliqua nocte miserandum in modum tractatur. Manè coram Pilato accusatur ut impius, coram Herode illuditur ut fatuus, denique in innocentem licet, sævitur longè acerrimè, cum expediuntur flagella, acuuntur spinæ, & crux propudiosæ mortis instrumentum paratur.

Horum mysteriorum vivam quandam imaginem in animis vestris hac Concione depingere debeo atque efformare, & non optem penicillos Zeuxis? non voveam manum Apellis? non desiderem colores Parrhasii? Ingenium Homeri, mens Platonis, Phrases Diogenis, ars Æschinis; impetus Demosthenis, lingua Ciceronis; aureum os Chrysostomi, mel Bernardi, facundia Ambrosii, flumen Cypriani, omnium SS. Patrum eloquentia, si in ulla alia materia, certe in hac una, vel maximè sunt necessaria Oratori Christiano.

Sed his meus necdum acquiescit amor; digitum opto pictoris qui Apelle sit artificior, calamum qui scribat velocius, linguam, quæ omnium Oratorum linguis disserat eloquentius. *Digitum* §. 3. *implorat gratiam Spiritus S.*

Dei intelligo qui Spiritus S. est, Calamum desidero, quem *Spiritus Sanctus* dirigat; linguam mihi opto, quam *Spiritus S.* qui ignea est lingua, accendat & inflammet. Hujus voti, si me compotem facias, *O Spiritus Sancte*, O, si dirigas, si cor & linguam accendas! conabor efficere, ut mei Auditores, in decursu Historiæ Passionis, tenerum erga Patientem Jesum compassionis affectum, in animis suis excitent, atque adeo dignos labore meo fructus & longè optatissimos animarum sanctam Crucem amantium, manipulos asportent. Tempus huic primæ Concioni præfixum mysteria horti sibi vendicant.

Punctum I.

§.4. *Egressus ex urbe; torrens Cedron. Vallis Iosaphat.*

NEmo dubitet Eucharistiam, sive carnem & Corpus Christi esse cibum fortium, Sanguis ejus potus est, qui generosos generat Spiritus. Posteaquam ipse mundi Salvator sacratissimo hoc cibo, & potu fuisset refectus, dicendo hymnum, id est, laudando Patrem ex urbe obviam egressus est hostibus suis, quos sciebat ex domibus Sacerdotum cum Juda jam jam exituros, ut Jesum quærerent, invenirent, caperent, ac denique internecione delerent. Textus sic habet. *Egressus est Iesus cum Discipulis suis trans torrentem Cedron, in montem Oliveti, ubi erat hortus.* Tria potissimum hisce in verbis animadvertenda occurrunt. Primum est, quod egressus sit ex urbe. Alterum, quod per torrentem Cedron; tertium, quod ad montem in hortum. Mysteriis plena sunt omnia.

§.5. *Desinit Vrbem ut Medicus desperatū ægrum.*

Modis omnibus conatus fuerat mitissimus Jesus, filios Synagogæ congregare sub alis suis, quemadmodum gallina congregat pullos suos; sed quia ingrata & obstinata noluit agnoscere tempus visitationis suæ, quia curari noluit Babylon, deserit illam cœlestis medicus, & urbe egreditur, non regressurus nisi vel vinculis ligatus, vel à mortuis redivivus, vel futurus omnium Judex, quæ omnia urbi, per quam futura sunt olim luctuosa. *O misera Ierosolyma!* Messiam tuum egredi permittis? atqui ipse Doctor & Magister tuus est, ipse via, & veritas, ipse lux & solatium, ipse vita. Ergo in posterum eris sine Doctore & Magistro, errabunda sine ductore, in erroribus & tenebris sine luce; tristis sine consolatore, filia mortis sine spe vitæ. *Egresso Cherubin de templo*, Ezech. 10. v. 18. *pariter egressum est omne præsidium.* Dum à te non Cherub, sed fons omnis boni, sed protector, & adjutor tuus discedit, quis te proteget, quis defendet? quis vindicabit à malis? quia *Deus te dereliquit, non est qui te eripiat.*

§.6. *Caveamus ne ita nos deserat.*

Cor tuum mi Christiane, veluti aulam ingressus est Jesus, ut in ea sedem figeret, ingressus est inquam, in baptismate per gratiam, & charitatem; sed ingreditur etiamnum frequenter per pias inspirationes, cùm pulsat ad ostium cordis, hoc tempore, capite pleno rore & guttis noctium, imò Sanguinis! ingreditur sæpè in sanctissimo Sacramento Eucharistiæ, deliciæ quippe illi sunt esse in corde tuo; sed cave ne per peccata, per inordinatum amorē creaturarum, hospitem tuum ejicias; cum Jesu per peccatum ex corde ejicitur & sa-

salus, expellitur vita, dimittitur gratia, exterminatur lux, aufertur solatium, bonum denique proscribitur universum. Nolite, obsecro vos Auditores, nolite permittere, ut sacro hoc tempore passionis, Jesus flagellatus, Jesus coronatus spinis, Jesus affixus cruci, vel momento ex cordibus vestris exeat aut potiùs proscriptûs exulet.

§. 7. *Transivit per torrentem Cedron & vallem Iosaphat.*

Sed ad alterum. *Egrediens ex urbe ad montem Oliveti*, transivit per vallem Josaphat, & torrentem Cedron. Prædixerat David Ps 35. v. 5.. *de torrente in via bibet*. Imò figura ipse fuit, l. 2. Reg. 15. v. 30. quando fugiens à facie Absalonis transgressus est illum torrentem, *scandens Clivum Olivarum, flens, nudis pedibus incedens, & operto capite.* Hoc eodem schemate filius Dei ingressus est vallem Josaphat, quæ in hebraico dicitur *Charuth*, quæ vocula varia significat; nimirum *tribulationem, triturationem, excussionem, abbreviationem, excisionem, expurgationem; Vallem item acutam, sollicitorum, anxiorum.*

Omnia hæc facile erit intelligere, si recordari velimus, in valle illa habendum aliquando tremendum illud totius universi judicium; qua die in illa valle inter reprobos erit tribulatio magna; triturabit illos divina Nemesis, & paleas ejiciet in ignem. Nimirum id loci ac temporis in illa valle exscindentur, & exterminabuntur impii, ut descendant in infernum, & ideo erit vallis acuta, vallis sollicitorum & anxiorum. Ut itaque angustias, & anxietatem Christi in hoc itinere intelligamus, sic oportebit discurrere.

§ 8. *In transitu Christus habuit præ oculis, omnia peccata, quæ in die judicii ibi patebunt.*

Primo certum est, in illa die in hac valle coram Judice aperiendum librum conscientiarum: id est, patebunt & revelabuntur omnia peccata, quibus divina unquam est offensa Majestas, dum stetit hic mundus. Hæc omnia tristissimus Jesus quasi præsentia essent, intuitus fuit. Adhæc 2. Confusio impiorum, cum illâ die in peccata sua oculus intendent, explicari non potest. Dicent enim, *Montes cadite super nos*, imò mallent statim in infernum descendere, quàm unico momento intueri faciem irati judicis. Verùm alias hæc deducuntur: illud duntaxat nunc moneo, Christum D. in hac valle, hanc, & majorem confusionem sustinuisse; omnium enim peccatorum erat reus, omnium blasphemiarum, omnium adulteriorum, furtorum omnium; omnis superbiæ, invidiæ, iræ, atque iniquitatis demum universæ. Neque verò reus erat vel ex debito, vel culpa, sed ex amore, & charitate, qua impellente illa expianda susceperat. Ob illa, coram facie irati Patris adeò erubuit, ut dicere potuerit cum Davide, *Verecundia mea contra me est, confusio operuit faciem meam.*

§ 9. *Sustinuit quoque confusionem & timorem damnandorum, quia satisfactionem pro omnibus in se susceperat*

Præterea erit 3. confusioni damnatorum permixtus ingens timor, formido ac trepidatio, cum agnoscent se damnatos ad horrendos illos ignes, & nunquam finiendos. Similis fere timor, & trepidatio irruit in Christum, cum agnovit, se pro tot peccatis ligandum veluti latronem, flagellandum, coronandum spinis, crucifigendum. Imò major fuit timor, majus enim est, magisque stupendum, filium Dei ita tractari

fere! quàm quod damnati etiam æternùm ardeant in inferno.

§. 10. *Aptus locus ex S. Thoma de gravitate doloris Christi, in illa valle.* Eleganter sane hujus in Christo doloris magnitudinem, quæ profecta est ex agnitione omnium peccatorum, quæ in se susceperat, ponderat Doctor Angelicus in v.6.c.53. Isaiæ. *Posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum*, scilicet quoad pœnam, & ait: *quartò, potest considerari magnitudo doloris Christi patientis, ex hoc quod passio illa, & dolor à Christo fuerunt assumpta voluntariè, propter finem liberationis hominũ à peccato, & ideo totam quantitatem doloris assumpsit, qui inde sequebatur; unde dolor Christi fuit maximus.* Verùm mi Jesu si jam tanta esse incipit tui doloris magnitudo in valle, sola ex peccatorum apprehensione, quanta erit, posteaquam ad cruentam fuerit perventum columnam: ad flagra, ad spinas, ad infamem purpuram, ad crucem! Age anima mea, ut rite possis in hoc dolore tuo compati Salvatori, considera peccata, jam non totius Universi, atque omnium hominum in unum veluti cumulum congesta, sed tua duntaxat, invenies quod tantam Deo tuo injecit angustiam animi, si tuam perpendas superbiam, si statuas ob oculos infamem luxuriis atque impudicitiis vitam, quam hactenus egisti, si avaritiam, si invidiam, si gulam, & sexcenta alia scelera tibi probè cognita, consideres. Hæ sunt tristitiæ radices, hæ divini causa mœroris.

❧ (o) ❧

Punctum II.

Mons & Hortus Oliveti.

Postquam Christus D. vallem Josaphat & torrentem Cedron transiisset, ingressus est hortum in monte Oliveti. Sæpius horti fit mentio in sacris literis. Primus in mundo hortus fuit paradisus, in quo parentes nostri protoplastæ de arbore vitæ fatalem fructum gustantes, mortem pro se atque omni posteritate comederunt; ex quo etiam horto in pœnam ab Angelo flammeo gladio atque versatili exterminati fuerunt. Gen.3.v.24. §. 11. *Ingressus est in hortum. Varii in script. S. horti.*

Percitus ira atque æstuans furore Cain, cùm innocentem trucidare vellet Abelem, eduxit illum in agrum sive hortum, atque ibi crudeles manus fraterno sanguine contaminavit. Gen.4 v.8. Esther c.7.v.7. Rex Assuerus in horto pronuntiavit funestam mortis sententiam in caput ambitiosi Aman. Dan.13. v.19.20. Senes & impudici judices in horto cogitabant opprimere castimoniam innocentissimæ Susannæ. Sap.c.2. v.8. Describuntur horti, in quibus filii vanitatum coronant se rosis, relinquentes ubique signa & vestigia suæ impudicitiæ. *Cant.*5.v.1. ait Sponsa, *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum*, vel, ex alia versione, *deliciarum suarum.*

Hodierno vespere desideriis sponsæ à cœlesti sponso factum est satis. Post cœnam ascendit in montem Oliveti, §. 12. *20. Causa, ob quas ingressus est in hortum.*

sive

sive collem misericordiarum, in hortum Gethsemani, ut comedat fructum pomi, quod in paradiso comedit infelix Adam. S. Cyrillus l. 2. in Joan. c. 31. *Ut in paradiso initium malorum factum est, sic in horto, Christi passio incipit.* Est hodierno vespere quasi præludium doloris crastini; initium est *hodie* cruciatus: *cras* complementum. *Cras* flagellis dirum in modum animadvertetur in virgineum Christi corpus; *hodie* jam flagra sæviunt in corde in horto. Crastinum mane externos Jesu sensus novis atque antehac inauditis excruciabit tormentis: *hodiernus vesper* in horto iisdem illis jam torquet internos. *Cras* spinæ benedictum videbuntur caput penetrare: *hodie* jam subeunt cor. *Cras* fatalis lancea sanctissimum pendentis in cruce latus aperiet, *jam hoc vespere* orantis in horto pectus eadem Longini cuspide sauciatur. Adamus dum in paradiso comedit de arbore vitę, plantavit arborem mortis; Christus D. hoc vespere gustabit in horto fructus mortis, sed *cras* in monte Calvariæ plantabit arborem vitæ. *Cras* Christus morietur, nos vivemus. In horto peremptus est innoxius Abel, in quem à Caino deductus fuit velut innocens Agnus; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccati, Ioan.* 1. v. 29. similiter venit in hortum, ut ligetur ducaturque ad victimam. Præterea apud Judæos in hortis Oliveti aliquot ante Pascha diebus pascebantur agni paschales priusquam immolarentur: En eundem ultro ingreditur hortum verus agnus paschalis, ut & illa impleretur figura.

Initium Præludii crastinæ tragœdiæ.

Hac nocte in domo Caiphæ, cras in palatio Pilati agitabitur hæc quæstio, *An mori debeat Iesus Nazarenus?* Cœlestis Assuerus hoc vespere in horto prius sententiæ subscribit, ut rapiatur, ut condemnetur, ut agatur in crucem, non Aman aliquis superbus atque arrogans, sed humillimus Jesus, filius suus dilectus, neque ob propria scelera, sed ob delicta populi, ut moriatur ipse, ne populus moriatur universus. Innocens Susanna rapta est ex horto, atque inde deducta in judicium. Ad alia tribunalia hac nocte ex horto rapietur innocens Christus. Ingreditur itaque hortum, ut satisfaciat votis sponsæ, à qua tot sæculis, ardentissimis desideriis fuit invitatus, Cant. 5. v. 1. *Veniat dilectus meus in hortum suum.* O sponse animæ meę quem hortũ ingrederis? in quo pro rosis crescunt spinæ, pro liliis flagra & virgæ, pro violis clavi, pro narcissis fustes & lanceæ! in hoc horto quid quæris? an sponsam? ah! latet illa inter spinas, & myrrham, hanc metere oportet ut invenias. Siste mi Jesu! ne quem paravit fasciculum myrrhæ, ponat inter ubera tua. Sed quid loquor? hæc quærit sponsus myrrham quærit, spinas, clavos, sponsam, perditam quærit oviculam inter spinas. Ite nunc filii Adæ, quærite hortos, & prata, ite, coronate vos rosis, ego hic commorabor apud Jesum, quem diligo; non mihi difficilis erit mora longior; manebo non ad unius tantùm horæ spatium, sed integro etiam anno, imo & si opus est decem hic commorabor annos: quare & hoc parum est, addam alios innumeros, quia diligo Jesum sponsum animæ meæ commorantem *in horto.*

§. 12. *Prosecutio illarum causarum*

Hor-

§.14. *Prosecutio.*

Hortum ingreditur, ut, ubi hominum ruina inceperat, ibi ejusdem reparatio exordium sumeret. *In hortum se recepit,* (verba sunt D. Cyrilli) *ut ibi initium esset nostræ libertatis, ubi nostra cœpit captivitas. In horto* Adamo & generi humano injecta sunt vincula peccati: Christo in horto vincula amoris, quibus ex abysso peccati nos extraxit. *In horto* Adam subscripsit chirographo decreti & contracti debiti damnationis æternæ. O calamitas! sed ô vicina felicitas! Alter Adam *in horto* incepit illud suo sanguine delere. *In horto*, ut jucundior esset, solutionem orditur. *In paradiso* primus Adam per inobedientiam incurrit mortem, alter Adam per obedientiam reperit vitam. *In horto* vicit Diabolus Adamum, cœlestis Adam in horto triumphavit de Diabolo. *In horto* ruina: in horto reparatio. *In horto* serpens decepit Adamum & Evam: in horto Christus dum ligatur, *ligat* serpentem infernalem, dum apprehenditur, *apprehendit*, dum vinculis mancipatur, vinculis ipse hostem *mancipat* atque catenis tenebrarum constringit.

§.15. *Quid hoc vespere faciendū anima pia in horto Oliveti.*

In horto fœdus initum fuit cum dæmone; in horto fuit dissolvendum. *In horto* homo superbissimus appetiit divinitatem: in horto Deus homo humillimus serpit humi, ut vermis. *In horto* extincta fuit, & quasi sepulta vita: in horto vita renascitur. Primus homo Adam *in horto* exuit libertatem, factus servus Diaboli: ut Christus in horto libertatem homini restituat, ut Diabolum liget, ipse vinculis constringitur. *In horto* incepit maledictio: in horto exoritur benedictio.

Ah animæ piæ! hæreamus hoc vespere piis cogitationibus nonnihil cum Christo defixæ in horto; illo nimirum modo quem præscribit S. Bernardus tr. de pass. c. 44. *Confortare nunc, & elevare anima mea misera & infirma, & alis fidei, & spei ad hunc hortum charitatis enitere; ac apum sedulitatem imitans, ad conficiendum tibi mel devotionis, ad paradisum charitatis ascende. Intra ergo anima paradisum, omnibus paradisis meliorem, ut postea cœlestem paradisum valeas introire. Nec breviter amplexandus est iste paradisus, sed volandum per singulos illius flores, & singulorum florum folia sunt sugenda, nunc ad dexteram, nunc ad sinistram, rivulos guttasque sanguinis spargentem, est accedendum. Ad instar apis, quæ inter volandum quendam sonum habet, donec in florem intret.* Tales hac concione cupio vos esse apiculas, Auditores, in monte & horto Oliveti. Flosculus florum pulcherrimus Granadillus, est Jesus in agone comprehensus, & sangu nem sudans. Sponsa vocat fasciculum myrrhæ, in hoc fasciculo flosculus est spinea corona: estote apiculæ, volate, intrate, hic quærite mel devotionis, legite & colligite sanguinis guttulas, hi sunt divini rores, sunt melle omni & ambrosia dulciores. *Flosculi sunt* in hoc fasciculo, catenæ ferreæ ac funes, quibus impii satellites complectuntur primùm, mox trahunt ac retrahunt sponsum nostrum Jesum. Estote apiculæ, & ex ipso ferro succum haurietis cœlestem: *Flosculi sunt* divinissimo tincta sanguine flagella; *flosculi sunt* instrumenta totius Passionis, quibus jam in horto affligitur dulcissimum & melleum cor Jesu, ah! cur non api-

apiculæ sumus, ut insideamus his floribus, pascamur deliciis, fruamur amoribus! Sed longior sum inquirendis caussis ingressus Christi in hortum.

Punctum III.

Pavor Christi.

§. 16. *Pavor Christi.* VIdeamus quid in illo egerit: narrat id sacer textus; *cœpit pavere, tædere, & mœstus esse.* His verbis exprimit Evangelista angustias, & dolores Christi in horto. *Pavor* non est quicunque timor, sed metus quidam mortualis, quo in capite eriguntur capilli, quo colliduntur ossa, quo totum corpus contremiscit. Hoc pavore obrutus fuit David cùm dixit, Psal. 37. v. 11. *cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea.* Quæ verba dixit plenus pavore, cùm lateret in spelunca, vel, cùm Saul in illum vibraret lanceam. *Hoc pavore* obrutus fuit Pharao, cum fluctibus maris se videret operiri. Exod. 14. v. 27. *Hoc* concussus fuit Absalon, cum Joab illius cor triplici lancea transfigeret. 2. lib. Reg. 18. v. 19. *Hoc* exanimatus fuit Rex Balthasar, cum cerneret scribentem in pariete dexteram. Dan. 5. v. 25. Hoc alii demum impii fulminantur, quibus Deus minatur Levit. 26. v. 36. *dabo pavorem in cordibus vestris.* Deuter. 28. v. 65. *Dabit tibi Dominus cor pavidum,* verbo; hoc pavore Deus punire solet magnos peccatores. Verùm quid fecit obsecro bonus Jesus, quod paveat? vel quod unquam crimen commisit? Ah! animæ piæ, videte; incipit pavere Jesus. Pavor est in corde ejus, & omnibus membris corporis. Vidit enim insurgentes in se fluctus rubri maris, imò sanguineas undas, quibus ita fuit coopertus, ut dicere potuerit cum Davide Ps. 68. v. 3. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Cœpit pavere, cum in manu Angeli videret calicem, plenum felle, doloribus, tormentis. Expavit cùm ab eodem intelligeret, non posse mutari semel latam mortis, crucisque sententiam. Scripserat jam, & subscripserat acerbæ prorsus sententiæ, divinæ rigor justitiæ; decretum erat, filium Dei non capi tantum ab impiis, sed & percuti colaphis, cœdi flagellis, coronari vepribus, clavis perterebrari, lancea transfigi, & morte demum ignominiosissima tolli è medio. Intelligebat hæc in horto orans Jesus, & non pavore contremisceret? O mi Jesu! suspensus es in statera; tormentis addita tormenta, doloribus dolores! non equidem miror, quod paveas! pavendi causam si quis alius, si David, si Pharao, si Absalon, si alii habuêre; tu sanè habuisti quam maximam.

Pavor fuit in Pharaone, Absalone &c.

Punit illo Deus magnos peccatores. Applicantur hæc Christo Domino.

§. 17. *Admiratio pulchra D. Laur. Just. super Christi pavore.* Non nego. Quisquis hoc vespere sibi ob oculos ponit Christum Salvatorem in horto hoc pavore obrutum, fortassis admirabundus quærit cum D. Laur. Justiniano, de agone Christi c. 1. *Quid est hoc Domine? contristaris ne & verè paves? nunquid contristatur, per quem contristati recreantur? nunquid contristatur gaudium? pavet fortitudo? timet virtus? gloria tædium patitur? beatitudo denigratur, confunditur Majestas? claritas obscuratur? infirmatur sanitas & latitudo coarctatur? Dominus exercituum* dici-

dicitur, & est, & præliari formidat? vellem utique pavoris hujus scire causam, vellem tædii hujus nosse mysterium.

Bene habet; ut satisfaciam desiderio, *Dico*: omnia quæcunq; Christi seu animo, seu corpori hoc vespere occurrerunt, immensum quendam pavorem incusserunt. Nox erat, symbolum peccati, cœcitatis synagogæ, timoris & tædii. Obscuritas, mala nostra atque adversa, immensum solet cumulare. Malæ conscientiæ homines, nox præcipuè horrificis umbris solet exagitare. Et cur non etiam illum, qui omnium hominum scelera in se susceperat? Itaque pavor qui aliquando in tristi nocte tristissimi agonis v.g adulterum coram supremo Judice exagitabit, ille pavor hoc vespere fuit in Christo D. NB. (*locum pro pulchra inductione*)

§. 18. *Pavor oritur ex apprehensione magni mali.* Solet præterea pavor in homine oriri ex imaginatione gravium tormentorum, vel crudelis mortis. Talis pavor, ut dixi, fuit in Pharaone, cùm vidit se & suos hauriri fluctibus. Talis pavor fuit in Saule, cum gladio, suummet ipse agẽs carnificem, incubuit; talis in Sennacharibo, cum ad aram à filiis fuit cæsus. Similis, imo multo potentior extitit in Salvatore Jesu, propterea quod in calice, veluti speculo omnia præparata tormenta, & turpissimam crucis mortem viderit clarissimè. Et certè licet nox esset, tamen cognitio Christi vidit omnia, omnium hominum peccata, in unum acervum conflata, non confusè sed singula; mea; tua; vestra. Vidit perfectissimè quantum D. Majestas offendatur malitia vel unici peccati mortalis: & cum cognitio illa conjuncta esset cum infinita charitate erga Patrem cœlestem, & zelo gloriæ ejusdem, quantò impensiùs dilexit, tantò doluit acerbiùs. Vidit præterea, & cognovit, sibi per immania tormenta pro his omnibus satisfaciendum: *& non paveret? non toto corpore contremisceret?* Hæc apprehensio hinc scelerum, hinc tormentorum & crudelis mortis, Christo Domino incussit pavorem, intus, in anima & corde; foris in corpore & omnibus membris, usque ad convulsionem, compressionem, & propemodum suffocationem, & defectionem omnium virium in sanctissimis membris; eaque vi, impetu, vehementia, ut nisi divina virtute fultus fuisset, è vestigio corruisset exanimis; Ut fortè dixerit cum Jobo c.37. v.1. *Super hoc* (super mortem crucis &c.) *expavit cor meum, & motum est de loco suo.* Ex benedicto & trepidante corde pavor cum sanguine se effudit in omnia membra corporis, adeò ut omnia contremuerint, ut collisa fuerint genua, ut erecti steterint capilli, ut omnia concussa trepidarint. Fortè ingemiscens dixit cum Jeremia c. 23. v. 9. *Contritum est cor meum, in medio mei, & contremuerunt omnia ossa mea.*

§. 19. *Descriptio pavoris per membra Christi.*

§. 20. *Simile de visionibus nocturnis.* Vel cum Job c.4. v. 13. *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt.* O tristissimas visiones nocturnas hac nocte in anima Christi Domini! vidit, quis enim dubitet? vidit funes illos atq; catenas, quibus jam jam erat alligandus ab impiis. Vidit chirothecam illam ferream, suo mox

mox sanguine purpurandam, vidit immites illas virgas, & flagella, quibus in suum corpus essent sæviturі immites satellites; vidit diadema illud spineum, vidit vestem illam albam, vidit illam arundinem, illud vasculum felle plenum & aceto, crucem illam ponderosam; vidit paratam ad infigendum lateri vulnus lanceam militis, Judæorum clavos & malleos, quibus mox cruci erat affigendus; vidit reliqua mortis suæ instrumenta, supellectilem perquam funestam ac lugubrem. Ex tot feralibus visionibus, quæ menti ingerebantur, tremefactus, attonitus, oculis suspexit cœlum, mox eosdem dejecit in terram; respiciens nunc ad dexteram, nunc ad sinistram: sed heu, nullibi invenit solatium, quin potius novi causas doloris. Atque inde membra Christi tremuerunt magis, inde trepidarunt artus, inde expalluit vultus, inde anhelavit pectus, palpitavit cor, inhorruit animus, expavit Spiritus, siluit lingua, obmutuit sapientia! *cœpit pavere Iesus*! Non miremur territa cœli sidera; Obscurata sunt, cum viderunt tam immanem mortem Creatoris in cruce: præ horrore pavit universa natura: trepidarunt montes, mota est terra, scissæ sunt petræ, quantumvis durissimæ, *præ terrore*; & quid miramur illum tremere, trepidare, pavescere, qui tam horrendam, tam acerbam, tam truculentam debuit mortem sustinere?

Vidit Christus D. in horto omnia instrumenta Passionis.

§. 21. *Quàm justas causas pavendi habeat, qui est in statu peccati mortalis.*

Relinquo paululum Jesum quamvis invitus in suo pavore, ut paucis meos Aud. alloquar. Deus immortalis! trepidat ipsa fortitudo, nutat ipsa constantia, timet ipsa potentia Dei, in conspectu malitiæ peccati, in conspectu tormentorum & mortis, quæ imminent. Et homo, & impius, & peccator, est securus sine metu! *tu, tu*! qui tot commisisti nefanda scelera, qui reus es tot criminum, *non paves?* Hoc momento es hostis Dei, *& nõ times?* in tali es statu, ut si moriaris, ut si jam jã terra sub pedibus tuis dehiscens te absorberet præcipitandus sis in infernum! majori spatio temporis opus non est, quam uno momento, & quidem hoc quo hæc à me dicuntur, à te audiuntur. Inter te, & tartarum amplius spatium non intercedit, quàm punctum. Si ergo justo Deo permittente in hoc statu quo vivis, in hoc loco, quo consistis, hoc momento, quo spiras, spirare desineres (fieri id potest) in puncto ad infernum descenderes, & momentum, quod sequitur, esset primum (si primum esse potest) tuæ infelicissimæ æternitatis. Et à quo pendet, ne tantum tibi malum accidat? à quo inquam, nisi ab illo, qui propter te pavit? ab illo, qui hoc vespere pro te sanguinem sudavit: *Et non times? non tremis? non expavescis?* Cave quisquis es; quis scit, an non Deus velit, ut ego te hac Concione, hac hora, hoc loco, ultimùm commonefaciam ad seriam vitæ pœnitentiam. Quis scit, an non futurum sit, ut nisi doleas hoc vespere, nunquam id sis facturus! O miser! hoc momento per me Jesus offert tibi gratiam, quam fortè in posterum offeret nunquam.

Interim hoc rogo, dum hoc vespere vobis imaginamini, Jesum in monte Oliveti prostratum humi; elevate quoque oculos, cogitate vos videre tribunal divinæ justitiæ; hæc dum tandem sententiæ subscribit, *Moriatur Iesus*, dum hoc decretum per Angelum nuntiatur, Filius Dei pallet, pavet, contremiscit. O miser, quænam te expectat mors? horrenda, crudelis, æterna! O infelix! quam Justitia contra te scribit sententiam? maledictam. *Et non paves?* imò securus pergis Deum offendere? Cave! ô cave!

§. 12. *Symbolum Card. Caretti Archiep. Avenionensis.* Piissimus Cardinalis Carettus Archiepiscopus Avenionensis inter sua emblemata pingi curavit, ignem comburentem hunc mundum cum lemmate; *Terreor aspectu Domini.* Aspectus irati Patris hoc vespere ita terruit filium Dei, ut totus expaverit. Quid tibi miser fiet homuncio, cùm in agone terribilis aspectus judicis te perstringet? O bone Jesu! me quod attinet, expavesco, timeo, formido ex toto corde cum mea scelera recogito, cùm iratum tuum vultum, & quidem hoc vespere sudantem sanguine intueor, contremisco. Sed ne tunc paveam, modò ad te confugio, mi Jesu; doleo, quòd unquam te offenderim!

Punctum IV.

Tœdium Christi.

§. 23. *De tœdio Christi.* PAvori permixtum fuit ingens tœdium in anima Christi; quod consistit in molestia & nausea quadam animi, qua cor ita comprimitur & angustiatur, ut videatur omnino deficere, & ruere in quoddam deliquium, vel virium omnium defectum, in quo cor quasi solvitur, stillat, diffluit, distillatur. Expertus fuit David Ps. 118. v. 28. *dormitavit anima mea*: alii legunt, *stillavit*; alii, *solvitur*, alii, *diffluit*, alii, *agonizat*. Quocunque in tali tædio se vertat homo, in omnibus, quæ cogitat, quæ loquitur, quæ audit, occurrit dolor, succedit fastidium. Hoc tœdio punivit Deus populum in deserto, Numer. 21. v. 4. *Tædere cœpit populum itineris, at laboris*, alii legunt, *Angustiis affecta est anima populi.* Idem hoc vespere, in itinere ad montem Oliveti accidit Christo Salvatori, *cœpit tædere*, itineris ac laboris. O mi Jesu quid cras fiet in itinere ad montem Calvariæ? angustiis affecta est anima Christi. Præter pavorem, præter tœdium, cœpit *mæstus esse.*


Punctum V.

Moestitia Christi.

§. 24. *De mœstitia.* MOestitia involvit dolorem adeò gravem, ut illo quasi præfocentur Spiritus vitales, ob quorum defectum concidunt, & caligant oculi, fugit color ex membris, succedit pallor, totumque corpus adeo immutatur, ut aspicientes ad compassionem inducat. Talis fuit mœror, summi sacerdotis de quo ait c. 3. l. 2 Machab. v. 16. *Iam verò, qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur: facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorem. circumfusa erat mæstitia, & horror corporis, per quem manifestus aspicientibus* *Figura.*

tibus dolor cordis ejus efficiebatur. Melius Christum in horto mœstum depingere non possum. Dedit illi Dominus, Deut. 28. v. 65. *animam consumptam mœrore,* qui tantus fuit ut timore tremulus, horrore perculsus, pavore stupefactus (pro vocula *pavere,* græcus textus habet, *obstupescere*) modò in hanc, modò illam in partem conjicens oculos, spiritu anhelo, tristissimis verbis dixerit ad Apostolos, *sustinete hic & vigilate mecum,* quasi diceret, *Filioli mei in his angustiis ne me deserite.* Nullus dubito, quin ita his dictis ad compassionem commoti fuerint, vel vulnerati potius Apostoli, ut quid mœstissimo Jesu responsi darent, nunc quidem temporis non haberent.

Nam si vulnerabatur, ut ante memini, qui summi olim sacerdotis dejectum mœrore vultum intuebatur: an non vulnus etiam fuerit in oculis discipulorum, sacerdos ille magnus, sacerdos secundum ordinem Melchisedech? Si facies hominis, & color paululum immutatus declarabat internum animi dolorem; quid putas declaraverit benedicta Christi facies sanguine manans copioso? quis non simili moveatur aspectu? quis adeo ferus est, cujus non pectus pervadat ejusmodi imago oculis delibata? Compatimur tibi mœstissime Jesu; movet intima cordium nostrorum tua molestia: euge, admitte amantium te animarum affectum.



Punctum VI.

Tristitia Christi.

Pavor, tœdium, mœstitia, benignissimum Salvatorem adeo angustiarunt, ut dixerit, *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Sensus est: ea premor tristitia, quæ sufficit, ut etiam vitam mihi præscindat. Viden' ò sponsa? ubi lates? respicis post cancellos? tam tristis est sponsus tuus, ut nisi virtute de alto confortaretur, nisi inquam Deus esset, præ nimia mentis tristitia statim corrueret exanimis. *Tristis est anima mea,* id est, sentio jam dolores mortis. Tristis sum, quasi jam vitam cum morte commutaturus. Tanta fuit hæc tristitia, ut fuerit imago pœnarum inferni. Fundamentum est in Ps. 17. v. 6. *dolores inferni circumdederunt me.* Dolor damnatorum in quatuor præcipuè consistit, I. in tristitia sive apprehensione præsentis ingentis mali, cum amarissimo fletu, Matth. 13. v. 42. *ibi erit fletus & stridor dentium.* 2. in continuo timore. Job. 10. v. 22. *ubi sempiternus horror inhabitat.* 3. in tœdio ex privatione omnis solatii. 4. in continua agonia, *Vermis eorum non moritur.*

§. 25. **De Tristitia Christi.**

His ipsis fuit doloribus tantisper exercita sacratissima Jesu anima. Nam malum quod apprehendebat, quantum erat? *ineffabile!* Dolores quanti? *inauditi!* quanta anxietas? *usque ad mortem.* Qualis fletus? *sanguineus!* Deinde timor erat continuus, quique nullam Domino quietis partem concedebat vel minimam. Præterea tædium omnis expers solatii. Agonia denique conti-

Fuit ingens.

mua, ut non immeritò dicere potuerit, *Dolores inferni circumdederunt me.* Gaude anima mea: quia dolores inferni circumdederunt Jesum tuum, non modicam nact. . sperandi causam, fore, ut tu ab illis, heu, nimis diris cruciatibus olim in tempore malo vindiceris.

§. 26. *Christus passus fuit in omnibus membris.* Nimirum passus est pro te Jesus in omnibus, quæ pati potuit. Hæc est talis tamque acerbæ natura agoniæ. *Passus est in oculis*, ut tu ne illos iterum posthac pasceres aspectu vanitatis. *Passus in fronte*, ut confundaris in malo; *In genis*, ut ruborem duceres in luxuriis: *In auribus*, ut ne amplius obsurdesceres ad vocem Dei. *In facie tota*, ut ne quid dignitate tua posthac indignum committeres. *In collo*, ut ponere disceres cervicem nimis elatam. *In humeris*, ut fortis evaderes ad portandum ejus jugum: *In brachiis & manibus*, ut strenuus esses, ac gnavus in cultu divino operarius; *in pectore ac corde*, ut corde fieres recto; *in pedibus* ut viam ambulares virtutis.

§. 27. *Causa tanta tristitia.* Postquam interpretes, hæc verba Christi, *Tristis est anima mea*. ita explicuerunt, solent inquirere causas tantæ tristitiæ. P.ima & naturalis est, quia quasi in speculo cernebat omnia tormenta sibi parata. Alapas, colaphos, sputa, virgas &c. ut jam supra insinuavi; Sed quid causas inquirimus, cur tristi fuerit mœstissimus Jesus. Tres alias suggerit S. Hieron. *Contristabatur super infelicissimum Iudam, & scandalum Apostolorum, & rejectionem populi Iudaeorum, & eversionem misera Ierosolyma.* 3. Magna causa tristitiæ fuit afflictissima Mater, & gladius, qui virgineum ejus cor pertransibat. 4. Unam ex præcipuis

1. *Vidit omnia tormenta.*

causis exprimit Ezechiel. *Et contristabas me in omnibus istis.*

2. *Varia alia causa.* *Visne scire superbe mortalis*, quid piissimam Jesu animam contristarit usque ad mortem? tua fecit hoc superbia! tui arrogantes mores, tuæ mentis elatio. *Visne scire invide?* quæ Angelorum lætitiam atra mœroris nubes circumdedit? tua fuit invidia, tuus livor, tuus in proximum animus exulceratus. *Visne & scire Veneris mancipium?* tua luxuria, tua incasta vita, tui impuri sermones, tuæ cogitationes impurissimæ, hanc Deo meo induxerunt tristitiam.

§. 28. *Peccator contristat & amarum facit Dominum.* Obstupuit hoc Isaias c. 7. v. 13. *Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* Septuaginta, D. Hier. ac D. Iren. legunt: *Agonem prabuistis Deo meo.* Vos itaque impii, vos fuistis causa pavoris, tœdii, mœstitiæ & tristitiæ Christi in horto. Unde Amos c. 6. ait: *Va civitas peccatrix!* In hebræo, *Marath*, quæ vocula significat, *Deum amarum facere*, q. d. O Civitas, quæ tuo vitio dulcem Dominum atque clementem vertis in amaritudinem. Amos 6. v. 13. *Convertistis in amaritudinem judicium, & fructum justitia in absynthium.* D. Hier. *mutastis naturam Dei, ut dulcem amaram faceretis.* Auditis impii? vos mutastis naturam dulcissimi Jesu. *Filii Israel exacerbaverunt Deum in deserto*, Ps. 77. v. 40. Vos exacerbastis Jesum in monte Oliveti. O mi Salvator! & ego tibi, fateor! infelix ego, illam tibi creavi molestiam; in illum ego te conjeci agonem! heu me! neque enim negare vel possum, vel volo. Sed tristis ideo est anima mea! conturbata sunt ossa mea, afflictus Spiritus! heu!

beus! mea scelera quæ tu probè nosti, te reddiderunt amarum dulcissime Sponse! hinc ingemisco, hinc mitto lacrymas, duco suspiria, hinc contritum mihi cor, & humiliatum, Deus meus! Sed filum relego historiæ sacratissimæ Ergo tristitiam Christi sic explicant alii.

§. 29. *Depingitur tristis Iesus.* Posteaquam hoc, quo dixi modo, una cum tribus discipulis hortum Gethsemani ingressus fuisset Jesus, totus esse cœpit in affectibus, totus in lacrymis, totus in suspiriis, in precibus, in angustiis, curis, mœroribus. Jam tristissimis oculis intueri Petrum, jam eos defigere in Jacobum, jam in Joannem: modò dejicere in terram, mox iterum convertere ad Apostolos. Non rarò velle loqui; sed præ angore non posse: inclusus quippe cordi dolor, ut fit, facultatem loquendi ademit; Tandem tamen, plangens manibus, magno cum singultu, emortua quasi voce, & gemitibus interrupta dixit citata pauca verba, sed affectu plena, plena angustiis, *Tristis est anima mea.* Cum hæc verba dixit, præ timore injecit se in humeros trium Apostolorum. q. d. O dilecti discipuli, vos aliquando in monte Thabor fuistis spectatores gloriæ meæ; nunc in hoc monte Oliveti, in hoc horto estote mihi meæ testes tristitiæ. Fuerunt; sed steterunt attoniti, veluti amici Job, qui septem diebus luctuosissimam ejus sortem solis lacrymis, suspiriis, stupore & silentio sunt prosecuti, *Videbant enim dolorem esse vehementem.* Job. 2. v. 13. Ita nec Petrus, nec Jacobus, nec Joannes verbum dixerunt, sed stupuerunt videntes tam vehementem dolorem.

Ejus alloquium ad Apostolos.

§. 30. *Anima pia desiderat esse particeps hujus tristitiæ.* Itane? hoc vespere in monte, in horto, inter olivas præ tristitia exaruit ille fons, ex quo quidquid est lætitiæ in hominibus, vel gaudii in Angelis, vel exultationis in cœlo & in terra, plenis rivis exundat: Itane tristatur Jesus meus, quem tenerrimè amo? Vale ergo omnis vana lætitia! O munde, claude domos convivii! ibo hodie in hortum Gethsemani, in hortum luctus. *Valete strata eburnea*: rigabo hac nocte lacrymis montem Oliveti. *Marcescite rosæ*: spinas hoc vespere imponam meo capiti. *Silete cytharæ & tympana*, gemitus & suspiria erunt mihi Musica. *Tristatur Iesus*! iterum spondeo, iterum adpromitto, quod vicissim anima mea hoc vespere, imo & tota vita mea futura sit tristis. *O tristis Iesu*! Ego ex tuo corde extorsi tot gemitus, *Ego* ex ore tuo expressi lamenta. *Ego* ex oculis elicui lacrymas! *Sed & ego* hoc vespere abstergam. *Ego* contristavi, hodie meis lacrymis, meo dolore &c. exhilarabo, gaudium enim tibi est super uno peccatore pœnitentiam agente. Hanc agam hodie, & feriam.

§. 31. *Pium suspirium ad Christum.* Neque enim ignoro; gratulari tibimet soles ipse de inventa ovicula, cum optimi semper impleas partes Pastoris. Ego illa esse cupio ovicula! recipe me cum gaudio, atque humeris tuis impone sanctissimis. Non me latet quantũ mœroris hauserit ex perditis filii prodigi moribus optimus Pater, tantum illi voluptatis accessisse, cum ad ipsum supplex, vitæ morumque pœnitens reverteretur. Ego filius ille fui prodigus, En me, qui fui hactenus paterni causa doloris;

loris; nunc esse desidero jucundissimi occasio amoris, & gaudii; si quidem me tuo dignaris amplexu. *Tu* lætaberis; *Ego* lugebo. *Tu* te convertes ad risum; *Ego* me recipiam ad lacrymas. *Tu* vacabis deliciis; *Ego* suspiriis. *Tu* gaudiis afflues, dum me intueberis; *Ego* verò tantisper indulgebo doloribus. Unum est quod vicissim à te, etiam atque etiam rogo, amantissime Jesu, ut ne me sic tua causa afflictum tuo destituas solatio. Hinc exclamo cum psalte regio Psal. 118. v.76. *fiat misericordia tua, ut consoletur me.* Sine hac, animam necesse est meam tædio atque mœrore contabescere.

§ 32. *Crescit tristitia Christi, crescat & nostra.*

Sed quid ago? non cessat tristari Jesus, pavere, suspirare, orare. Quid agimus nos miseri! certè dum hoc vespere ita tristatur Jesus, oporteret nos, & maxime peccatores, tundere rea pectora, evellere capillos, laniare genas, indui sacco, conspergi pulvere, jacere in cinere, rugire à gemitu cordis, fremere spiritu, implere aërem querulis lamentis, clamare flebili voce cum Jeremia cap. 9. v. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lacrymarum? & plorabo dies ac noctes.* O quis mihi hoc vespere inter olivas aliquem concedet angulū, ut videam Jesum meum? ut cum illo lugeam, ingemiscam, suspirem? ut cum illo sit tristis anima mea. Certè deberet hoc in loco ac tempore dicere peccator quilibet cum Michea cap. 1. v. 8. *Super hoc* (quod anima Christi tam tristis est, ita pressa mœroribus, angustiis afflicta) *plangam, ululabo: vadam spoliatus, & nudus, faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.* O draco! O peccator! tu parasti in calice fel draconum, & ideo anima Christi tristis est, sed ubi tua est tristitia? post tot scelera, ubi pœnitentia? ah utinam non hoc vespere tuum Jesum de novo offenderes! Scio, movebuntur multi; multorum corda salutaris perstringet dolor, multorum conscientiam mœstissima sauciabit tristitia: Sed timeo ne alii permansuri sint, quasi saxa & lapides, id est, duri atque impœnitentes, perinde ac si illorum gratia non subiisset Dominus noster hanc mœstissimam agoniam!

§. 33. *Magna causa tristitiæ quia vidit omnia peccata & damnandos.*

In hac tristitia, in horto veluti theatro Salvator noster rursum intuitus fuit omnia hominum scelera, sive præterita, sive præsentia, sive futura. Præterita quidem, quia clarissimè habuit ante oculos immensam illam multitudinem hominum, quia ab orbe condito ad illam usque horam ob peccata sua perierant, æterni jam addicti cruciatibus. Itaque dum Christus Dominus hortum fuit ingressus, sub pedibus ejus quasi patefacta fuit inferorum vorago, in qua vidit tot milliones ardere; audivit lamenta, blasphemias, ululatus æternæ desperationis; & pro quovis cupiebat mori. *Sed frustra!* Et miramini, quod SS. ejus anima tristis fuerit usque ad mortem? Pari ratione ante oculos habuit omnes homines præsentes, & præsentia eorum scelera, præsertim electi populi, & Synagogæ, pro his ad mortem ultrò se obtulit, & tamen videbat plurimos quoque ex his ipsis damnandos, quid ergo mirum, quod anima ejus fuerit tristis. Pari ratione nos discurrere oportet de futuris. Atque hæ universa simul in unum veluti cumulum

mulum congesta, præsentia, præterita, futura, sic SS. ejus animam invaserunt, tantoq; impetu presserunt, ut præ vastissimi doloris vehementia, ac mole, quæ illi incumbebat, vitam protrahere longius non potuisset, nisi divina illum virtus sustentasset. Itaque dixit, *tristis est anima mea, usq; ad mortem.*

§ 34. *Gravitas peccati mortalis.* Taulerus auctor pietate illustris, & ex eo P. Stanihurstius, existimant fore, ut si quis levioris etiam peccati fœditatem perfectè cognosceret, atque intueretur illius ejusdem turpitudinem, perpensa simul optimi Numinis majestate, vena illi ne una esset in toto corpore, quam non aperiret doloris vehementia: toto corpore sudaret sanguinem, surgerent illi præ horrore omnes in vertice capilli, deficerent eum vires, finderetur ei cor, rumperetur pectus, denique impatiens doloris, præ ejus immensitate repentè corrueret in terram exanimis, & moreretur. Quod si ita est, quid putas animi fuit amantissimo Jesu, cum non unum, sed tot tantaque & quasi infinita mundi totius scelera spectaret? Prô quam illi acerbus fuit hic obtutus! quam mœsta visio! quam spectaculum luctuosum!

§. 35. *Invectiva in vanè lætantes.* Tristitia hæc Christi Domini in memoriam mihi revocat dictum illud impium apud Ecclesiasticum c.5. v.4. *Peccavi, & quid accidit mihi triste?* hæc & hodie est vox impiorum. Licet Christus D. ob peccata nostra tristetur, licet agonia dejectus fatali, conflictetur vitam inter ac mortem dubius; illi tamen læti atque hilares *ducunt in bonis dies suos*, quasi nihil omninò mœstum acciderit. Sed audi impie! dicam tibi aliquid, quod tibi luctuosum eveniet, &, si homo es, ambæ tibi tinnient aures. Peccasti lethaliter? *Ergò* es hostis Dei; *Ergò* perdidisti jus ad cœlum, *Ergò* æternæ filius existes damnationis. *Ergò* à Dei benedicta exclusus æternum! *Ergò* ex Angelorum dejectus consortio, tremendo cœtui cacodæmonum nomen dedisti. Quid? & an non hæ dolendi causæ? non sunt justissima mœroris argumenta? non hæ gravissimi luctus rationes? Damnatum jam te dicam, & maledictum, si non hæc conscientiam tuam vulnerant, atque inexplicabili quodam afficiunt mœrore, motiva.

Placuit mihi in consideratione tristitiæ Christi Concionator quidam gallicus, Valladier dictus, illam sic explicat. §. 36. *Alius discursus de tristitia Christi.*

Per peccatum Adamus cum omnibus posteris meritus fuit triplicem pœnam in generali. 1. Miserias hujus vitæ. 2. Mortem temporalem. 3. Pœnam æternam. Pro omnibus his pœnis Christus Salvator excellenti modo voluit satisfacere. *Pro prima:* sufferendo frigus, famem, labores, & quæ sunt ejusmodi pœnæ complures per annos omnino tres & triginta. *Pro secunda:* mortem elegit longè turpissimam, atque acerbissimam mortem Crucis. *Pœna tertia sive æterna* capax non fuit, sustinere tamen voluit, quantum potuit, quatuor potissimum in rebus.

1. Damnati sunt in potestate diaboli. Fuit & Christus D. unde ad milites dixit, *hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Et S. Chrysostomus putavit illos, qui vel spinis coronarunt Jesum, vel flagellis cæciderunt, fuisse possessos à dæmone. Diaboli quantum possunt, & quan-

quantum illis licet, damnatos puniunt: pari ratione tortores Christi, quantum potuere, ipsum sævierunt. 2. damnati patiuntur sine omni solatio. Epuloni sepulto in flammis unica guttula aquæ negatur. Luc. 16. v.24. Sic pati voluit Christus D. in horto: esse voluit in summo tædio, in summa tristitia, sine omni solatio. In Cruce, in summa siti clamavit, sitio, sed qui sitim vel unico haustu aquæ levaret, non fuit, imò fel ei & acetum propinarunt. 3. Damnati derelicti sunt à Deo; non minus Salvator noster, inde enim est, quod exclamavit in Cruce, *Deus &c.* 4 Damnati sunt in summa tristitia sine omni quiete; *ibi erit fletus & stridor dentium.* Similem tristitiã, ad tempus saltem, perpessus est Salvator in horto, cum dixit, *Tristis est anima mea usq; ad mortem.* Cogitate an non in hac consideratione jure possimus dicere cum S. Bern. *O bone Jesu! quid tibi & morti &c. nos debitores sumus, & tu solvis? nos peccavimus, & tu luis?* An non ipse dicere potuit, ex Ps.68. v.5. *quæ non rapui tunc exsolvebam.* Suspiria alia Christi D. in immensa hac tristitia puto fuisse versus ex psalmis, qui ingentem Christi mœstitiam simul pulchrè declarant: Ps.68. v.3. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* v. 1. 2. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usq; ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Eripe me de luto, ut non infigar, libera me ab iis qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neq; absorbeat me profundum, neq; urgeat super me puteus os suum*; ex Ps. 87. *super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me &c.* (hæc omnia pulchrè applicari possunt tristitiæ Christi D.) sequitur.

Suspiria Christi D.

Punctum VII.

Pudor, & Confusio Christi.

§. 37. *De pudore & confusione Christi ob peccata aliena.*

Et hæc immensum auxit tristitiam, tædium & mœstitiam Christi. Ut illa intelligatur, meminisse oportet. 1. Christum D. Agnum innocentissimum sic ab omni peccato fuisse alienum, non modo ut nullum unquam potuerit ipse admittere, sed & nullum, à quocunque commissum, sustinere, quin maxime abhorreret, 2. quod non obstante illo naturali horrore, omnia tamen omnium hominum peccata sic in se transtulerit, aut sibi à Deo imposita sustinuerit, ut se velut omnium delictorum reum intueretur, atque ita coram Deo appareret; juxta illud Apostoli 2.Cor.5.v.21. *Eum, qui non noverat peccatum, fecit peccatum pro nobis*; id est victimam, vel Agnum, qui esset velut oneratus omnium, & uniuscujusque peccato, atque ejus pœnas persolveret: sive passer ille, qui Levitici 16. v.22. dicitur, *portare peccata populi.* 1. Petri 2. v.22. *qui peccatum non fecit, peccata nostra ipse pertulit in corpore suo.* Quod melius explicari non potest, quam si dicatur Christus D. fuisse sponsor seu fidejussor, qui suam pro alio fidem interponit, licet ille nullũ pecuniæ debitum contraxerit, tamen perinde ad solvendum obstrictus manet, atque si esset debitor. Sic Christus D. se vadem & sponsorem nostrum constituit, & in se omnem prorsus iniquitatem transferens, debitas ei pœnas persolvit. S. Aug. *Non peccavit & pœnas dedit.* Hinc itaq;

itaq; ingens in facie, & anima Christi, coram conspectu Patris confusio, & verecundia, hinc illi virginei sensus pudoris, quo Christus se coram Deo indutum, & opertum omnibus peccatis vidit; viditque Deum simul illis offensum gravissimè, & valde iratum, quasi de peccatorum numero unus aliquis esset, Isaiæ 53. v.8. *Propter scelus populi mei percussi illum.*

§.17. *Prosecutio* Quo instatu Christus D. non potuit non confundi dolore, atque tristari vehementissimè. Cum ad columnam, in Cruce nudus apparuit, cum in veste alba coram Herode, stultum; in purpurea fictitium quendam Regem coram populo repræsentare cogeretur, quis dubitat tum ejus vultum pudore, & confusione plus quàm virginea fuisse suffusum? major tamen illa fuit, quam coram Patre ob peccata populi sustinuit, cui soli cognitum erat, quam vel unicum peccatum esset horrendum, & abominabile in conspectu Patris. Fortassis ideo Ps. 68. v.20. dixit: *tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reverentiam.* Zacharias prævidit c. 3. v. 1. *Ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini, & Iesus erat indutus vestimentis sordidis.* Ut sic officium Redemptoris perfectissimè impleret, nihil eorum, quæ ad salutem nostram pertinebant, omittere voluit, licet confusione, & rubore plena. Age Christo gratias, Anima mea, & quod monet Sapiens Ecclesiastici 29. v.20. *gratiam fidejussoris oblivíscaris, dedit enim pro te animam suam* in pavorem, mœstitiam, tædium, tristitiam, confusionem. Sed age nunc, gradum faciamus ad alia.

Punctum VIII.

Oratio Christi, & Apparitio Angeli.

Sequitur in textu passionis. *Avulsus ab eis quantum jactus est lapidis, positis genibus procidens in faciem suam super terram, orabat*; Sic nobis ostendit, quonam in angustiis confugere debeamus, scilicet ad orationem. Oravit autem hoc modo: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma; veruntamen non mea, sed tua fiat voluntas.* q. d. O Pater, scio præceptum, quod momento, quo factus sum homo, mihi imposuisti, ut pro genere humano moriar in Cruce, ut horrenda patiar. Et, *Deus meus! volui!* ad hoc veni in mundum, ad hoc natus sum, ut tuæ Justitiæ meo sanguine satisfaciam. Sed mi Pater! Pater es! ego Filius! filius innocens, filius, qui te amat, qui te nunquam offendit. Et es Pater, qui me amas! O Pater si Filium tuum amas, cur illum vis virgis cædi? cur mori in Cruce? Spiritus, & amor meus ad omnia promtus est atque paratus: sed carni illa dura sunt, ardua, difficilia, horrenda. §. 18. *Oratio Christi D. ad Patrē.*

Filium Dei veluti latronem Cruci affigi! quis Pater unquam permisit filium innocentem atque dilectum ita tractari? petivisti à me labores, *in laboribus fui à juventute mea!* petivisti sudorem & lachrymas! *dedi abundanter*, petivisti suspiria! *dedi!* petivisti Sanguinem! *dedi*, & jam jam dabo in sudore sanguineo! quid flagris? quid virgis, quid clavis, quid torculari Crucis, quid lancea est opus? His parce O Pater, sufficiant priora, & placeat tibi Pater, ut à Filio transeat tam amarus calix amaræ mortis!

§. 39. *Vnde quadam renitentia in Christo.* Et quonam tendit hæc Christi oratio? qualia hæc sunt desideria? nunquid hactenus à triginta tribus annis desiderio desideravit hunc diem? an non illum vocavit diem *lætitiæ cordis & desponsationis suæ*? Auditores mei, & modò desiderat, nec aliud optat, quam mori in cruce, pro homine, sed secundum Spiritum; *caro est infirma*: hæc quantum sine offensa patris potest, reluctatur. Juvat hoc mysterium pulchro quodam simili exponere. *Declaratur simili.* Filio Regis medicus præscribit hauriendum mane potum; regius princeps valetudinis avidus, vesperi de illo loquitur, monet famulum, urget, sollicitat, ut postridie illum afferat in tempore. Ergò dum is jam affertur, dum oculis infirmi exhibetur à longè, dum ad lectulum deportatur, dum laudatur propinaturque, dum ori admovetur, dum gustatur denique ejus amarities, pro quantam subito creat nauseam! quantus oritur horror! quam fastidit palatum! quam fortiter reluctatur stomachus! exhauritur tamen usque ad ultimam guttulam, quantumcunque adversa se opponat natura. Tantus est vitæ amor! tantum recuperandæ valetudinis desiderium!

§. 40. *Applicatio* Hodiè Principis maximi Filius item maximus, dulcissimus, tenerrimus, non sua quidem sed nostra omnium laborat infirmitate: nisi fortè illius est ardentissima illa febris charitatis, qua primo vitæ suæ sanctissimæ momento correptus etiamnum flagrat. Igitur cœlestis illi adest Æsculapius, & ecce propinat calicem; sed ah! quam amarum huic Principi, quam myrrheum felleumque! non miror profecto obstupefactam fuisse, & quasi inversam solo calicis hujus aspectu naturam boni Jesu! mox tamen ubi se collegit, exclamat; *Veruntamen, mi Pater, non mea, sed tua fiat voluntas.* Atque ita generosè bibit, & ebibit etiam, usque ad fæces!

§. 41. *Christus D. alloquitur discipulos.* Probabile est hanc orationem Christi in horto per horam durasse integram, verùm quia nullum à Patre responsum reportavit, surrexit & venit ad discipulos, quos somno gravatos ita suaviter fuit allocutus. *Vna hora non potuistis vigilare mecum?* Fortè dixit, meministi ne cum nuper in navi, sæviente tempestate, dormirem, quibus me vocibus excitaveritis? excitastis, & vigilavi statim. Modò me alia tempestas demersit: itaque vigilate, & sustinete mecum. Dixit, & ad preces se denuò recepit.

§. 42. *Apparitio Angeli.* Existimo alteram hanc fuisse orationem æquè humilem, ardentem, perfectam ac fuerat prima, aliud tamen non obtinuit, quam quòd venerit Angelus de cœlis (sunt qui Gabrielem hujus extitisse legationis ministrum, probabiliter satis arbitrantur) qui confortavit illum, fortè his vel similibus verbis. *O Fili Dei,* placet Patri tuo, ut pro genere humano bibas hunc calicem, vult, ut flagelleris &c. Statutum ita est in Sacrosancto divinæ Triados senatu; Patre mandatum suum tibi proponente, te acceptante, Spiritu S. approbante. Macte animis, quindecim non amplius horis tota hæc peragetur tragœdia. Si bibere renuis, actum est de genere humano. Sed consurge; induere fortitudinem ex alto: mors aut vita omnium, in tua est posita manu. Quibus Angeli verbis Filius DEI reposuit, primæ orationis;

nis clausulam, *Non mea, sed Patris fiat voluntas.*

Spiritus ergo, sive anima & ratio Christi, vel pars superior inferiori, carni, & corpori mortem imperavit. Hæc ultima fuit decisio voluntatis, *Moriar in cruce pro genere humano, ebibam amarissimum hunc calicem*; hinc illa lucta inter rationem, & sensualitatem, spiritum, & carnem, inter vim ipsam naturæ, qua mori refugit, & amorem moriendi pro nobis: cum tanto virium defectu, cum tanto cordis deliquio, tanto pavore, tædio, & mœstitia, ut filius Dei pronus deciderit in terram, agonizans.

Punctum IX.

Agonia Christi in horto.

§. 43. *De agonia Christi in horto.*

AH! ubi estis lucidissimi aëris globi? ubi estis errantia sidera? ubi estis planetæ? ubi reliquus stellarum cœtus? an non videtis provolutum in genua Dominum vestrum? non cernitis allisam terræ faciem illam benedictam, in quam desiderant Angeli prospicere? ah cur non accurritis? cur non ex alto vos devolvitis? cur non agonizantem luce vestra, ac radiis recreatis?

An nescitis fortè? Deus hic vester est, Princeps vester, Rex vester, conditor vester! mundi Salvator est, Jesus est! Formosa luna! tu saltem eum, qui noctis te præsidem constituit, in hac ferali nocte ne destitue, neque enim in terris ullum invenit solatium agonizans Jesus.

Sed quid stellas evoco ad triste spectaculum? hominum potius amat, quam siderum compassionem, atque obsequia Deus.

§. 44. *Descriptio agonizantis hominis & Christi Domini.*

Vos igitur interrogo Auditores, adfuistisne aliquando homini agonizanti, magnos inter corporis dolores, & angustias constituto? vidistisne qualis sit in illo acies oculorum, quàm fracta, nubila, tenebrosa! *Tales fuerunt oculi Iesu agonizantis*, advertistisne quales sint genæ & labia, qualis lingua? quam sicca, æstuans, arida? *Talis fuit lingua Christi agonizantis in horto!* Notastis, qualia moribundi brachia? quàm distenta, languida, elanguida? *Talia fuerunt brachia Salvatoris agonizantis.* Amabo vos, O sidera plenius infundite in fatalem hunc hortum Gethsemani lucem vestram ac radios, ut Jesum agonizantem clarius liceat intueri. *Vides?* ex toto corpore lethalis erupit sudor. *Animadvertis?* tremunt ossa, concutitur pectus, cor palpitat! *Perspicis?* erumpunt gemitus insurgunt capilli, urgent illum undique angustiæ mortis, quidquid mors habet dirum, horridum, truculentum sustinet agonizans Dominus.

§. 45. *Actiones boni filii in agone Patris.*

Agedum animæ piæ, faciamus quod pius filius in agone dulcissimi Patris facere consuevit. Adhæret fatali patris lectulo, oscula figit jam charis manibus, jam genis: nescit modum pene vel dolori, vel lachrymis, nec eloqui potest aliud, quàm; *Ah Pater! pater mi! pater dulcissime.* Ita & nos Auditores provolvamur ad pedes agonizantis Jesu, osculemur non modo dexteram illius, sed & sinistram manum, imò & vultum, & oculos, & genas, & labia, & humeros, &

& cor, & pedes parentis dulcissimi. Ite piæ lachrymæ, ite tenerrimi amantium affectus, ite gemitus, ite suspiria, *mi Iesu, mi Pater! mi dulcis amor!* O si cum agonizante tam dilecto Patre agonizaret & degener filius! O si in me similes faceret impetus horrida mors! neque enim sine Jesu, sine amore meo posthac vitam mihi jucundam fore persuadeo. Hæc est vox filiorum Dei, hic animus eorum, qui arcto Jesum amore complectuntur, ut decet.

§.46. *Votum Auctoris ut Amor in cordibus nostris depingat Christum sudantem sanguinē.* Sed jam tempus monet, in sanguinolentam descendere arenam. Sequimini Auditores, Jesus incipit pretiosum sudare sanguinem. Sed antequam hanc vobis luctam plenius repræsentem, date id desiderio meo, ut liceat mihi prius vobis cordis mei vota sensusque exponere. Occasionē iis dedit dictum quoddam piissimi Abbatis Petri Cellensis. *Quàm pulchras, & decoras novit fingere formas dilectio!* Sic est: Artificiosissimus pictor est Amor, amabiles scit formare formas, suaves pingit imagines. Loquitur citatus Auctor de amore erga Christum passum, ideò subdit, *Pingit* (scilicet in corde amantis, veluti in tela) *Iesum passum, pingit flagella in dorso, spinas in capite, clavos in manibus, lanceam in latere.* Experientia docet, plurimorum amorem ferri erga certa quædam Passionis mysteria. Sunt quorum una est voluptas, impensè colere cruentæ mysterium flagellationis: in ejusmodi cordibus divinus amor depingit flagellationis imaginem. Alios juvat impendere multas sæpe horas meditandæ coronæ spineæ: in ejusmodi mentibus Amor vivam hujus spinei diadematis iconem repræsentat. Illusum alii Jesum sibi indies ponunt ob oculos: illis illusionem Christi delineat amor. Alii bajulationem crucis; Crucifixionem alii, quo possunt studio venerantur, prout pictorum nobilissimus amor variis varias describit effigies. Sed quid ego Audit.? Utinam, O utinam, cœlestis Amor, hoc ipso in loco ac tempore, in cordibus vestris penicillo devotionis depingat agonizantem in monte Oliveti, & jam sanguinem sudantem Jesum, hoc est quod opto, voveo, suspiro, desidero.

Punctum X.

Sudor Christi sanguineus.

SAcer textus paucis illum sic describit. *Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Alia lectio habet, *sicut globuli.* Si piis meditationibus fidem habemus, adeò fuit hic sudor copiosus, ut guttarum millia aliquot ex omnibus Christi membris effluxerint, ut tandem de superioribus membris per totum corpus se devolventes, ipsam terram irrigârint. Causæ tam insoliti sudoris fuerunt tum physicæ, tum morales. P. Maldonatus in c. 26. Matth. refert Parisiis, juvenem fortem, & robustum, cum audiret pronuntiari à Judice contra se sententiam mortis, præ pudore, & horrore sudâsse aliquot guttas sanguinis, sed paucas & valde tenues atque subtiles. Verùm Salvator mundi, cùm secum ipse statueret acceptare mortem crucis tam infamem, §.47. *Sanguineus sudor quàm fuerit copiosus.*

mem, adeo totis artubus cœpit contremiscere, adeo inferior pars sanctissimæ humanitatis cohorrescere, adeo lethali pavore concuti, & quasi exanimari, ut sanguinem multò copiosissimum sudârit.

§. 48. *Objectio Medicorum.* Sed dicet fortasse medicorum quispiam, sanguineum Christi sudorem, exterioribus è membris non potuisse ex pavore aliquo, aut formidine promanare; nam metus sanguinem ex membris evocat in pectus, ut languenti cordi succurrat. Horror, timor, metus, tædium, tristitia, sunt veluti inimici cordis, qui illud oppugnant, ambiunt, constringunt, coarctant, atque suffocant, proinde reliquæ corporeæ facultates sanguinem cogunt ad pectus, ut cordi succurrat, illudque naturali spirituum vitalium calore confortet.

§. 49. *Responsio* Dubitari non potest, naturaliter hoc in corpore Christi contigisse. Cùm lethalis ille tremor, lethalis terror, lethalis tristitia, cor Christi in illas redegerunt angustias, verbo, cum Filius Dei agonia corriperetur, repente divinissimus sanguis ex omnibus membris ad tristissimum cor Jesu pro aliqua confortatione confluxit. Hinc ille in vultu pallor, ille in brachiis languor, ille tremor in tibiis, concussio in genibus, ut in faciem etiam fuerit prolapsus; (fuerunt hi effectus absentiæ sanguinis) Sed ab amore patiendi, à desiderio moriendi, quod quasi castrum occupârat cor Jesu, tanta vi, tanto impetu, divinus sanguis rejectus fuit, ut apertis præ virium defectu poris, *qua data porta*, ex omnibus membris in lethalem illum, & sanguineum sudorem eruperit.

Rem clariùs edisseram in simili Strenuus belli dux, idemque castri gubernator egregius, hostem quanta vi potest maxima repellit. In Christo D. hostis erat pavor, cujus labor erat sanctissimo cordi persuadere, ne morti vellet succumbere, fecit id metus, fecit tristitia, fecit sanguis. Sed cordis Jesu gubernator amor, multis partibus fortior eligens mortem, hos hostes in fugam compulit, & sanguinem à corde repulit tam vehementer, ut foras per poros erumpere fuerit coactus, id est: Sanguis, qui ex timore, & metu, circa cor se effuderat, retractus fuit ab amore, & in omnes corporis partes tanta vehementia dilatatus, ut ipsam carnem, & cutem pertransierit, sicque tandem guttæ, & globuli sanguinis per poros eruperint. §. 50. *Declaratur simili*

Singulare aliquid observate, quod ego quidem nunquam hactenus in consideratione Passionis, præcipuè sudoris sanguinei animadverti. Est autem Amoris, & desiderii patiendi inventum, per quod Christus D. impedivisse videtur naturalem sanguinis in tanto timore pavoreque ad cor affluxum, ut scilicet dulcissimum illud cor etiam hoc naturali auxilio, solatio, atque aliorum quasi succursu membrorum destitueretur. Et certè non poterat à natura illud subsidii genus absque violentia negari. Noluit tamen admittere, ut ostenderet quod magis & amplius nos, quàm se ipsum amaret, & plus quàm proprium cor, cui naturalem sanguinem negavit, ut pro nobis quodam inaudito modo, sanguineo in sudore, illum ipsum effunderet. §. 51. *Dulcissimum cor Iesu relictum fuit sine omni solatio.*

Nega-

§. 52. *Profecutio.* Negavit præterea cordi suo longè afflictissimo, quidquid ullum, id temporis, subministrare potuisset solatium. *Tantum erat patiendi studium!* Quid, quod & pars ejus superior, anima nempe, tantisper inhibuit rem omnium felicissimam, id est gaudii influxum beatifici; atque ita inhibuit, ut totum quasi illius fontem obstruxisse videretur.

Laurent. Justin. de Christi agone c. 19. *Deus in puris naturalibus sensibilem Christi partem reliquit: fluenta enim æternæ voluptatis continuit, ne impetu quo solebant, emanarent in illum.* O afflictissime Jesu! quid erat obsecro naturæ conformius, quam obsesso à tot hostibus cordi, exiguo sanguinis adminiculo, vel aliquot gaudii beatifici guttulis succurrere? Et tamen hoc ipsum neglexisti, imò impedivisti etiam tibi ipsi (si ita dicere fas est) nimis immisericors, at nobis benignus & amabilis!

§. 53. *Possumus illud solari.* Quid agemus igitur itane cor istud dulcissimum in tristissima agonia, in sudore lethali & sanguineo, tantis pressum videbimus angustiis, atque omnis expers solatii? nec aliquam illi opem ferre conabimur? Profectò mortalium futuri essemus nos omnium ingratissimi! Verum est quidem, nullum illo in statu admisit opitulatorem Jesus; dum ipsum etiam Angelum ad hoc officii genus destinatum relegavit. Credo tamen, si nos id temporis illi præsto fuissemus, si coram illo ruissemus in genua, si in conspectu sanctissimi sanguinis ingens erga peccata odium, doloremque concepissemus, si collegissemus prolapsi in terram sanguinis guttas; credo inquam, futurum fuisse hoc mœstissimo cordi non ingratum obsequium. Ah animæ piæ, quod nobis tum facere non licuit, faciamus hac nocte, modò licet, libetque, modo amicos nos Jesu demonstremus & consolatores, & cor illius mœstissimum, cor agonizans, selectissimis affectuum, virtutumque flosculis recreemus.

Sed cui jam ascribamus victoriam? Timorine an amori? quibuscum colluctatus est Jesus noster. Certè triumphasset timor, recusasset mortis sententiam Christus, ex sensualitatis arbitrio, renuisset bibere calicem sibi præparatum, nisi fortis ut mors dilectio aggressa fuisset timorem in corpore benedicto: aggressa inquam, tanto fervore, conatu atque impetu, ut sacratissimus sanguis coactus fuerit in extrema sese membra refundere, ea vi ac copia, ut viam sibi per poros (quod ante insinuavi) atque exitum deduxerit: Subinde triumphans amor, timore pulso, ejecto timore sanguineo tantum in Christo excitavit desiderium moriendi, ut ejusmodi quasi flammis incensum fuerit pectus: §. 54. *Lucta timoris & amoris in Christo.*

Ah! ubi adhuc moratur Judas? ubi ejus satelles? ubi vincula? ubi catenæ? ubi virgæ? ubi spinæ? ubi crux? ubi clavi? ubi reliqua mortis meæ ad quam toto spiritu anhelo, instrumenta? O potentem in corde Jesu amorem! O fortitudinem! contemnit amor spinarum aculeos! non curat immanes ictus flagrorum; non absterretur carnificina clavorum, non rabie hostium, non Judæorum furore, non crucis ignominia, non ipso mortis supplicio à constantia dejicitur! statuit mori, ita fixum, ita decretum est! statuit non unam tantùm, §. 55. *Inflammata desideria patiendi & moriendi in Christo.*

sed

sed & mille, si quidem ita opus foret, mortes subire. Ardens hicce amor, hæc ardentia desideria divinum sanguinem magis magisque inflammarunt, ut mirum non sit præ nimio calore rarefactum, per apertos poros guttis sanguinis & veluti globulis à facie, totoque corpore in sanguineum sudorem dissolutum effluxisse. *Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Usque adeo commotus fuit atque accensus diviniſſimus sanguis, usque adeo effervescens, ut moræ omnis impatiens, ultro quasi exiret è corpore, quæsiturus vulnera, flagra, virgas, spinas, clavos, crucem, mortem. Sed age, nunc alias, (quæ morales dicuntur) sanguinei sudoris causas expendamus.

§. 58. Causæ morales sang. sudoris. 1. Complures sunt illæ, & primam quidem allegat D. Hieron. l. 2. contra Pelag. *Tam vehementer Salvator orabat, ut guttæ sanguinis prorumperent ex parte, quem totus erat in passione fusurus.* Particulam ex textu, *prolixius orabat*, sic legit textus græcus *Attentius & intensius.* Sic itaque discurro. Quò magis auctus fuit pavor Christi, *eò intensius oravit*: quo majora incrementa sumpsit dolor & tristitia, *eò Christus oravit* intensius; quo gravior fuit lucta, vitam inter ac mortem, *eò intensius oravit.* Hic fervor, quemadmodum paulò ante memini, tandem ita accendit pectus & cor Salvatoris, ut sanguis calefactus in venis ebullierit; & quia per hunc naturalem calorem rarefactus alium exitum non invenit, aperuit poros, perque illos evadens largo rore vestes Christi, & ipsam terram humectavit. Effectum hujus orationis advertit cit. Laur. Justin. *Intellige quantum oratio conferat, quæ paventem & agonizantem recipiens Dominum, illum exhortantem reddiderit, atque intrepidum, unde ajebat, surgite, eamus.* Oratio timorem mutavit in fortitudinem, tristitiam in lætitiam, metum moriendi, in moriendi voluptatem. Utinam nobis hoc vespere fervor orationis, si non sanguinem, at lacrymas saltem ex contriti cordis visceribus exprimeret.

In theatro crudelitatis Calvinianæ lego Puritanos, Catholicorum nonnullos inclusisse torculari, atque ita compressisse, ut ex omnibus membris sanguis, veluti vinum ex compressis uvis efflueret. Sic mihi imaginor amorem meum Jesum, qui sanguinem sudat in horto. En ut purpureos fundit rivulos frons Jesu benedicta! en ut iisdem scaturiunt oculi! En ut volvuntur per genas quasi gemmæ rubicundæ! en ut sanctiſſima cervix, ut humeri, ut brachia manusque, en ut pectus amoris sedes, en ut crura, & pedes, en ut membra omnia quasi nubes nobis rorem depluunt sanguineum! *verè sub torculari fuisti Amor, mi Jesu!* sed heu mihi! scelera mea, grande illud onus extiterunt, quo tam miserandum in modum pressus es, ad sanguinem usque. 2.

Toto corpore, & omnibus membris Jesus sudat sanguinem, ut omnia etiam sanguine defleant innumera nostra peccata. Utinam viciſſim omnia nostra membra, quæ hactenus servíverunt iniquitati, convertantur in oculos & lacrymas, ut plorent, quod tam bonum, tam amabilem, tam benignum Dominum offenderemus; quod tam luctuosæ ago- 3.

agoniæ & talis ſudoris, Chriſto D. cauſa fuerimus. Quisquis dolores Chriſti, quos in horto ſuſtinuit conſiderat, quisquis ſudantem ſanguinem intuetur, niſi ſaxum eſt, ut ad contritionis lacrymas moveatur, neceſſe eſt.

4. Affectuosè S. Auguſt. in Pſ. 90. *Tantum pignus dedit; non timeat ſponſa, ne deſeratur à ſponſo, non dimittit pignus ſuum. Quod pignus dedit? ſanguinem ſuum ſudavit.* Animæ piæ, cum fiducia hoc veſpere accedite thronum miſericordiæ.

5. Verùm mi Jeſu cur in horto ſudas ſanguinem, quem nihilominus cras iterum, & multò quidem copioſiorem effundes? Ad quid hæc anticipata, & veſpertina ſolutio, quæ à cœleſti Patre, & divina juſtitia in ſatisfactionem non acceptatur. Sanguinem crucis exigit furor irati Patris. Illa gutta quæ cras ultima fluet ex aperto corde per lanceam, illa juſtum furorem extinguet. Mi Jeſu, quid gemis, quid ſuſpiras? quid elevas brachia, ac manus? eas Pater non reſpicit, niſi cras aſpiciat affixas cruci. Mi Salvator, quid tribus horis hac nocte perſeveras in oratione, in terribili agonia? cùm Pater tuus ad miſericordiam non flectatur, niſi craſtina per trihorium in cruce accedat.

Sic eſt, ſed ineffabilem Chriſti bonitatem, & exceſſivam liberalitatem ex hoc capite cognoſcite. Poterat certè minori dolore nos redimere, poterat una gutta ſanguinis ſatisfacere, ſed ex infinita charitate voluit, ut copioſa eſſet redemptio, voluit nos in libertatem aſſerere ſecundùm rigorem juſtitiæ, pœnarum æquivalentia atque ſatisfactione pro peccatis æqua. Ex amore infinito noluit attendere, quanta paſſionis ſuæ eſſet virtus, nec quod delere poſſet per divinitatem ſibi unitam peccatorum infinitum acervum: nec illud reſpexit, quod una ſanguinis gutta ob patientis excellentiam & dignitatem pro cunctis peccatis ſatisfaceret, ſed quantus ſecundùm humanam naturam atque per æquam delictorum commenſurationem, dolor foret in expiationem neceſſarius, tantùm pati voluit, ut in ſtatera divinæ juſtitiæ in una lance tam diu jacerent ex una parte, Chriſtus homo cum tot pœnis, tot doloribus, tot tormentis, tot opprobriis &c. donec ex parte altera peccatorum omnium gravibus doloribus ejus eſſet levior & minor. Itaque in ſudore ſanguineo in imagine jam flagellatur, jam ſpinis coronatur in imagine. *Sanguinem ſudat ut copioſa ſit redemptio.*

Inter venenatos ſerpentes eſt qui dicitur Hæmorrhois; peſtilentiſſimum animal; quod dum hominem mordet, virulentam infigit qualitatem, quæ poſtquam per corpus ſe diffudit, aperit poros, ut non aqueus ſed purpureus etiam ſudor erumpat. Hæmorrhois dicitur ab αἷμα, id eſt ſanguis, & ῥέω, id eſt fluo. Senſu myſtico hic ſerpens eſt peccatum. Eccl. 21. v. 2. *quaſi à facie colubri fuge peccatum.* Supra dixi imaginationi Chriſti D. in horto, in triſtitia, in agonia &c. objecta fuiſſe hominum omnium peccata; & hæc fuerunt illi ſerpentes & hæmorrhoides qui ex phantaſia in ipſum corpus irrepſerunt, aperueruntque ſanctiſſimos poros, ex quibus poſtquam aqueus ſudor effluxit, 6.

xit, ipse demum sanguis successit. Itaque O superbi! vestram ego hic accuso sævitiam, nam vos hæmorrhoides & sanguisugas crudeles emisistis in hortum Gethsemani: Vos detractores, vos voluptuaria mancipia &c. vos illos suscitastis serpentes, qui sacratissimum sanguinem Jesu, jussu vestro atque auctoritate depasti sunt. Et quod vobis aliquando hac de causa subeundum erit judicium? O infelices! quam dira vos manebunt supplicia, ob diritatem tantam, quam partim hactenus nefariè in insontem Salvatorem exercuistis, partim etiamnum exercetis! Illi ipsi vos serpentes aliquando invadent, illi vestra perforabunt pectora, & lancinabunt, & sugent maledictum sanguinem vestrum in omne ævum. Propterea quod scelera vestra extiterint serpentes illi in Oliveto tam immites, efferi atque crudeles in Jesum.

7. Aliam rationem sanguinei sudoris jam ante insinuavi, ex serm. 3. de ramis palm. *Usque tertio factus in agonia orabat; ubi quidem non solis oculis, sed quasi membris omnibus flevisse videtur*, & addit: *ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, totius lacrymis corporis purgaretur.* Voluit itaque sanguineum sudorem esse balneum Ecclesiæ: fundamentum hujus discursus est in S. Script. eò quod Ecclesia constituat corpus mysticum. Caput, est status Ecclesiasticus; verùm quot sceleribus maculatum! pori capitis Christi sudant sanguinem, ut hoc caput abluatur. Prælati, atque pastores sunt oculi. O quàm maculatos habent aliqui oculos. Oculi Christi sudant sanguinem ut abluantur, (*est locus pro pulchra inductione*) In omni statu hominum inveniuntur gravia scelera; omnia in sua agonia; in horto deflevit bonus Jesus, non oculis tantùm, sed omnibus membris; non lacrymis tantùm, sed sudore sanguineo; ut in illo veluti balneo cum Constantino abluantur à lepra peccati mortalis. O animæ piæ, quærite hac nocte in monte Oliveti hoc balneum in ablutionem peccatorum!

Nemini hic in mentem veniat, commune id esse omni sanguini quem in Passionis decursu effudit Salvator; singulare enim aliquid est illud. In reliquis siquidem mysteriis membra tantùm aliqua cruorem nobis sacratissimum effuderunt. e. g. cùm coram Anna terribilis illi colaphus fuit inflictus, solùm erupit sanguis ex ore & naribus Christi: cùm cæderetur flagellis, dorsum præcipuè extitit cruentum, & brachia. Cùm coronaretur spinis, solum caput. Cùm vestes exuerentur, illæ partes corporis, quibus tenaciùs vestimentum adhæserat. In crucifixione, pedes & manus. Denique in apertione lateris, solum cor hunc nobis thesaurum egessit è latere. Verùm in sudore sanguineo membra cruorem dederunt universa; manabant cruenti veluti rivuli per frontem, per genas, per faciem; defluebant in collo, in humeris, in dorso; conspiciebantur in pectore, nõ desiderabãtur in pedibus.

Cùm duo insignes belli duces, in duellum descendunt mutuò conflictum, ante visum sanguinem vix separantur. Fervens prælium, accensa pugna, sine effusione sanguinis extingui nõ potest. Laurea serta victorum magis virent, cùm in virore purpurat sanguis, vel victi, vel

victoris. Palmæ Cæsaris creverunt rigatæ sanguineo rore hostilis sanguinis. Ingens victoria plerumque sanguine emitur. Victoriæ fructus sine sanguine non maturescunt, & quis Romanorum, triumphum egit, nisi prius campos sex millium hostium cruore purpurasset?

8. Comparet in monte Oliveti Christus D. ut hostem humani generis infensissimum aggrediatur fortiter, debellet gloriosè. De victoria ejus dubitare non licet, cùm sit filius Altissimi & bellator fortis. Sed in hac lucta, in hoc agone, factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. *Sanguinem sudat!* ut fervens prælium inter Deum & hominem, inter vitam & mortem, inter divinam justitiam & misericordiam, hoc sanguine extingueretur. *Sanguinem sudat*, ut post laurea insignis victoriæ corona, cum carbunculis hujus sanguinis purpuret & vireat magis. *Sanguinem sudat*, ut arbor vitæ hoc seu cruore, seu rore vel potius sanguinea pluvia rigata, pulchriores victoriæ fructus progerminet. Hortum Oliveti rigat sudore sanguineo, ut crescant surculi pacis. Agedum Auditores, consecremus hanc saltem noctem sponso sanguinum, atque intueamur & corporis, & animi oculis Salvatorem nostrum in suo agone sudantem sanguinem, & hac eadem nocte mille foveamus cogitationes pias, & accensa desideria, quibus illum novimus delectari.

9. Sed ad alias causas progredimur. Sanguinem sudat Jesus ne iratum cœlum novo diluvio ob humana scelera humanum genus extirpet, ex toto corpore benedicto fluit quoddam diluvium sanguinis, in quo omnia peccata submergi possunt. Primus mundi cataclysmus hominum scelera non satis expiavit, sanguineo fuit opus: en fluit hic sanguis, ut novum à terris diluvium avertatur.

Gen. 8. v. 21. posuit Deus iridem in 10.
nubibus cœli in signum pacis. Benè sperate mortales, aspicite oculos Christi, sanguine pleni sunt, aspicite labia distillantia cruorem, & agnoscite esse irides in signum fœderis inter cœlum & terram, Deum inter, & nos miseros homines.

Quot video divini sanguinis guttas, 11.
totidem numero & gemmas, & potissimum smaragdos, qui in præsentia veneni sudare incipiunt. O virus peccati mortalis! quia illud continet calix quem offert Angelus, ideo sanguinem sudat cœlestis margarita. *Oblatus de cœlo calix* (ait Aloysius Juglar.) *venenum habet, eo propius admoto sudat nobilis gemma.* O venenum! contra cujus vim, non est aliud, quàm sanguis filii Dei!

Adam in sudore vultûs laboravit, ter- 12.
ram plenam spinis; montem Oliveti in sudore sanguineo laborando excolit alter Adam, hoc succo irrigata feret fructum centesimum. Post hanc pluviam crescent rosæ & lilia. Iterum Juglaris: *Dare tellus incipiet fructum suum, quæ tam bono irrigata sit rore. Liberalis Agricola, ne sui quidem tenax cruoris, eo hortum suum alluit impetu, ut guttæ jam non dicantur fluere sed currere. Solare te novus Adam, quod in sudore vultus tui, vescaris & tu pane tuo.*

Cæterum necdum causas recensui 13.
singulas. Cùm Salomon jaceret correptus deliquio amoris, petiit stipari floribus.

bus. Videte Salomonem Christum in deliquio amoris & tristissimæ agoniæ! quia sponsa non habet flores sed spinas, sponsus offert rosas, sed rubeas, ut hic rubeus succus sanguinei sudoris aliquod illi præbeat refrigerium. Ah filiæ Sion egredimini hoc vespere, videte Regem vestrũ Salomonem in lethali deliquio, in mortis lucta, in tristissimo agone, stipate illum floribus pulcherrimorum affectuum, stipate malis citrinis atque aureis gratissimæ charitatis.

14. Purpureus color in facie Christi, in tantis tenebris, in potestate & hora infernalium tenebrarum, Sanguinea est Aurora, non solis sed immensi Amoris, qui ob ardorem quo flagrat colore tinctus est sanguineo. Quæris unde illi vel ardor ille, vel rubor? ex desiderio fundendi sanguinis, non in crastinum tantum, per flagra & spinas, sed hoc vespere. *Adeò effusionis avidus est Sanguis, qui vulnera prævenit.* Sic botrus cypri plenus succo amoris ante torcular Crucis, torculari tristissimæ Agoniæ premi voluit, & in sanguineum sudorem diffluere.

15. Cupit ostendere sponsæ placere sibi nomen *Fasciculi myrrhæ*! myrrha odoratus est succus, & impedit putredinem. Et est duplex: altera affluit cum vel cultro vel alio scinditur instrumento; altera stillat cum frutex ipse suos sibi reserat poros, ex quibus profluit. *Hæc est myrrha probatissima*, succus arboris vel quasi sudor subtilissimus. O qualis myrrha! quantus Sanguis fluet cras ex nostro fasciculo myrrhæ ex sanctissimo corpore Salvatoris cum scindetur flagris! qualis myrrha fluet ex Sacratissimo vertice, cum cras spinæ thesaurum divinitatis reserabunt! qualis in Crucifixione potissimum & in apertione lateris! hanc non myrrham tantum dicam, sed medullam myrrhæ. Verum Amori hoc vespere in horto, ejus desiderio moriendi, & siti fundendi Sanguinis mora hæc nimium est molesta; quia frutex & fasciculus est myrrhæ, hac nocte præ nimio calore & ardore in sanctissimo corpore ubique aperit poros, & sudat myrrham probatissimam. Adeste qui peccatis Vestris jacetis immortui, gustate hanc myrrham quæ sanat, vivificat, confortat. O superbi, vestra superbia est putridum vulnus, accurrite, hoc myrrhæ succo sanatur (*fiat pulchra inductio.*) Quid abhorretis à myrrha peccatores? nulla vobis nisi ab hac myrrha salus, nulla sanitas, nulla voluptas. Vestris maculis abstergendis solus myrrhæ probatissimæ humor, è Salvatoris corpore rivulorum in morem destillans sufficere potest.

Quod si valetudinem adepti estis priorem, si sanata videritis vulnera simul atque ulcera, dicite cum sponsa, Cant. 1. v. 12. *Fasciculus myrrha dilectus meus, inter ubera mea commemorabitur.* Cum fasciculo myrrhæ depingi solet S. Bernardus amator tenerrimus Christi patientis, tenens crucem, lanceam, spinas, &c. Id faciunt hoc vespere animæ piæ, includunt cordi suo, Christi Crucem, spinas, vulnera &c. memores amoris, gratitudinis, compassionis &c.

In Judæa, quando arbores balsami scinduntur osseis vel vitreis cultellis, accurrunt Virgines, & fluens è trunco balsamum pulcherrimis conchis, & vitris 16.

 exci-

excipiunt. Accurrite filiæ Sion hoc vespere ad hortum Oliveti, afferte cum Magdalena vitra, cum Veronica strophiola, afferte conchas cordium, ut ex arbore vitæ, & frutice balsami, ex oliva misericordiæ, ex benedicto Christi corpore, effluentem divini sanguinis succum excipiatis.

17. In piissimo hymno de Venerabili Sacramento Angelicus Doctor sic suspirat: *Pie Pelicane Iesu Domine, me immundum munda tuo sanguine.* Hunc Pelicanum videbimus cras alligatum columnæ, vel inter spinas, vel in palma Crucis: hoc vespere nidum habet in horto Oliveti inter olivas. De Pelicano dicitur, quod ad ostendendum naturalem amorem erga pullos, ipse pectus sibi aperiat ut pulli lambendo sanguinem ex illo effluentem, vivant. Fuit ante paucas horas Christus D. Pelicanus in institutione Venerabilis Eucharistiæ, aperuit venas amoris, ex quibus suum sanguinem nobis dedit in potum. Sed quia id contigit modo incruento, nec hoc satis fuit amanti pullos Pelicano. Itaque paucis post institutionem SS. Eucharistiæ horis, novo atque inaudito hactenus modo non pectus tantum, non venas tantum, sed omnes poros corporis aperuit, ut nos pulli, & sanguinem lambere, & vitam possemus protrahere. O liberalem Pelicanum! cras flagra, spinæ, clavi hos fontes Pelicani aperient; hoc vespere in institutione SS. Sacramenti, & sudore sanguineo ipse illos aperuit. *O Pie Pelicane Iesu Domine, nos immundos munda, pasce, vivifica, orna, &c. tuo sanguine.* Vos pulli, attrahite, sugite, bibite nobilem sanguinem, ab hac medicina, salus atque incolumitas pendet æterna!

Sudat Christus Sanguinem, ut alterum sese Moysen ostendat. Hic aquas 18.
Ægypti convertit in sanguinem, ad terrendum Pharaonem. Filius Dei in sanguinem convertit suum sudorem, ad terrorem dæmonum & inferni. Moyses elicuit aquas ex petra: alter Moyses, qui Christus est, ex se ipso non aquas tantum sed sanguinem pro solatio populi. Moyses pro eodem, in monte expansis oravit brachiis: idem facit Christus, sed ut magis moveat, non facit sine sanguine. Moyses obtulit sanguinem agnorum & hircorum; Christus D. humanum & divinum.

Sudat sanguinem! ut ostendat cor suum 19.
esse plenum flammis charitatis, pulchro simili id declarat S. Bernardinus ser. 15. de pass. *Immensus ac ferventissimus amor in hoc manifestatur, sæpe enim fervens ebullitio mittit ad extra* (loquitur de vase pleno aqua, imposito prunis) *Proinde quantum anima Christi charitatis igne in intimis bulliendo ferveret, Scaturitio sanguinis clarius manifestat.* Uti violentus ignis, aquam è rosis guttatim elicit, sic amoris vehementia æstusque, stillas sanguinis è corpore Christi eduxit. Sic est! cras Salvator noster effundet sanguinem in flagellatione &c. non ita mirabimur, quia instrumenta videbimus. In sudore sanguineo non sine causa cogitare possumus; & unde hic copiosus sanguis? Unde vulnera? ubi instrumenta? non adsunt; ut agnoscamus ardorem charitatis, prunas amoris, flammas charitatis, sanguineum hunc sudorem ex benedicto corpore expressisse. Cras videbi-

debimus Longinum sua lancea aperire pectus & Cor Christi, cum profluvio sanguinis: hoc vespere illud Christus ipse aperit, *pro nimio amoris sui fervore, ut demonstraret, quod tibi tradidit cor suum.* Nunquid par est ut tradam⁹ & nostrum, stillans, sudans, non sanguine sed lachrymis contriti & humiliati pectoris.

20. Probabili computu Christus D. venit in hortum hora nona noctis. Oravit ter, & quavis vice per horam: Cras per tres omnino horas pendebit in Cruce: hac nocte permansit trihoria in agonia montis Oliveti. Piissimæ Virgini Agathæ de Cruce ex ordine S. Dominici, revelatum fuit, Christum D. prima hora orationis immaduisse sudore aqueo, & frigido, quali solent moribundi. Altera hora, postquam prima vice à dormientibus discipulis rediit ad locum orationis, ob augmenta tristitiæ, pavoris, tœdii, timoris, deficiente sudore naturali, illi successisse sanguineum subtiliorem. Nam deficiente aquositate sanguinis naturali, quæ est materia sudoris, secreta fuit portio sanguinis purioris, quæ per modum sudoris per poros de corpore defluxit. Tertia demum hora in summa tristitia, in summis angustiis erupisse guttas sanguinis velut globulos. Licet enim sanguis effluens per delicati corporis poros, fuerit valdè subtilis, tamen ubi extrema corporis attigit, & per sese, & propter circumstantem aërem frigidum fuit condensatus, ut guttulas converterit in globulos, & hic sudor per horam tertiam duravit. Et dum exteriora membra sudarunt sanguine, ipsum Cor Jesu interius (si vera est piorum virorum meditatio) præ nimio timore, præ nimio amore, sudavit sanguinem subtilissimum.

Pia Revelatio.

Non dubito, die crastina ex piorum cordibus erumpent ignita suspiria: *O Pater respice in Sanguineam faciem Christi filii tui*; respice Sanguineas manus, respice cruentatos pedes. Me quod attinet. O Pater! O æquissima simul & rigidissima Nemesis! O Justitia parce! parce inquam, per sanguineum Jesu Christi sudorem! peccavi! fateor! bonitatem summam lacessivi sceleribus innumeris! sed pœnitet modo, ah utinam sanguineis etiam lachrymis hunc animi mei dolorem contestari liceret; Enimverò tibi, O Pater, optarem satisfacere, Pater mi, in tuum me optarem insinuare favorem, tuam demereri gratiam, tuam mihi misericordiam vendicare! itaque Pater, hujus saltem noctis reverentia motus, te iterum iterumque supplex oro, obsecro, obtestor, ut per benedictam Jesu faciem, manantem sanguine, per oculos sudantes sanguinem &c. perque ejus dulcissimum Cor cruentum, & Cor mortis angustiis comprehensum, mihi parcas. Jesu fili David! Jesu sudans sanguinem, parce, miserere. Hæc sunt Aud. piarum mentium, hoc vespere, negotia, hæ preces, hæ cogitationes, animæ dignæ Christiana. Tu verò rapax lupe, tu immitis leo, tu o effera tigris, tu peccator pertinax, quid inquis? quo te vertis? quid animo volvis ac revolvis? needum talia te movent, ut doleas te Deum offendisse? ut Jesu tui miserearis? ut illi condoleas? Cras sanguinolenta flagella clamabunt, *Parce Iesu tuo.* Clamabunt cruentatæ

Pius affectus ad cœlestem Patrem ut respiciat sudorem sanguineum Filii.

tatæ ſpinæ *parce Regi tuo.* Clamabunt clavi, clamabit Crux; *parce Deo tuo.* Hac nocte id clamat Sanguineus ejus ſudor. Audi, audi terra, audi clamorem ſanguinis defluentis in terram ex corpore tui Salvatoris. Labia, os, lingua, ſudantia ſanguine clamant, *Parce Ieſu tuo.* Hoc clamat frons plena ſanguineo ſudore. Audi clamat fortiſſimè ipſum Cor ſanguinem ſudans. Sed nihil efficio. Apoc 17. v.6. *Babylon* vocatur *ebria de Sanguine Sanctorum.* Impie, tu es illa beſtia, ebria ſanguine tui Salvatoris, & adhuc ſitis? bibe, bibe; aperti ſunt ſanguinei fontes Salvatoris, bibe ſed ad vindictam! Ad vos redeo, animæ piæ, cum piiſſimo, dulciſſimo, triſtiſſimo & ſanguineo corde Jeſu, vos illud cordibus veſtris includite, vos illud amate, fovete, & mille oſculis excipite.

Applicatio ſenſuū ad Sanguineum ſudorem.

Hoc faciunt Animæ Sanctæ hoc veſpere in conſideratione Sanguinei ſudoris. De loco, in quo Chriſtus D. in monte & horto Oliveti oravit, ait Joannes Soarius Ep. Conimbricenſis: *In hoc antrum cum ingrederemur, omnes tremore quodam ac horrore, lachrymiſq; perfuſi ſumus.* Quod peregrini ibi faciunt corpore, faciunt pii deſideriis. Intuentur quaſi oculis cernant Chriſtum orantem, contriſtatum, agonizantem, quaſi viderent; numerant guttas & globulos ſanguinei ſudoris. Oculis quaſi intuentur quomodo aperiantur pori, quomodo effluat ſanguis, quomodo madefiant veſtes, irrigetur terra &c. talia cernentes & memores, quis ſit, qui ſudat ſanguinem, ob quam cauſam, qua charitate &c. admirantur, amant, agunt gratias.

Auribus animæ & corporis, quaſi audiunt illum ſtrepitum, quo divinus ſanguis proruit ex poris, quo guttæ decidunt in terram, audiunt quaſi vocem divini Sanguinis, clamantis non vindictam ut Abelis, ſed miſericordiam. Audiunt quaſi muſſitationem labiorum ferventer orantium, audiunt ſuſpiria ex fundo afflictiſſimi cordis, gemitus pectoris, ad placandam iram Patris, & dum corda impiorum emollienda. Dum talia audiunt filiæ Sion, & tamen ſponſum ſuum conſolari non poſſunt, quia renuit conſolari anima ejus, amico ſaltem compaſſionis affectu illum ſtringunt, ambiunt, complectuntur.

Proſecutio

Qui ſudorem Sanguineum contemplantur, odoratu quaſi percipiunt divini Sanguinis fragrantiam, ſudoris item & lachrymarum, quæ non aliquam domum, ut unguentum Magdalenæ, ſed orbem univerſum, imò cœlum ſuaviſſimo replent odore. O filiæ Sion, currite, hac nocte per montem Oliveti in odorem horum unguentorum; *Ecce odor* ſanguinis in hoc horto, *ſicut odor agri plens cui benedixit Dominus.* Si Iſaac raptus in admirationem odoris veſtium Jacob, illi benedixit, quantò magis Pater cœleſtis, raptus in odorem filii ſui, nobis benedicat? Benè ſponſa Cant. 4. v.11. *Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Cum admiratione, amore, gratiarum actione dicamus cum S. Paulo ad Epheſ. 5. v. 2. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam* (ſanguineum ſudorem) *Deo in odorem ſuavitatis.*

Proſecutio

Animæ piæ hoc veſpere in horto, piis conſiderationibus & deſideriis interno ani-

animi gustu, & veluti labiis gustant dulcedinem Sanguinis Christi. Ex calice, de quo sponsus ait Cant.8.v.2. *Dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum.* Sitienti animæ, quæ diligit Christum, gratior haustus, hoc vespere propinari non potest, quàm Sanguis sponsi: hic est vinum cum lacte, vinum melle, sive potus dulcissimus. Potata hoc vino inebriatur, hinc illa sanctæ hujus ebrietatis suspiria: *Dilectus meus mihi, & ego illi, &c.* Cant.2. v.16.

Profectio Denique animæ piæ, hoc vespere cogitant sanguineum sudorem, esse quendam fontem, sive balneum, & calidas thermas quas tangunt, quibus se immergunt, in quibus se lavant, in quibus natant, in quibus calefiunt, atque mundantur.

O animæ languidæ, animæ turpes, sordidæ, immundæ! accurrite ocyus, accurrite ad hoc balneum, quo in orbe nullum est, vel jucundius, vel salubrius. O filiæ Sion! quid pro oculorum solatio quæritis rosas? ecce guttulas sanguinis rosis pulchriores, quid quæritis odores? Sanguis Christi, omni balsamo est odoratior &c.

21. Verum longior fuit hæc digressio, redeo ad alias causas sanguinei sudoris. Valesius ex Galeno ait. *Sanguis intuitu rerum rubrarum commovetur.* Peccata nostra erant rubra, ut coccinum, peccata sanguinea, enormia, regia, itaque movetur divinissimus sanguis.

22. Confusio operuit faciem Christi in horto, ideo illam purpura sive sanguine tegit. Aliud strophiolum pauperrimus Jesus non habet.

Flora, ut faciem & genas Creatoris ornet pulchrius; ornat eas rosis sive guttis sanguinis, pingit cruore. 23.

Ut sponsus sponsæ suas ostendat divitias; carbunculos sive guttas sanguinis spargit copiosè & liberaliter. 24.

Ne horto sponsi fæcundus & speciosus fons desit, ex omnibus membris scaturiunt fontes sanguinei. 25.

Sponsus est; ut in die desponsationis suæ appareat formosior, candidam stolam sanctissimæ Humanitatis, byssinam vestem nuptialem facit purpuream: *sic candidus est, & rubicundus.* 26.

Sol in purpura occumbens, amœnam & purpuream prænuntiat auroram, roseumque diem. Ita rursum me docet Aloys. Juglaris, *Oriens noster, quando ita in vespere rubuit, polliceri sibi mundus audiat, cras serenum.* Sed simul ex hac purpurea nocte, colligo diem crastinum fore cruentum & sanguineum, præsertim in monte Calvariæ. ibi crastina die in Cruce & meridie altissimi amoris, radiabit Sol amoris & misericordiæ, 27.

Timete impii! pluviæ sanguineæ nihil boni præsagiunt. 28.

Ut Moyses emolliret cor Pharaonis, aquas convertit in sanguinem, ut tuum emolliat filius Dei, in sanguinem convertit suum sudorem & lacrymas. 29.

Filius Dei crastino die in monte Calvariæ luctabitur cum morte, diabolo, & peccato: ut ad luctam & agonem se præparet, pro oleo, se jungit sanguine. 30.

Lepra corporis mundatur calenti sanguine puerorum; cœlestis Medicus stillat sanguinem, ut curet lepram peccati. 31.

32. Advocatus est Jesus; ut oret efficaciter, perorat lingua, quam sanguis accendit.

33. Belli duces in prælio, ut milites animent, apparent in purpura. Dux noster purpureo sudore nos roborat.

34. Orthiadus læthaliter læsus, suo sanguine ex vulneribus effluente clypeo hæc verba inscripsit: *pro patria libenter morior.* has voculas puto fuisse formatas sanguineo sudore, vel in terra, vel in veste Christi: *Pro homine moriar libentissimè, ita Pater!*

35. Tunica summi sacerdotis cum offerret thymiama, erat tincta cocco. Vestis Salvatoris, dum thymiama offert ardentissimæ orationis, picta est sanguine.

36. Labia sponsæ ornata fuerunt vitta coccinea. Labia sponsi cocco sanguinis.

37. Genas sponsæ ornarunt rosæ, & succus malogranati: genæ sponsi rubent succo cruoris.

38. Miles sanguine, & vulneribus saucius, hosti Victori dicere solet, *Parce prostrat.* Hæc, O impii, est vox clamantis sanguinis Jesu. Prostravit illum pavor, *parce tu.* prostraverunt illum timor, tædium, tristitia, *parce tu.* Prostravit illum terribilis agonia, *parce tu.* Jacet prostratus in sanguineo sudore: *Parce!* Videte Auditores, ne locum habeat querela Ezech c.24. v.12. *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus. Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis.* (vide P. Corn. in hunc locum pro pulchro affectu his verbis, *multo labore sudatum est,* fieri potest pulchra repetitio punctorum Concionis.) Parce Salvatori tuo sudanti sanguinem, ne locum habeat versus 7. cap. 6. ad hebræos. *Terra super se venientem sapè bibens imbrem, proferens tamen spinas ac tribulos, maledicto proxima est, cujus consummatio in combustionem.* (applica animæ peccatoris obstinati.)


Ecclesiastici 24. v. 22. æterna sapientia se comparat terebyntho. *Ego quasi terebynthus extendi ramos meos.* Hæc arbor succum vel purpureas guttas in se continet, sed non effluunt, nisi in radices immittatur ignis, cujus calore humor ille pretiosus, & purpureus paulatim defluit. Tales guttas veluti efficax remedium vulnerum, Jacob misit Josepho, & idem Jacob, idola, de domo Laban soceri in terram defodit ad radices terebynthi. O pulcherrime Terebynthe! O Jesu sudans sanguinem! hæc est formosissima illa arbor! ecce ut extendit ramos, sive sanguine brachia! huc advolate gemebundi turtures, sub his ramis nidos construite vestros. Ecce ut purpureis stillant guttis, quæ sunt medicina animarum! & quis exprimit illas guttas? video, spinæ non faciunt &c. sed ignis, qui latet in radice, id est, ferventissima charitas in corde benignissimi Salvatoris. Ad radices hujus arboris, ad pedes Salvatoris, sepeliamus hac nocte omnium scelerum idola. 39. & 40

Finiam, ubi sacratissimum animi sensum (quo instructa quondam fuit, divini sanguini amatrix, seraphica Theresia,) exposuero. Sic igitur illa: Conabar mihi sæpe repræsentare JESUM, agonizantem. videbatur mihi quod sic afflictus non posset me rejicere. Specialiter ejus consortium quærebam in horto. Ibi frequenter considerabam, §. 57. *Devotio S. Theresiæ erga Jesum in horto.*

rabam, ejus & afflictionem & sudorem; aspiciebamque si possibile foret ejus faciem abstergere. Sed, memini me nunquam id ausam, utpote peccatorum meorum multitudine deterritam. Interim stabam diu cum eo, multum afflicta cogitationibus: jam à plurimis annis maxima parte noctium, postquam decubuissem, solebam de hoc mysterio cogitare, & existimo plurimum profectus spiritualis me inde consecutam. O si auditores eadem nostra essent desideria, O si mens eadem, idem ardor, eadem cura & cogitatio teneret distractos! quam utile hoc esset studium, quam exercitatio fructuosa: Me quod attinet; ab his flammis divinissimæ terebynthi, affectus & desideria mea accendi. Sentio sanguineus hic sudor emollit fibras pectoris mei. Nil lubet hac nocte nisi gemere, flere, tristari, amare: nec aliud placet eloqui, quam verba quæ promant desideria cordis mei. sic suspiro.

§. 58. *Pium suspirium ad sanguinem Iesu.*

Salve pretiosissime sanguis, quo redempta est anima mea, & toties eruta ex inferno inferiori. *O pretiose liquor*, salva animam meam! *O ros cœlestis*, riga hortum cordis mei! *O mi Iesu*, cupio cor meum esse rosam, pinge tu illam purpura tui sanguis. *Cor meum fons est*: imple illum tuo sangnine! *Anima sponsa tua est*; ah Jesu mi dulcis amor, orna illam hac purpura, his gemmis! *Cor meum scrinium est*, concha est, imple hoc balsamo! *O pie Pelicane Iesu Domine*, pulli sumus, tuo sanguine pasce nos, munda nos, sana nos, vivifica nos, sanctifica nos! O sanguis calidissime, calefac pectora nostra, accende corda, inflamma affectus, ut diligamus Jesum, O Jesu, per sanguineum tuum sudorem, miserere! per tristissimam agoniam, in agone nostro ultimo ne nos deseras, Amen.





CONCIO XXI.

FESTO RESURRECTIONIS D.N. JESU CHRISTI.

Surrexit: non est hic.
Marci 16. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PAnegyris hæc applaudit Christo Domino gloriosè Resurgenti à mortuis: cui debetur verus honor.

§. 1. *Judæi valde fuerũt solliciti, ut custodirent sepulchrum*

CUm Daniel c. 6. urgentibus optimatibus à Rege dejectus fuit in lacum leonum, sollicitè eundem custodiverunt, ne quis Danielem eriperet, sacer textus ait: v. 17. *Allatus est lapis unus, & positus est super os laci, quem obsignavit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum.* Pari ratione post mortem Salvatoris in Cruce Judæi mirè fuerunt solliciti, ut custodirent sepulchrum, ne fortè ex discipulis nonnulli furarentur corpus, dicerentque, surrexisse à mortuis. Obtinuerunt itaque à Pilato custodiam, sive integram cohortem Romanorum militum, quorum curæ sepulchrum crediderũt, advolutum præterea lapidem, suo obsignarunt sigillo, ne quis lapidem non effracto sigillo posset amovere. Addit Nicephorus l. 1. hist. c. 32. Sepulchri ostium ferro fuisse clausum; nam lapidem qui supra saxum sepulchri positus erat, & petram, cui sepulchrum fuit incisum, ferramentis per lapicidas curarunt perforari, ferrumque ingens per utrumque foramen immiserunt, & in circuli sive annuli formam circumegerunt, ut sine magna vi sepulchrum reserari non posset.

§. 2. *Sed frustra Christus Resurrexit.*

O stolidi Judæi! in cruce clavis ferreis illum tenere potuistis, quia voluit: in sepulchro detinere non fuit in vestra potestate. Danieli in lacu, leones; Christo in sepulchro, mors aliique hostes, nocere non potuerunt. Deo facile fuit, & sepulchrum reserare, & custodes fugare, momento, quo anima Christi redux ab inferis, in sepulchro sanctissimam Humanitatem rursum assumpsit, vivo & glorioso corpore ipsa saxa pertransivit, & gloriosè resurrexit. Saxum impositum removit Angelus, vel terræ motus, petrarumque læta concussio, non ut triumphatori viam aperirent, sed ut pateret Dominum resurrexisse, & non esse amplius in sepulchro, testantibus Angelis, *surrexit, non est hic.* Idem terræ motus custodes adeò consternavit, ut mox fugerint ad Principes, & Pharisæos, primi nun-

nuntii & præcones lætissimæ sed illis insperatæ resurrectionis. Cùm omnis creatura quæ in morte creatoris lugubri comploratione indoluit, hodie de triumphali ejus ab inferis reditu læta exultet, ego quoque brevi, sed læta panægyri, Christo à mortuis resurgenti, præsertim ob eximium honorem, quo post ignominiam passionis, super omnes creaturas in gloriosa resurrectione est exaltatus, illi applaudere atque aggratulari conabor.

§.3. *In quo cõsistat verus honor.* In quo verus honor alicujus Imperatoris consistat, docet Aristoteles l. 1. Rhetor. ad Theodor. *& Xenophon in Hierone: honoris partes sunt; sacræ commemorationes, decantationes carminum, aut solutæ orationis ad laudem recitatio, præmia, delubra, primi consessus, sepulchra, imagines, publici victus: adhac, inclinari, loco cedere, munera offerre &c.* Et Xenophon. *hunc in ore habent, vehentes laudibus, veluti in aurato & regio famæ curru; Sponte decedunt de via, assurgunt, ob virtutem & benefacta erga remp. muneribus honorare cupiunt &c.* Hi demum mihi videntur eum, & honorare verè, quicunque talia præstant officia, & quibus se dignum reddit, revera videtur honorari.

§.4. *Acclamationes & laudes Ang. Christo resurgenti.* Age itaque, quis redivivum excipit honor Salvatorem? certè jam audire mihi videor, ut S. S. Angelorum chori, læta accinant cantica, ut festis acclament vocibus omnes creaturæ, ut suavi echone suavissimum ubique resonet *Alleluja*, sive *laudate Iesum, laudate eum in organis, laudate in psalterio, laudate in cytharis & canticis,* in cymbalis & sistris, laudate in cœlis & in terra, ut merito ex cap. 6. v. 9. Estheris dicere possimus, *sic honoratur,* quem Pater cœlestis, *vult honorare,* vel ex cap. 5. v. 12. Apoc. *Dignus est Agnus qui occisus est in cruce, accipere honorem & gloriam.* Honorant & laudant illum Seraphini! *Dignus est* Laudant illum Cherubini! *dignus est &c.*

§.5. *Christus in resurrectione Agnus.* Eodem Capite v. 9. S. Joannes, has sacras decantationes, & commemorationes factas Agno, sive Christo D. gloriosè à mortuis resurgenti, hoc modo describit: ait, audivisse se Angelum voce magna clamantem, *quis est dignus aperire librum & solvere signacula ejus?* & nemo poterat, nec in cœlis, nec in terra: cùm Joannes propterea fleret, unus è senioribus dixit v. 5. *Ne fleveris: Ecce vicit leo de tribu Iuda.* Leonem hunc esse Christum resurgentem à mortuis, ostendam postea. Senior ille locutus fuit de leone, & tamen S. Joannes mox vidit Agnum stantem quasi occisum, hic aperuit librum & solvit signacula ejus. Eodem tempore angeli & seniores cecinêrunt lætissimum canticum, *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu.* Mox oritur clamor millium millium: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Post hæc omnis creatura, quæ in cœlo, quæ in terra, & in mari, clamavit, *Sedenti in throno & agno, benedictio, & honor &c.*

§.6. *Prosecutio.* Duo advertite in hoc loco. 1. Agnum illum quasi occisum fuisse figuram Agni paschalis, immolati ante triduum in ara crucis, sed hodie gloriosè resurgentis à

mortuis. Quæcunque S. Joannes memorat in Apocalypsi de Agno, vigesies septies; conveniunt Christo in gloriosa resurrectione. Cùm agit de potestate, & fortitudine Christi, vocat illam cornua Agni. Cornua Agni sunt brachia crucis, quibus Christus suos hostes devicit. Cùm agit de Messiæ sapientia, & providentia, vocat eam *oculos Agni.* O suaves, dulces, amabiles oculos Agni paschalis sive Christi resurgentis! cùm meminit S.S. Martyrum, ait illos lavisse stolas suas in sanguine Agni. De Virginibus dicit, quod sequantur Agnum, quocunque ierit cantantes canticum novum. De omnibus beatis ait, quod vocati sint ad cœnam nuptiarum Agni, quod Agnus illos deducet ad fontes vitæ. Lucernam cœli, dicit esse Agnum; beatitudinem esse veluti fluvium æquæ vivæ procedentis de sede Dei & Agni. Hos fontes vitæ, & omnis voluptatis nos hodie videmus in manibus, & pedibus Agni paschalis, sive gloriosissimi corporis Christi à morte resurgentis. Christus resurgens est lucerna cœli, & terræ: ab ipso procedunt fluvii aquæ vivæ. Hæreo nimis diu in puncto, de quo nemo dubitat, Agnum paschalem esse Christum Dominum.

§. 7. *Cui debetur omnis Laus & benedictio*

Itaque advertite 2. Si Christum hodie honorare volumus, quas laudum commemorationes, quæ cantica debeamus accinere. Præcinunt cœlestes chori: Scilicet, hic Agnus dignus est, accipere librum prædestinationis, illumque aperire, vel claudere. Hic Agnus nos redemit in sanguine suo; itaque sit illi virtus, divinitas. Jo! *Alleluja!* sit ipsi sapientia. Alleluja! sit ipsi fortitudo. *Alleluja!* sit ipsi honor, gloria, & benedictio! *Alleluja!* Non sine mysteriis de his septem partibus summi honoris hodie Christo resurgenti aggratulamur. Ante triduum in passione summam sustinuit infirmitatem, in deliquiis agoniæ, in angustiis mortis; *dignus est hodie accipere virtutem*: & accepit. Ante triduum multùm passa est ejus divinitas, quis credidit in cruce esse Deum? *hodie dignus est accipere divinitatem*; negari non potest esse filium Dei. In passione habitus fuit ut stultus: *Dignus est accipere sapientiam.* Corruit ante triduum sub pondere crucis: *dignus est hodie accipere fortitudinem.* Vicit! proinde vivat fortissimus Jesus. Fuit opprobrium hominum, & abjectio plebis: *Dignus est accipere honorem & gloriam.* Saturatus fuit Blasphemiis: *Dignus est accipere benedictionem, in cœlo & in terra.* Sic honoratur, quem Pater cœlestis in gloriosa resurrectione vult honorari.

§. 8. *Injuriis Christo illatis, respondet honor resurrectionis.*

Nam *partes honoris sunt sacræ commemorationes, encomia, cantica*; sequitur, *primi consessus.* De Agno paschali vel Christo resurgente dixit citatum caput, *residenti in throno.* Hisce diebus consessus ejus fuit ad pedes Judæ, in nocturno carcere inter pedes lictorum, in coronatione in vili scabello, in monte Calvariæ ad radices infamis ligni. Aliam scenam videmus hodie. Resurgit, redit in mundum, in aurato curru gloriæ, super alas Cherub & Seraph, super pennas ventorum. De suo consessu ipse ait, *Ego sum primus & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivus in sæcula sæculorum, habeo claves mortis & inferni.* Scabellum pedum ad ascensum magnifici

fici

fici currus ad ascensum throni, sunt devicti hostes, de quibus ait S. Anselmus; *tremunt sub ejus imperio, & penitus subjiciuntur.* Dicere possumus cum S. Bernardo ser. 1. in pasch. *Quid tu Judæe? quid pridie ante crucem agitabas caput sacrilegum? quid sacrum Christi hominis caput exagitabas opprobriis?* cur hodie non ligatis, cur non iterum affigitis cruci, si solùm est homo? victa scilicet est vestra audacia, prostrata temeritas, nec vos solùm vicit, sed & mortem superavit, & debellavit dæmonem, & portas vectesque inferni confregit, ideo cœlestes chori lætum accinunt *Alleluja*, nos canimus, vicit Jesus, sedet in throno gloriæ, *Sic honoratur, quem Pater cœlestis in resurrectione vult honorari.*

§. 9. *Nemo hodie Christo nocere potest.* Dicite Auditores, quis ante triduum hoc putasset? quis in animum induxisset suum? quis ex tam subita, & tanta sperasset tempestate serenitatem? quis non malè timuit optimo Salvatori? sed bene S. Chrysostomus in demonstr. contra Gentes. *Ne timueris horum gratia, quod crucifixus, quod flagellatus, quod colaphis cæsus, quod consputus ita se habent res ejus post mortem & resurrectionem, ut nemo contradicat, quin summo honore antecellat.* Omnium calculo *dignus est Agnus accipere honorem & gloriam. Vbi, ubi vos*, qui illum coram Pilato accusastis? hodie illi contradicite: dicite illum non esse filium Dei. *Vbi, ubi vos*, qui illum denudastis? hodie si potestis spoliare illum veste gloriæ, negate esse Regem gloriæ. *Vbi, ubi vos*, qui spinis coronastis: demite illi hodie coronam gloriosissimi regni. *Vbi vos*, qui sub cruce movistis capita? hodie in resurrectione, dum sua vi gloriosus procedit è thalamo sepulchri, dum stipatus Angelis, Patrumque choris redit ad vitam, contradicite si potestis, & negate porro, esse ipsum Messiam, esse Regem in Israel, esse mundi Redemptorem. Mutata sunt omnia. Alia est rerum facies. S. Leo ser. de resurr. *Factum est corpus impassibile quod potuit crucifigi* (Eja scelesti, hodie id facite) *factum est immortale, quod potuit occidi, factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari.* Caput coronatum spinis, radiat corona gloriæ. Agite Judæi, expromite iterum malitiæ vestræ vires & machinas, explicate tormenta, proferte spinas, expedite flagella & virgas; parate crucem, clavos, terebras, malleos, funes, & si quæ sunt alia crudelitatis vestræ instrumenta, conferte; & tentate, num & hodie corpori, quod factum est impassibile, inferre possitis dolorem. Nimirum mutata sunt omnia, nova omnia, omnia gloriosa. *Vultus*, in quem fœdissimè conspuistis, jam desiderium est Angelorum, jam nitet ut speculum, jam radiat ut sol: *genæ*, quas vos colaphis & livore opplevistis, jam rident ut duo mala punica: *manus*, quas funibus crudeliter constrinxistis, liberæ jam sunt & thaumaturgæ, imò palmas jactant & olivas pro arundine. *Humeri*, quos dura nuper cruce onerastis, amicti jam sunt baltheo honoris & gloriæ, pro vili purpura fulget stola immortalitatis, pro veste alba, candor corporis niveus, pro contumeliis decor; pro infami comitatu latronum, perennis Angelorũ Societas; pro vulneribus sanitas, pro turpitudine species, & pulchritudo divina. Quod am-

§. 10. *Corpus Christi gloriosum.*

amplius dicam? ito jam misera gens Hebræorum, contemne posthac Messiam, en quantis est indutus honoribus, quam speciosus! quam decorus! quam plenus triumphis & gaudiis? quam fortis & potens! quàm sanus, & integer! quàm magnus, & admirabili! *surrexit Dominus. Sic honoratur, quem Pater vult honorari.*

§.11. Explicatio versus ex Ps.109 Capita draconum sunt conquassata. Caput Christus est exaltatum.

Prædixit David Ps.109. v.7. *de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput,* pulchrè S.Hieronymus super hunc versum: *quia bibit Dominus de torrente in via, propterea exaltavit caput*: istius caput exaltatum est, cæterum draconis caput conquassavit, & confracta sunt draconum capita in aquis. Qualis draco peccatum? sed confregit illud Christus baculo crucis; in rubro mari divini sanguinis submersum jacet: *Cantemus Domino, gloriosè magnificatus est.* Qualis draco, Mors! fractus est stimulus ejus, conquassato jacet capite, alto demersa in pelago! *cantemus Domino.* Qualis draco, infernalis Pharao! cantate, ludite tympanis, pulsate organa, resonet Alleluja, Imperator noster contrivit ejus caput, *Alleluja!* Imperator noster equum & ascensorem dejecit. *Alleluja!* Imperator noster illum submersit in aquis, *Alleluja.* Ubi verò est caput Christi, quod fuit coronatum spinis? quod cæsum arundine, quod fœdatum sputis? exaltatum est in gloria, corona spinea mutata est in auream, spinæ in rosas, arundo in sceptrum, alapæ in laudes, colaphi in præconia, blasphemiæ in lætissimas commemorationes, crux in thronum; ultimus factus est primus. *Sic honoratur &c.*

§.12. Corona Christi ob liberatum genus humanum.

Magna pars, magni & eximii honoris fuerunt & sunt coronæ. Inter omnes, Romæ usitatas, gloriosissima fuit civica, qua in triumphis illi coronati fuerunt Imperatores, qui cives Romanos servaverant. Seneca l.1. de clem. cap. ult. *Nullum namque ornamentum Principis fastigio dignius, pulchriusque est, quàm illa corona ob cives servatos; non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia: Sed divina potentia est, gregatim & publicè servari?* Accommodemus hæc Christo à mortuis resurgenti. Superbo humani generis hosti detraxit spolia, spoliavit infernum; jam currui ejus triumphali, alligati gemunt dæmon, mors peccatum; portæ inferni confractæ jacent. In manibus & pedibus gloriosa refert trophæa, sanguine cruenta, omnia hæc sunt gloriosa & honorifica. Sed nullum in Jesu resurgente pulchrius ornamentum conspicio; quàm coronam, quam meruit, non ob aliquot cives, sed ob milliones hominum servatos, & ex immani servitute redemptos; Ex illa tandem erepti sunt Patriarchæ & Prophetæ; *eripuit Christus Salvator.* Vindicati à tenebris, & squallore carceris, Duces ac Principes! *vindicavit Christus D.* Asserti sunt in numerum filiorum Dei juvenes & senes, viri ac fœminæ, summi & infimi, divites & inopes! *Asseruit eos Christus.* Cantemus Domino; erepti servatique ex inferorum tyrannide mortales innumeri! *eripuit & servavit eos Christus,* hæc divina potentia est; hæc causa, quare dicamus, *Dignus est Agnus accipere coronam, gloriam, virtutem, verbo, omnem honorem.*

Dice-

§. 13. *De qua illi hic §. applaudit.*

Dicere Christò resurgenti possumus, quod Auctor panægyrici dixit ad Constantinum: *Merito tibi Constantine, & nuper Senatus signum dedit, & paulò ante Italia scutum & coronam, cuncta aurea dedicarunt, debetur enim & divinitati simulachrum aureum, & virtuti scutum, & corona pietati.* Mutemus hæc hodie paululum. O gloriosissime victor, O Jesu à mortuis resurgens: meritò tibi applaudunt omnia, in cœlis, in terris. Meritò tibi accinimus Alleluja! meritò tibi nostras animas veluti statuas, dedicamus; meritò scutum gestas cum signo crucis, quo hostes tuos vicisti, debetur hoc tuæ virtuti & potentiæ; Pietati verò tuæ, qua nos redemisti, debetur corona gloriæ & summi honoris. Dignus es! *neque enim* (inquit Oecumenius) *tantum Deo dignum erat, tantumque gloriosum fecisse cœlum & terram, ac hominem, supernasque virtutes; sicut quod propter nos dignatus est crucifigi, & morte tam ignominiosa hominem ab æterno interitu servare.*

§. 14. *Vestis Christi in Resurrectione. Descriptio gloriosi Corporis.*

Sed age, quibus præterea decoratus est honoribus triumphator noster? Ad partes honoris faciunt etiam vestes pretiosæ; vestem Filio à Patre in gloriosa resurrectione oblatam describit Psaltes Ps. 103. v. 1. *Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es vehementer, decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.* Hisce diebus vestitus fuit vestibus ignominiæ, uti purpura in domo Pilati, veste alba in palatio Herodis; indutus fuit sacco mortalitatis nostræ. Sed hodie mutata sunt omnia. Sordidæ vestes sunt conscissæ, saccum mortalitatis exuit; prodit Christus è sepulchro, veluti sponsus, totus pulcher, indutus vestibus gloriæ, luce, radiis, sole. Theodoretus in v. 1. Ps. 92. *Dominus regnavit, decorem indutus est, Christi crux tristis visa est, ita ut vates exclamaret: vidimus ipsum & non habebat speciem, neq; decorem, sed species ejus despecta.* Post gloriosam verò resurrectionem, radios Deo dignos misit, ut merito Propheta exclamet, *Decorem induit, indutus est lumine,* & radiis, & sole; neque unus sol in glorioso Christi corpore radiavit, sed multi: duo in pedibus, duo in manibus, duo in oculis, omnium lucidissimus in benedicto pectore & latere. Sol fuit ejus facies, duo soles genæ, & labia, sol denique formosissimum ejus corpus. Despectus fuit his diebus, fuit sol niger, & decoloratus; hodie mutata sunt omnia; in capite non sunt spinæ, nec lachrymæ in oculis, nec sputa in genis, nec saliva in ore, nec sanies in vulneribus, nec livor in labiis, nec vulnera in corpore, nec fel in lingua, nec pallor in membris, sed ubique aurum, ebur, crystallus, rosæ, lilia, hiacynthi, totus pulcher est in vestibus gloriæ, indutus purpura. *Sic honoratur, quem Pater cœlestis vult honorari.*

Eucherius l. 3. in l. Reg. ob eximiam pulchritudinem, Christum gloriosè à mortuis resurgentem comparavit aperto lilio, cum distentis foliis aureas fibras & virgulas ostentat. *Christus lilium, propter gloriam resurrectionis: foris candidum propter gloriam corporis; intus verò aureum propter fulgorem animæ: & ante passionem quidem, lilium quasi clausum* (in passione lilium absconditum inter spinas) *post passionem verò lilium repandum, quatenus in assumpta humanitate,* §. 15. *Christus D. in Resurrectione lilium.*

potentiam divinæ claritatis, quam habuit apud Patrem, priusquam mundus esset, ostendit. His diebus hoc lilium pungi potuit, hodie ostendit thesauros divinitatis. *Sic honoratur &c.*

§. 16. *Currus ejus triumphalis.* Ad primum consessum pertinet adhuc *triumphalis currus*, in quo hodiernâ die Christus hostium victor, triumphum egit. D. Apollinarius ait, *surrexit in triumphi curru magnifico.* Non sum nescius quo fastu, & arrogantiâ Imperatores quondam suos adornarint triumphos; at infinitis sanè partibus major fuit atque illustrior hodie resurgentis Christi triumphus. Cedat huic Marcus Antonius, qui Plinio teste, currui suo primus junxit leones. Cedat Pompejus M. cum C. Julio Cæsare, cujus ultimi currum, Gallico nobilem triumpho, quadraginta traxerunt elephanti, si Suetonio credimus. c.37. Cedat & Imperator Aurelianus, quem cervis hunc in finem usum memorat Flavius Vopiscus. Cedat & Antonius Heliogabalus, qui tigrides suæ voluit admovere quadrigæ, teste Lampridio. Cedat Nero, qui equas voluit esse præambulas & hermaphroditas quidem, ut Plinius refert l. 11. c. 49. Cedat denique famosus ille Princeps Ægypti, qui currum suum triumphalem à quatuor devictis Regibus voluit trahi. Superat longè hanc omnem pompam currus triumphalis Christi Domini.

§. 17. *Symbola rotarum.* Quatuor ejus rotas cogitate fuisse quatuor globos totidem elementorum. Prima rota sive fuit globus terræ, in quo depictus est leo, juxta illud Genes. 49. v. 9. *Accubuisti ut leo.* Secunda rota, vel alter globus fuit aqua, in hoc globo depictus est Jonas egrediens de ventre ceti, juxta illud Matth. 12. v. 39. *Signum non dabitur ei nisi signum Ionæ prophetæ.* Divus Augustinus. *Ionam figuram gessisse Salvatoris, qui tertiâ die resurrexit, ipse Salvator testatur.* Tertia rota fuit globus aëris, in illo depicta est Aquila de qua Ps. 102. v. 5. *Renovabitur sicut aquila.* D. Ambr. *Aquilam rectè Christum dixerim, cujus juventus renovata est tunc, cùm à mortuis resurrexit.* Quarta rota fuit globus ignis, in illo Phœnix, post ignes doloris, & mortis redivivus. *Sic* (D. Chrysost.) *resurrectionem Christi testantur elementa rediviva, quæ erant funereo tegmine jam sepulta.*

Non ignobilis concionator quadrigæ Salvatoris triumphali jungit non sex equos, vel leones, vel alias bestias, sed sex celeberrimos heroes ex Vet. Testamento, qui figuræ fuerunt Resurrectionis Christi, v. g. Josephum egredientem ex carcere, Danielem, Samsonem, & similes generosos duces. Sed alibi explico has figuras; modò tempus est, ut epilogus meæ Concionis, ante triumphalem currum Christi, veluti præco, altaque voce exclamet.

Vive magne hostium victor, magne Dux, Rex magne, & Imperator omnium maxime, Christe JESU! Vive cœli terræque Monarcha nobilissime! *tibi honor, tibi gloria, tibi magnificentia, tibi virtus in sæcula.* Accipe si quid nostræ valent congratulationes, admitte applausus, commune bonorum omnium gaudium, ne sperne. Vicisti mortem, *&* *applaudimus*; §. 18. *Epilogus applaudit gloriæ Christi.*

supe-

superasti peccatum; *& gratulamur*; Dæmonem subjugasti; *& exultamus*, mortem contrivisti, *& vivimus*, imò vincimus quoque, te tamen auspice, te duce, te capite, cui sit honor & gloria in sæcula. Amen.



CONCIO XXII.

DOMINICA IN ALBIS.

Beati, qui non viderunt, & crediderunt.
Joannis 20. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXplicat, qualis esse debeat fides nostra, de mysterio Resurrectionis Christi.

§. 1. *Decem causæ ex SS. PP. ob quas Christus D. in corpore glorioso retinuit cicatrices vulnerum.*
§. 2. *Prosecutio & propositio.*
§. 3. *Fides est virtus nobilissima, fax, lampas, sol &c. ejusque necessitas.*
§. 4. *Debet esse firma.*
§. 5. *Hæc perfectio fidei defuit initio Thomæ, sed brevi correxit.*
§. 6. *Fides debet esse humilis.*
§. 7. *Homo non capit naturalia, quomodo capiet tam sublimia?*
§. 8. *Fides debet esse viva & efficax. Radix si bona est, generat bonos fructus.*
§. 9. *Vera fides efficit, ut vita nostra sit similis Christi resurrectioni.*
§. 10. *Prosecutio.*
§. 11. *Prosecutio.*
§. 12. *Prosecutio.*
§. 13. *Applicantur hæc aliis mysteriis fidei.*
§. 14. *Confirmatur ex S. Paulo.*
§. 15. *Fructus hujus fidei, ex epistola. 1. S. Petri. c. 1.*
§. 16. *Donum fidei hauriamus ex SS. vulneribus Christi cum S. Mechtilde.*

§. 1. *Decem causæ ex SS. PP. ob quas Christus D. in Corpore glorioso retinuit cicatrices Vulnerum.*

IN hodiernâ apparitione gloriosus Salvator noster, discipulis suis, & Thomæ præsertim incredulo, denuo ostendit Sanctissima Vulnera gloriosissimi Corporis, imò illa & tangi permisit. Causas quod attinet, ob quas in immortali, impassibili & pulcherrimo corpore cicatrices illas retinere voluerit, apud SS. Patres, & multas invenio & illustres. Nam 1. ex illis agnoscimus, esse eum, qui pro nobis mortuus est, & crucifixus. 2. Ut animabus

mabus piis, quas veluti columbas infernalis vultur insequitur, tutum præbeant asylum, & refugium. 3. Ut mundi, hostiumque domitor cæterorum, illa veluti perpetuum victoriæ suæ triumphum circumferat. 4. Ut impiis quondam in judicio sint terrori, agnoscantque ex illorum aspectu, quàm & justa sit sua, & expavescenda damnatio. 5. Ut sint nobis specula perfectissimarum virtutum.

§. 2. *Prosecutio Et propositio.* Verùm, hasce memini me causas aliis concionibus fusiùs pertractasse. Itaque & illas, quas Vener. Beda recenset prioribus adnumero Retinuit illa 1. ut Patrem pro nobis supplicans, quale genus mortis pertulerit, semper ostendat. 2. Ut suâ morte redemptis, quàm misericorditer sint adjuti, propositis ejusdem mortis indiciis insinuet. 3. Ad affectum nostrum inflammandum, & in dilectionis indicium præcipuum, juxta illud Isaiæ, *Ecce in manibus meis descripsi te.* 49. v. 16. Ut perpetua sint memorialia, & monumenta quæ nos memores faciant amoris, quo Filius DEI pro nobis in Cruce mori dignatus est.

Denique retinere illa voluit, ut fidem Resurrectionis astrueret. Expertus hoc est Thomas ille obstinatus. Enimverò dicebant Apostoli, vidisse se Dominum, narrabant id mulieres; ipse verò, *Non credam*, exclamat, *nisi* &c. O bonitatem pastoris erga perditam oviculam! apparet bonus pastor denuò discipulis in præsentia Thomæ, qui simul atq; SS. illa vulnera, tum oculis haurit, tum manibus palpat, erumpit illicò in suavissimas has voces, *Dominus meus & Deus meus!* illo momento intellectus Thomæ lumine perfectissimæ fidei fuit illustratus.

Eodem lumine, & nos illuminati, de resurrectione Salvatoris non dubitamus; qualem verò illam esse fidem, ut perfecta sit, oporteat, modo exposuero: Ubi & firmitatem ab illa requiri, & simplicitatem, & vitam denique sive efficacitatem ostenderim.

§. 3. *Fides est virtus nobilissima, fax, lampas, Sol &c. ejusque necessitas.* Suppono fidem Theologicam, nobilissimam esse, & ad salutem planè necessariam virtutem. Nobilitatem & perfectionem quod attinet, *fax est, lampas est, stella est, imò Sol est*, qui discutit errorum tenebras, & ignorantiæ ex humano intellectu noctem depellit. *Fides est ignea illa columna*, quæ electos DEI filios ex Ægypto infidelitatis educit in terram promissionis. *Est galea salutis*, quæ caput Christiani defendit contra tela & assultus hæresum. Verbo, *est magnum Dei donum*, juxta illud Sapientiæ 3. v. 14. *dabitur illi fidei donum electum.* S. Augustinus ser. 1. de ver. Ap. c. 4. *Nulla sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulla mundi hujus major substantia, quàm fides Catholica.* & S. Laurentius. *O Hippolyte, si credideris in Dominum IEsum Christum, & thesauros tibi ostendo, & vitam æternam promitto.* S. Tatianus ad Tyrannum: *honores tui & Augustorum gradus vobis sint, à me verò Deus hoc avertat, ut alia in re proficiam, quàm in fide D. N. IEsu Christi.* Quin & ipse Salvator dixit, *Hæc est vita æterna &c.* & finis hodierni Evangelii, *ut credentes vitam habeant in nomine ejus.* Atque ex his ipsis necessitas patet fidei ad salutem; & illis præcipuè verbis

verbis S. Pauli ad hebr. 11. v. 6. *sine fide impossibile est placere Deo.* S. Augustinus ser. 28. de temp. *Constat neminem ad veram posse pervenire beatitudinem, nisi Deo placeat, & Deo neminem placere posse, nisi per fidem. Fides namque est bonorum omnium fundamentum. Fides est humanæ salutis initium, sine hâc nemo ad consortium filiorum DEI pervenire potest. Quod ædificium est sine fundamento, arbor sine radice, corpus sine animâ, hoc est, homo sine verâ fide.*

§ 4. *Debet esse firma.* Ut verò hæc fides perfectione suâ gaudeat, debet inprimis esse firma. Hanc qualitatem desumo ex fidei definitione, *Est donum Dei ac lumen, quo homo illustratus firmiter assentitur omnibus quæ Deus credenda revelavit.* v. g. Proponitur nobis credenda Resurrectio Christi; vel mysterium sanctissimæ Trinitatis, vel Venerabilis Eucharistiæ, etiam qui fortè de articulis his ita secum cogitant: arbitror quidem hæc ita se habere, quia alii dicunt; sed fortassis Christus ita à mortuis non resurrexit, fortassis non est illa æqualitas, & differentia Personarum in sanctissima Triade; quis scit an in hostiâ consecratâ præsens sit Caro, & sanguis Christi? &c. tales non bene credunt, quia non credunt firmiter, sed cum dubio. Horum fides *navicula est*; sed sine clavo fluctuans in mari: *est candela*, sed inter ventos, à quibus facillimè extinguitur: *est murus*, sed sine fundamento, qui à variis erroribus subitò dejicitur.

§. 5. *Hæc perfectio fidei defuit ini-tio Thomæ sed brevi correxit.* Talis primum erat fides Thomæ Apostoli, id est, lubrica, mobilis, inconstans, infirma. Dicebat Petrus: *resurrexit Dominus*; vidi, credidi, amavi. at Thomas; quis scit num vera loquaris Petre? fortassis phantasma fuit; *nisi ipsum videro, non credam.* Dicebat Joannes, *surrexit Dominus verè*; nefas sit dubitare; crede Thoma, rem certam loquimur; rem oculis perspectam nostris atque exploratam. Thomas reponit, quis scit an non illusio aliqua vestris se oculis objecerit? judicium ego meum tantisper suspendo, dum certiora mihi persuadeant argumenta. O Thoma! O fidei exemplar infirmæ! quid? audi Thoma, vel firmiter & vivâ planè fide credere te oportet Resurrectionem Christi, vel à Christo tibi recedendum est.

Sed Thomas brevi temporis intervallo correxit errorem suum, utinam & nos nostros, Auditores: Quàm apud multos nutat fides! quàm multi hodie dum existimant Christiani, etiam Romano-Catholici, quemvis suâ in religione salvum fieri posse, licet diversissima de mysteriis credant divinis! sic credere, non est credere, imò vel ex hoc ipso, quod de fide suâ dubitant, fidem habere bonam & perfectam non possunt.

§ 6. *Fides debet esse humilis.* Sed ad alteram veræ fidei proprietatem digredior. Perfecta fides, humilis esse debet, & simplex, hinc est, quod ejusmodi cogitationes, v. g. quomodo hæc ita se habere possunt? quomodo filius DEI mortuus in Cruce, suâ vi se potuit suscitare à mortuis, & resurgere? talia Thomas cogitavit. Vel, quomodo fieri potest, ut panis, & vinum convertantur in Corpus, & sanguinem Christi? &c. Similes inquam cogitationes

tiones scopuli sunt, ad quos plurimæ naviculæ allisæ naufragium fecerunt, in abyssos & charybdes hæresum præcipitatæ. Bene S. Augustinus ser. 36. de verbis Domini. *Non est fides superborum, sed humilium.* Quisquis in mysteriis tam arduis sequi vult lumen rationis, sequitur ignes fatuos, à quibus humanus intellectus ducitur ad præcipitia. Examen mysteriorum fidei nimis curiosum præcipuè in rudioribus, est labyrinthus ex quo nemo se facilè extricare poterit.

§. 7. *Homo non capit naturalia, quomodo capiet tam sublimia?* Naturalia, v. g. refluxum maris, mutationem lunæ, & temporis, influxus siderum, tam absconditos, tam mirabiles, productionem auri, & metallorum in montibus, & sexcenta talia, intellectus noster comprehendere non potest: & mysteria capiat, tam alta, tam abstrusa, tam recondita, tam suprà naturam, tam divina? S. Petrus 1. ep. c. 2. bene suadet, ut in mysteriis fidei, simus *sicut modo geniti infantes, rationabile lac concupiscentes,* hoc latet simile. Licet sæpe infantes, vel in tenebris, vel ob clausos etiamnum oculos, vel in somno, ubera matris & lac non videant, avidissimè tamen sugunt, & eadem omnino suavitate, ac si viderent: pari ratione lac veræ doctrinæ, ex mamillis, sive Vulneribus Christi, clausis oculis sugere debemus; id est, & si non videamus, vel sensibus percipiamus veritates fidei, tamen credere debemus; *firmiter & simpliciter.* Nimirum fides Catholica humilis esse debet, & simplex, vel ut cum S. Paulo loquar, *oportet captivare intellectum in obsequium fidei. beati qui non viderunt, & crediderunt.*

3. Perfecta fides mysteriorum fidei debet esse viva, & efficax; sive causa vitæ sanctæ, & bonorum operum, nam (Jacobi c. 2. v. 17.) *fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* Corpus, in quo nullas operationes vitæ videmus, dicimus esse mortuum, dicimus carere anima: ità fidem sine operibus, vel operationibus mortuam appellamus. Quod perspicuè satis indicat præsul Hipponensis præf. in Ps 139. *fides sic est in anima, ut radix bona, quæ pluviam in fructum deducit.* Radix nimirùm bona, succum ex terra attractum, derivat in truncum, ex hoc progerminant folia, inter illa & cum illis flores, hi maturescunt in fructus. Talis radix sit fides; sit foliorum causa, sanctarum scilicet cogitationum & desideriorum, sit causa florum sive pulcherrimarum virtutum, sit denique causa fructuum, sive bonorum operum. In hoc, vita fidei, atque efficacitas fundatur. Sed rem in exemplo clariùs perspicimus. Præsens igitur propono gloriosæ Resurrectionis mysterium. Hoc non satis est firmiter atque simpliciter credere, ut dicamus cum Job c. 19. v. 25. *Credo quod Redemptor meus vivit,* sed insuper fides illa efficere debet, ut vita nostra, & nostra opera sint conformia Resurrectioni Christi. Gloriosissima hujus resurrectio debet nobis esse exemplar spiritualis resurrectionis animarũ nostrarũ. §. 8. *Fides illa debet esse viva & efficax. Radix si bona est generat bonos fructus.*

Fides nostra docet Christi sanctissimam Animam divinitati conjunctam reli- §. 9. *Vera fides efficit ut*

vita nostra sit similis Christi resurrectioni. reliquisse limbum, & deinde, assumpto rursùm Corpore sepulchrum. Plurimi hoc fide viva non credunt: licet enim rem credant, ipsi nihilominus manent in sepulchro vitiorum. Fides illorum mortua est, Huic sepulchrum est luxuria, illi odium, alteri avaritia &c. Fides clamat, exemplo Christi Resurgentis à mortuis, & prodeuntis ex sepulchro, ex his omnibus esse resurgendum: at isti manent scelerum monumentis immersi, jacent de resurrectione spirituali animarum nequicquam solliciti, putredine plus delectantur, quàm sanitate. Profectò hi, ut fideles se palam pronuntient, fideles tamen re ipsa non sunt, nisi putridi fortassis & mortui, neque enim viva illis fides inest aut efficax. Notanda sunt verba Apostoli ad Ephes 5. v. 14. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Alia versio sic habet. *Continget te Christus.* Pulcherrimos, & solis instar vibrat radios sua in resurrectione Salvator, sed quinque præ reliquis lucidiores ex quinque roseis Vulneribus, his te piissimis JESUS cupit illuminare, imò, contingere, fovere & vivificare: sed age surge prius à mortuis, surge inquam, per Confessionem paschalem, & non illuminabit te tantùm Christus, sed prout Thomæ, ita tibi sacratissima offert vulnera, ut illa tangas, ut illa te contingant, ut tibi afflent vitam sed surge prius à mortuis. Fides perfecta Resurrectionis Christi debet esse causa, ut hoc sacro tempore quivis Christianus, deserat sepulchrum vitiorum.

§. 10. *Prosecutio.* Clariùs hoc idem exponere non possum, quàm ex illis hodiernæ epistolæ verbis. 1. Joannis 5. v. 4. *Hæc victoria, quæ vicit mundum fides nostra.* Credimus JEsum vicisse hostes; bene habet. Sed & nos in fide hac vincere oportet spirituales nostros hostes, carnem, mundum, diabolum *Hæc est enim victoria, quæ vincit mundum.* Credimus Salvatorem venisse per crucem, ad lucem, per spinas ad rosas, per tormenta ad gaudia, ad quietem per laborem, per pugnam ad victoriam? salva res est. *Hæc est victoria, fides nostra, quæ vincit mundum*, quæ spinas amat ob rosas, quæ tormenta non fugit, quæ crucē non refugit, quæ non recusat laborem, quæ se non subducit è prælio, ut vincat & ad gaudia veniat cum Christo, verbo dicam: Hæc vera, viva, perfecta fides est, quæ mundum vincit, resistit diabolo, fugit peccatum. Hæc nostra est felicitas, hæc triumphus, hæc gloria!

Præterea Fides Catholica dicit Christum resurrexisse à mortuis, *Verè*, non phantasticè, non deceptoriè, sed *realiter*, inquiunt Philosophi. Sicut enim est aurum, verum & adulterinum, gemmæ bonæ & falsæ: sic in sensu spirituali, duplex est resurrectio animarum, vera & falsa. Christus D. *surrexit verè*; qui hoc efficaciter credunt, etiam *verè* resurgunt, id est, *verè* confessi sunt, *verè* egerunt pœnitentiam, *verè* odium, aliasque depravatas consuetudines deposuerunt. Sed heu! quotusquisque est Christianus, qui surrexit quidem festis hisce pascalibus; *sed non surrexit verè*. Sunt qui simulatam tantùm fictamq; ediderunt Confessionem; alii promiserunt sacerdoti §. 11. *Prosecutio.*

doti daturos se veniam inimicis, sed non nisi oretenus, alii, facturos se debitam atque omnino ad salutem necessariam furti & boni alieni restitutionem; alii fugam societatis perversæ & proximæ ad peccandum occasionis: alii seriam hujus vel illius vitii emendationem. Sed utinam *verè* surrexissent, utinam non phantastico quodam modo, aut ludicro; utinam promissis atque propositis deinceps fides constet viva, & efficax!

§. 12. *Profecu-tio.* 3. Fides vera Resurrectionis Christi, ait cum S. Paulo ad Rom. 6. v. 9. *Christus resurgens jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Hoc credimus fide Catholicâ; sed debet esse efficax, sive causa ut similiter post spiritualem resurrectionem non amplius moriamur, ut amplius non peccemus.

Denique 4. credimus Christum resurrexisse, & deinde post dies quadraginta ascendisse ad cœlos. Hæc fides, causa esse debet, ut similiter post resurrectionem à peccato, quæramus cœlestia, juxtà illud S. Pauli ad Coloss. 3. v. 1. *qui consurrexerunt cum Christo, cœlestia sapiunt, quæ sursum sunt, quærunt.* S. Gregorius hom. 29. in Evang. *Vera fides est, quæ hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit.* Et S. Aug. ser. 2. fer. 2. pasch eleganter & breviter, *Resurrectio Domini nostri IEsu Christi, nova vita est credentium in IEsum.*

§. 13. *Applicantur hæc aliis mysteriis fidei.* Simili ratione per alia mysteria fidei discurrere possumus. Credis v. g. mysterium sanctissimæ Trinitatis, & firmiter & simpliciter? sed non sufficit, hic actus fidei debet esse radix, & causa aliorum pulcherrimorum actuum, ut sanctiss. Triadem adoremus, laudemus, veneremur. Ista fides mater est pulcherrimæ dilectionis & devotionis ergà illud mysterium, radix spei, charitatis, & similium virtutum. Credis haud dubiè, Christum Dominum esse præsentem in Eucharistiâ, & firmiter, & simpliciter? at necdum planè satis est, efficacem esse oportet hanc fidem, id est, talem, quæ animos tibi addat & stimulos ad ipsam praxin, quæ te impellat, ut re ipsâ tuum ergà Venerabile Eucharistiæ mysterium, animique affectum exponas, ut ad illud crebrò recurras, ut sacrum missæ officium diebus etiam profanis non negligas, ut coram eo prostratus in genua ardentes sæpe numerò preces effundas, ut ab eo in mœrore capias solatium, ut illud humili corde adores, ut illius crebra synaxi te reficias. Enimverò, hoc ni feceris, efficax tua esse fides haudquaquam potuit.

Sed age porro mi Christiane, ecquid credis præterea? nunquid moriturum te aliquando? *credo*, inquis: si credis, *crede firmiter*; id est, ita vitæ tuæ rationes compone, ac si indies tibi fatalis hæc horula immineret, uti profectò singulis penè momentis imminet. *Omnem crede diem, tibi diluxisse supremum.* Hoc ni feceris, nulla tua erit de mortalitate fides. Quid credis? nunquid locum esse aliquem æternis damnatorum suppliciis destinatum? *Ita*, inquis, *credo*: sed an firmiter? certè si ab eo, quod animas in infernum præcipitat, non discedas, infernum esse non credis. Quid credis præterea? esse

aliam


aliam feliciſſimam beatarum mentium regionem, quam nullus incolit dolor, nulla turbat triſtitia, nullus inficit morbus, nullum infeſtat incommodum? ah! ſi credis, *crede firmiter*, firma fides tibi perſuadeat, ut viam Sanctæ crucis regiam, & ſemitam mandatorum DEI, quæ ducit ſola ad has feliciſſimas aulæ cœleſtis delicias, amplectaris.

§. 14. *Confirmatur ex S. Paulo.* Talem fidem S. Paulus exigit à Philemone, dum illum rogat, ut Oneſimum cum omni charitate ſuſcipiat, ob hanc cauſam, *ut communicatio fidei tuæ evidens* (alia lectio habet, *efficax*) *fiat in agnitione omnis operis boni.* Ad Hebræos 11. v. 33. de Abrahamo ait, idem deque Moyſe, Gedeone, Jephte, Davide &c. *qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, diſtenti ſunt, lapidati ſunt, ſecti ſunt;* quaſi diceret, fides eorum firma, & ſimplex fundata in promiſſionibus Dei, cauſa fuit, cur talia egerint, & paſſi ſint, ut ſimiliter fides noſtra de reſurrectione Chriſti operetur in nobis, altam ſpem, ardentem charitatem, ardua deſideria, heroïcam fortitudinem, & patientiam, aliaque opera planè eximia & excelſa filiorum DEI. Ad quæ idem S. Paulus ep. 2. c. 2. v. 1. hortatur Timotheum; *Fili mi, confortare in gratia, labora ſicut bonus miles IESV Chriſti, certa legitimè in agone, ut coroneris.* Sed unde iſte animus? iſta alacritas, iſta confortatio? *Memor eſto,* inquit Apoſtolus v. 8. *Dominum noſtrum IESVM Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis.* Et Angeli ad ſepulchrum dixerunt meticuloſis fœminis Marc. 16. v. 6. *Nolite expaveſcere, nolite timere,* quaſi diceret, confortamini, diligite porro veſtrum Magiſtrum, cauſam hanc ſubdunt, *Reſurrexit Chriſtus à mortuis.*

Reſtat, ut vobis paucis inſinuem fructum firmæ, ſimplicis, & efficacis fidei. Et hoc verbis S. Petri ep. 1. c. 1. v. 8. *Credentes* (ſcilicet firmiter, ſimpliciter, efficaciter) *exultabitis* (his feriis potiſſimùm paſchalibus, & in glorioſa Chriſti reſurrectione) *lætitiâ inenarrabili, & glorificatâ reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum.* & v. 6. cit. capitis. *In quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus, ut probatio veſtræ fidei multò pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem, & revelationem IESV Chriſti.* Intelligitis mentem S. Petri? cedit nimirum in gloriam reſurgentis à morte JESU, ſi ejus reſurrectionem ita credamus. Eo ferè modo, quo glorioſum ſibi eſſe duxit Salvator, quod incredulum Thomam tam ſuavi modo, immeritum ad veram fidem perduxerit. §. 15. *Fructus hujus fidei ex ep. 1. S. Petri. cap. 1.*

Verùm quia illa fides, ut initio dixi, eſt, electum & eximium donum DEI, frequenter & ferventer illud à DEO & Patre luminum petendum eſt. S. Thomas illud hauſit ex Vulneribus Chriſti; ibidem pro nobis latet, effuamus inde, quæramus, ſumamus, fruamur, utamur, ut cum S. Mechtilde dicere poſſimus: *Si deſcribi deberent omnia bona, quæ de latere, & Corde IEſu accepi, nullo vel magno volumine poſſint comprehendi.* Et ideò optimus Salvator, ſanctiſſima Vulnera in glorioſo corpore retinuit, ut ex illis veluti aurifodinis ſumamus theſauros gratiarum. O ſi in § 16. *Donum fidei hauriamus ex S. S. Vulneribus Chriſti cũ S. Mechtilde.*

O si in scrutando hoc divnissimo thesauro seduli essemus, Auditores! O si dies noctesque in illo fodiamus, quæramus, eruamus nobilissimas virtutum venas atque gemmas! profectò in benedictis Christi Vulneribus defossa jacet hæc firma, hæc simplex, & humilis, hæc efficax, de quâ loquimur, fides. Hanc si invenerimus, dicemus ex corde cum S. Thoma, *Credo, credo, credo. Credo* à mortuis surrexisse Salvatorem, nam sentio eundem vivere in corde meo, per gratiam & charitatem. *Credo* præparatum nobis fuisse in paschali communione panem Angelorum, & manna cœleste; nam singularem experior dulcedinem, quia illo fruitus sum. *Credo* denique quod idem inquam venturus sit, ad judicandum terrarum orbem: nam salutari vitam ago timore perstrictus, ne me illo die tremendo ad infelicem reproborum turmam ableget. Ità Auditores, ita credere oportet, ità fidem divinis adhibere mysteriis; quoad ea, quæ modò in umbrâ cognoscimus, olim in beatissimo æternæ gloriæ lumine velut in Sole aureis descripta litteris clarissimè videamus. Amen.



CONCIO XXIII.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego sum Pastor bonus.
Joannis 10. v. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHristus D. est Pastor bonus, quia tuetur, & protegit suas oviculas.

§. 1. *Oratiuncula S. Thomæ ad Christum in Eucharistia.* Bone Pastor, panis vere *&c. & Propositio.*

§. 2. *Bonus Pastor tuetur oves, Probatur ex cap. 4. Michea. Pastor debet esse turris nebulosa, umbrosa.*

§. 3. *Quomodo sit arbor Oviculis.*

§. 4. *Duo Testimonia SS. Chrysostomi & Bernardi.*

§. 5. *Difficilis locus ex ps. 67.*

§. 6. *Quare Pastor oves duxit ad montem Selmon. Varia metamorphoses boni Pastoris.*

§. 7. Pastor

§. 1. *Oratiuncula S. Thomæ ad Christum in Eucharistia Bone Pastor, panis vere &c & Propositio.*

INter affectuosa suspiria, & suaves salutationes, quibus sponsa Christi vel anima devota, suum sponsum, sub speciebus panis in Venerabili Eucharistia latentem, solet salutare; suavis & affectuosa est illa Doctoris Angelici ex piissimo hymno, *Lauda Sion Salvatorem.* in quo inter alia his verbis sponsæ præit, & sic Christum D. alloquitur: *Bone pastor* (videtur vir devotissimus memor fuisse hodierni Evangelii) *bone pastor, panis vere, IEsu nostri miserere; tu nos pasce, nos tuere, tu nos bona fac videre in terra viventium.*

Cùm his diebus in sacro missæ officio, jacentem ante me hostiam, amantibus oculis aspicerem, & hæc verba, non sine solatio atque affectu aliquoties repeterem; *bone pastor, bone JESU, pasce me, tuere me, bone IESU miserere mei*; occurrit mihi deinde parabola de bono pastore, quæ hodiernâ Dominica solet esse materia concionum; & proposui mihi, duo hodie vobis ex illa vel historia, vel parabola declarare. Primum, quomodo bonus JESUS velut bonus pastor nos tueatur; Alterum quomodo velut bonus pastor nos pascat; ex quo summum felicitatis nostræ facilè metiri poterimus, si nobiscum reputaverimus ipsi, mentes nostras esse beatas illas oviculas, quibus pascendis talis ac tantus pastor præesse dignatur.

§. 2. *Bonus pastor tuetur oves, probatur ex c. 4. Micheæ. Pastor debet esse turris nebulosa, umbrosa.*

Unum ex præcipuis officiis boni Pastoris est, ut oviculas suas in periculis tueatur, atque defendat. Cùm in sensu mystico id faciat Salvator noster, meritò de se ait in hodierno Evangelio, *Ego sum pastor bonus.* Diu ante Incarnitionem Verbi, de Messia illud prædixit Micheas cap. 4. v. 8. *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion, usque ad te veniet, & veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem.* Hebraica lectio sic legit. *turris, propugnaculum filiæ Sion,* quasi diceret. Ille filius Altissimi, per quem Deus Abraham, Isaac & Jacob, redimet populum suũ, erit veluti turris suorum & propugnaculum. In campis Palæstinæ, & Judææ turres erant aut muri, vel ædiculæ, quibus pastores de nocte contra lupos includebant ovium gregem. Ad hoc allusit propheta, cum venturum Messiam comparavit pastori, vel turri & propugnaculo gregis. Rupertus eleganti paraphasi hunc locũ ita illustrat. *Sed cur gregis? Rectè dicitur turris, & turris gregis, quia videlicet nos, qui grex Domini sumus, nos populus ejus, & oves pascua ejus in illa protegimur & defẽdimur.*

Horum ergo verborum Christi D. in hodierno Evangelio, *Ego sum pastor bonus*, hic est sensus. Ego sum turris, & propugnaculum mei gregis, in quo meæ oviculæ, in pascuis non tantùm bonis & pinguibus, sed etiam tutis defenduntur, proteguntur, recreantur.

Neque sine mysteriis hæc turris citato loco à Michea vocatur *nebulosa*: per nebulam enim peculiaris DEI protectio in sacris litteris significatur. Patet primò Exod 13. v. 21. in illâ nube, quâ Deus populum ex Ægypto deduxit per desertum, quæ nubes fuit veluti tectum quod contra radios solis protexit Israelitas. Patet 2. in illâ nube & nebulâ quâ l. 3. Reg. cap. 8. v. 10. repletum fuit templum Salomonis in signum tutelaris custodiæ, atq; assistentiæ singularis. In novo templo gratiæ talis nubes & nebula est Salvator mundi, ut proinde horum verborum, *Ego sum pastor bonus*, ille sit sensus: nubes ego sum, sub qua meæ oviculæ contra ardores concupiscentiæ defenduntur.

§. 3. *Quomodo sis arbor oviculis.* Hæc turris, hæc nubes, à regio psalte vocatur umbra. Ps. 139. v 8. *Obumbrasti caput meum in die belli.* alii legunt. *Operuisti & munivisti caput meum in die armorum.* Ut locum hunc præsenti materiæ possim applicare, mementote consuetudinis pastorum, secundùm quam in meridie cum sol est altissimus, & ardentissimus, oves deducunt ad locum aliquem umbrosum, ramis arborum tectum, in quo oviculæ per horas aliquot tutæ contrà ardores solis, suaviter accumbentes quiescunt. Et ideò forsitan sponsa dicebat sponso veluti pastori, Cant. I. v. 6. *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Talis umbra, talis arbor est Salvator noster, ut his verbis, *Ego sum paster bonus*, hoc dicere voluerit, ego sum umbra mei gregis; O felices oviculæ! arbor est, & arbor vitæ, rami sunt extensa & sanguinea brachia, rami amœnissimi, umbræ suavissimæ, sunt perfossi boni pastoris pedes; umbram jaciunt amoris, sub quâ oviculæ suavissimè conquiescunt.

§. 4. *Duo testimonia S. Chrysostomi & S. Bernardi.* Expertus fuit S. Chrysostomus cùm dixit in Ps. citatum, *Me in tantâ securitate, & unà cum securitate, in tantâ jucunditate, & animi quiete collocasti, ut nec ullus quidem calor mihi molestiam exhiberet, sed in umbrâ jucundè, & suaviter agerem.* Oviculæ felices quærite hanc arborem, hanc umbram, hanc turrim, securitatem, cum jucunditate invenietis. Expertus fuit S. Bernardus cùm dixit in v. 4. Psal. 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi. Sub his enim abscondimur, sub his in occursu accipitrum, & milvorum protegimur, sub his umbraculum salubre refrigerat nos, & repellit nimium solis fervorem, sub his quoq; alimur & fovemur.*

§. 5. *Difficilis locus ex Ps. 67.* Audiamus Davidem de hâc eâdem protectionis umbrâ sic ps. 67. v. 15. loquentem. *Dum discernit cælestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon;* Scio secundùm quosdam interpretes, Davidem hoc loco loqui de Messia veluti Rege, qui suos famulos certis induit vestibus, per quas ab aliis dignoscuntur; vel ut belli duces, qui suos milites ejusmodi indumentis, vel baltheis, similibusq; signis ab aliis discernunt, Modò illi mihi placent qui ajunt regium,

regium psaltem loqui de Salvatore mundi veluti pastore, qui suis oviculis certa imprimit vel inurit signa, per quæ suas esse cognoscit, prout ipse pastor bonus ait, *Ego cognosco meas*. Præcipuum ex his signis color est niveus, quo in Sanguine Agni immaculati piæ dealbantur oviculæ; aspersæ tamen ad elegantiam guttis ejusdem sanguinis. nimirùm hæ oviculæ facilè discernuntur à reliquis. Clama ovicula, clama inquam cum psalte regio ps. 50. v. 9. *lavabis me, & super nivem dealbabor*; clama & ama, hoc signo, hoc colore, his carbunculis discerneris ab immundo mundi grege.

§. 6. *Quare pastor oves deduxerit ad montem Selmon Varia metamorphoses boni Pastoris.*

Sed pergo in discursu meo super cit. versum. quare pascuntur hæ oviculæ in monte Selmon? quæstioni respondet Ven. Beda. *Selmon est mons Palestinæ regionis* (pulcher, & amœnus) *& interpretatur umbra. Vmbra autem ex duabus rebus fit, scilicet ex luce, & interveniente corpore* (arbore v.g. aut domo, vel turri) *Et ideo per Selmon, id est, umbram, interpretatur Christus, ex duabus naturis unitus, qui Christus obumbraculum, & defensaculum per gratiam Spiritus Sancti, & protectionem Corporis sui, facit omnibus in se credentibus.*

O suaves metamorphoses amantes pastoris! O lusus amoris! qui pastor est, & propugnaculum: qui turris est, nubes est, & nubecula: qui nubes est, mons est, & umbra! S. Petrus Chrysolog. *tibi pastor! propter te varias monstratur in formas, qui manet, unica suâ majestatis in forma.* P. Antonius Ferdin. *Optimi pastoris forma! multiformem scilicet! multiformi gregi se præbet.* Eja oviculæ, cum infernales lupi vos insequuntur, ad hanc turrim, ad Christum, ad pastorem vestrum confugite. Eja oviculæ cum ardor concupiscentiæ vos urit, hanc nubem, hanc umbram, pastorem vestrum quærite; hunc montem conscendite, ubi vos pascet, vos proteget, vos reget & nihil vobis deerit, in bonis, & tutis pascuis vos collocabit.

§. 7. *Pastor sub tempestate oviculas deducit ad locum tutum.*

De hâc protectione boni pastoris loquitur Isaias cap. 4. v. 6. *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine & pluviâ*, priorem partem versus de umbra jam satis explicui: in alterâ aliud latet simile à pastoribus quoque deductum.

Illi enim non tantùm contra ardores Solis, oves deducunt sub arbores, & tecta, & horrea; verùm etiam cùm orta tempestate ingruunt venti, pluviæ, & turbines, tum pastores oviculas suas quasi abscondunt, unde Isaias ait, *tabernaculum erit illis in absconsionem.* Absconsio ex textu græco significat locum absconditum, occultum, vel latibulum, vel latebras, quales subinde in ædibus construuntur, ut si opus sit in periculo abscondi quis possit. Sensu mystico tale latibulum invenit David cum dixit ps. 118. v. 114. *Adjutor meus es tu.* S. Hieron. legit, *protectio mea es tu.* Alii, *absconsio mea, latibulum meum.* Tale latibulum invenerunt Jeremias & Baruch, cum fugerent à facie Joathin, Regis Juda unde textus ait Jer. 36. v. 26. *Abscondit autem eos Dominus.*

§. 8. *Applicatio*

Verissima sunt hæc omnia de Christo Domino veluti bono pastore, ut sensus

ad Christum D. Ejusdem prosopopœia vocantis oviculas. sensus horum verborum, *Ego sum pastor bonus*, sit: Venite ad me O oviculæ, ego vobis ero tabernaculum in umbraculum diei ab æstu, neque hoc tantùm, *Venite ad me*, ero vobis in umbraculum, & in securitatem, & in absconsionem. Ingruant licet tempestates, *ego vobis ero adjutor*, minetur fulmina cœlum! *ego protectio*, mugiat æther & contremiscat pavefacta tellus! *ego absconsio*. Devolvantur malorum grandines, effundantur imbres adversitatum, debacchentur tentationum turbines, &c. nox atra mœroris circumsistat, *ego latibulum*! ecce Vulnera mea, ecce locum refugii, ecce asylum, ecce umbracula, ecce turres, ecce propugnacula, domumque non unam adjutorii!

§. 9. *Locus ex S. Cyrillo digressio ad Sodales Agoniæ.* Pulchrè S. Cyrillus in loc. cit. *Erunt enim* (scilicet oviculæ Christi) *sub operculo & velamento ejus* (abscondentur in Sanctissimis Vulneribus, in pectore, sinu & corde Christi) *qui servare potest, & qui extra omne malum suos collocat.* Hæc sunt quæ consolationis partem afferre possunt, non mediocrem Sodalibus agonizantis in Cruce JEsu Christi, illi enim veluti oviculæ dealbatæ & conspersæ Sanguine crucifixi absconduntur in Vulneribus boni pastoris. Veniet illa quidem hora, veniet illud quondam terribile momentum, à quo pendet æternitas; spirabunt tentationum venti, insurgent malorum turbines &c. at vos oviculæ, nolite timere bonæ animæ JESU, innocentes Salvatoris agni; vester vos proteget pastor; ille vestri sedulam geret curam, ille immanem tartari lupum in fugam conjiciet, ille tentationum ventos, tempestatesque fugabit, ille ut verbo dicam cum propheta, in bonis vos pascuis collocabit. Est pastor bonus! vos felices estis oviculæ.

Facite, quod fecit passerculus Xenocratis, teste Manutio l. 7. videns se in periculo ab accipitre, vario volatu ac flexu hostem deludens, totus anhelus, jam jam capi metuens, vidit ad Chalcædonem sub fago considere Senatum, in cujus medium convolans pro asylo, Xenocratis sinum occupavit, qui aviculæ misertus ad collegas dixit, Oportet profugam ac supplicem protegere. O passerculi! ô turtures! O columbæ, O oviculæ! insequitur vos quotidiæ infernalis accipiter; idem lupus est &c ne vos devoret, locum quærite tutum & absconditum, illum in latere, & corde poni pastoris invenietis. Ecce patet sinus illius, qui profugos à facie mundi, & supplices protegit. Dicat quivis cum S. Eligio, ex ejus vita: *Aperi mihi Domine, aperi mihi latus tuum, & cor divinum lanceâ apertum, ut Principes tenebrarum non occurrant mihi, sed hoc SS. Vulnus tuum protegat me, & potentia tua defendat me.* Dicite sæpè, *Bone pastor, panis vere IESV nostri miserere, tu nos pasce, nos tuere.* § 10: *Passerculus Xenocratis.* *Pium suspirium S. Eligii.*

Sed antequam finiam partem hanc primam meæ Concionis, repeto adhuc semel voculam, *in absconsionem*. Reus se abscondit sub pedibus Judicis, ut Magdalena pœnitens in domo Simeonis. Regulus se abscondit sub pennis aquilæ, pulli gallinacei sub plumis gallinæ, columbæ in cavernis maceriæ, passer sub tecto, miles sub clypeo. Ecquid adhuc deliberatis amantes JEsum animæ? §. 11. *Doctus sensus voculæ Absconsionis.*

mæ? quid moram porrò trahitis accedite, nec ullus vos posthàc pudor, timorq; retardet, facite gratas cœlo metamorphoses, ludite amoris lusum, state in scena charitatis perfectæ. Quòd si lubet personam rei sustinere; sustinete: Judex est vester JESUS, sed judex amabilis, siquidem cum Magdalena coram eo procumbatis in genua. Humiles protegit. An repræsentare fortassis malletis oviculas? Ite, nam qui vos expectat, pastor bonus est. Defendit gregẽ, ejus vulnera sunt in absconsionem. An magis vos rapit aquilæ per inane volantis sublimitas? ergo reguli estote, sub alis JESU volate, nihil vos terreat; sub umbra alarum JEsu quisquis volitat, periculorum securus nidulum suum in altissimis constituit. (*Sic de pullis, de columbis, passerculis*) &c. Hæc de primo puncto, Christus D. bonus pastor est, quia nos tuetur.

Suavis affectus, JEsus absconsio nostra.

§. 12. *Idem pastor oviculas suas pascit suaviter.*

Deinde pastor bonus est, quia suas oviculas pascit, & suaviter pascit. Ampla hic mihi succurrit, & non inelegans materia, quam alibi deduco, modo duobus tantùm locis sacræ Scripturæ utar, altero ex Isaia, ex quibus intelligetis, quàm hic pastor suas oviculas suaviter pascat.

Sponsus in Canticis agit pastorem.

Notissimum est, in Canticis sponsum agere Pastorem, agereque cum sponsa, veluti Amica alicujus pastoris, proinde hæc ait c. 6. v. 1. *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.* Variant interpretes in lectione hujus versus, sed suavibus verbis. Aquila & Symmachus sic legunt: *descendit ad pascendum*, explicat Vatablus & legit, *Ut pastorem agat.* Septuaginta sic habent, *descendit in hortum suum, pascere* (scilicet oviculas) *in hortis, & colligere lilia.* Sensus est, pastor de quo loquitur sponsa, suas oviculas non pascit in arduis montibus inter vepres & saxa, sed in horto, non pascit gramine, & herbis, sed rosis & liliis, id est, pascit illas suaviter, & delicatè, Paraphrastes Chaldæus, *sicut vir qui nutrit filium suum dilectum in deliciis*, ita delicatè nutrit eos, noster pastor, simul pater & mater est, quæ lacte, imò sanguine suo nos nutrit. In figura enim sponsa loquitur de dulcissimo mañа, sive pane Angelorum, quo Deus in eremo suo pavit, quoad substantiam sermo est de Ven. Eucharistia, in qua filius Dei sua carne, & sanguine nos nutrit, & fovet. Rosæ, lilia, salutiferæ herbæ, sunt guttæ pretiosissimi Sanguinis, quas in communione lambimus ex Vulneribus Christi, Eucharistiam Christus D. instituit in horto Ecclesiæ, ad pascendum, ut pastorem agat, ut delicatè nos nutriat.

§. 13. *Atrox factum Atrei, quod ex amore imitatus est JEsus*

Unum adhuc observo in cit. loco. pro verbis illis, *ad areolam aromatum.* Septuaginta ponunt, *ad phialas aromatum*; id est, cœlestis sponsus & pastor, oviculis proponit calicem, sive phialā auream, cum vino aromatico, sive potū delicato, sive vino ex cella vinaria, quod germinat virgines, &c. Aurea hæc phiala in memoriā mihi revocat atrox facinus Atrei, de quo referunt Athenæus l. 6. & Pausanias l. 2. quod filium suū occisum, præparaverit in cibū & involutum vellere Agni in convivio hospitibus epulandum proposuerit. Cohorruit sol ad crudele spectaculū, & tenebris se

tiones scopuli sunt, ad quos plurimæ naviculæ allisæ naufragium fecerunt, in abyssos & charybdes hæresum præcipitatæ. Bene S. Augustinus ser. 36. de verbis Domini. *Non est fides superborum, sed humilium.* Quisquis in mysteriis tam arduis sequi vult lumen rationis, sequitur ignes fatuos, à quibus humanus intellectus ducitur ad præcipitia. Examen mysteriorum fidei nimis curiosum præcipuè in rudioribus, est labyrinthus ex quo nemo se facilè extricare poterit.

§. 7. *Homo non capit naturalia, quomodo capiet tam sublimia?* Naturalia, v. g. refluxum maris, mutationem lunæ, & temporis, influxus siderum, tam absconditos, tam mirabiles, productionem auri, & metallorum in montibus, & sexcenta talia, intellectus noster comprehendere non potest: & mysteria capiat, tam alta, tam abstrusa, tam recondita, tam suprà naturam, tam divina? S. Petrus 1. ep. c. 2. bene suadet, ut in mysteriis fidei, simus *sicut modo geniti infantes, rationabile lac concupiscentes*, hoc latet simile. Licet sæpe infantes, vel in tenebris, vel ob clausos etiamnum oculos, vel in somno, ubera matris & lac non videant, avidissimè tamen sugunt, & eadem omnino suavitate, ac si viderent: pari ratione lac veræ doctrinæ, ex mamillis, sive Vulneribus Christi, clausis oculis sugere debemus; id est, & si non videamus, vel sensibus percipiamus veritates fidei, tamen credere debemus; *firmiter & simpliciter.* Nimirum fides Catholica humilis esse debet, & simplex, vel ut cum S. Paulo loquar, *oportet captivare intellectum in obsequium fidei. beati qui non viderunt, & crediderunt.*

3. Perfecta fides mysteriorum fidei debet esse viva, & efficax; sive causa vitæ sanctæ, & bonorum operum, nam (Ja obi c. 2. v. 17.) *fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* Corpus, in quo nullas operationes vitæ videmus, dicimus esse mortuum, dicimus carere anima: ità fidem sine operibus, vel operationibus mortuam appellamus. Quod perspicuè satis indicat præsul Hipponensis præf. in Ps 139. *fides sic est in anima, ut radix bona, quæ pluviam in fructum deducit.* Radix nimirùm bona, succum ex terra attractum, derivat in truncum, ex hoc progerminant folia, inter illa & cum illis flores, hi maturescunt in fructus. Talis radix sit fides; sit foliorum causa, sanctarum scilicet cogitationum & desideriorum, sit causa florum sive pulcherrimarum virtutum, sit denique causa fructuum, sive bonorum operum. In hoc, vita fidei, atque efficacitas fundatur. Sed rem in exemplo clariùs perspicimus. Præsens igitur propono gloriosæ Resurrectionis mysterium. Hoc non satis est firmiter atque simpliciter credere, ut dicamus cum Job c. 19. v. 25. *Credo quod Redemptor meus vivit,* sed insuper fides illa efficere debet, ut vita nostra, & nostra opera sint conformia Resurrectioni Christi. Gloriosissima hujus resurrectio debet nobis esse exemplar spiritualis resurrectionis animarũ nostrarũ. §. 8. *Fides illa debet esse viva & efficax. Radix si bona est generat bonos fructus.*

Fides nostra docet Christi sanctissimam Animam divinitati conjunctam reli- §. 9. *Vera fides efficit ut*

vita nostra sit similis Christi resurrectioni.

reliquisse limbum, & deinde, assumpto rursùm Corpore sepulchrum. Plurimi hoc fide viva non credunt: licet enim rem credant, ipsi nihilominus manent in sepulchro vitiorum. Fides illorum mortua est, Huic sepulchrum est luxuria, illi odium, alteri avaritia &c. Fides clamat, exemplo Christi Resurgentis à mortuis, & prodeuntis ex sepulchro, ex his omnibus esse resurgendum: at isti manent scelerum monumentis immersi, jacent de resurrectione spirituali animarum nequicquam solliciti, putredine plus delectantur, quàm sanitate. Profectò hi, ut fideles se palam pronuntient, fideles tamen re ipsa non sunt, nisi putridi fortassis & mortui, neque enim viva illis fides inest aut efficax. Notanda sunt verba Apostoli ad Ephes 5. v. 14. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Alia versio sic habet. *Continget te Christus,* Pulcherrimos, & solis instar vibrat radios sua in resurrectione Salvator, sed quinque præ reliquis lucidiores ex quinque roseis Vulneribus, his te piissimis JESUS cupit illuminare, imò, contingere, fovere & vivificare: sed age surge prius à mortuis, surge inquam, per Confessionem paschalem, & non illuminabit te tantùm Christus, sed prout Thomæ, ita tibi sacratissima offert vulnera, ut illa tangas, ut illa te contingant, ut tibi afflent vitam sed surge prius à mortuis. Fides perfecta Resurrectionis Christi debet esse causa, ut hoc sacro tempore quivis Christianus, deserat sepulchrum vitiorum.

§. 10. *Prosecutio.*

Clariùs hoc idem exponere non possum, quàm ex illis hodiernæ epistolæ verbis. 1. Joannis 5. v. 4. *Hæc victoria, quæ vicit mundum fides nostra.* Credimus JEsum vicisse hostes; bene habet. Sed & nos in fide hac vincere oportet spirituales nostros hostes, carnem, mundum, diabolum *Hæc est enim victoria, quæ vincit mundum.* Credimus Salvatorem venisse per crucem, ad lucem, per spinas ad rosas, per tormenta ad gaudia, ad quietem per laborem, per pugnam ad victoriam? salva res est. *Hæc est victoria, fides nostra, quæ vincit mundum,* quæ spinas amat ob rosas, quæ tormenta non fugit, quæ crucē non refugit, quæ non recusat laborem, quæ se non subducit è prælio, ut vincat & ad gaudia veniat cum Christo, verbo dicam: Hæc vera, viva, perfecta fides est, quæ mundum vincit, resistit diabolo, fugit peccatum. Hæc nostra est felicitas, hæc triumphus, hæc gloria!

§. 11. *Prosecutio.*

Præterea Fides Catholica dicit Christum resurrexisse à mortuis, *Verè,* non phantasticè, non deceptoriè, sed *realiter,* inquiunt Philosophi. Sicut enim est aurum, verum & adulterinum, gemmæ bonæ & falsæ: sic in sensu spirituali, duplex est resurrectio animarum, vera & falsa. Christus D. *surrexit verè*; qui hoc efficaciter credunt, etiam *verè* resurgunt, id est, *verè* confessi sunt, *verè* egerunt pœnitentiam, *verè* odium, aliasque depravatas consuetudines deposuerunt. Sed heu! quotusquisque est Christianus, qui surrexit quidem festis hisce pascalibus; *sed non surrexit verè.* Sunt qui simulatam tantùm fictamq; ediderunt Confessionem; alii promiserunt sacerdoti

doti daturos se veniam inimicis, sed non nisi oretenus, alii, facturos se debitam atque omnino ad salutem necessariam furti & boni alieni restitutionem; alii fugam societatis perversæ & proximæ ad peccandum occasionis: alii seriam hujus vel illius vitii emendationem. Sed utinam *verè* surrexissent, utinam non phantastico quodam modo, aut ludicro; utinam promissis atque propositis deinceps fides constet viva, & efficax!

§. 12. *Prosecutio.*

3. Fides vera Resurrectionis Christi, ait cum S. Paulo ad Rom. 6. v. 9. *Christus resurgens jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Hoc credimus fide Catholicâ; sed debet esse efficax, sive causa ut similiter post spiritualem resurrectionem non amplius moriamur, ut amplius non peccemus.

Denique 4. credimus Christum resurrexisse, & deinde post dies quadraginta ascendisse ad cœlos. Hæc fides, causa esse debet, ut similiter post resurrectionem à peccato, quæramus cœlestia, juxtà illud S. Pauli ad Coloss. 3. v. 1. *qui consurrexerunt cum Christo, cœlestia sapiunt, quæ sursum sunt, quærunt.* S. Gregorius hom. 29. in Evang. *Vera fides est, quæ hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit.* Et S. Aug. ser. 2. fer. 2. pasch eleganter & breviter, *Resurrectio Domini nostri IEsu Christi, nova vita est credentium in IEsum.*

§. 13. *Applicantur hæc aliis mysteriis fidei.*

Simili ratione per alia mysteria fidei discurrrere possumus. Credis v. g. mysterium sanctissimæ Trinitatis, & firmiter & simpliciter? sed non sufficit, hic actus fidei debet esse radix, & causa aliorum pulcherrimorum actuum, ut sanctiss. Triadem adoremus, laudemus, veneremur. Ista fides mater est pulcherrimæ dilectionis & devotionis erga illud mysterium, radix spei, charitatis, & similium virtutum. Credis haud dubiè, Christum Dominum esse præsentem in Eucharistiâ, & firmiter, & simpliciter? at necdum planè satis est, efficacem esse oportet hanc fidem, id est, talem, quæ animos tibi addat & stimulos ad ipsam praxin, quæ te impellat, ut re ipsâ tuum ergà Venerabile Eucharistiæ mysterium, animique affectum exponas, ut ad illud crebrò recurras, ut sacrum missæ officium diebus etiam profanis non negligas, ut coram eo prostratus in genua ardentes sæpe numerò preces effundas, ut ab eo in mœrore capias solatium, ut illud humili corde adores, ut illius crebra synaxi te reficias. Enimverò, hoc ni feceris, efficax tua esse fides haudquaquam potuit.

Sed age porro mi Christiane, ecquid credis prætera? nunquid moriturum te aliquando? *credo*, inquis: si credis, *crede firmiter*; id est, ita vitæ tuæ rationes compone, ac si indies tibi fatalis hæc horula immineret, uti profectò singulis penè momentis imminet. *Omnem crede diem, tibi diluxisse supremum.* Hoc ni feceris, nulla tua erit de mortalitate fides. Quid credis? nunquid locum esse aliquem æternis damnatorum suppliciis destinatum? *Ita*, inquis, *credo*: sed an firmiter? certè si ab eo, quod animas in infernum præcipitat, non discedas, infernum esse non credis. Quid credis prætera? esse aliam

aliam feliciſſimam beatarum mentium regionem, quam nullus incolit dolor, nulla turbat triſtitia, nullus inficit morbus, nullum infeſtat incommodum? ah! ſi credis, *crede firmiter*, firma fides tibi perſuadeat, ut viam Sanctæ crucis regiam, & ſemitam mandatorum DEI, quæ ducit ſola ad has feliciſſimas aulæ cœleſtis delicias, amplectaris.

§. 14. *Confirmatur ex S. Paulo.* Talem fidem S. Paulus exigit à Philemone, dum illum rogat, ut Oneſimum cum omni charitate ſuſcipiat, ob hanc cauſam, *ut communicatio fidei tua evidens* (alia lectio habet, *efficax*) *fiat in agnitione omnis operis boni.* Ad Hebræos 11. v. 33. de Abrahamo ait, idem deque Moyſe, Gedeone, Jephte, Davide &c. *qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, diſtenti ſunt, lapidati ſunt, ſecti ſunt*; quaſi diceret, fides eorum firma, & ſimplex fundata in promiſſionibus Dei, cauſa fuit, cur talia egerint, & paſſi ſint, ut ſimiliter fides noſtra de reſurrectione Chriſti operetur in nobis, altam ſpem, ardentem charitatem, ardua deſideria, heroicam fortitudinem, & patientiam, aliaque opera planè eximia & excelſa filiorum DEI. Ad quæ idem S. Paulus ep. 2. c. 2. v. 1. hortatur Timotheum; *Fili mi, confortare in gratia, labora ſicut bonus miles IESV Chriſti, certa legitimè in agone, ut coroneris.* Sed unde iſte animus? iſta alacritas, iſta confortatio? *Memor eſto*, inquit Apoſtolus v. 8. *Dominum noſtrum IESVM Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis.* Et Angeli ad ſepulchrum dixerunt meticuloſis fœminis Marc. 16. v. 6. *Nolite expaveſcere, nolite timere*, quaſi diceret, confortamini, diligite porro veſtrum Magiſtrum, cauſam hanc ſubdunt, *Reſurrexit Chriſtus à mortuis.*

Reſtat, ut vobis paucis inſinuem fructum firmæ, ſimplicis, & efficacis fidei. Et hoc verbis S. Petri ep. 1. c. 1. v 8. *Credentes* (ſcilicet firmiter, ſimpliciter, efficaciter) *exultabitis* (his feriis potiſſimùm paſchalibus, & in glorioſa Chriſti reſurrectione) *lætitiâ inenarrabili, & glorificatâ reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum.* & v 6. cit. capitis. *In quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus, ut probatio veſtræ fidei multò pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem, & revelationem IESV Chriſti.* Intelligitis mentem S. Petri? cedit nimirum in gloriam reſurgentis à morte JESU, ſi ejus reſurrectionem ita credamus. Eo ferè modo, quo glorioſum ſibi eſſe duxit Salvator, quod incredulum Thomam tam ſuavi modo, immeritum ad veram fidem perduxerit. §. 15. *Fructus hujus fidei ex ep. 1. S. Petri. cap. 1.*

Verùm quia illa fides, ut initio dixi, eſt, electum & eximium donum DEI, frequenter & ferventer illud à DEO & Patre luminum petendum eſt. S. Thomas illud hauſit ex Vulneribus Chriſti; ibidem pro nobis latet, eruamus inde, quæramus, ſumamus, fruamur, utamur, ut cum S. Mechtilde dicere poſſimus: *Si deſcribi deberent omnia bona, quæ de latere, & Corde IEſu accepi, nullo vel magno volumine poſſint comprehendi.* Et ideò optimus Salvator, ſanctiſſima Vulnera in glorioſo corpore retinuit, ut ex illis veluti aurifodinis ſumamus theſauros gratiarum. § 16. *Donum fidei hauriamus ex S. S. Vulneribus Christi cũ S. Mechtilde.*

O si in scrutando hoc divnissimo thesauro seduli essemus, Auditores! O si dies noctesque in illo fodiamus, quæramus, eruamus nobilissimas virtutum venas atque gemmas! profectò in benedictis Christi Vulneribus defossa jacet hæc firma, hæc simplex, & humilis, hæc efficax, de quâ loquimur, fides. Hanc si invenerimus, dicemus ex corde cum S. Thoma, *Credo, credo, credo. Credo* à mortuis surrexisse Salvatorem, nam sentio eundem vivere in corde meo, per gratiam & charitatem. *Credo* præparatum nobis fuisse in paschali communione panem Angelorum, & manna cœleste; nam singularem experior dulcedinem, quia illo fruitus sum. *Credo* denique quod idem inquam venturus sit, ad judicandum terrarum orbem: nam salutari vitam ago timore perstrictus, ne me illo die tremendo ad infelicem reproborum turmam ableget. Ità Auditores, ita credere oportet, ità fidem divinis adhibere mysteriis; quoad ea, quæ modò in umbrâ cognoscimus, olim in beatissimo æternæ gloriæ lumine velut in Sole aureis descripta litteris clarissimè videamus. Amen.



CONCIO XXIII.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego sum Pastor bonus.
Joannis 10. v. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHristus D. est Pastor bonus, quia tuetur, & protegit suas oviculas.

§. 1. *Oratiuncula S. Thomæ ad Christum in Eucharistia.* Bone Pastor, panis vere &c. & *Propositio.*

§. 2. *Bonus Pastor tuetur oves, Probatur ex cap. 4. Michea. Pastor debet esse turris nebulosa, umbrosa.*

§. 3. *Quomodo sit arbor Oviculis.*

§. 4. *Duo Testimonia SS. Chrysostomi & Bernardi.*

§. 5. *Difficilis locus ex ps. 67.*

§. 6. *Quare Pastor oves duxit ad montem Selmon. Variæ metamorphoses boni Pastoris.*

§. 7. Pastor

§. 1. *Oratiuncula S. Thomæ ad Christum in Eucharistia Bone Pastor, panis vere &c & Propositio.*

INter affectuosa suspiria, & suaves salutationes, quibus sponsa Christi vel anima devota, suum sponsum, sub speciebus panis in Venerabili Eucharistia latentem, solet salutare; suavis & affectuosa est illa Doctoris Angelici ex piissimo hymno, *Lauda Sion Salvatorem.* in quo inter alia his verbis sponsæ præit, & sic Christum D. alloquitur: *Bone pastor* (videtur vir devotissimus memor fuisse hodierni Evangelii) *bone pastor, panis vere, IEsu nostri miserere; tu nos pasce, nos tuere, tu nos bona fac videre in terra viventium.*

Cùm his diebus in sacro missæ officio, jacentem ante me hostiam, amantibus oculis aspicerem, & hæc verba, non sine solatio atque affectu aliquoties repeterem; *bone pastor, bone JESV, pasce me, tuere me, bone IESV miserere mei*; occurrit mihi deinde parabola de bono pastore, quæ hodiernâ Dominica solet esse materia concionum; & proposui mihi, duo hodie vobis ex illa vel historia, vel parabola declarare. Primum, quomodo bonus JESUS velut bonus pastor nos tueatur; Alterum quomodo velut bonus pastor nos pascat; ex quo summum felicitatis nostræ facilè metiri poterimus, si nobiscum reputaverimus ipsi, mentes nostras esse beatas illas oviculas, quibus pascendis talis ac tantus pastor præesse dignatur.

§. 2. *Bonus pastor tuetur oves, probatur ex c. 4. Michea. Pastor debet esse turris nebulosa, umbrosa,*

Unum ex præcipuis officiis boni Pastoris est, ut oviculas suas in periculis tueatur, atque defendat. Cùm in sensu mystico id faciat Salvator noster, meritò de se ait in hodierno Evangelio, *Ego sum pastor bonus.* Diu ante Incarnitionem Verbi, de Messia illud prædixit Micheas cap. 4. v. 8. *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion, usque ad te veniet, & veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem.* Hebraica lectio sic legit. *turris, propugnaculum filiæ Sion,* quasi diceret. Ille filius Altissimi, per quem Deus Abraham, Isaac & Jacob, redimet populum suũ, erit veluti turris suorum & propugnaculum. In campis Palæstinæ, & Judææ turres erant aut muri, vel ædiculæ, quibus pastores de nocte contra lupos includebant ovium gregem. Ad hoc allusit propheta, cum venturum Messiam comparavit pastori, vel turri & propugnaculo gregis Rupertus eleganti paraphasi hunc locũ ita illustrat. *Sed cur gregis? Rectè dicitur turris, & turris gregis, quia videlicet nos, qui grex Domini sumus, nos populus ejus, & oves pascua ejus in illa protegimur & defẽdimur.*

Horum ergo verborum Christi D. in hodierno Evangelio, *Ego sum pastor bonus*, hic est sensus. Ego sum turris, & propugnaculum mei gregis, in quo meæ oviculæ, in pascuis non tantùm bonis & pinguibus, sed etiam tutis defenduntur, proteguntur, recreantur.

Neque sine mysteriis hæc turris citato loco à Michea vocatur *nebulosa*: per nebulam enim peculiaris DEI protectio in sacris litteris significatur. Patet primò Exod 13. v. 21. in illâ nube, quâ Deus populum ex Ægypto deduxit per desertum, quæ nubes fuit veluti tectum quod contra radios solis protexit Israelitas. Patet 2. in illâ nube & nebulâ quâ l. 3. Reg. cap. 8. v. 10. repletum fuit templum Salomonis in signum tutelaris custodiæ, atq; assistentiæ singularis. In novo templo gratiæ talis nubes & nebula est Salvator mundi, ut proinde horum verborum, *Ego sum pastor bonus*, ille sit sensus: nubes ego sum, sub qua meæ oviculæ contra ardores concupiscentiæ defenduntur.

§.3. *Quomodo sit arbor oviculis.* Hæc turris, hæc nubes, à regio psalte vocatur umbra. Ps. 139. v 8. *Obumbrasti caput meum in die belli.* alii legunt. *Operuisti & munivisti caput meum in die armorum.* Ut locum hunc præsenti materiæ possim applicare, mementote consuetudinis pastorum, secundùm quam in meridie cum sol est altissimus, & ardentissimus, oves deducunt ad locum aliquem umbrosum, ramis arborum tectum, in quo oviculæ per horas aliquot tutæ contrà ardores solis, suaviter accumbentes quiescunt. Et ideò forsitan sponsa dicebat sponso veluti pastori, Cant. 1. v. 6. *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Talis umbra, talis arbor est Salvator noster, ut his verbis, *Ego sum paster bonus*, hoc dicere voluerit, ego sum umbra mei gregis; O felices oviculæ! arbor est, & arbor vitæ, rami sunt extensa & sanguinea brachia, rami amœnissimi, umbræ suavissimæ, sunt perfossi boni pastoris pedes; umbram jaciunt amoris, sub quâ oviculæ suavissimè conquiescunt.

§.4. *Duo testimonia S. Chrysostomi & Bernardi.* Expertus fuit S. Chrysostomus cùm dixit in Ps. citatum, *Me in tantâ securitate, & unà cum securitate, in tantâ jucunditate, & animi quiete collocasti, ut nec ullus quidem calor mihi molestiam exhiberet, sed in umbrâ jucundè, & suaviter agerem.* Oviculæ felices quærite hanc arborem, hanc umbram, hanc turrim, securitatem, cum jucunditate invenietis. Expertus fuit S. Bernardus cùm dixit in v. 4. Psal. 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi. Sub his enim abscondimur, sub his in occursu accipitrum, & miluorum protegimur, sub his umbraculum salubre refrigerat nos, & repellit nimium solis fervorem, sub his quoq; alimur & fovemur.*

§.5. *Difficilis locus ex Ps. 67.* Audiamus Davidem de hâc eâdem protectionis umbrâ sic ps. 67. v. 15. loquentem. *Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon;* Scio secundùm quosdam interpretes, Davidem hoc loco loqui de Messia veluti Rege, qui suos famulos certis induit vestibus, per quas ab aliis dignoscuntur; vel ut belli duces, qui suos milites ejusmodi indumentis, vel baltheis, similibusq; signis ab aliis discernunt, Modò illi mihi placent qui ajunt

regium,

regium psaltem loqui de Salvatore mundi veluti pastore, qui suis oviculis certa imprimit vel inurit signa, per quæ suas esse cognoscit, prout ipse pastor bonus ait, *Ego cognosco meas.* Præcipuum ex his signis color est niveus, quo in Sanguine Agni immaculati piæ dealbantur oviculæ; aspersæ tamen ad elegantiam guttis ejusdem sanguinis. nimirùm hæ oviculæ facilè discernuntur à reliquis. Clama ovicula, clama inquam cum psalte regio ps. 50 v. 9. *lavabis me, & super nivem dealbabor*; clama & ama, hoc signo. hoc colore, his carbunculis discerneris ab immundo mundi grege.

§. 6. *Quare pastor oves deduxerit ad montem Selmon Varia metamorphoses boni Pastoris.*

Sed pergo in discursu meo super citversum. quare pascuntur hæ oviculæ in monte Selmon? quæstioni respondet Ven. Beda. *Selmon est mons Palestinæ regionis* (pulcher, & amœnus) *& interpretatur umbra. Vmbra autem ex duabus rebus fit, scilicet ex luce, & interveniente corpore* (arbore v.g. aut domo, vel turri) *Et ideo per Selmon id est, umbram, interpretatur Christus, ex duabus naturis unitus, qui Christus ob umbraculum, & defensaculum per gratiam Spiritus Sancti, & protectionem Corporis sui, facit omnibus in se credentibus.*

O suaves metamorphoses amantes pastoris! O lusus amoris! qui pastor est, & propugnaculum: qui turris est, nubes est, & nubecula: qui nubes est, mons est, & umbra! S. Petrus Chrysolog. *tibi pastor! propter te varias monstratur in formas, qui manet, unica suâ majestatis in forma.* P. Antonius Ferdin. *Optimi pastoris forma! multiformem scilicet! multiformi gregi se præbet.* Eja oviculæ, cum infernales lupi vos insequuntur, ad hanc turrim, ad Christum, ad pastorem vestrum confugite. Eja oviculæ cum ardor concupiscentiæ vos urit, hanc nubem, hanc umbram, pastorem vestrum quærite; hunc montem conscendite, ubi vos pascet, vos proteget, vos reget & nihil vobis deerit, in bonis, & tutis pascuis vos collocabit.

§. 7. *Pastor sub tempestate oviculas deducit ad locum tutum.*

De hâc protectione boni pastoris loquitur Isaias cap. 4. v. 6. *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine & pluviâ*, priorem partem versus de umbra jam satis explicui: in alterâ aliud latet simile à pastoribus quoque deductum.

Illi enim non tantùm contra ardores Solis, oves deducunt sub arbores, & tecta, & horrea; verùm etiam cùm orta tempestate ingruunt venti, pluviæ, & turbines, tum pastores oviculas suas quasi abscondunt, unde Isaias ait, *tabernaculum erit illis in absconsionem.* Absconsio ex textu græco significat locum absconditum, occultum, vel latibulum, vel latebras, quales subinde in ædibus construuntur, ut si opus sit in periculo abscondi quis possit. Sensu mystico tale latibulum invenit David cum dixit ps. 118. v. 114. *Adjutor meus es tu.* S. Hieron. legit, *protectio mea es tu.* Alii, *absconsio mea, latibulum meum.* Tale latibulum invenerunt Jeremias & Baruch, cum fugerent à facie Joathin, Regis Juda unde textus ait Jer. 36. v. 26. *Abscondit autem eos Dominus.*

§. 8. *Applicatio*

Verissima sunt hæc omnia de Christo Domino veluti bono pastore, ut sensus

Ad Christum D. Ejusdem prosopopœia vocantis oviculas. sensus horum verborum, *Ego sum pastor bonus*, sit: Venite ad me O oviculæ, ego vobis ero tabernaculum in umbraculum diei ab æstu, neque hoc tantùm, *Venite ad me*, ero vobis in umbraculum, & in securitatem, & in absconsionem. Ingruant licet tempestates, *ego vobis ero adjutor*, minetur fulmina cœlum! *ego protectio*, mugiat æther & contremiscat pavefacta tellus! *ego absconsio*. Devolvantur malorum grandines, effundantur imbres adversitatum, debacchentur tentationum turbines, &c. nox atra mœroris circumsistat, *ego latibulum*! ecce Vulnera mea, ecce locum refugii, ecce asylum, ecce umbracula, ecce turres, ecce propugnacula, domumque non unam adjutorii!

§. 9. *Locus ex S. Cyrillo digressio ad sodales Agoniæ.* Pulchrè S. Cyrillus in loc. cit. *Erunt enim* (scilicet oviculæ Christi) *sub operculo & velamento ejus* (abscondentur in Sanctissimis Vulneribus, in pectore, sinu & corde Christi) *qui servare potest, & qui extra omne malum suos collocat.* Hæc sunt quæ consolationis partem afferre possunt, non mediocrem Sodalibus agonizantis in Cruce JEsu Christi, illi enim veluti oviculæ dealbatæ & conspersæ Sanguine crucifixi absconduntur in Vulneribus boni pastoris. Veniet illa quidem hora, veniet illud quondam terribile momentum, à quo pendet æternitas; spirabunt tentationum venti, insurgent malorum turbines &c. at vos oviculæ, nolite timere bonæ animæ JESU, innocentes Salvatoris agni; vester vos proteget pastor; ille vestri sedulam geret curam, ille immanem tartari lupum in fugam conjiciet, ille tentationum ventos, tempestatesque fugabit, ille ut verbo dicam cum propheta, in bonis vos pascuis collocabit. Est pastor bonus! vos felices estis oviculæ.

§ 10: *Passerculus Xenocratis.* Facite, quod fecit passerculus Xenocratis, teste Manutio l. 7. videns se in periculo ab accipitre, vario volatu ac flexu hostem deludens, totus anhelus, jam jam capi metuens, vidit ad Chalcædonem sub fago considere Senatum, in cujus medium convolans pro asylo, Xenocratis sinum occupavit, qui aviculæ misertus ad collegas dixit, Oportet profugam ac supplicem protegere. O passerculi! ô turtures! O columbæ, O oviculæ! insequitur vos quotidiæ infernalis accipiter; idem lupus est &c ne vos devoret, locum quærite tutum & absconditum, illum in latere & corde poni pastoris invenietis. Ecce patet sinus illius, qui profugos à facie mundi, & supplices protegit. Dicat quivis cum S. Eligio, ex ejus vita: *Aperi mihi Domine, aperi mihi latus tuum, & cor divinum lanceâ apertum, ut Principes tenebrarum non occurrant mihi, sed hoc SS. Vulnus tuum protegat me, & potentia tua defendat me.* Dicite sæpè, *Bone pastor, panis vere IESV nostri miserere, tu nos pasce, nos tuere.* *Pium suspirium S. Eligii.*

§. 11. *Doctus sensus voculæ Absconsionis.* Sed antequam finiam partem hanc primam meæ Concionis, repeto adhuc semel voculam, *in absconsionem*. Reus se abscondit sub pedibus Judicis, ut Magdalena pœnitens in domo Simeonis. Regulus se abscondit sub pennis aquilæ, pulli gallinacei sub plumis gallinæ, columbæ in cavernis maceriæ, passer sub tecto, miles sub clypeo. Ecquid adhuc deliberatis amantes JEsum animæ?

mæ? quid moram porrò trahitis accedite, nec ullus vos posthàc pudor, timorq; retardet, facite gratas cœlo metamorphoses, ludite amoris lusum, state in scena charitatis perfectæ. Quòd si lubet personam rei sustinere; sustinete: Judex est vester JESUS, sed judex amabilis, siquidem cum Magdalena coram eo procumbatis in genua, Humiles protegit. An repræsentare fortassis malletis oviculas? Ite, nam qui vos expectat, pastor bonus est. Defendit gregē, ejus vulnera sunt in absconsionem. An magis vos rapit aquilæ per inane volantis sublimitas? ergo reguli estote, sub alis JESU volate, nihil vos terreat; sub umbra alarum JEsu quisquis volitat, periculorum securus nidulum suum in altissimis constituit. (*Sic de pullis, de columbis, passerculis*) &c. Hæc de primo puncto, Christus D. bonus pastor est, quia nos tuetur.

Suavis affectus, JEsus absconsio nostra.

§. 12. *Idem pastor oviculas suas pascit suaviter.*

Deinde pastor bonus est, quia suas oviculas pascit, & suaviter pascit. Ampla hic mihi succurrit, & non inelegans materia, quam alibi deduco, modo duobus tantùm locis sacræ Scripturæ utar, altero ex Isaia, ex quibus intelligetis, quàm hic pastor suas oviculas suaviter pascat.

Sponsus in Canticis agit pastorem.

Notissimum est, in Canticis sponsum agere Pastorem, agereque cum sponsa, veluti Amica alicujus pastoris, proinde hæc ait c. 6. v. 1. *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.* Variant interpretes in lectione hujus versus, sed suavibus verbis. Aquila & Symmachus sic legunt: *descendit ad pascendum*, explicat Varablus & legit, *Ut pastorem agat.* Septuaginta sic habent, *descendit in hortum suum, pascere* (scilicet oviculas) *in hortis, & colligere lilia.* Sensus est, pastor de quo loquitur sponsa, suas oviculas non pascit in arduis montibus inter vepres & saxa, sed in horto, non pascit gramine, & herbis, sed rosis & liliis, id est, pascit illas suaviter, & delicatè, Paraphrastes Chaldæus, *sicut vir qui nutrit filium suum dilectum in deliciis*, ita delicatè nutrit eos, noster pastor, simul pater & mater est, quæ lacte, imò sanguine suo nos nutrit. In figura enim sponsa loquitur de dulcissimo maña, sive pane Angelorum, quo Deus in eremo suo pavit, quoad substantiam sermo est de Ven. Eucharistia, in qua filius Dei sua carne, & sanguine nos nutrit, & fovet. Rosæ, lilia, salutiferæ herbæ, sunt guttæ pretiocissimi Sanguinis, quas in communione lambimus ex Vulneribus Christi, Eucharistiam Christus D. instituit in horto Ecclesiæ, ad pascendum, ut pastorem agat, ut delicatè nos nutriat.

§. 13. *Atrox factum Atrei, quod ex amore imitatum est JEsus*

Unum adhuc observo in cit. loco, pro verbis illis, *ad areolam aromatum.* Septuaginta ponunt, *ad phialas aromatum*; id est, cœlestis sponsus & pastor, oviculis proponit calicem, sive phialā auream, cum vino aromatico, sive potu delicato, sive vino ex cella vinaria, quod germinat virgines, &c. Aurea hæc phiala in memoriā mihi revocat atrox facinꝰ Atrei, de quo referunt Athenæus l. 6. & Pausanias l. 2. quod filium suū occisum, præparaverit in cibū & involutum vellere Agni in convivio hospitibus epulandum proposuerit. Cohorruit sol ad crudele spectaculū, & tenebris se.

bris se involvit. Athenæus paulo aliter refert; *Atrei aureum agnum, cujus causa deliquium solis accidit, phialam auream fuisse*, (in qua sanguinem filii bibendum proposuit) *in cujus medio aurea Agni fuit imaguncula.* Fabulam esse crediderim, quod tamen Atreus fecisse memoratur, ex tyrannide, filius DEI fecit ex amore. Antequam periretur in Cruce, in ultima cœna, cum nox esset, mysticè peremit se ipsum, in consecratione panis & vini; Vinum convertit in Sanguinem, panem in Corpus; ipse Agnus est, qui semel cruentè immolatur; in Aureis calicibus propinatur ejus Sanguis, ejus Caro, sive Agnus in aureis patenis; Agnus, est noster cibus, non aureus, sed divinus. Agnus, qui sustulit *peccata mundi*, Agnus qui vicit leonem, cibus noster est & delicatus &c. causam eruo ex loco cit. Ut pascat, ut pastorem agat, ut nutriat delicatè, & in deliciis. Eja oviculæ huc accurrite, properate ad hanc mensam, hic edite, bibite, si delicias quæritis.

§.14. *Suavis locus ex Isaia.* Altero loco ex Isaia c. 60. v. 4. alibi utor latiùs, itaq; hic insinuabo duntaxat: *& filiæ tuæ de latere surgent.* Impleta est hæc prophetia, cum Christi latus & Cor in Cruce lanceâ apertum fuit; sic ait S. Hieron in glossa. *Perforato enim in Cruce Christi latere effluxit sanguis redemptionis, & aqua baptismi, de quibus facta est Ecclesia, ex costâ lateris Adæ mater omnium Eva*, id est, cum Adam in paradiso sub arbore ligni vitæ dormivit, ex ejus latere, sive costa à DEO formata est Eva; similiter postquam alter Adam, filius DEI in arbore Crucis dormivit somnum mortis, ex ejus corde formata est Ecclesia, cum hac tamen differentia. Licet Eva de latere Adami formata, & producta fuerit, ex latere tamen ejus non fuit nutrita; filiæ & filii, sive oviculæ JESU de latere ejus non prodierunt tantùm, sed de illo etiam nutriuntur &c. Ideo S. Hieron. cit. versum aliter sic legit; *filia tua lac sugent.* Pagninus ex Hebræo, *ad latus fovebuntur.* Leo de Castro, *super latus stabilientur.* Forerius, *ad latus confirmabuntur.* Oseas cap. 14. v. 8. sic explicat, *Vivent tritico*, S. Hier. id est, *Corpore & sanguine Christi*, Lyranus, id est, *Eucharistia sacramento, quod conficitur de pane triticeo, & sic panis dat vitam mundo.* Explicat hunc discursum Isaias cap. 40. v. 11. *sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.* Quam diu agniculus, cum nascitur, stare atque gressum promovere non potest, ipse pastor illum tenet, erigit manibus, brachii, imò applicat uberibus matris. Christus D. amplius facit, quia & pastor, & Mater est: agniculus suos non tantum in sinu suo levat, sed ipse pascit, ipse reficit, ipse alimentis longe delicatissimis sustentat. Inde Thema hujus secundi puncti intelligite, quàm sit bonus pastor, cum tam suaviter pascat. Ego inde concludo felices esse oviculas Christi.

Felix ovicula fuit S. Bernardus: Nam cum aliquando coram Crucifixo ferventissimè oraret, Christus de Cruce refixit brachia, osque S. Bernardi suo lateri applicuit ad sugendum guttas, quæ inde destillabant, hinc illud di- §.15. *Felix ovicula fuit S. Bern. quia delicatè pastus.*

ctum

ctum S. Bernardi: *hinc pascor à latere, hinc lactor ab ubere*; alias enim lacte de uberibus Matris recreatus fuit. O mellifiue! O lactee Bernarde, age, dic, quomodo sapuit ille sanguis? quomodo dulcissimum illud lac? ah quis non desideret esse ovicula Christi pastoris, & B. V. sive Matris, & Sponsæ tam boni pastoris.

§. 16. *Et S. Catharina Senensis.* Felix quoque ovicula fuit S. Catharina Senensis. Inter imagines quibus ejus vita exhibetur, quintadecima est in in qua apparens illi inter choros Angelorum Christus Salvator, dextera manu faciem Sponsæ suo applicat lateri; sinistra Vulnus benedicti cordis illi porrigit veluti mamillam ut inde sugat nectaris liquores, & sic (ait vita) *Dominici cruoris potu fuit inebriata.* O ter felicem oviculam! Quæso vos animæ piæ, etiam atq; etiam obsecro vos, insto precibus quàm possum ardentissimis, ut tales esse contendatis oviculæ. O si quisq; nostrum in agone vitæ suæ, in illâ terribili luctâ morientis animulæ, cum Bernardo vel lactaretur ab ubere, vel pasceretur à latere. Ah simus modo, dum invitamur ad pascua, dum vocamur à Pastore bono, simus inquam oviculæ JEsu, audiamus ejus vocem & sequamur; agnoscamus amorem & fruamur; Sitiamus crebro purpureos quinque Vulnerum fontes, & reficiamur: ita nempe certissimè eveniet, ut dies illa fatalis, quâ Pastor bonus hœdos discernet ab ovibus, nobis futura sit, æternæ in beatis cœli pascuis, felicitatis initium.

CONCIO XXIV.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Modicum; & jam non videbitis me.
Joannis 16. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

INter varias significationes, vocula Modicum, declarat etiam Vanitatem, Afflictionem, & Consummationem rerum in hoc mundo.

§. 1. *Vocula hujus* modicum, *varii sensus, una præsertim ex Ecclesiaste.*
§. 2. *Quomodo mundus sit mendacium. Poma, Flores, Formosa virgines, quomodo sint mendacium.*
§. 3. *Quomodo omnia in mundo imaginaria.*
§. 4. *Solummodo apparentia. Decipit Diabolus Trigono.*
§. 5. *Et vitro magico.*
§. 6. *Non habent fundamentum, franguntur ut vitrum. Factum Mortonis Imperatoris Friderici.*
§. 7. *Domus hujus mundi sunt tuguria: in cœlo sunt mansiones.*
§. 8. *Ob afflictionem res hujus mundi sunt spina.*
§. 9. *In calice Meretricis Babylonica plus est acroris, quam dulcoris.*
§. 10. *Duo testimonia.*
§. 11. *Consummationem fatentur damnati in inferno.*
§. 12. *Filii vanitatis nolentes illud fatentur.*
§. 13. *David rem totam variis Symbolis declarat.*
§. 14. *Vanitas, labor aranea.*

§. 1. *Vocula hujus Modicum, varii sensus. Una præsertim ex Ecclesiaste.*

UNica hæc vocula *Modicum* ex hodierno Evangelio amplos in se pro variis concionibus discursus complectitur. Ad litteram significat, vel triduum quo Christus D. fuit in sepulchro, quo B. Virgo & Apostoli ejus præsentiâ fuerunt destituti, vel illos quadraginta dies, quibus post resurrectionem mansit in terris; omne enim illud tempus Apostolis fuit *Modicum*: voluissent quippe semper secum retinere Magistrum suum, ac Dominum; atque ideo dixit Christus D. *Modicum, & non videbitis me, Modicum, & iterum videbitis me.*

Jam verò sensus mysticus hujus vocis varius est, & multiplex. S. Jacobus attribuit humanæ vitæ, cap. 4. v. 15. *Quæ est vita nostra? vapor ad modicum parens.* Isaias tribulationi. c. 54. v. 7. *ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.* Franciscus Seraphicus & alii attribuerunt voluptatibus hujus vitæ, *Modicum quod delectat, æternum quod cruciat.* E contrà, *Modicus labor, voluptas æterna*, alibi latiùs hæc deduco: pro concione præsenti placuit paraphrasis sapientissimi Salomonis super hanc voculam, dum satur voluptatum & vanitatum hujus mundi ait: *Superinduxi animæ meæ cogitationem super omnia illa*, quasi diceret, consideravi opes, honores, voluptates, in quibus hactenus vixi: animo meo obversantur, regia purpura, corona, sceptrum, regiæ majestatis insignia, oculis lustro meos hortos, viridaria, palatia, in quibus habito. Verùm inveni in eis tria hæc, Vanitatem, Afflictionem & Consummationem; Nimirum bona hujus mundi, *modicum* sunt, quia vana sunt, & decipiunt *Modicum*, quia mox sunt causa afflictionis. *Modicum*, quia brevi tempore durant, mox finem habent. Hæc tria hâc concione latiùs explico. Finem, quem intendo continet Oratio secreta hodiernæ missæ; *his nobis Domine mysteriis conferatur, quo terrena desideria mitigantur,*

gantes, discamus amare cœlestia, præcipuè hoc sacro paschali tempore, quo nostram in cœlis esse conversationem necesse est.

§. 2. *Quomodo mundus sit mendacium. Poma, flores formosa, Virgines, quomodo sint mendacium.* Primum verbum sententiæ allegatæ ex Ecclesiaste, mysteriosâ voculâ explicat regius psaltes ps. 4. v. 3. *Ut quid diligitis vanitatem, & quaritis mendacium?* quærit S. Aug. ser. 141. de temp. quod mendacium quæritis? & respondet, *Mundum, qui fallax est, qui mendacium est, sic decipit, sic illudit, sic mentitur.* Pomum aliquod Sodomiticum, quoad extimâ sui parte, & quod formam ridet, & arridet, sed intus putredine scatet & pulveribus, ut non immeritò à Poëtis mendax dicatur, eo quod momento quasi spectatorem rapiat ad sui amorem; momento eundem à se avertat, atque odium pariat. Pari ferè modo florum elegantissimi quique, vocantur mendaces, ut qui multarum sæpe horarum aut dierum oblectationem pollicentur: sed intra horæ quadrantem omnino flaccidi, & velut exanimes prolabuntur in terram. *Modicum* scilicet durat illorum decor, & elegantia, *modicum* superba folia, *modicum* color purpureus, candidus, flavus, viridis, argenteus, aureus! Sunt etiam quædam mendaces Virgines; exterius formosæ, comptæ, nitidæ, elegantulæ, crispatulæ: sed sæpe sub his vestibus, sub hoc colorum fuco, sub hâc capillorum superbiâ, sub hâc forma, formosâ veluti larva, latet informis in pectore turpitudo, fœtidus cancer, vel putridum ulcus. O formosum mendacium! nunquid hoc est decipere, mentiri, illudere? tale pomum, talis flos, talis virgo est mendax hic mundus. Ite Cosmophili, apprehendite cum Adamo protoparente vestro rubicundum ad speciem pomum, decerpite & gustate voluptatem, mox videbitis infixisse vos avidos dentes in pulverem. Legite flores ex pratis concupiscentiæ, credite mendaci puellarum fuco: dies unus, hora una, imo unum, & proximum fortè momentum, quid dilexeritis, quidve habueritis in amore, & pretio, dolentibus, & serò pœnitentibus declarabit, *Modicum*!

§. 3. *Quomodo omnia in mundo imaginaria.* Pulchrè Gilibertus ser. 15. in Cant. *fallit vos* (O mundani) *quod quaritis, mendacium est, quod quaritis.* Et Tertullianus in apolog. *Omnia imaginaria in sæculo, & nihil veri.* v. g. imaginatur sibi quispiam, amœnissimos Hesperidum hortos atque insulas veluti fortunatas, in illis ambulat, sedet, discurrit quiescit. In illis intuetur flores, suspicit arbores, miratur fontes, contemplatur statuas, & vivaria. Sed nihil est veri, est deceptio, est illusio decipientis phantasiæ & imaginationis. Illa recreatio durat per quadrantem, *est modicum*! Imaginatur sibi alius opes Crœsi, sedet ad mensam, numerat, subtrahit, dividit, multiplicat, vocat nummos ad calculum, explorat ad lapidem Lydium, num adulterinum sit aurum, probat argentum, numerat regios, ducatos &c. his ædificat, colligit exercitus, solvit debita &c. O deceptionem! nihil est veri, est illusio, & recreatio phantasiæ, quæ per quadrantem, sive, *Modicum*, recreat.

Non alia ratione fallax, & mendax mundus decipit ac recreat sibi adhærentes, nihil habet veri, & solidi, omnia, quæ offert, sunt vana, sunt transitoria, sunt *modicum*. Postquam viginti vel triginta anni fuerint elapsi, clarissimè id perspicitur ab omnibus.

§. 4. *Solummodo apparentia. Decipit Diabolus trigono.* Simili fermè phrasi utitur Theophylactus. *Ejus* (scilicet mundi) *bona solo terminantur aspectu, & apparentia sunt, & nullo fundamento subsistunt.* Videtur vir doctissimus præ oculis habuisse mendax illud vitrum, quod trigonum vocant, in quo ob Angulorum refractiones mira repræsentantur spectacula; aureæ plateæ, inauratæ ædes & palatia, deargentatæ turres, amœnissimi montes, & vineæ. Lapilli lucent ut adamantes, arenulæ, rubent ut carbunculi, paleæ virent ut smaragdi, silices scintillant ut amethysti O mendax vitrum! nihil est veri, nullum fundamentum, pulcherrima hæc objecta, ludibria oculorum, solo terminantur aspectu. Si quis cum tali vitro ingrediatur hortum, vel silvulam videbit mira. Rubentiores rosas, gratiosiores violas, arbores, altero tanto ac sunt, imò decuplo pulchriores, putabit se ingredi aliquod cœlum vel paradisum; videbit omnis generis perfectissimos colores, sed apparentes tantùm, nihil est veri & solidi. verbo; est mendax vitrum, fallit, illudit, decipit. Talia vitra habet hic fallax mundus, quibus suos in errorem fraudemque inducit. Mundanis hic mundus videtur aureus, videtur hortulus, videtur paradisus; sed adest mors, hæc removet vitrum, & ecce nihil veri, solidi nihil, nihil pulchritudinis, ecce *modicum*, &c. fuit aliqua, fateor, pulchritudo, fuit nonnulla elegantia, sed modica, inanis, transiens, apparens. Vix vitrum sustulit Libitina, & ecce lusos delusosque se mirantur, dolent, ingemiscunt. Paulò post exclamant, *Erravimus!* Sapient 5. v. 6. Ita est, errâstis miseri, sed utinam errorem hunc vestrum paulò agnovissetis maturius. In eas errorum syrtes conjicitur, quisquis in hac vita, mendaci pulchritudinis humanæ vitro fascinatur. *Nimium ne crede colori.*

§. 5. *Et vitro magico.* Sunt alia vitra, vel specula, quæ vocantur Magica, in quibus diabolus ob certa, & impia pacta, mira & curioso oculo perquam chara & grata visu repræsentat. Hortos, palatia, prælia, præterita, futura, Helenas, Adonides &c. exhibet. Talia vitra aliqui emerunt pro centum, imò pro ducentis ducatis: cum sint mendacissima, cùm omnia illa objecta nihil sint, nisi illusiones, & deceptiones oculorum. Sunt & hujusmodi vitra huic mundo mendaci, hoc mundo suos decipit, sic aucupatur mortales, sic variis tenet illusionibus irretitos. Et eheu! quantum expenditur pro ejusmodi vitro magico, volo dicere, pro voluptatula infami, pro formosa Cynthia, pro Adonide, pro Venere! quantum insumitur laboris, quantis constat sumptibus! quanto pretio tam mendax vitrum comparatur! non tempus solùm nobilissimum profunditur, non aurea solùm florentissimæ juventutis ætas, non honor duntaxat & fama, argentum & aurum, sed ipsa denique, heu pudor! ipsa pro mendaci vitro, pro modica voluptate

voluptate venditur, & exponitur anima immortalis, ipsa beatitudo, ipse bonorum omnium fons & origo Deus! quid putatis futurum quondam mercatoribus tam fatuis, tam dementibus, & animæ suæ salutem tam parum spectantibus.

§. 6. *Non habens fundamentũ, franguntur ut vitrum Factum Morionis Imperatoris Friderici.*

Altera pars verborum Theophylacti, quod nullo fundamento res hujus mundi subsistant, patet, cùm aliud non habeant, quàm tempus, quod avolat instar avis, quàm vitam, quæ fluit ut aqua, quàm fortunam, quæ volvitur ut rota, quam opes & voluptates, quæ arena sunt, flores sunt, vitra iterum sunt, quæ facillimè franguntur. In vitris Fridericus Imperator suis aulicis ostendit, quale habeat fundamentum vanitas hujus mundi. Obtulerant illi mensam plenam vitris Venetis, serenissimæ Venetorum Reip. Legati. Ergo aulicorum quisque in illis spectandis, lustrandis curiosè defixus stare, mirari & crystallinam taciti commendare pulchritudinem: ipso interim Imperatore in illis vanitatem hujus mundi, fragilitatemque accuratiùs expendente. Quod cum ex ejus vultu notaret Morio, mensam veluti transiturus ex negotio præterit, & prætereundo, incauto, ut aliis quidem videbatur, pede, ad mensam offendens, universam illam suppellectilem vitream, terrore propemodum exanimatis aulicis, dejicit atque confringit. Sed sapientior Imperator mox subridens dicere auditus est vocem auro cedroque dignam: *Si aurea fuissent, fracta non fuissent.* Ita plane est Audit. tales exponit clientibus suis mensas hic mundus, mensas inquam vanitatis, quas levi ictu, cum minimè putaveris, improvisa diruet, atq; evertet Libitina. Vitrea illa mensa modicum oblectavit spectatores, juxta dictum unius è Sibyllis, *Fortuna est vitrea, cum splendet frangitur.* Et sapientissimi Senecæ. *Fragilis felicitas est, & fortuna blandientis, speciosius cum periculo nitor.*

§. 7. *Domus hujus mundi sunt tuguria. In cœlo sunt mansiones.*

Nihil in hoc mundo stabile; ideo Christus D. Apostolis dixit, Joannis 14. v. 2. *In domo Patris mei*, id est, in alterâ vitâ, *mansiones sunt*, non in hoc mundo. Subtiliter S. Isidorus Pelusiota l. 1. ep. 65. *Illic enim mansio est, nam præsens vita, tentorium vile est, quod simul atq; compactum & fixum est, omne eodem temporis puncto solvitur.* Advertitisne pulcherrimam metaphoram? Pulchro ordine per campos incedit aliquis exercitus. Cùm Duci videtur quiescendum, figuntur tentoria, extruuntur mapalia, ædificantur ex lignis & ramis ædes. Sed vix miles sub illis incipit quiescere, cùm canitur classicum, ingruit rumor adventantis hostis, concurritur, expediuntur arma, parantur ordines, tentoria momento refiguntur. *O modicum!* O modicam quietem sub tentorio. Mansio apud milites non est.

Ejusmodi habet tentoria hic mundus, non mansiones! sunt qui tentorium suum fixêre in horto Veneris; sæpissime vix sedem posuerunt, & ecce mors pulsat fores, & ecce confligendum vobis est cum hoste, egredi oportet ex illis tentoriis. Alius tentorium suum posuit in montibus altis, in apice dignitatum, in honorum fastigio; sed

nec illic constantia, vel mansio; mox canetur classicum, mox arma clangent & litui, mox hic quoq; sublimis nidulus deserendus est. *Modicum est*, quidquid hic vides, nulla nisi in cœlis quies, nulla nisi in Deo, inq; æternitate beatiori perennis habitatio. Inscribamus ergo omnibus hujus mundi, Carnisque tentoriis atq; tabernaculis hanc vocem Christi D. *Modicum*, dicamus cum Salomone, *Reperi in illis vanitatem.*

§. 8. *Ob afflictionem res hujus mundi sunt spinæ.*

Alterum, quod Salomon in bonis hujus mundi se invenisse ait, est, Afflictio. Videntur ipsi mundani Sap. 2. vers. 8, hoc intellexisse cum suas voluptates compararunt rosis, Venite *coronemus nos rosis*, de quibus S. Ambros. l. 3. Hexaem. c. 17. *Spina sepsit gratiam floris, tanquam humana præferens speculum vitæ, quæ suavitatem* (quæ esse potest in opibus, deliciis, honoribus) *finitimis curarum spinis, sæpe compungit. Florida quidem est rosa, sed mihi tristitiam infligit, nam quotiescunque florem hunc videro, peccati mei admoneor, propter quod terra, ut spinas & tribulos proferret, condemnata est.* Quàm bellè, rem acu, ut ajunt, tetigisti fortunatissime Præsul! *Rosa est regia dignitas*, fateor, sed illi proximæ sunt spinæ. *Rosa est diadema Cæsareum*, sed ah! male à spinis compungitur. *Rosa est, & roseo tincta colore purpura*, sed ah! spinæ fecerunt hoc ostrum, spinæ tinxerunt pinxeruntque purpuram: *Rosa est forma corporis*, & venustus veneris cultus, vultusque: sed ah! rosæ satellites spinæ sunt, & comes impuri amoris, dolor! *Rosa est, Magnatum favor & gratia*: sed illi non fido propter spinas. *Rosa est, voluptas hujus mundi*: sed ah! Spinis septa, circumdata sentibus, aculeis armata. O quantis, illæ puncturis hominem afficiunt atq; cruentant spinæ, in ultimo præsertim agone, ubi rosæ folia deciderint, solus spinarum horror stabit in animarum erectus perniciem. Agnovit magnus ille Philippus III. Hisp Rex in terribili agone, in quo inter alia exclamavit; *Nihil confert Regem esse, nisi ut in morte cruciet, fuisse.* Agnovit Plutarchus cum de Alexandro M. dixit, *Fortunatum esse, occasio est rerum asperarum.* Salomon vocavit, *Afflictionem.*

Dictum Philippi III. Regis Hisp.

§. 9. *In calice meretricis Babylonicæ plus est acroris quàm dulcoris.*

Veritatem hanc Mundus fatetur sub schemate Babylonicæ illius meretricis, dum Proverb. c. 7 v. 17. de lecto voluptatis ait: *Aspersi cubile meũ myrrhâ, & aloe, & cinnamomo*, inter tres has species aromatum una est dulcis, duæ amaræ; *ut sciamus* (inquit Hugo Castrensis in Prov.) *plus esse amaritudinis, quàm delectationis.* Expertus fuit Jonathas; summitate virgæ gustavit mel, & fertur in illum sententia mortis O afflictionem! plus sanè in melle fuit amaritudinis, quàm delectationis. O delectationem modicã! expertus fuit Sisara; bibit haustum lactis, mox in somno, clavo affigitur telluri! ah afflictionem! in modico lacte, plus fuit amaritudinis, quàm delectationis. Experta idem fuit meretrix Babylonica, quæ in Apocal. cap 17. v 4 bibit splendens vinum ex aureo scypho; bibit modico tempore; nunc bibit & bibet in æternum, picem, plumbum, sulphur; Nihilominus & hodie, sunt tot

Jonathæ,

Jonathæ, qui ob modicum mellis, mortem merentur æternam. Sunt tot Sisaræ, qui ob modicam lactis dulcedinem, fatali clavo repentinæ mortis affiguntur lectis voluptatum, & sunt tot meretrices Babylonicæ, quibus volupe est, gratumque, ex auro voluptatum scypho venenum haurire, mortemque sempiternam.

§. 10. *Duo testimonia.* De his bene dixit Petrus Blesensis ep. 14. *per multas tribulationes intrant justi in regnum cœlorum &c. hi autem, per multas tribulationes promerentur infernum.* Et S. Greg. l. 3. dial. c. 38. *Despiciendus erat mundus, etsi blandiretur, at postquam tot flagellis premitur, tantâ adversitate fatigatur, tot dolores ingeminat, quid nobis aliud, quàm ne diligatur, clamat?* addo ego: cùm nihil in illo, ipse Salomon invenerit, nisi Afflictionem. Quod erat secundum punctum hujus Concionis.

§. 11. *Consummationem fatentur damnati in inferno.* Tertium, quod præter vanitatem, præter afflictionem, reperiatur repentina consummatio, sive, iterum Modicum, damnati in inferno fatentur Sap. 5. v. 8. cùm hanc inter se ventilant quæstionem. *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia? quid contulit nobis? quid contulerunt nobis pompa nostra, divitiæ nostræ, magnificentia nostra?* mira nobis videri potest hæc quæstio. Percontemur enim talia ex mundanis; quid prosunt vobis honores vestri? quid dignitates ac tituli? quid subsellia honorata? quid Majorum stemata? quid nominũ magnificentia, quid majestas? Multùm, respondebunt; multum illa nobis conferunt emolumenti: inde siquidè fruimur hujus vitæ commodis, inde felicitatis nostræ summa, inde trophea, triumphi. Itàne verò? Sed heus, vos Veneris clientes dicite quid vestra vobis prodest vitæ mollities, & voluptas infamis? plurimum inquiunt, hinc enim nos melle cibamur, alii felle: hinc lætos vivimus soles, alii mœroribus obruti: hinc nostris morem gerimus amoribus, &c.

Sic respondent filii hujus sæculi in hoc mundo; aliter damnati in vita altera, nihil scilicet profuisse hæc omnia ob celerem consummationem, & non expectatum exitum, dum dicunt: v. 9. *Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam navis, quæ pertransiit fluctuantem aquam, aut tanquam avis, quæ transvolat in aere, aut tanquam sagitta emissa, &c. sic & nos continuò desinimus esse.* Subdit sacer textus, v. 14. *talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.*

Alii tamen filii vanitatis, vanitatis celerem consumationem etiam in hac vita confessi sunt, etiam dum avidè voluptatibus inhiarent, cum Sap. 2. v. 8. dixerunt, *Venite coronemus nos rosis, antequam marcescant, non pertranseat nos flos temporis.* Duo fatentur, 1. voluptates similes esse rosis, de quibus Plutarchus ait, l. 3 symp. c. 41. *citò marcescunt rosæ; emittũt namq; odoris fluxum;* unde? ῥόδον, quasi fluens odor. Sic fluunt voluptates, modicum durant. 2. dicunt, *flos temporis*, in græco est ἀέρος, flos aëris, fatentur hac vocula, suas voluptates esse florem, & quidem aëreũ, sive aliquid aëris, qui citissimè dissolvitur. Sic est! flos est voluptas flos mundi gloria, flos opes fluxæ, flos honores,

§. 12. *Filii vanitatis nolentes illud fatentur.*

Flos est omnis mundi gloria.

nores, flos, forma & pulchritudo: sed cito, cito marcescens. Quam in rem aliquid adverto ex sacris literis notatu dignum. Plerasque enim elegantioris formæ mulieres, à plantis sortitas esse nomen reperio. Sic soror Absolonis vocata fuit Thamar, id est, Palma. Viret palmæ ramus, sed abscissus arescit brevi. I Narcissule, jacta speciem tuam, quæ palma est, cui in singulas ferè horas certa mors aut morbus falcem minatur. Inscribamus si lubet, vel fronti hujus Thamaris, vel cortici hujus palmæ, *Modicum*. Elegantissimæ formæ fuit Susanna! sed, lilium significat; lilium est pulchritudo humana; lilium non durat in hyemem, & ut flos altus sit ac regius, non est tamen suæ constans venustatis. Venusta fuit Esther, appellata ideo, *Edessa*, id est, myrtus, vel planta speciosa; Vale mea Esther, ut enim fueris speciosa, plantam tamen imitata es, periit flos tuus, ac decor, es aridum lilium, huic lilio, huic myrto, huic plantæ, vel fronti Susannæ, aut Estheris, si placet, inscribamus, *Modicum*. Decora facie fuit, venusta Sara, uxor Abrahami; sed quid Sara, nisi floridam denotat? Valete flosculi, Modicum vestra nitet, elegantia. *O Thamares, O Susanna, O Estheres, O Sara, nimium ne credite formæ.* Modicum decus omne florum. *O Narcissuli, O Hyacinthi*, non ego posthàc amplius vestram magni facio pulchritudinē, cujus mihi naturam, vox unica, *Modicum*, satis superq; depingit.

Formosissima fœmina in scriptura nomina habuerunt à floribus.

§. 13. David rem totam varius symbolis declarat.

Superest, ps. 89. in quo Regius Psaltes celerem consummationem, sive modicum Vanitatis humanæ variis symbolis & phrasibus eleganter describit. Versu 4. ait: *quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit, & custodia in nocte*, v. 5. *quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*. v. 6. *Mane sicut herba transiit mane floreat, & transeat, vespere decidat.* Tandem v. 9. *quoniam omnes dies nostri defecerunt, anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Multa in his versibus sunt ponderanda.

1. Quod Vates totam mundi gloriam, Regum pompam, delicias, divitias, gloriam, comparat, non cum die præsente, quæ actu adest, & quasi floret, sed cum hesternâ, quæ jam fuit, & præteriit; causam advertit Augustinus. *Non potuit autem brevitatem, vanitatemque vitæ nostræ melioribus atque aptioribus verborum coloribus depingere, quàm cùm hesterno die conferens. Nam si dixisset, tanquam dies hodiernus, saltem aliquam, licet umbram temporis retinere videremur: cùm autem dixit, tanquam dies hesterna, ne ipsam quidem umbram tenere nos censuit, itaque mille anni consumpti in vanitatibus, fuerunt modicum. Non sunt amplius.*

2. Adverte, pro illis verbis, *quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*, in Hebræo sic legi: *fluere illos fecisti, sive inundasti eos; somnus erunt*, ut Psaltes hoc innuat, sicut fluvius aliquis non sensim, & data morâ solet inundare, sed subito, & rapidè obvia omnia absorbet, ut sæpe quasi momento sit inundatio, sic repentina mors frequenter momento filios hujus sæculi absorbet, cum omni pompâ & felicitate, improvisò, post Modicum, rapiuntur ad tartara.

tara. Et vita multorum annorum fuit veluti somnus, *fluere illos fecisti* &c. vel ex ps. 7. v. 20. *Velut somnium surgentium, Domine: in civitate tuâ imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

§. 14. *Vanitas labor aranea.* 3. Comparationem inter vanitates, & flores, vel herbam mane florentem, vespere aridam, jam audivistis. 4. illa præcipuè verba sunt advertenda. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Locus est difficilis, sed ad rem nostram eleganter explicat S. Gregorius Nyss. tr. 1. in ps. c. 7. *Ut enim tela aranea apparet quidem, quoad connexa fuerit, at si quis manum admoverit, derepente contactu digitorum elabens evanescit; sic & humana vita, supervacaneis & non subsistentibus studiis, tanquam aëriis quibusdam filis semper implicata contexit sibi non subsistentem telam; quam si quis firmâ cogitatione apprehendat, effugit contactum vana sedulitas inque nihilum recidit. Omnia enim quibus in hac vita mortalium curæ detinentur, inanis quædam opinio sunt, nihilq; subsistens.* Salomon araneus fuit, dives Epulo araneus fuit; Cæsares & Alexandri aranei fuerunt; sed ubi telæ, quas tanto studio, quas tot aëris filis contexerunt? Mors tetigit, repente evanuerunt, non sunt amplius; ex cineribus tamen clamant, O vani filii hominum! pompa nostra, fuit *Modicum.* Itaque, ut finiam, ex S. Greg. *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neq; eruent vos, quia vana sunt. Quicquid in hoc sæculo latum, delectabile, sublime, ac prosperum cernitur, Vanum est.* Advertite animos ad omnia ista, tandem cum Salomone tria in illis reperietis, *Vanitatem, Afflictionem, & Consummationem;* verbo, *Modicum.*



CONCIO XXV.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Vado ad eum, qui me misit.

Joannis 16. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUàm utilis sit frequens memoria Cœlestis gloriæ.

§. 1. *Explicantur verba Christi*, Vado ad eum. *Consolatur discipulos suos spe cœlestis gloria. Imitatus Aquilam.*

§. 2. *Memoria Cœli leves reddit omnes tribulationes.*

§. 3. *Confirmatur ex S. Paulo, qui suos labores mox auget, mox minuit.*
§. 4. *De mensâ in quâ exponebantur Corona in ludis Olympicis.*
§. 5. *Simile ex Origene.*
§. 6. *Ejus verba. David qualis peregrinus.*
§. 7. *Qui cœlum cogitat; illi sordet tellus.*
§. 8. *Sensus verborum ex Cant. cap. 8. pone me ut signaculum.*
§. 9. *Vmbra arboris, qua Christus est in Cruce.*
§. 10. *Vel in Eucharistia.*
§. 11. *Vel in gloria.*
§. 12. *Expertus fuit David,*
§. 13. *Digressio ad Sodales Agonia.*
§. 14. *Verba plena solatio Abbatis Apollinis.*

§. 1. Explicantur verba Christi, Vado ad eum, consolatur discipulos suos spe cœlestis gloriæ. Imitatus Aquilam.

VAdo ad eum, inquit Salvator, perinde, ac si diceret: Amore vestri reliqui amantissimum Patrem meum in cœlis: amore vestri trium supra triginta annorum spatio vobiscùm sum commoratus, modo tempus est, ut vos deseram, & revertar ad Patrem. Amore vestri reliqui montes gloriæ, & in hanc lachrymarum vallem descendi, in qua quæ passus sim non ignoratis, sed modò vado, ut novis inchoem auspiciis illam gloriam, ô si sciretis, discipuli mei, quanta illa sit! & ideo non turbetur cor vestrum; gaudete, quia non solus vado, sed & vos; Pater namque meus illius aliquando vult esse participes. Quia verò benignissimus Salvator sciebat, illam gloriam à discipulis suis non obtinendam, nisi per multas tentationes & tribulationes, proinde hisce illos verbis instructos voluit, ut ne laboribus, persecutionibusque deficientes succumberent, sed oculis mentis futuræ gloriæ bravium intuerentur.

Ita Salvator noster fecit, quod aquila facere solet, de quâ S. Ambrosius ait, l. 5 hexam. c. 18. *Asseritur quod pullos suos radiis solis objiciat, atq; in aëris medio, pio parvulos ungue suspendat; & si quis repercussus solis lumine, intrepidam oculorum aciem servaverit, probatur quod veritatem natu[r]æ sinceri obtutus constantiâ demonstret. Sin verò lumina sua, perstrictus radio solis inflexerit, quasi degener, & tanto indignus parente rejicitur.*

Aquila fuit Christus D. in cruce, cùm dolore cordis nos peperit & genuit: Aquila, quæ suo nos Sanguine veluti pullos pavit, aquila quæ expassis in cruce alis, sive brachiis super nos volitat, ut protegat. Hodie demum Aquila, quæ ad volandum nos provocat, ut solem gloriæ æternæ intueamur quisquis aquilino ausu provolantem sequitur, genuinus est pullus, quisquis humi serpit degener est, & tanto indignus parente. Quod ut clarius percipiatis, ostendam hac concione, quàm utilem nobis doctrinam Magister noster hodierno in Evangelio præscripserit; utile enim nobis est, in hâc miseriarum valle, in qua peregrini, milites, atq; operarii versamur assidui, sæpius cœli, bonorumq; meminisse cœlestium.

§. 2. Memoria cœli leves reddit omnes tribulationes.

Apud quemcunque fixum, ac ratum est, lato, dilatato, & animoso corde viam mandatorum Dei decurrere, quicunq; per spinosum tramitem tribulationum, præeuntem Salvatorem vult insequi; quisquis instar generosi, & Christiani militis, Dæmoni, carni & concupiscentiis bellum indicit; illi, ne in via

in via difficili, inter spinas, inter labores, inter vulnera deficiat, suadeo, ut æternæ gloriæ, ad quam per vias illas difficiles iter est, frequentissimam sibi renovet memoriam. Auctor sum, ut instar generosæ aquilæ celsissimis cogitationibus, quàm potest altissimè volitet, ut in montibus cœlestis contemplationis solem gloriæ irretortis oculis suspiciat. Nimirum memoria cœli, quæ difficilia sunt, reddit facilia, quæ gravia, levia; dulcia, quæ amara.

§. 3. *Confirmatur ex S. Paulo Qui suos Labores mox auget mox minuit.*

Ideo in suo cursu ad destinatum bravium, in suâ pugnâ pro triumpho, in suo agone pro corona, in suis pro mercede gloriæ internæ laboribus sint generosi atque agiles S. Paulus dixit ad Philip. 3. v. 14. *ad destinatum persequor*, id est, curro, pugno, laboro, sed pro *bravio supernæ vocationis*. 2. Cor. 4. v. 17. *Id enim quod in præsenti est momentaneũ & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum æternæ gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur.* Itane? ergo tribulationes, hujus mundi miseriæ, labores, morbi, persecutiones, tormenta, fames, sitis, nuditas & talia sexcenta leve quid, & momentaneum dici possunt? an non tibi contradicere videris Apostole 2. Cor. 1. v. 8. *Non enim volumus ignorare vos fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Achaja, quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.* Et 2. Cor. 11. v. 23. 24. *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris, in itineribus sæpe periculis fluminum, periculis latronum periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, in labore & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame & siti &c.*

§. 4. *De mensâ, in qua exponebantur in Coronæ in ludis Olympicis.*

Et talia tam gravia, tam difficilia, tam multa, leve quid, & momentaneum dici possunt? sed animadvertite, ipse huic occurrit objectioni Doctor Gentium. Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur, id est, præparatam gloriam intuemur, hæc vel hujus pondus generosos illos in nobis spiritus, & infractos animos, quasi diceret, si velim oculos conjicere in illa, quæ perferre cogor, fateor, ardua sunt; sed, ut me consoler, ut excitem meam patientiam, ut robur augeam, ut vires renovem, oculos mentis elevo ad illam gloriam, quam quidem non video, sed tamen credo, & spero illam mihi præparatam; sic omnia sunt levia, curro, pugno, laboro, sed pulchra est corona, quam persequor.

In certaminibus Olympicis ob oculos dimicantium aureâ in mensâ ponebantur coronæ, serta, vestes, aliaque præmia, juxta illud Virgilii,

Munera principio ante oculos, circaque locantur,

Eorum aspectus excitabat animos pugilum. Idem faciũt pugiles Christiani, ut currant celeriter, ut pugnent animosè, semper præ oculis habẽt promissam coronam gloriæ, oculos continuò defigunt in beatam illam vestem immortalitatis, in aurea illa serta perennis victoriæ. Chromatius conc. 1. in c. 5. Matt. *Voce enim Agonotheta, scilicet*

DEUS Opt. Max. vel Christus Salvator noster, vel Munerarii, certatoribus in hoc stadio spirituali, præmium grande proponit, ut dum aspiciunt præmium, ne labores timeant, nec pericula perhorrescant. Stadium est via paupertatis, sed in aureâ mensa jacet regnum cœlorum. Stadium est vita innocens, & cor immaculatum, in aurea mensa jacet gemma beatissimæ visionis. Stadium est Christiana patientia, in aurea mensa jacent munera Pacis. Stadium est via crucis, & persecutionum; in aurea mensa jacet hæreditas filiorum DEI. Hæc munera nobis proposita intueri debemus.

§. 5. Simile ex Origene. Probè hoc quondam perspexit, suisque adeo inculcavit ferventer aureum illud Os, homil. 8. de pœnit. *Tu verò, cùm mulierem videris formosam, splendentem oculis, ornatam stolâ, libidine titillantem* (verbo, Vanitatem vel Voluptatem) *respice desuper stantem coronam quo tale spectaculum prætereas.* Latet in his ultimis verbis pulchrum simile, quo alibi utitur Origenes. *Si navigas, in navi positus vides terras & promontoria, & montes, transeuntia, non quod illa continuo moveantur, sed quia tu vento prospero flante transis, omnia deseruntur.* Liceat hæc viri doctissimi verba ita ratiocinando exponere. Usu venire solet non rarò, ut animi gratiâ navim inscendamus, & vel secundo Rheno vel adverso, prout volupe est, navigemus: atque ibi tum nostris se oculis pulchriora quæque objecta insinuant, ibi videre est virescentes insulas, florentes arbores, amœna prata, ridentes campos, frequentes pagos, numerosa oppida, varios ad littus obambulantes homines. Verùm an ideo excensum facimus? an ideo cursum navigationis sisti jubemus? an nautæ, quiescendum inclamamus? minimè verò, quin potius celeri tantùm oculo hæc universa pulchritudinis objecta percurrimus, & quò nostra nos ducit navigatio, de aliis parum solliciti, contendimus. Nimirum alius nos urget finis, Coloniam tendimus, eò præteritis agri Moguntini deliciis properamus. Ita ferè peregrinus in hâc valle lacrymarum secum ipse ratiocinatur mortalis; in cœlum tendimus, in cœlum! quid ergo me picta hujus terræ prata detineant? quid voluptatum illecebræ? quid horti, nemora, palatia? Transeunt universa, mihi navigandum est; ne iter difficile sit, stantem desuper respicio coronam, sola mihi versatur in animo cœlestis Jerusalem, eò meus properat affectus, eò mea feruntur suspiria!

Sed nolo vos defraudare verbis ipsiusmet Origenis. *Ergò si sancto Spiritu mentem tuam perflante, & spirante, secundo & prospero naviges cursu, pertransis sensu tuo omnia hæc, quæ videntur, quia temporalia sunt, & intueris illa quæ æterna sunt.* Talis peregrinus fuit David ps. 36. v. 35. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani;* in Hebræo: *Sicut lauri virentes, quæ solent latius ramos spargere;* in Chaldæo: *Sicut arborem transplantatam & abundantem foliis.* Sensu mystico, sub forma pulcherrimæ arboris, vult dicere, vidi gloriam, opes, divitias, voluptates hujus mundi, occurrit mihi vanitas §. 6. Ejus verba. David, qualis Peregrinus.

cum.

cum omni suâ pompâ, &c. sed, *transivi*, id est, non hæsi, non fui moratus, pro nihilo habui omnia, quæ vidi. Causam colligo ex eodem psalmo; paulò ante v. 3. mentionem fecerat terræ, *in quâ justi pascentur in divitiis gloriæ.* v. 11. dixerat, *Mansueti hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* v. 18. *hæreditas eorum in æternum erit.* v. 29. *inhabitabunt* (terram pacis) *in sæculum sæculi.* In his cogitationibus æternæ gloriæ, objiciuntur quidem regiis oculis cedri, palmæ, cypressi hujus mundi, sed transit piissimus Rex. Orig. *Cùm videmus extolli impios &c. transeamus & nos mente, & intellectu ab his, quæ videntur, & temporalia sunt, & transeamus sensum nostrum, ad ea, quæ non videntur, & æterna sunt.* Sequamur *Christum Dominum euntem ex hoc mundo ad Patrem suum*; dicamus; Vadimus & nos ad gloriam cœlestem, hic transeamus, eamus.

§. 7. *Qui cœlum cogitat, illi sordet tellus.* Non fiet sine fructu. Eleganter S. Fulgentius ep. 6. ad Theod. de convers. c. 4. *Quis non vitæ illius desiderio præsentem despiciat, quis non abundantiæ illius delectamento, divitias temporis labentis exhorreat? quis non regni dilectione terrena omnia contemnat?* S. Greg. M. *Inardescit in cœlestibus animus; nihil in terris libet; deforme conspicitur quidquid de terrenæ rei placebat specie; quia sola pretiosæ margaritæ claritas refulget in mente.* Has margaritas cœli, lucidas stellulas intuitus fuit Ignatius cùm dixit: *Eheu! quàm mihi sordet terra, cùm cœlum aspicio*; brevissimè Tertullianus l. 1. ad v. x. c. 4. *Cœlestia recogita, & terrena despicies.* Addo ego, Cœlestia cogitate, & curretis. velociter. Cœlestia cogitate, & strenuè pugnabitis. Cœlestia cogitate, & laborabitis animosè. Addo, cùm vobis male est, cùm premit paupertas, cùm hostium lacessit injuria, cùm aliorum vexat invidia, cùm laborum opprimit multitudo, cogitate cœlestia! urget tribulatio, cogitate cœlum. Afflicta cruciat valetudo? cœlum cogitate. Flagellant mendaces improborum linguæ? cœlum, cœlum cogitate. Dejicit mentem vitæ contemptus? erigat cogitatio cœlestis.

§. 8. *Sensus verborū ex Cant. c. 8. Pone me ut signaculum.* Ideo sponsus ait sponsæ Cant. 8. v. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum*; S. Hieronymus legit, *pone me sicut umbraculum in corde tuo*: sic ego intelligo, & interpretor S. Hieron. *pone me in corde tuo, veluti amœnam & frondosam arborem, quæ in æstu & caloribus solis suavem tibi faciat umbram.* In æstate, in siriis æstibus, & fervescentis caniculæ ardoribus, jucundissimum quid est, umbra frui arboris opacæ, præcipuè si ad ejus radices crystallinus erumpat rivulus aut fonticulus. Norunt id nuntii, & peregrinantes. Videtur ergo Sponsus velle dicere, Anima mea, si in tuo itinere versùs Jerusalem cœlestem, quò ego vado, & quò te invito ad Patrem meum, urat te Sol, si tibi gravis est tribulationum ardor, quære arborem: si tua inflammat præcordia ignis adversitatum; quære refrigerium. Si radiis te perstringat ardentibus Sol aliquis, aut mundi princeps, aut adversarius potens; meum sequere actutum consilium, quære umbram, quære fontem, quære Zephyrum, quære refrigerium. Quam verò, tu mihi inquis arborem? fare mi JESU, mi dulcis

dulcis sponsæ, aut quis ille fons est, de quo mihi loqueris? quænam illa umbracula? quinam Zephyri? quænam loca refrigerii? Ibo lubens, ubi dixeris, curram, ubi ostenderis fontem, volabo, ubi umbram monstraveris. Age igitur dilecte, age inquam, & tui in me amoris æde specimen aliquod, vel nutu, vel manibus, prout visum fuerit, hos mihi voluptatum locos ostende.

§. 9. *Umbra arboris, quæ Christus est in Cruce.* Audio, ostendam, respondet sponsus; *pone me, super cor tuum*, ac si diceret: Ego sum illa suavis umbra, ego ille fons, ego illa arbor. Sic est. Quibusdam, arbor est Christus Sponsus pendens in arbore Crucis. O jucundissimam hujus arboris umbram, licet urantur? dum sub umbra Crucis confident, ad illos quinque sanguineos rivulos & fontes, ex manibus, pedibus, & dulcissimo corde sponsi ebullientes, dum memores sunt, hinc & sponsum uri, flammis tum doloris & amoris, hinc cœlestis gloriæ, ad quam sponsus vocat, bene illis est, quiescunt sub dulci umbra, sunt in refrigerio. Memoria cœli, etiam sub Cruce, est suavissima.

§. 10. *Vel in Eucharistia.* Aliis arbor illa est JESUS Sponsus in Venerabili Eucharistia! & O quàm augustos, quam latos, quàm fructiferos pandit ramos, hæc arbor! Ure Sol tribulationum, vibra si potes radios, jaculare flammas, sparge in me ardorem Sirium, jacta persecutionum faces; non equidem te timeo, dum sub arbore quiesco Eucharisticâ, dum umbram capto à ramis charitatis, dum JESUM adoro latentem sub umbrâ panis, dum mihi dulcis est illius conversatio, dum me amplexatur, dum insuper mihi cibus, & potus est. Rideo tuas ardentes faces, O cynthie, contemno ardores, non timeo, flammas, ignes, æstusque despicio. Dulcis est memoria sponsi.

Aliis arbor illa est, idem piissimus JEsus, gloriosè à mortuis resurgens, Christus D in gloria sedens ad dexteram Patris. Licet Sol tribulationum iterum vibret ardentissimos radios, non sentiunt, sedent in umbra arboris pulcherrimæ, habent præ oculis gloriam JESU, cujus se participes fore non dubitant. Occasionem hinc sumo dicendi cum S. Hieronymo, *Quotiescunq; te vana sæculi delectaverit ambitio, quoties in mundo aliquid videris gloriosum, ad paradisum mente transgredere, & audies à Sponso tuo, Pone me ut signaculum super cor tuum, & clamabis ac dices, Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, & flumina non operient eam.* In corde, quod cœli memoriam habet, ardet charitas JEsu, hæc gaudet & exultat etiam in tribulationibus. §. 11. *Vel in gloria.*


His gaudiis delibutus fuit David, cum dulcissimo plectro cecinit ps 83. v. 1. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria tua.* Titulus tamen psalmi materiam gaudii non continet, sic enim habet, *In finem. pro torcularibus filiis Core.* Core est mons Calvariæ, quo sensu psalmus hic scriptus est pro filiis Core, sive, JESU in monte Calvariæ crucifixi, sive, filiis tribulationum, qui veluti botri, & uvæ, premuntur torculari Crucis. Tales nihilomi- §. 12. *Expertus fuit David.* *Totus anhelus ad cœlestem gloriam.*

hilominus in maximis tribulationibus cum Davide ps. cit. canere solent v. 2. *Cor meum, & Caro mea exultaverunt in DEUM vivum.* Sed! ergone exultatio, gaudium, jubilatio in cruce? omnino, sed filiis Core, qui cum Davide dicunt, v. 1. *Quam dilecta tabernacula tua!* v. 5. *Beati qui habitant in domo tua Domine.* v. 11. *melior est dies una in atriis tuis super millia.* Hæc cogitate, scilicet locum, ad quem vocat Christus, & mansiones, quas nobis paravit, tabernacula, quæ erexit, delicias, quas reseravit; & exultabunt corda vestra. Non viam considerate, sed patriam; non navigationem difficilem, sed portum optatum, non tribulationes temporales, sed consolationes perennes, non militiam, sed victoriam, non laborem, sed quietem, non bellum, sed belli finem, qui est æterna in cœlis pax, & tranquillitas.

§. 13. *Digressio ad Sodales agonia.* Præcipuè vos Sodales Congregationis Agonizantis Christi, vos estis filii Core, vos estis Crucifixi, vos estis incolæ montis Calvariæ, vos continuò hæretis ad torcular sanctissimæ Crucis, sub ejus umbrâ in Vulneribus JESU! vestimenta vestra rubra sunt, ob frequentem memoriam pretiosissimi cruoris, qui ex illis effluxit. Vos estis filii Matris dolorosæ, stantis juxta Crucem; ideo gemitis, lugetis, ploratis; veluti columbæ in cavernis petræ; Vos estis aquilæ, quæ sugitis sanguinem generosum ex regio pectore, ex dulcissimo fonte, ex suavissimo corde Christi, ut cruci non succumbatis, ut curratis, pugnetis, laboretis animosè, ut exultent corda vestra, evolate in altum, intuemini æternam gloriam, & servite Domino in lætitia. Nemo hoc lætissimo paschali tempore sit tristis, nemo dejectus in terram, sed in astra, in cœlum, in gloriam, oculis animis atq; suspiriis sint omnes erecti.

§. 14. *Verba plena solatio Abbatis Appollinis.* Finio cum Abbate Apolline, qui fratrem mœstum hisce verbis fuit allocutus: *Mi frater, quid luges? tristentur ji, quibus spes ad cælum interclusa est.* Nos itaque mi JEsu tui erimus posthac servuli, non ut ante tristes, sed læti, non mancipia doloris, sed amoris, honoris, decoris. Tu quidem vadis ad Patrem, sed ut nobis pares locum, vadis Caput nostrum, ut nos membra sequamur. Vadis Dux noster, ut tuis illis vestigiis tam gloriosis nos milites & spirituales athletæ fideliter & generosè multis adversitatum telis dejecti insistamus. Vadis Pastor noster, ut nos ad jucunda & læta immortalitatis prata perducamur oviculæ. Vadis Pater noster, ut filiis tuis viam monstres ad æternitatem. Vadis Sponsus noster, ut nos trahas post te, & curramus in odorem unguentorum tuorum, æternis tecum deliciis saturandi!

CON.



CONCIO XXVI.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

Joannis 16, v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

LAudat Sodales Congregationis Christi in Cruce Agonizantis, quod per ferventes preces, frequenter petant sanctam mortem.

§. 1. *Quid præcipuè petendum sit pro plenitudine veri gaudii. Sodales Agonia hodierno præcipuo festo dicent,* Mors sancta.

§. 2. *Tanta gratia petenda est ferventi oratione.*

§. 3. *Christus D. suo exemplo nos docuit, quomodo nos debeamus præparare ad mortem per orationem.*

§. 4. *Idem verbis præcepit.*

§. 5. *Quis est finis hujus Congregationis.*

§. 6 *Imitationem exempli Christi inculcat S. Ambr.*

§. 7. *Fructus hujus orationis ex S. Iacobo.*

§. 8. *Officia pii Sodalis ex hac Congregatione.*

§. 9. *Christus D. ex quadam Iustitia tali sodali debet mortem sanctam. Probatur ex c. 8. S. Matth.*

§. 10. *Alia pia exercitia talis Sodalis.*

§. 11. *Pulchra devotio erga quinq; SS. vulnera.*

§. 12. *Prosecutio.*

§. 13. *Parvuli à matre quidvis obtinent.*

§. 14. *Sodalitas hæc est Congregatio parvulorum, quorum Pater est Christus Crucifixus, mater, mater dolorosa.*

§. 14. *Suavis Apostrophe ad Sodales.*

§. 16. *Urgetur prius simile ex cap. 5. ad Hebr.*

§. 17. *Rationes 8. ob quas fervens Oratio à Iobo comparatur sanguini.*

§. 18. *Speculum mirabile in templo Cereris.*

§. 1. *Quid præcipuè petendum*

CIrca citatum versum ex hodierno Evangelio, quæri potest, quidnam potissimum, ut gaudium nostrum sit plenum, efflagitandum sit in precibus. Et quandoquidem hic Moguntiæ aliisque locis, hodierna

sit pro plenitudine veri gaudii. Sodales

les Agonis hodierno præcipuo festo dicent Mors Sancta.

dierna Dominica primarium agimus festum Congregationis Christi in cruce agonizantis, in promptu habeo responsum, nimirum rogandam esse ante omnia in orationibus nostris felicem mortis horulam, hæc enim una est janua cœlestis beatitudinis, in qua æternùm vera & plena cœli gaudia obtinebimus. Inter media verò, quibus tantam gratiam, & mortem beatam obtinere possumus, primum locum, ut jam insinuavi, obtinet devota Oratio.

§. 2. *Tanta gratia petenda est ferventi oratione.*

Qui feliciter ex hac vita decedunt, magna, & celeri sollicitudine ad dubium agonem, sanctissimorum sacramentorum, Pœnitentiæ & Eucharistiæ usu se se comparare consueverunt. Ingens profectò gratia! sed petite, & accipietis, & gaudium vestrum erit plenum. De feliciter decedentibus ex hac vita, lego in historiis, quod expirarint inter manus JESU & Mariæ! O favorem! siccine mori desideratis? petite, obtinebitis. Inter Angustias mortis gaudium vestrum erit plenum. Aliis sanctè morientibus in suprema lucta JEsus Crucifixus rosea sua obtulit Vulnera; aliis B. V. sinum & ubera; Aliis Angeli Custodes florida monstrarunt serta, & coronas. O ter fausta funera: Talem optatis obitum? Petite. Fortè ipsi morientibus astitistis, qui inter suavissimos amplexus sanctissimæ Crucis, ingeminando dulcissima nomina, *JESUS, Maria*! cùm alterius vitæ desideriis expirarunt, forte tum cogitastis; ah! hoc modo & ego expirare desidero! laudo pium desiderium piæ & sanctæ mortis. Sed petite; accipietis & gaudium vestrum erit plenum. Instanter, ferventer, perseveranter talia postulantibus, & obtestantibus, tantam solet DEUS gratiam concedere. Ostendam proinde hac Concione, quàm faciant bene Sodales hujus Congregationis, si ferventibus precibus, juxta illius regulas, & instituta, per rosea quinque Vulnera, per Christi in Cruce agoniam, per pretiosum ejus Sanguinem, per dolores afflictissimæ Matris felicem mortis horam efflagitent.

§. 3. *Christus D. suo exemplo nos docuit, quo modo nos debeamus præparare ad mortem Per orationem.*

Qua ratione ad supremum agonem, sive decessum ex hac mortali vita comparare nos debeamus, docuit nos sanctissimo suo exemplo Salvator noster. Matth. 26. v. 30. hymno dicto cum discipulis suis exiit in hortum Oliveti, & *procedens paululum, procidit in faciem suam orans.* prævidebat inexprimendos dolores, tormenta crudelissima, cruciatus horrendos, verbo, ipsam durissimam mortem crucis, ideo orat, ut & nos, quoties angustias, vel difficultates aliquas à longè prævidemus, vel timemus, continuo in orationem incumbere studeamus: Ah Aud.! in illa terribili hora, in illa lucta, in illo bivio æternitatis, angustiæ non deerunt. Tristis usque ad mortem fuit anima Christi suâ in agonia! & vos eritis tristes: timore fuit concussus non parvo, Dux noster, & inferni correptus pavoribus: corripiemini & vos iisdem, suo in loco, ac tempore. Sudavit ille! sudabitis & vos, contremuit ille! contremiscetis & vos. Æstuavit, anhelavit, suspiravit! æstuabimus, anhelabimus, suspirabimus & nos. Stipatus ille fuit invido hostium globo! & vos sic stipa-

ſtipabimini. Minitabantur illi mortem, hinc Judæorum rabies effera; inde crudelis tormentorum ſævities! & vobis extrema omnia, malaque intentabit hora tenebrarum, & dæmonum poteſtas.

§. 4. *Idem verbis præcipit.* Ideo ante, dum poteſtis, exemplo Chriſti orate. Neq; exemplo tantùm id docuit, ſed verbo juſſit, eodem in loco, in horto Oliveti; *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Majoribus tentationibus hoſtis noſter nos tentare non ſolet, quàm ultima illa hora, (experientia docet) ſi vel ſuperare, vel plane avertere vultis, Orate. S. Chryſologus ſer. 43. *Audiamus vocem Domini monentis; Orate ut non intretis in tentationem. In tentationem intrat, qui ad orationem non vadit*, ex quo dicto, hanc formo maximam: qui tempore vitæ dum ſanus eſt, orationem negligit, in agone aliquando in graviſſimas incidet tentationes, & anguſtias, inter quas facilè erit infelicem efflare Spiritum: econtra qui vigilat, qui orat, exemplo & juſſu Chriſti D. vel illis planè non oppugnabitur, vel certè per DEI gratiam non expugnabitur.

§. 5. *Quis ſit finis hujus Congregationis.* Hic proinde eſt finis Congregationis Agoniæ, ut illius ſodales, orent, ne aliquando tempore tam periculoſo illis premantur opprimanturq; tentationum ponderibus, hic comunis omnium Sodalium ſcopus, in quem pro beatiore ex hac mortali vita exitu, collimant, ne ab æternæ beatitudinis meta aberrent, hoc ſtudium ut orationum armis nos ad difficilem illam luctam comparemus ſtrenuè; ut ardentibus ad Chriſtum Crucifixum Suſpiriis, ut devotis ad luctuoſam ſub Cruce Virginem affectibus, ut validis ad quinq; ſalutis noſtræ teſſeras Cicatrices clamoribus, deniq; ut ſeriis ad Divos Cœlites precibus inſtructi atq; armati hoſtium noſtrorum crudeles impetus, & machinas omnibus tremendas, ſi non reprimere, at ſaltem à nobis avertere poſſimus.

Addo huic loco dictum S. Ambroſii l. 5. in Lucam ſuper illa verba, *erat pernoctans in oratione*, nimirùm, Chriſtus Salvator noſter. *Species tibi datu, forma præſcribitur, quã debe us amulari; quid enim te pro ſalute tua facere oportet, quando pro te Chriſtus in oratione pernoctat?* id eſt, Chriſtus D. ad finem redemptionis humanæ conſequendum, per mortem Crucis! tota vita, diebus, & noctibus in oratione perſeveravit; ſpeciem nobis dedit, formam præſcripſit, quam æmulari oportet, ut pro ſalute noſtra & ſæpius oremus, & ferventius. §. 6. *Imitationem exempli Chriſti, inculcat S. Ambroſ.*

Fructum promittit S. Jacobus c. 5. v. 15. *Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*, puto hoc intelligendũ eſſe, non de oratione tantum, quæ ab infirmis tempore ægritudinis perficitur; illa enim ut plurimũ modica eſt & tepida, hinc quotidianæ ægrorum querelæ, ah! non poſſum orare, hinc illæ voces, nec libet nec licet linguam ſolvere in preces, ut proinde S. Jacobus loqui etiam mihi videatur de orationibus illis, quibus durante, nos ad morbos, atq; ad mortem componimus, & tales ſalvabit & alleviabit Dominus. §. 7. *Fructus hujus orationis ex S. Jacobo.*

Ex quibus verbis ita nunc lubet diſcurrere. Eſt qui nomen dedit Congregationi agonizantis in Cruce JEſu, Sodalis; qui quovis menſe hunc in finem §. 8. *Officia pii Sodalis ex hac Cõgregatione.*

nem secretam unam diem Dominicam sancto huic exercitio transscribit, & in communi Sodalium conventu, piè, devotè, ferventer, Corollam quinq; Vulnerum Salvatoris cum aliis orando percurrit, huic opem promittit divinam per suum Apostolum Spiritus Sanctus. *Alleviabit eum Dominus*, nimirum ubi alleviatione potissimum fuerit opus, in hora mortis.

Alius, aut alia, pro beata vitæ clausula certas quotidie, seu domi, seu in templo preces persolvit; alleviabit eum Dominus. Alius hac intentione frequentius gaudet sacram accedere synaxim; alius persæpe de die, familiarem sibi habet hanc piissimam ad dilectum suum apostrophen: *O bone JEsu exaudi me, intra tua &c.* Alius ex obvio fortè aspectu Crucifixi in hæc erumpere verba consuevit, Hora mortis meus Spiritus expiret in JEsu dulce latus! alleviabit eum Dominus.

Neque hoc mirum cuiquam videri debet. Nam quia Deus ter Opt. Max. promisit se petentibus gratias, quas petunt concessurum, ex debito quodam tenetur Sodalibus hujus Congregationis beatam mortem concedere, probo ex cap. 6. v. 6. S. Matthæi.

§ 9. *Christus D. ex quadam justitia tali Sodali debet mortem Sanctam probatur ex cap. 6. S. Matthæi.*

Tu autem cum oraveris (ait Christus D.) *intra in cubiculum tuum & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Modo hunc locum sic explico. Per cubicula illa & loca abscondita, aptissima ad orandum, intelligo cavernas maceriæ, sive quinque sanctissima Vulnera Crucifixi. O pulchra palatia! O jucundas habitationes! O suaves mansiones! quæso Sodales amantissimi cum ferventer vultis orare, cùm pro felici morte vultis clamare in clamore cordis, cum modò pientissimè cogitatis orare Rosarium quinque SS. Vulnerum; in illa paulisper secedite cubilia, claudite ostia, vos & vestros affectus, desideria & suspiria includite, v. g. lateri & cordi Christi. ibi petite, quidquid desideratis, mortem beatissimam, estote certi, Pater cœlestis, & JEsus Salvator, reddet vobis: non ait, *dabit*, sed *reddet*, cum emphasi, reddere enim est aliquid ex debito tradere, ex obligatione dare, ex justitia persolvere. itaque talis oratio facit, ut Deus quodam titulo teneatur concedere, quod petimus.

§. 10. *Alia pia exercitia talis Sodalis.*

Est Congregationis hujus Sodalis, qui nullum unquam clarissimæ sibi fraternitatis conventum negligit; hic obstrictum sibi habet DEUM, atque obligatum ad impertiendum felicem vitæ finem. Quid si, ut ante dixisse me memini, statutas hunc in finem seu domi, seu alibi preces persolvat? quid si ideò sæpius cum devotione Venerabile invisat Sacramentum, & coram eo abjectus in genua hanc suam mentem, curamque exponat, inter suavissima oscula alicujus Crucifixi? quid si crebrius etiam Eucharistico se pane reficiat? quid si hoc velut pacto sacratissimas quinque Vulnerum cicatrices singulari colat affectu, & studio? quid si singulis horis ideò ardens suspirium mittat ad JEsum suum? quid? an non sibi talis Deum, & JEsum reddet obligatissimum? an non ad se trahet, quasi magnes, non ferrum quidem, sed

amoris aurum, & divinæ clementiæ? Ita certè, & ex justitiæ quidem legibus obligatum sibi Numen habebit, à quo hujus rei luculentam in Evangelio promissionem accepit.

§. 11. *Pia devotio erga quinque SS. Vulnera.*

Confirmatur hic locus & discursus ex v. 19. c. 18. Matth. *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.* Hoc loco invenio causam, ob quam Minima societas JESU Congregationem hanc instituit: ejus zelo non sufficit, omnes exstimulare, ut quivis frequenter pro se tantam gratiam piæ mortis flagitet, sed vult ut fiat cum consensu & sancta conspiratione multorum, cùm enim Salvator noster dicat, *si duo ex vobis consenserint*, vel convenerint, v. g. petant felicem mortem; quid fiet, cum centum, trecenti &c. tanto consensu, tanto fervore in tam sancta Congregatione gratiam illam efflagitabunt? hoc fiet! Pater cœlestis reddet vobis: hoc fiet! mors vestra erit pretiosa.

Et quid moramur piissimi Sodales? properemus obsecro, & postquam sinistrum JESU pedem salutaverimus, recipiamus nos ad dexterum, huic iterum iterumque nos commendemus. Christo Crucifixo nostram de ultimo vitæ momento sollicitudinem exponamus, atque inde discedamus ad manum quoque sinistram, eadem nos hic cura fatiget, eadem fervescat oratio, idem rogemus beneficium, nec dubitemus, annuet mitissimus JESUS; fiet quod petimus, qui promisit, Deus est. Agedum itaque charissimi, ad dexteram quoque manum nos conferamus, & hæc plena est gemmis, plena deliciis dicam, an divitiis? plena solatiis, amoribus, atque thesauris. Fiet quod petimus, moriemur feliciter. Et quidni ita moriamur? æterna Veritas promisit.

§. 12. *Professio.*

Sed postquam ad dulcissimum Cor JESU brachia nostra protenderimus, postquam sacratissimum divini lateris Vulnus salutaverimus, postquam cum affectuosissimis osculis exclamaverimus, per dulcissimum Cor tuum amantissime JEsu, cordi meo, cum in morte disrumpendum erit, unicam tui amoris guttam infunde! non dubitemus, fiet, fiet! qui promisit Deus est, qui promisit, pro nobis mortuus est in Cruce! En pulcherrimam DEUM in sua vota trahendi methodum! en auream, non Herculis, sed amoris catenam, qua ad lectulum nostrum mortualem pro æterno animarum nostrarum solatio, trahitur JEsus Crucifixus!

§. 13. *Parvuli à matre quidvis obtinent.*

Eodem c. S. Matth. dicitur v. 3. *Et advocans JESUS parvulum statuit eum in medio eorum, & dixit, Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Scio interpretes communiter hoc loco uti in commendationem humilitatis; ut parvulum esse idem sit, quod esse perfectum, & eximium in demissione, sine qua nemo intrabit in regnum cœlorum. Sed modo mihi magis placet aurea illa S. Chrysologi sententia super hæc verba Christi: *Infantiam dico fratres, quæ totum semper obtinet, quæ plus lachrymis, quàm virium ratione contendit.* Experientia verba

Potius lachrymis, quàm virium ratione.

tum

tum S. Chrysologi, tum Christi D. pulchrè explicat. Pusio v. g. trium vel quatuor annorum desiderat pomum, vel frustum albi panis, ut obtineat, ait, ah Mater! amantissima mater, suavissima mater, da mihi pomum, his verbis totum & semper obtinet, subinde mater dissimulat se audire, avertit vultum, & manus: cùm verò parvuli incipiunt flere, dum ubera arripiunt, dum vultum apprimunt uberibus, dum lachrymis pugnant, & contendunt, cujus Matris viscera non moventur? semper obtinent! hoc ergo Christus D. vult dicere, si desideratis intrare cœlum, estote parvuli, sive petite, clamate, insistite! & fiet vobis, obtinebitis!

§. 14. *Sodalitas hæc est Congregatio Parvulorum quorum pater est Christus Crucifixus, Mater, Mater dolorosa.* Itaque si quis ex me quærat, quid sit hæc Congregatio Agoniæ? Respondeo, est Congregatio parvulorum, quorum Pater fixus est in crucem. O infelices parvuli! Erro: O felicissimi! pro bono enim vestro, pro solatio, pro vita, pro felicitate, pro beatitudine pendet in cruce dulcis Genitor! Quid est Congregatio Agoniæ? est cœtus parvulorum, ergo precibus, & lachrymis indulgeamus, audiet filios Pater! Quid est Congregatio Agoniæ? est infantium societas, quorum Genitor est JESUS, genetrix Maria! eja ergò oscula figamus Patri, figamus & Matri, amemus hanc, amemus & illum, utriusque nobis, dum possumus, demereamur affectum. O dulcem Patrem, O Matrem amabilem! ille Vulnera propinat, hæc ubera; ille sanguinem hæc lac. O nos beatos filios, pascimur hinc, inde lactamur cum Augustino, horum quoque parentum filio quondam non degenere.

§. 15. *Suavis apostrophe ad Sodales.* Eja Sodales, estote parvuli, dicite frequenter, Ah mi JEsu, ah Mater! addite suaves titulos, dicite, mi bone JESU, mi suavis JEsu, amabilis JEsu! dicite, ah Mater, O mater misericordiæ, clemens, pia, dulcis Virgo Maria, repetite hæc verba amoris millies! dubitatis vos exaudiendos? male! nimis bonus est JESUS, pius pater est; nimis dulcis est Maria, exaudit parvulos. Estote iterum parvuli, arripite ubera JESU, sanctissima Vulnera, apprimite ora ori Christi, pectus pectori, Cor Cordi, & lachrymis contendite! Nec dubitate, moriemini feliciter! fiet, fiet! intrabitis in regnum cœlorum.

§. 16. *Urgetur prius simile ex c. 5. ad Hebræos.* Ad Hebræos cap. 5. v. 7. ait S. Paulus de Christo Domino: *qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cùm clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Ex hoc loco aliam pulchram causam colligo, cur hæc Congregatio instituta sit. Is, qui nos potest salvos facere à morte, id est, qui facere potest, ut aliquando feliciter moriamur, est JEsus Salvator noster. Ecce hic Vulnera offeret, ut in illis expiremus sanctè! sed quia est ingens gratia, ideo Sodales conspirant ut in diebus carnis suæ, id est, dum sani sunt, dum licet, preces & supplicationes offerant, quibus id petunt. Eò tendit usus Rosarii, eò tendunt tot devotæ Communiones, eò tendunt tot ardentia suspiria; non frigidè & ex pura consuetudine,

dine, sed *cùm clamore valido, & lachrymis*, ex toto corde, ex totâ animâ: parvulorum instar, eâ, quâ diximus ratione, illis gestibus, ardoribus, lachrymis, suspiriis orant atq; obsecrant, & exaudiuntur; talibus JESUS Crucifixus largitur felicem horam mortis.

§. 17. *Rationes ob quas fervens oratio à Iobo comparatur sanguini.* Deniquè Sodalis hujus Congregationis dicere potest cum Jobo cap. 16. v. 19. *Terra ne operias sanguinem meum, neq; inveniat in te locum latendi clamor meus.* Vult Jobus dicere, secundum S. Ambrosium: *Utinam oratio mea, quæ instar sanguinis clamat, non abscondatur, sed exaudiatur.* Quæri potest, quænam sit oratio, quæ sanguini comparatur? puto modò posse illam intelligi, quæ vi pretiosi sanguinis ex Vulneribus Salvatoris felicem mortem desiderat; unde oratio Sodalium hujus Congregationis ob varias rationes sanguinea dici potest.

1. Gen. 4. v. 10. dicitur, *Vox Sanguinis Fratris clamat ad me de terra.* Frater noster est JEsus Crucifixus; ejus sanguis pro nobis clamat ad Patrem, & nos clamamus ad JESUM, ut per sanguinis sui infinita merita felicem mortem largiatur. Recitando mox Rosarium, cum Sanguine Christi, fratris nostri clamare volumus: ita ut oratio hujus rosarii sit sanguinea. Terra non operiet, neque inveniet in illa locum latendi.

2. Exodi 12. v. 13. Angelus percutiens nocere non potuit ædibus, quarum postes illiti fuerunt sanguine Agni; eja sodales ferventibus precibus, præcipuè in Communione, per sanguinem Christi petamus felicem mortem, sit oratio nostra hoc modo sanguinea, corda nostra in oratione Rosarii respergamus sanguine Christi, in agone non nocebit nobis Angelus malus.

3. Exodi 24. v. 8. Stabilitur amicitia DEUM inter & homines, firmaturque sanguine, nam ille, scilicet Sacerdos, sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: *hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum.* Simile planè fœdus invenio inter Sodales hujus Congregationis. Conspirant in hoc; facere amicitiam cum JEsu Crucifixo; in hoc desiderio, per ejus Vulnera, per pretiosum Sanguinem ferventer orant; Dico orationem hanc esse sanguineam. Ecce dum oramus, summus sacerdos JESUS Crucifixus de Cruce, vel de Venerabili Eucharistia, advertitis! nos aspergit guttis pretiosissimi sui sanguinis; ecce guttas ex vulneratis pedibus! ecce guttas stillantes ex manibus, ecce guttas ex dulcissimo corde supra nos profluentes. Instate, orate, clamate, sanguinea nostra est oratio: terra non operiet, non inveniet in ea locum latendi.

4. Galenus ait; *sanguis calidus, humidus, dulcisque est.* Idem de oratione tali dici potest, calida est, quia ex ardenti corde procedit, humida, ob dulces lachrymas; dulcis, ob cœli solatia, quibus Spiritus S. tales refocillare solet. Experientia sciunt Sodales, quàm bene illis sit, cùm coram Crucifixo suo faciunt satis amori atque affectui; cum cordium suorum exponunt, promuntque desideria.

5. Addit Galenus, *ex imbribus & diei calore sanguis augetur*: sic applico hanc

pro-

proprietatem. Cùm hinc ardet Sol, JESUS in cruce, in meridie amoris, cùm illius radii in corde amantis Sodalis excitant flammas amoris, ut toti incalescant pio,& suavi incendio; ita orabat S. P. N. Ignatius, quotiescunq; orare inciperet, id statim apparebat in vultu, rubebat,& quodammodo ignescebat. Cum ex altera parte ex corde contrito, ebulliunt fonticuli lachrymarum, distillantes pèr oculos, tum augetur fervor sanguinis & orationis. Et talis oratio sanguinea est, non operietur à terra. Cupio Sodales, corda vestra esse specula ustoria, cum radii solis in illa incidunt, ardere videntur. Sodales; ecce radios solis ex Vulneribus Crucifixi! ecce radios amoris ex Eucharistia; corda exponite, dilatate pectora, excipite radios, ut ardeatis! his ardoribus, oratione sanguineâ recitari debet Rosarium SS. Vulnerum.

6. Morbi consumunt sanguinem: cavete Sodales, ne pestilens morbus, ne peccatum aliquod lethale inficiat vestram orationem.


7. Copia sanguinis in animalibus causat fortitudinem: hinc elephas, taurus,leo, aquila ob corporum vastitatem,& sanguinis abundantiam, animalia sunt robustissima. Eja Sodales, si aliquando in agone contra Diaboli assultus velitis esse leones, si aquilæ in arduis; Sugite, sugite sanguinem in magna copiâ ex SS. Vulneribus Christi &c.

8. Si sanguinis generatio tollatur, vitam quoque tolli necesse est, sic applico. Si auferatur à nobis oratio, mors infelix in propinquo est,hoc sensu ex intuitu Christi Crucifixi augurium felicis, vel infelicis mortis desumere possumus. Refert Pausanias ad templum Cereris speculum fuisse expositum, in quo quisque, postquam odores accenderat, & rite Deam precatus fuerat, eventuram sibi sortem felicem,vel infelicem conspiceret. Fabula est ista: non tamen si illam proposito meo, vestrisque in sanctissima Vulnera & JEsu Christi Crucifixi sanguinem, affectibus accommodem.

§. 18. *Speculum mirabile in templo Cereris.*

Nimirum in templo Cereris,in templo Panis Eucharistici, pulcherrimum radiat speculum JEsus Crucifixus, & quinis quidem refractionibus, id est, quinque Vulneribus speculum illustre. Hic sortem discamus nostram, Sodales; hic fortunam quisque suam legat extremam, character est sanguineus; calami sunt clavi & lancea, inspicite scripturam, medio exaratam in speculo. Videbitis hinc an fausta vobis omnia,an infausta: an beatus è vita exitus,an econtra? Si JEsum amatis Crucifixum, cogitate vos audire, quæ quondam ad aures Henrici Susonis de salute anxii cœlitus allapsa sunt. *Surge, ingredere in Vulnera mea, nam in his felicitas tua unica consistit.*

CON-



CONCIO XXVII.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Cùm venerit Paracletus.

Joannis 15. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SPiritus ſanctus eſt fons veri gaudii: quomodo ad ejus adventum nos debeamus diſponere.

§. 1. *Beneficia à Patre cœleſti exhibita Iſraëlitis in eremo.*
§. 2. *Renovavit Chriſtus in Nov. Teſtamento.*
§. 3. *Addit promiſſionem de mittendo Spiritu S.*
§. 4. *Lætitia cordis opponitur ejuſdem triſtitiæ. Chriſtus D. ſuos variis modis fuit conſolatus.*
§. 5. *Vera lætitia non invenitur in gaudiis hujus mundi. Probatur per quinque ſenſus.*
§. 6. *Expertus fuit David pſ. 50.*
§. 7. *Primus fons veræ lætitiæ.*
§. 8. *Alter fons.*
§. 9. *Gaudium Spiritus Sancti, ſe diffundit in membra exteriora.*
§. 10. *Encomia SS. P.P. de Spiritu ſancto tanquam fonte veri gaudii.*
§. 11. *Si tanti gaudii velimus eſſe participes, corda noſtra debent eſſe munda.*
§. 12. *Corda noſtra debent eſſe pacifica.*
§. 13. *Plena ſanctis deſideriis.*

§. 1. *Beneficia à Patre cœleſti exhibita Iſraëlitis in eremo.* PSalmus 104. breve eſt compendium ingentium & plurimorum beneficiorum, quæ DEus Opt. Max. Iſraëlitico, & tum electo populo, per annos omnino quadraginta in deſerto, cùm pergerent ad terram promiſſionis, exhibuit. De præcipuis ait cit. pſ. v. 39. *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem ut luceret eis per noctem.* v. 40. *Pane cœli ſaturavit eos.* v. 41. *dirupit petram & fluxerunt aquæ, abierunt in ſicco flumina.* tandem ait v. 43. *Eduxit populum ſuum in exultatione, & Electos ſuos in lætitia;* & ut perpetuam nanciſcerentur cauſam lætitiæ, ſemper illis præſto fuit peculiari quâdam aſſiſtentia in majeſtate pulcherrimæ columnæ, vel nubis, quæ quaſi thronus fuit præſentis Numinis & protegentis.

Senſu myſtico hæc omnia veriſſima ſunt de Chriſto Salvatore noſtro, ipſe eſt nubes, quæ Electos protegit, & deducit ad terram benedictionis: Ipſe eſt ignis, qui eiſdem lucet in nocte; Ipſe eſt, qui pane cœli, imò ſua carne, & pretioſo ſanguine in deſerto hujus mundi nos paſcit, Ipſe eſt petra, quinq; inſtru- *§. 2. Renovavit Chriſtus in N. Teſtamento.*

ctacaver-

cta cavernis, ex quibus totidem salutis, & gratiarum fontes promanant. Ipse est qui in forma nubis, sive sub speciebus sanctissimæ Hostiæ in Ecclesia nobis semper assistit. Ipse est deniq;, qui quoad vixit, tam ante, quàm post gloriosam Resurrectionem suum populum, suos Electos deduxit in exultatione & lætitia; hujus lætitiæ & jubili & exultationis in cordibus B. Virginis & Apostolorum, hactenus paschali hoc tempore frequenter meminimus.

§. 3. *Addidit promissionem de mittendo Spiritu S.* Verùm quia ante triduum festo gloriosæ Ascensionis abire ad Patrem, & nos orphanos in hac lacrymarum valle deserere debuit, promisit se post octiduũ missurum Spiritum S. sive Paraclitum, id est, Consolatorem, ut hic porrò nos ad terram sanctam deducat in lætitia. Primâ itaq; parte hujus Concionis ostendam, quomodò Spiritus Sanctus consolator optimus, dulcis hospes animæ sit causa veræ lætitiæ, & solidi solatii. Alterâ verò, quâ tandem ratione, modoq; per hoc octiduum corda nostra disponere oporteat, quò illa consolationum DEUS Paraclitus, & suâ præsentiâ recreare, & implere gratiis, atque favoribus dignetur.

§. 4. *Lætitia cordis opponitur ejusdem tristitiæ. Christus D. suos variis modis fuit consolatus.* Lætitia cordis est affectus, qui opponitur tristitiæ, & melancholiæ, quæ post mortem Salvatoris nostri, præcipuè durante passione haud sanè parum afflixerat Apostolos, sic oramus de illis in horis tempore paschali; *Tristes erant Apostoli de nece sui Domini*. Atq; ideo Christus D. variis mediis illam conatus fuit discipulorum tristitiam sublevare, atque illorum animis veras cœlestesq; delicias instillare. Eo tendunt Evangelicæ lectiones Dominicarũ inter Pascha, & Pentecosten. Dominica in Albis illo fine ostendit illis, imò & tangenda præbuit, & osculanda gloriosa sua Vulnera, tanquam fontes lætitiæ, Joan. 20. v. 27. Dominica secunda vocavit se pastorem bonum, sub cujus cura & providentia oviculæ meritò habent quod exultent, Joan. 10. v. 11. Dominica quarta ad erigendam illorum spem, quæ mater est veri gaudii, ostendit illis pulcherrimas mansiones quæ in domo Patris sui Electis sunt præparatæ, Joan. 14 v. 2. Dominica quinta, multis commendavit & suasit Orationem, quæ veluti aurea catena, veras de cœlo voluptates attrahit, Joan. 16. v. 24. Hodie ut illos plane consoletur, promittit illis Spiritum Sanctum, de quo Salomon ait, Sapient. 12. v. 1. *O quàm bonus & suavis est Spiritus tuus.* S. Bernardus. *Dulcissimum quidpiam est Spiritus Sanctus*, & proinde veræ causa lætitiæ.

§. 5. *Vera lætitia non invenitur in gaudiis hujus mundi. Probatur per quinq; sensus.* Atq; hic illud mihi ante omnia probè ab omnibus animadvertendum videtur; nimirum illam, de qua agimus modò, lætitiam, non in profanis hujus mundi gaudiis, aut carnis voluptatibus consistere. Nemo id sibi persuadeat, neque enim est pax impiis. Sæpius in peccatoris auribus suavis resonat musica, at in corde ejulatus. Proponuntur sæpe gustui regales epulæ, cibi, fercula, lautitiæ, epulatur impius cum epulone splendidè: at animus interim felle potatur. Oculis objiciuntur res visu dignissimæ jucundissimæque; sed atrox inferorum spectaculũ perstringit conscientiam. Auribus percipit cytharas, & mentem feriunt dolores. Oculis haurit venerem, & animo Megæram.

Heu! quæ ista dissimilis vitæ interioris cum exteriore comparatio! quàm discors illa concordia! Scilicet radix hujus tristitiæ est mala conscientia.

Turbat præcipuè lancinans Conscientia.

Quomodo enim impius lætari potest, si illa continuò cor lancinet, & auribus tristes ingerat querelas, si v. g. assiduè occinat, hostis es DEI, rebellis divinæ Majestati, & si jam animam ageres, reus ignis æterni. Amabo vos, quo tandem pacto in corde, quod à talibus vermibus roditur, quo pacto inquam, ulla esse possit quies atque lætitia.

§. 6. *Expertus fuit David ps. 50.*

Experientia hoc didicit Rex David, simul atq; mentem commissi adulterii consciam, atq; homicidii circumgereret, tanta tristitia obrutus fuit, ut inter actus cordis contriti ferventer clamarit, Ps. 50. v. 14. *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, nimirũ quæ prius fuit in corde meo, sine qua vitam mihi omnem acerbam puto, omnem regni luxum, omnem aulæ pompam, omnem sceptri majestatisq; potentiam. *Ah redde mihi lætitiam.* Sed ecce, eodem planè versu duos ostẽdit fontes veræ illius lætitiæ, dum subdit, *redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.*

§. 7. *Primus fons veræ lætitiæ.*

Primum fontem ostendit vocula illa, *Salutare*, pro qua aliam supponit S. Hieron. dum primam partem versus sic legit, *Redde mihi lætitiam JESU tui*, id est, illud gaudiũ, quod aliquando Messias, Filius DEI, salutare sive Salvator mundi Electis cõmunicabit. In Spiritu illud prælibavit Abacuc c. 3. v. 18. dum exclamat: *Exultabo in DEO JEsu meo.* Prædixit Isaias c. 60. v. 5. *Tunc videbis* (Salvatorem tuum) *& afflues, mirabitur & dilatabitur cor tuum*, & cap. 12. v. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Hoc fecerunt, talia pii experti sunt, à die gloriosæ Resurrectionis; JESUS à mortuis resurgens fuit lætitia cordis nostri. Verùm alibi diutius hæreo ad fontem hujus gaudii.

§. 8. *Alter fons.*

Itaq; alterum veræ lætitiæ fontem ostendit altera pars versus, nimirum, Spiritum Sanctum, qui est Spiritus principalis; de quo S. Paulus ait ad Rom. 14. v. 17. *Regnum DEI, justitia & pax in Spiritu Sancto.* Recepit proindè hoc gaudium David cum dixit ps. 83. v. 3. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* ps. 29. v. 12. *circumdedisti me lætitia*, ps. 99. v. 1. *Servite Domino in lætitia. Rectũ Corde lætitia*, nimirum in Spiritu S. in spiritu principali.

§. 9. *Gaudium Spiritus S. se diffundit in membra exteriora.*

Hæc lætitia, hæc pax, hoc gaudium in Spiritu S. ejus est virtutis atq; indolis, ut nõ in corde tantùm, & anima se contineat, sed in corpus quoque & membra diffundatur exteriora. S. Bonaventura ait esse genus lætitiæ, quod abscondi non potest, vocatq; jubilum. Id quod hunc in modum describit S. Gregorius l. 24. mor. c. 5. *Iubilum dicimus quando ineffabile gaudium mens concipit, quod nec abscondi potest, nec sermonibus aperiri, & tamen quibusdã motibus proditur. Beatus populus qui scit jubilationẽ.*

Patuit die Pentecostes in Apostolis.

Patuit die Pentecostes, quo Spiritus S. super Apostolos descendit, radiarunt capita, scintillarunt oculi, ignitis linguis locuti fuerunt magnalia Dei, plauserunt manibus, jubilarunt corde, & ore, exultarunt in Deo. Nimirum & hodie beatus populus, qui scit jubilationem: id est, Electi, qui & hodie spiritualis hujus jubili, in Spiritu Sancto, in spiritu

spiritu pacis, in spiritu lætitiæ, fiunt participes. Hoc fit, cum subinde in suavi contemplatione, vel oratione, præcipuè in devota communione ex oculis calidæ & lætæ scaturiũt & fluunt lacrymæ, cùm pectus ignita eructat suspiria, cum ex inflammato corde, & ignea & suavia evolant desideria, veluti aureæ sagittæ, vel scintillæ, urentes, vulnerantes Cor JEsu; cum subinde cor ardore charitatis liquefit, cũ languet deliquiis amoris; hæc omnia cum admirabili gustu, & suavitate, omnia in Spiritu sancto. O cœli mittite nobis mox de sursum, & reddite lætitiam salutaris nostri, sive Spiritum S. Paraclitum, quem Salvator noster nobis promisit. Sed age hac super re sanctos quoq; Patres audiamus, certè multis illi, diserteq; beatum hoc gaudium commendant.

Idem gaudium in hac vita communicatur personis sanctis.

§ 10. Et D. quidem Augustinus in ps. 95. SpiritumS. vocat *paradisum deliciarum animæ*. S. Chrysostomus hom. 69. in Matth. *favum & mel gratiæ*. S. Bernardus. *Epulum spirituale*. Cassianus, *Centuplum præsentis vitæ*. Alii. *Inchoatam beatitudinem in terris*, ut proinde hic sit sensus verborũ Christi Domini in hodierno Evang. loquentis, cùm venerit Paraclitus Spiritus sanctus ille vos, mei Apostoli, ducet in quendam paradisum deliciarum, ille vobis afferet favos, ille depluet mel gratiæ, ille in hac vita vos participes faciet cœlestis beatitudinis, ille accendet corda, inflamabit pectora, ille suis flammis ac facibus si quid in vobis tristitiæ residet, consumet, ille in vobis accendet ignẽ lætitiæ, ex scintillis amoris divini: erit super vos regnũ, Justitia, pax, gaudium, lætitia, exultatio, sed in Spiritu sancto. Hic Spiritus principalis, est simul Spiritus veræ lætitiæ, est consolator optimus, est dulcis hospes animæ, est Paraclitus, quod prima parte Concionis volui ostendere.

Encomia SS. Patrum de Spiritu S. tanquam fonte veri gaudii.

Quid verò nostra ex parte requiritur? nunquid ut ejusmodi sint corda nostra, quæ divino & purissimo simul huic placeant Spiritui? ita profectò. Nam primò, munda ea esse necesse est, nam Spiritus hic, quia *DEus est*. (Hugo l. de bono conscient.) *est amator munditiei, cor pollutum peccatis inhabitare non potest*. S. Bernardus super cant. *Gratia Spiritus sancti balsamũ purissimum est, & requirit vas mundum, quia à cordibus immundis videri non potest*. econtra, *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEum videbunt*. S. Greg. *tergat sordes pravi operis, qui Deo præparat donum mentis*. S. Augustinus in horis hodiernis. *Prius ergo cogita de corde mundando: quidquid ibi vides, quod displicet DEO, tolle*. Agage! quisquis Spiritum S. sacris hisce diebus speras & desideras hospitem, nisi prius mundum illi domicilium adornaveris. Si speras spiritũ puritatis, prius ad cordis puritatem aspires, necesse est. Id fiet exomolegesi sacra & sincera, fiet perfecto de peccatis dolore, fiet serio emendationis proposito. Enim verò tollendum est, quidquid displicet Deo, removenda sunt obstacula, quæ Spiritum illum sanctum, quò minus ad nos divertat, quoquo modo possunt absterrere. Columba Gen. 8. v 9 emissa à Noë ex arca, cum non invenit locum mundum, ubi poneret pedem, rediit ad arcam: idem facit Spiritus S. descendet de cœlis instar mundissimæ columbæ,

§. 11. Si tanti gaudii velimus esse participes: corda nostra debent esse munda.

bæ, ut in cordibus nostris quiescat, verùm nisi, munda sint, non intrabit, sed redibit; Quod probè confirmat S. Bernardus. *Impossibile est animam repleri deliciis Spiritus, quæ subjacet carnalibus delectationibus.*

§. 12. *Corda nostra debent esse pacifica.* Deinde Spiritus sanctus visitat corda pacifica. Ita mihi Hugo suggerit l. de arca Noë. *Ut anima sit capax cœlestis gratiæ* (vel Spiritus sancti) *præparet se pace & tranquillitate*, Psal. 75. v. 3. *In pace factus est locus ejus.* 2. Cor. 13. v. 11. *Pacem habete, & DEus pacis & dilectionis erit vobiscum.* Tertullianus de spectac. c. 15. *oportet Spiritum sanctum, utpote pro naturæ suæ bono tenerum & delicatū, tranquillitate, & lenitate, & quiete, & pace tractare, non furore, non bile, non ira, non dolore inquietare.* Hæc illis dicta volo, qui ob diuturna odia, ob inveteratas inimicitias, ob rixas, discordias omiserunt Confessionem, & Cōmunionem paschalem. Cùm hi participes facti nō sint pretiosi sanguinis Christi, in ara Crucis pro nobis effusi; rogo illos per salutem animæ, ut locum in cordibus suis dent Spiritui S. ad hoc autem necesse est, ut odia deponant. Spiritus sanctus est Spiritus pacis, Spiritus unionis, dilectionis, & charitatis. Sicut econtra Spiritus malus, est Spiritus discordiarum, odii, inimicitiæ, & furoris.

§. 13. *Plena sanctis desideriis.* Tertiò, meminisse oportet verissimi dicti S. Gregorius M. *Sancta desideria animam capaciorem reddunt.* Quod si ita est, an non sanctis nos desideriis instare dies noctesq; par esset? sanctū est desiderium, exclamare sæpius hisce festis, *Veni Sancte Spiritus.* Exclamemus igitur, ut reddamur capaciores Ex sanctis quoq; desideriis erat, dicere: *Lava quod est sordidum*; quid obstat igitur quo minus in illud feratur animus noster & lingua. Desiderium est sanctum, comparare se ad puritatē pectoris per sanctam confessionem: eja comparemus nos ita; fructus qui sequetur, capacitas est animorum nostrorum ad recipiendū illum spiritum sanctissimum. Deniq; sanctum est desiderium, cogitare ac dicere, *Veni Sancte Spiritus, in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.* Ita cogitemus, ita loquamur, ita nosmetipsos consolemur, ita ad adventum tanti hospitis nos disponamus, & divinæ fiemus consolationis capaces. Aderit Paraclitus. Confirmat iterum S. Bernardus, *Oportet quod ignis desiderii perveniat ad omnem animam, ad quam venturus sit Spiritus Sanctus Paraclitus.* Quod si ille in nobis ferveat desiderii cœlestis ardor, si ita corde non minus ac ore aspiremus ad Spiritum sanctum, non deerit ille suis quoq; partibus Consolator optimus, sed erit ut aliis innumeris, ita & nobis unctio spiritualis. Unget nos oleo misericordiæ, dulcedinis, consolationis, amoris. O præclaram unctionem; quæ & jucundos nos faciet, & sanos, & alacres, & quod rei caput est, in amore divino constantes.

Pro dilatatione vide in Concord. Unctio, lege lectiones horarum de Spiritu Sancto.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

ALVEI

ALVEI PRIMI,


SIVE

CONCIONUM

IN

Dominicas à Pentecoste usque ad Adventum,

PARS SECUNDA.



CONCIO XXVIII.

DOMINICA PENTECOSTES.

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.

Joannis 14. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXplicat hæc Concio in communi, essentiam, proprietates, & effectus septem donorum Spiritus sancti.

§. 1. *Vocula* Spiritus *in sacris litteris varia significat.*

§. 2. *Per eminentiam tribuitur Spiritui S. de cujus septem donis in communi hæc concio agit.*

§. 3. *Candelabrum in templo Salomonis fuit figura Spiritus S.*

§. 4. *Flamma lampadum significat divinitatem Spiritus S. numerus septenarius, 7. ejus dona.*

§. 5. *Homo est templum DEI vivi, candelabrum est Spiritus S. varia Symbola donorum Spiritus S.*

§. 6. *Cor plenum Spiritu S. est terra fluens lacte, Spiritus S. est fons fluens septem rivulis.*

§. 7. *Spiritus S. est Sol cum septem radiis, arbor cum septem ramis.*

§. 8. *Quid sint dona Spiritus S. Theologicè.*

§. 9. *Quidnam sint actus heroici.*

§. 10. *Gratia Spiritus S. perficit reliquas virtutes.*

§. 11. *Disponunt hominem ad sequendos instinctus Spiritus S.*

§. 12. *Effectus horum donorum declarantur per similia.*

§. 13. *Dona Spiritus S. habent operationes ignis præcipuè in B. Virgine.*

§. 14. *Invocatio B. Virginis, ut nobis obtineat hæc dona.*

§. 1. Vocula Spiritus in sacris litteris varia significat.

IN sacrâ Scripturâ, vocula *Spiritus*, varia significat, præsertim illa, quæ quoddam robur, vim, & fortitudinem quandam habent. 1. Deus omnipotens est Spiritus purissimus, Joannis 4. v. 24. *DEUS Spiritus est, Spiritus carnem, & ossa non habet.* 2. Angeli sunt Spiritus, Psal. 103. v. 4.

Qui

Qui facis Angelos tuos Spiritus. 3. Mali quoque, & damnati angeli sunt spiritus, Matth 12. v. 45. *Cùm immundus Spiritus exierit, ab homine, assumit septem alios spiritus nequiores se.* 4 Anima hominis licet immersa sit corpori, est tamen ipsa Spiritus, ut Ecclesiastes ait 12. v. 7. *Revertetur corpus in terram suam, & Spiritus ad DEUM, qui dedit illum.* 5. Venti, qui tantam habent vim, ut fortissimas etiam arbores radicitùs è solo divellant, ut moveant fundamenta montium, ut concutiant turres & petras, ut turbent aërem, ut misceant maria, vocantur Spiritus, Ps.148. v. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, Spiritus procellarum.* Aër, quem attrahimus, quo respiramus, quo vivimus; etiam vocatur Spiritus, Psal. 118. v. 131. *Os meum aperui, & attraxi Spiritum.* 7. De Sole, qui suis radiis, & influentiis, penetrat viscera terræ, ubi in petris atq; cavernis generat metalla, ait Ecclesiastes c. 1. v. 6. *Lustrans universa in circuitu pergit Spiritus.* 8. Verbum DEI est Spiritus, Joannis 6. v. 64. *Verba quæ ego loquor, Spiritus & vita sunt.* 9. Idem etiam est quod ipsa vita, Joannis 6. v. 46. *Spiritus est qui vivificat.* 10. In Scripturâ, & in Philosophiâ, Spiritus dicitur omnis illa creatura, quæ fortes, & sublimes efficit operationes, ignis v. g. quàm est celer, quàm potens, quàm omnia penetrans, & consumens! ideò Spiritus merito appellari potest.

§. 2. *Per eminentiam tribuitur*

Per excellentiam verò hæc vocula significat tertiam Personam ex Sanctissima Trinitate, DEUM de DEO, Patri & Filio per omnia æqualem & Spiritum Sanctum. Operationes ejus patent maximè in septem donis, ob quæ vocatur *Donum Altissimi.* Hoc ipsum hoc triduo in meis Concionibus paulo latius deducam, ut intelligatis quàm sublimem nos habere oporteat de Spiritu S. existimationem, & quantum illius amorem; qui dum dona sua diffundit in cordibus nostris, meritò nos ad sui allicere amorem videtur.

Spiritui S. de cujus septem donis in communi agit hac Concio.

§ 3. *Candelabrum in templo Salomonis fuit figura Spiritus S.*

Inter alia Salomonici templi ornamenta celebrat sacer textus, elegantissimum illud candelabrum de quo dicitur, Exod. 25. v. 31. *Facies candelabrum ductile de auro mundissimo: hastile ejus, & calamos, scyphulos & sphærulas* (alii legunt, poma granata) *ac lilia ex auro procedentia: sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, tres ex altero: facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso.* Candelabrum tam pretiosum, tam elegans, tam elaboratum, & ornatum ramis, floribus, globis, pomis, liliis, pependit ante tabernaculum, sive Sancta Sanctorum, ad dexteram altaris thymiamatis. Scio in sensu mystico apud SS. Patres candelabrum hoc esse figuram vel Ecclesiæ, vel Christi Salvatoris præsertim in sanctissimo Sacramento, vel pendentis in Cruce, vel B. Virginis. Modò mihi placet Venerabilis Beda, quæ ait fuisse typum Spiritûs Sancti.

§ 4. *Flamma lampadis significat divinitatem*

Flamma vel ignis in septem lampadibus denotat increatum, infinitum & æternum amorem, qui in sanctissima Trinitate est Spiritus sanctus, verus & unus DEus: hic ignis ab æterno arsit in sinu

Spiritus S. numerus ſeptenarius ſeptem ejus dona.

in ſinu Patris. In ignis nutrimento, ſive, odoratiſſimo oleo, agnoſco eſſe Spiritum bonum, lenem, ſuavem & benignum: in mundiſſimo auro, illam Charitatem, quam diffundit in cordibus noſtris. In ſeptenario lucernarum numero, ſeptem Spiritus S. dona, Sapientiam, Intellectum, Conſilium, Fortitudinem, Scientiam, Pietatem, Timorem Domini. In aureis ſphæris vel globulis, alias gratias & chariſmata, quæ diſpertitur in aureis floſculis & ramis, præcipuè liliis, puritatem, omniſque generis virtutes, per quas corda noſtra, veluti divinus thronus, aut thalamus exornantur: denique in granatis, cordis pacem, in corde enim pacifico & mundo eſt locus & requies ejus.

§. 5. *Homo eſt templum Dei vivi, candelabrum eſt Spiritus S. Varia Symbola donorum Spiritus S.*

Jam ad vos me confero Auditores. Utinam! utinam corda veſtra hodiernâ die candelabrum hoc, veluti viva templa DEI ornet & illuminet! 2. Cor. 6. v. 16. *Vos eſtis templum DEI.* Animæ veſtræ ſunt vivæ Eccleſiæ, quas Salvator noſter emundavit ſanguine ſuo: altaria thymiamatis ſunt, in quibus immolantur victimæ, & hoſtiæ Sanctiſſimorum deſideriorum, cum ſuaviſſimo odore ferventis orationis. Sed ad ornatum exigo hoc candelabrum, ſive Spiritum ſanctum, exigo ardentiſſimam charitatem, & vel maxime, ſeptem illas lucidas lucernas, & ſeptem dona Spiritus ſancti ſunt hæc veluti ſeptem pretiociſſimæ gemmæ vel uniones, quibus Spiritus ſanctus animas jam gratia ſanctificante ornatas magis ornat, & perficit. Sedet in corde ſancto Gratia veluti Regina in veſtitu deaurato; ſeptem hæc dona ſunt ancillæ, & pediſſequæ, quæ Reginam ſuam comitantur, & ornant. Pulcherrimæ gemmæ in anima juſti, ſunt fides, ſpes, Charitas, Religio, Prudentia &c. tum micant, & radiant pulchriùs & clariùs, cùm his donis veluti margaritis ſunt diſtinctæ. Spiritum ſanctum in corde ſancto, in anima juſta imaginari debemus nobis veluti ebullientem fontem in pulcherrimo horto, per quem in ſeptem rivulos ſeſe explicat & diffundit. Horum rivulorum fit mentio in Sacrâ ſcripturâ. Nam

Numerorum 16. v. 14 dicit, *Terra quæ fluit rivis lactis &c.* Talis terra, hodierna die in adventu Spiritus S. fuit virgineum cor B. V. talis terra fuerunt Apoſtolorum pectora; O quam lactei rivi cœleſtium conſolationum cum ipſo fonte, cum Spiritu S. ſuper illos defluxerunt! O ſi tales etiam rivi in corda noſtra defluerent! facile creaturarum obliviſceremur, C. 29. v. 6. ait Job *Petra fundebat mihi rivos olei.* Quis explicet rivulos olei, quibus hodie Spiritus S. fidelium mentes ſolet irrigare? Iſaias ait c 32. v. 2. *Sicut rivi aquarum in ſiti.* In ardentiſſima ſiti deſideriorum cœleſtium, in ſiti divini amoris, experti ſunt hodie Apoſtoli, experiuntur & hodie ſitientes animæ, veluti cervi, quam dulces rivulos aquæ dulciſſimæ Spiritus S. Utinam & noſtri oculi hodierno feſto ſint, *ſicut columba ſuper rivulos aquarum!* Columba talis eſt anima ſancta, cum in luctu, & gemitu cordis contriti ſedet ſuper rivulos Pœnitentiæ, vel juxta roſeos rivulos ſtillantes ex petra Crucifixi; O ſuaves rivulos, qui tum fluere ſolent ex lachryman-

§. 6. *Cor plenum Spiritu S. eſt terra fluens lacte Spiritus S. eſt fons fluens ſeptem rivulis.*

chrymantibus præ dolore, præ amore, oculis ! Fons horum rivulorum est Spiritus S. Lactei, mellei, crystallini rivuli sunt cœlestes voluptates, quibus etiam in hac lachrymarum valle lætificantur corda fidelium. Fons est Spiritus S. his rivulis per animas nostras se diffundens.

§. 7. *Spiritus S. est sol cũ septem radiis : Arbor cum septem ramis.* Cogitare debemus Spiritum Sanctum in corde sancto esse veluti solem, qui septem pulcherrimis radiis, illud tanquam cœlum, in quo Deus habitat, illuminat & irradiat. Aut veluti ignem, qui septem ardentissimis prunis, vel scintillis illud accendit, & calefacit. S. Bonav l. de 7. donis cap. 2. *Ipsa dona lumina sunt: cujus ratio est, quia ille donatur in eis, qui est sol infiniti splendoris, & ardoris, scilicet Spiritus S* Cogitemus iterum, Spiritum Sanctum in corde sancto esse veluti amœnissimam arborem cum septem pulcherrimis ramis, onustis dulcissimis fructibus, quos S. Paulus enumerat ad Gal. 5. v. 22. *Fructus autẽ Spiritus est caritas, gaudiũ, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, castitas.*

§. 8. *Quid sint dona Spiritus S. Theologicè* Sed ut magis Theologicè loquar, scitote in scholis septem dona Spiritus S. esse septem habitudines, quas Spiritus Sanctus animæ justæ communicat, partim pro intellectu, partim pro voluntate, ut hæ potentiæ in actibus virtutum, præsertim heroicis, ductum spiritus S. sequantur : Duo in hac descriptione sunt notanda 1. dici, *anima justa*, anima enim ut 12. donorum Spiritus S. capax sit; sancta esse debet. Sapientiæ 1. v. 4. *In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* S. Bonav l. de 7. don. c. 5. *Istorum donorum, & actuum tam excellentium, & radiorum tam splendentium, non sunt capaces mundi amatores* (dat rationem) *quia in eis datur Spiritus S.* de quo Christus D. Ioannis 14. v. 17. *quem mundus non potest accipere*, id est homines mundani, vani, carnales, invidi &c.

§. 9. *Quinam sint actus heroici.* Deinde, notandæ sunt in superiori descriptione, voces illæ, in *actibus heroicis*, & hoc modo intelligendæ: quoties Sanctus aliquis, vel homo justus, in gratia, & amore Dei constitutus, virtutem aliquam in excellenti gradu cum magna perfectione exercuit, vel exercet; ascribendum id est peculiari dono Spiritus S. Seraphicus v. g. Franciscus quanta perfectione contempsit mundum? Sed opus ad hoc illi fuit cognitione clara intellectus, opus peculiari motione voluntatis. Hanc cognitionem, hanc motionem largitus illi Spiritus S. per donum intellectus, Sapientiæ &c. S. Augustinus, quam ardens fuit in amore Dei? Spiritus S. illam flammam in ejus corde, prout depingitur, excitavit. Sancti Martyres quales, & quanti fuerunt in perferendis atrocissimis tormentis? Spiritus S. tales effecit. Quales hodie viri, Sancti Apostoli? quam imperterriti? quam zelosi in prędicatione Evangelii? Spiritus S. animos addidit atque stimulos. S Bern. Serm. 1. *Manifestum fuit, indutos fuisse virtute ex alto, qui de tanta pusillanimitate Spiritus ad tantam devenere constantiam: quis dubitet advenisse Spiritum vehementem, qui mentes eorum invisibili illustraret potentia.*

§ 10. *Gratia Spiritus S perficit reliquas virtutes.* Et hic est unus ex præcipuis effectibus Spiritus S. ut virtutes in anima perficiantur, ut fides sit vivacior, ut spes robustior, ut charitas erga Deum, & proximum ardentior, ut patientia magis heroica, ut humilitas humilior, ut puritas purior, ut pietas tenerior, ut misericordia magis in dies misericors. Cordibus obstinatis incuti debet salutaris metus? incutit Spiritus S. per donum timoris. Corda dura debēt emolliri? emollit Spiritus S. per donum pietatis. Obscura debent illuminari? illuminat Spiritus S. per donum scientiæ. Errantia dirigi? dirigit per donum consilii & intellectus. Debilia confortari? confortat per donum fortitudinis. Frigida accendi? accendit per donum Sapientiæ.

§. 11. *Disponunt hominem ad sequendos instinctus Spiritus S.* S. Bonaventura de his habitibus sic discurrit: *Disponuntur anima ad sequendum instinctus Spiritus Sancti, qui sunt memoriæ admonitio, intellectus illuminatio, & voluntatis motio.* Iisdem ferè verbis utitur S. Bernardus ser. 1. *Monet, & movet, & docet. Monet memoriam, rationem docet, movet voluntatem. In his enim tribus tota consistit anima.* Memoriæ suggerit bona in cogitationibus sanctis. Amabo vos Auditores fuistisne sanctis hodie cogitationibus occupati? non dubito, in sacrificio missæ præsertim, in sacra exomologesi, in mensa Eucharistica: referte in acceptis has cogitationes Spiritui Pietatis, qui super vos hodie descendit. Si mihi fidem non habetis, en verba S. Bernardi. *Propterea quoties huiusmodi suggestionem boni operis senseris in corde tuo, da honorē Deo, & age reverentiā Spiritui Sancto, cuius vox sonat in auribus tuis.* Docet rationem; *multi siquidem monentur, ut bene faciant.* Quæso Auditores, putatisne vos hodie percepisse aliquas regulas, secundum quas judicatis vos posse Christianè vivere, & servire Deo? Date honorem Deo, & agite reverentiā Spiritui S. cogitate præceptorem vobis extitisse Spiritum veritatis, qui nos docet omnem veritatem. Sed, non solum moveri, & doceri, verum etiam moveri, & affici ad bonum necesse est: ab eo utique Spiritu, per quem in cordibus nostris diffunditur charitas, quæ est bona voluntas. Si hæc in vobis est, Auditores, eadem signum & argumentum est præsentis in vobis Spiritus S. Omnia hæc rursum confirmat S. Bonaventura citatus; *Per dona sua donat nobis lumen veræ cognitionis, & fervorem sancti amoris; quæ duo maxima dona, & bona sunt, quæ nobis hic dantur ad felicitatem æternam prægustandam*, nobis & utilia, & planè necessaria.

Ex pulchris similibus utrumque colligite, & præterea quid dona Spiritus S. in nobis operentur. Scitis haud dubiè ad quid Aquilæ v. g. prosint plumæ & alæ? His se erigit & elevat in aëra, his se in altū librat, & trajectis celsissimis nubibus ad ipsum usque solem pernici volatu contendit. Ejusmodi plumæ & alæ animabus Sanctis sunt dona Spiritus S. his se erigunt à mundanis, his evolant in altum ad solem Justitiæ. Scitis, quid navi in Oceano prosint venti? hi inflantes vela illam propellunt ad portum. Tales venti sunt dona Spiritus S. quia ipse est ventus §. 12. *Effectus horū donorum declarantur per similia.*

tus vehemens, de quo sanctus Bernardus serm. de 7. donis. *Ipse est, quo concutitur anima, discutitur conscientia, excutitur sopor lethalis, incutitur sollicitudo*, Scilicet agendi bene. Scitis ad quid prosit fascia pectoralis? constringit vestes. Ad quid frœnum? coërcet. Ad quid stimulus? urget. Omnia hæc præstant dona Spiritus S. Card. Iacobus de Vitriaco l. 2. vitæ B. Mariæ Ogn. c. 2. *Erat igitur ei timor castus, in corde tanquam fascia pectoralis, quæ cogitationes constringeret: tanquam frœnum in ore, quod linguam coërceret, in opere ceu stimulus, ne desidia torperet.* Utinam hodiernâ festivitate ego hac fascia cogitationes vestras vanas, futiles atque inutiles, ne dicam malevolas, turpes, amaras, invidas, &c. constringere possem. Utinam linguis vestris, præsertim calumniantibus, detrahentibus, imprecantibus, blasphemis, mendacibus &c. frœnum injicere; utinam hoc stimulo vos ad omne bonum & virtutem incitare liceret.

§. 13. Dona Spiritus S. habent operationes ignis. Præcipuè in B. Virgine.

Scitis ad quid prosit ignis? urit, calefacit, purificat confortat; Urũt, calefaciunt, purificant, confortant dona Sp. S. quę omnia particulari alias ostendo. Modo ex animo precor, ut hodierna die hic cœlestis ignis super vos descendat. O nobiles flammas! O salutares ignes! O lucidos radios! In ordine Prædicatorum vixit S. Virgo, cui nomen erat Sibyllina. Hanc die quodam Pentecostes audivisse ferunt vocem de cœlo: *Sibyllina! utinam arderes igne, qui hoc die descendit de cœlis super Apostolos.* Altero, die eidem Virgini cœlestis genius sub oratione flammas conjecit in vultum, & scintillas, per quas se Spiritu Sancto, & amore DEI repletam animadvertit. Auditores! utinam tales ego flammas hodie in corda vestra conjicere possem! collimarem profecto quam possem accuratissimè, ne aberrarem à scopo, ne cuiusquam vestrum pectus sacro hoc igne non correptum maneret. Votis meis & desideriis id saltem, facere ut possim, quis prohibebit? Ideo precor ex corde, ut ille ignis, qui hodie super Apostolos descendit, super vos quoq; descendat. *Opto animitus*, ut illa flamma, quæ corda illorum accendit, vestra quoque inflammet. *Opto* ut Spiritus ille bonus, septem donis veluti gemmis vos ornet; *Opto* ut instar fontis in cordibus vestris scaturiat, rivis lactis, rivis olei, rivis aquæ dulcissimæ in siti; *Opto* ut instar Solis vos radiis suis illustret; *Opto* ut ad omne bonum vos dirigat, lætoq; tramite deducat. Sed ecce dum cœlestes flammæ cor meum, & linguam meam, & verba mea urere, atq; accendere incipiunt, adverto tempus effluxisse. Bene habet; concludam itaque, ubi ardenter de ardentissimis Sancti Spiritus flammis loquentem audiero S. Ildephonsum. Atq; ille quidem in exemplum vocat Virginem Beatissimam Mariam, in hęc fere verba serm. 1. de Ass. *Beatam Mariam, velut ignis ferrum, Spiritus S. totam decoxit, incanduit & ignivit; ita ut in ea Spiritus Sancti flamma videatur, nec sentiatur, nisi tantum ignis amoris Dei.* Et Amedius Lausanensis hom. 7. *Sic illa e regione divini ignis calore vehementer accensa, & Verbi flammigerantis sparsa incendiis,* odorem

odorem resultantis gratia, iis, qui longè & qui propè commanebant, exhalabat.

§. 14. *Invocatio B. V. ut nobis obtineat hac dona.* Gratulor has tibi flammas ardentissima Virgo: neque verò miror te divinis hisce facibus adeo fuisse inflammatam, cum Gabriele teste, ipse qui ardor est, & ignis, Spiritus Sanctus in te supervenerit; in Annuntiatione obumbratione virginea, hodierna die in ignea pluvia, & ardoribus sempiternis; imò non miror te arsisse, cum ipsum in sinu tuleris Virgineo Solem ardentissimum, Iesum Christum.

Me verò quod attinet, fateor, procul absum ab istis divinissimis flammis; agnosco frigiditatem cordis mei, Eja tu, Spiritu Sancto plenissima Virgo, eja Mater Solis, ignium parens cœlestium, aliquid de tuis mihi ardoribus impertire. Exhala in meum quoque pectus, ut loquar cum B. Ildephonso, illum gratiæ resultantis ardorem; tu Spiritu Sancto plena, illum mihi communica, illius me bea deliciis; tu Verbi flammigerantis sparsa incendiis, scintillas tantum aliquas obsecro, non incendium. Age Virgo ignis calore vehementer accensa, & me meosque Auditores, cœlestis flammæ per quam cupidos, nunc ita accende, ut sacros hos ignes, nulla unquam extinguat æternitas! Amen.



CONCIO XXIX.

DOMINICA SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.
Matth. 28. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MYsterium Sanctissimæ Trinitatis licet sit incomprehensibile; humilis tamen fides, per similia & Symbola multa de illo intelligit.

§. 1. *Mysterium Sanctissimæ Trinitatis est altissimum.*

§. 2. *Sola fides sine periculo illud considerat.*

§. 3. *Est incomprehensibile Angelis & hominibus, fides tamen cum profunda veneratione illud speculatur. Quod hac concione ostendam.*

§. 4. *Pulchra similia per quæ intellectus devenit in illius agnitionem.*

§. 5. *Aliqui*

§. 1. *Mysterium Sanctissimæ Trinitatis est altissimum.*

AUgustissimum Sanctissimæ Triados mysterium velle comprehendere, non est aliud, quàm, quod S. Augustinus à cœlesti genio doctus intellexit, immensum Oceanum, parvâ quapiam scrobe velle concludere. Hic enim locum habet illud quod mulier Samaritana dixit Salvatori, Joannis 4. v. 11. Nam dum hic, mulieri ad fontem Jacob in Sichar aquam offerret vivam, ipse ait, *Domine neq; in quo haurias habes, & puteus altus est, unde ergo habes aquam vivam?* Aqua viva Verbi divini ego modo vos potare debeo, Auditores; & quidem ex puteo mysterii Sanctissimæ Trinitatis. Fateor, puteus altus est. Jubet nos credere Ecclesia, esse unum DEUM, & trinum tamen in personis; nimirum altus est puteus hoc mysterium, quem nullus queat intellectus, ne Angelicus quidem, ne dicam humanus, exhaurire. Duæ duntaxat Virgines illud præstare possunt, Fides & Humilitas.

§. 2. *Sola fides sine periculo illud considerat.*

Credere debemus Patrem esse à nullo, Filium à solo Patre, Spiritum sanctum ab utroq; & tamen inter hos tres summam in omnibus perfectionibus intercedere æqualitatem: qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus S. &c. Omnes hæ propositiones & similes, altus sunt puteus, sunt mare, quod nemo exhaurire potest. Sed solantur me verba S. Bernardi ser. 76. in Cantica. *Quid non invenit fides? attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, ipsam æternitatem suo illo altissimo sinu quodammodò circumducit. Fidenter dixerim, æternam beatamque Trinitatem, quam non intelligo, Credo, & fide teneo, quod non capio mente.*

§. 3. *Est incomprehensibile angelis & hominibus Fide tamen.*

Pulchrè S. Augustinus in solil. c. 31. *Soli tibi, O Trinitas integrè nota es. Trinitas Sancta, Trinitas supermirabilis & superenarrabilis, superinaccessibilis, superincomprehensibilis &c. exuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, quem neque dicere, neque cogitare,*

cum profunda veneratione illud speculatur. Quod hac Concione ostendam.

gitare, neque intelligere, neque cognoscere possibile est etiam oculis Angelorum. Nitidissimos oculos, sive subtilissimum intellectum habent Seraphini, Cherubini, &c. tamen hunc puteum, hoc profundum summum Sanctissimæ Trinitatis mysteriũ exhaurire non possunt. Nos solâ fide in hac mortali vitâ attingere possumus. Fides cum Seraphinis tegit faciem alis humilitatis, & licet non videat, qui tamen credit, exclamat, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Isa. 6 v. 3. Purissima oculorum acies inest Thronis, sed ad hunc Sanctissimæ Triados solem conversa hebescit, præditi sunt intellectu longè perspicacissimo Principatus; hujus tamen claritatem luminis, hujus splendorem mysterii, nequaquàm possunt penetrare, & multò certè minus facere id poterit reliquus Beatarum mentium exercitus: ne jam de humano intellectu, qui multis partibus angelico & imperfectior est, & obscurior, faciam mentionem. Quid igitur? Si oculis uti non licet, nec expedit, fide saltem divinissimum hoc mysterium assequamur. Repeto, Fides cum Seraphinis faciem tegit, ne nimio radiorum perstricta fulgore cœcutiat. Fides in altum se librat, sed quibus alis? *humilitate*, quâ intentione? ut DEum glorificet, ut piè credat, non ut oculos pascat curiosè. Hinc iterum illæ voces, *Sanctus*! illæ panegyres, *Gloria Patri* &c. Illæ benedictiones, *Benedicta sit Sancta & individua Trinitas.* Ad cujus honorem, dum in dictione meâ discursum hunc prosequor, rogo, ut me benevolè audiatis.

Similia & Symbola tum ex sacris literis, tum ex Sanctis Patribus quasi fila sunt, quibus fides Catholica per labyrinthum intricatissimi hujus mysterii tuta nobiscum incedit. Vel, si mavultis, naviculæ sunt, in quibus fides per vastissimum hoc pelagus sine periculo circumvagatur. Volo dicere per varias etsi imperfectissimæ sint similitudines, aliquo modo intellectus noster essentiam hujus mysterii concipere potest.

§. 4. Similia per quæ intellectus devenit in illius cognitionem.

1. p. q. 32. quærit Angelicus Doctor, Utrum Trinitas (de uno DEO est minor difficultas) divinarum Personarum possit per naturalem rationem agnosci? & respondet. *Impossibile est per rationem naturalem, ad cognitionem Trinitatis pervenire*, addit tamen: à præcipuis Philosophis, fide Christianâ non illustratis, multa esse dicta de personarum Trinitate. S. Augustinus l. 7. confess. cap. 9. ait in libris Platonis se legisse sacratissima illa verba S. Joannis, *In principio erat Verbum* &c. quibus, cœlestis illa Aquila, deinde mysterium Sanctissimæ Trinitatis nobis proposuit. Mercurius Trismegistus in Pimandro hæc habet: *Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem.* Aristoteles l. de cœlo. *Tria sunt omnia, & ipsum ter in omnem partem se diffundit*, in quas cognitiones, sine dubio per similitudines aliquas à rebus creatis desumptas pervenerunt.

§. 5. Aliqui gentiles Philosophi fecerunt mentionem trium Personarum.

Sic cùm formosus aliquis juvenis in nitido speculo formam suam contemplatur, fit ut in sui imaginem, quæ in speculo relucet, quasi in alterum se, amore totus inardescat, dicatque cum Ovidio l. 3. metam. *Uror amore mei.* Sic Narcissus, formosissimus juvenis, (utor

§. 6. Simile de Speculo.

(utor verbis Hugonis Card.) cum suam imaginem in aquis consideravit, amore illius interiit, dum in aquas se præcipitavit, ut imagini tam pulchræ esset vicinior. *Hinc ergo fratres*, (inquit Andreas Cretensis) *aliquid percipere de sublimi mysterio potestis.* Nam Pater æternus se ipsum, in purissimo substantiæ suæ speculo intuitus, perfectissimam impressit imaginem, id est, Filium, qui Sapient 7. v. 26. vocatur, *Speculum sine macula, & imago.* Et S. Paulus vocat, Hebr. 1. v. 3. *figuram substantiæ ejus*; cujus agnoscens summam, & æqualem sibi pulchritudinem, summè quoq; eam dilexit: quæ dilectio Spiritus sanctus est, ab utroq; procedens.

§ 7. *Prosecutio.* Inter ingeniosas picturas sæpius & hanc vidi. Amoenæ arbori juxta limpidum rivulum aut fontem appensum est speculum, in quod sol aureos immergit radios, & apparet Sol unus & trinus. Sol enim in speculo imaginem suam exprimit; & per species refractas eandem producit in aquâ, atque ita tres soles, unus in cœlo, in speculo alter, tertius denique in aquâ repræsentatur: & tamen non nisi unus est Sol. Primus lucem habet à se ipso, secundus à primò, tertius à primo, & secundo comunicatum spargit splendorem. Epigraphe una hujus picturæ, vel Symboli est illud hemistichion Virgilii ex l. 12. Æn. *Mirabile visu.* Altera verò ex 1. Joannis cap. 5. v. 7. sic habet: *Hi tres unum sunt.* Simile ferè huic est, quod legitur de Sancta Virgine Ida, quæ in ferventi oratione visa est illustrari triplici sole, qui tamen in unam lucem coijt, prout in Parelio ex radiis solis in nube reflexis, apparent tres soles, & tamen non nisi sol unus existit.

§ 8. *Applicatio ad mysterium Sanctissimæ Trinitatis.* Repetamus hîc verba Andreæ Cretensis, *Hinc ergo aliquid percipere potestis de sublimi mysterio.* Sol est Pater, Sol Filius, Sol Spiritus S. Pater primus Sol lucem suam habet à se, Filius alter Sol lucem habet à Patre; Spiritus sanctus tertius Sol à Patre & Filio; sunt tamen unus Sol, unus DEUS. Primus Sol Pater, generat alterum Solem, Filium; tertius Sol, Spiritus sanctus procedit, vel spiratur à Patre & Filio. *Mirabile visu*; & tamen, *hi tres unum sunt.* Unus Sol, & triplex Sol. S. Aug. paulò aliter hoc simili utitur; *Videmus Solem cœlo currentem, fulgentem, & calentem. Divide ergo si potes, Ariane Solem, & hinc demum divide Trinitatem.*

§. 9. *Aliud simile de Sole.* Eâdem ferè metaphora Solis usus est D. Cyrillus Alexandrinus, qui in Sole Patrẽ generantem; in radio Filium genitum, in calore Spiritum S. ab utroq; procedentem agnoscit. Nam ut Sol ab alio Sole non gignitur; ita pater est ingenitus, & à nulla alia persona. Et sicut radius à Sole est, illi tamen coævus, non prior aut posterior, ita & Filius. Quin etiam sicut Sol à cœlo nunquam discedens, suam diffundit lucem, quâ terram illuminat ac fœcundat, sic Pater è cœlo misit Filium, qui fuit lux *mundi.* Ab utroque autem Spiritus S. procedit, qui increatus calor est; hoc modo Sol unus & trinus in nubibus Sanctissimæ Triados pulcherrimum est simulacrum: Sed hoc est mirabile! quis intellectus assequitur?

§ 10. *Fatentur SS. Patres se mysterium hoc comprehendere non posse.*

Respondeo cum S. Augustino ser. 1. in festo SS. Trinitatis. *Nescio, & liberè me nescire profiteor. In hoc Christianus sum, qui unum DEUM in Trinitate confiteor.* Respondeo cum S. Ambr. l. 1. de fide c. 3. *Mihi impossibile est, generationis divinæ scire secretum; mens deficit, vox silet, non mea tantùm, sed angelorum. Tu quoque manum ori admove; scrutari non licet superna mysteria.* Respondeo cum S. Bernardo l. 5. de consid. ad Eug. *Sacramentum hoc Trinitatis magnum est, & quidem venerandum, sed non scrutandum: scrutari hoc, temeritas est: credere, pietas est, nosse, vita est, & vita æterna.* Itaque in consideratione hujus mysterii mihi contingit quod illi, qui in littore maris consistit, nam quocunque demum is mentis aciem intendat, nil nisi mare videt, nil apparet nisi pontus & aër; oceanum tamen visu suo non complectitur: ita ego multa cogito de DEO, multa sublimia de Patre, de Filio, de Spiritu sancto; omnia divina, immensa & infinita! Ideo tamen DEus vel sancta Trinitas comprehendi non potest, per similitudines aliquos discursus formare possumus; nihilominùs semper aliquis dicere poterit; *Mirabile visu!* altus est puteus cujus exhaurire profunda nemo unquam potuit Theologus, nullus vel subtilis Scotus, vel Angelicus Thomas, vel clarus Suaretz, vel acutus Vasquesius penetrare.

§. 11. *Visio Ezechielis c. 1.*

Miranda visio objecta fuit Ezechieli cap. 1. v. 6. 7. Vidit enim turbinem ab Aquilonari vento excitatum, quem consecuta fuit atra nubes, in cujus medio vidit currum habentem quatuor igneas rotas ingentis altitudinis, vitalique Spiritu præditas, plenas oculis. Has rotas rexerunt quatuor animalia, sive potius quatuor alati juvenes, flammei & scintillantes, quorum quisque ante se habebat faciem hominis, à parte dexterâ capitis, faciem leonis, à parte sinistrâ faciem bovis, desuper faciem aquilæ. Quivis præterea fuit alis instructus, quarum binis texerunt femora, duabus verò aliis in altum se librarunt, tantò stridore, ut audire se sonitum pugnantis exercitus, vel maris oppugnantis scopulum vel tonitru concutientis montes, putarit Ezechiel. Suprà currum in crystallino cœlo spectabat regale solium, in illo hominem igneum & lucidum, circumdatum iride. Innumera latent mysteria in hac visione: Ventus, turbo, atra nubes, significant clades & pœnas, quibus DEus in impios animadvertit; triumphalis currus divinam potentiam; in hoc curru demersit Pharaonem, Exod 14. v. 24. in hoc humiliat superbos, deponit potentes, sceleratos præcipitat.

§. 12. *Prosecutio.*

Quid verò per quatuor rotas, per quatuor animalia, per quatuor facies intelligunt Interpretes? hæc vel quatuor mundi Monarchias, vel quatuor ejus partes, vel quatuor Elementa, vel quatuor anni tempora significant. Oculi rotarum, symbolum sunt divinæ providentiæ. *Aquila, leo, vitulus, humana facies*, sunt Symbola divinæ gloriæ. Vel, *Vitulus* notat sacrificia & adorationem, quam DEO debemus. *Leo*, ejus fortitudinem, Agilitatem *Aquila*: *Humana facies* boni-

bonitatem & misericordiam. Sed in his non lubet modo immorari.

§ 13. *Homo circumdatus iride.* Oculos conjicite in ipsum, qui hac quadriga invehitur, hominem, & in iridem, qua circumdatur, pulcherrimam. Sunt hæc duo non congrua Dei unius & trini simulacra. Id quod advertit in iride S. Basilius epist. 43. ad Greg. Nyssenum. *Hæc ut una est, & tamen tricolor, viridis, cærulea, purpurea, sic Deus unus est in essentia, & trinus in personis.*

§. 14. *Æmula iridis est Oxalus gemma.* Imitatur iridem Oxalus gemma; una est, & tamen teste Plinio, ex uno latere est ignea, ex altero rubra, in tertio viridis: hoc modo Deus unus est, & tamen tribus constat Personis Igneum vidit Moyses, cùm ait *Deuter. 4. v. 24. Deus tuus ignis consumens est.* Rubrum vidit Isaias cum quæsivit c. 63. v. 2. *Quare rubrum est indumentum tuum?* Viridem instar Smaragdi vidit S. Johannes *Apoc.* 19. v. 12. 13. In igneo colore agnosco Patrem, in rubro filium, in viridi Spiritum Sanctum: nihilominus in substantia unum sunt.

§. 15. *Plura de coloribus iridis.* O admiranda iris! admirandis jam à mundi exordio coloribus resplendens! *igneum certè viderunt Deum,* quondam in civium atque ædium incendio Sodoma & Gomorrha, Gen. 19. v. 24. Viderunt & perierunt! *Igneum viderunt* quos fulmina de cœlo tactos infausta abripuit æternitas. *Viderunt igneum*, qui terribilem flammis Eliam conspicientes, divini Numinis iram spreverunt. *Rubeum* autem seu purpureum potius, aut sanguineo tinctum colore *viderunt* Dei filium, Judæi, qui eum crucifixerunt, vidit in prætorio suo Pilatus; *viderunt* qui cruento illi spectaculo interfuerunt, cum nudus columnæ alligaretur. *Vidit* & obstupuit mons Oliveti, sudore tinctus purpureo, seu rore cœlesti. *Vidit* mons Calvariæ! Sed plura de hoc divinissimo colore loqui cupientem, tempus avocat. De viridi verò quid dicam? profectò commodè is Paracletum, Consolatorem cordium, Spiritum Sanctum, qui amor est, voluptas, dulcedo. Oblectantur hujus aspectu coloris non oculi solum, sed & corda & animæ. Ita trinus est sua in iride Deus: ita tamen trinus, ut & unus, ita unus, ut & trinus.

De homine, in cuius anima pucherrima Sanctissimæ Trinitatis invenitur imago, ait S August. l. 11. de Trinit. *Hæc tria, Memoria, Intelligentia, Voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita: nec tres mentes, sed una mens; consequenter utique nec tres substantiæ sunt, sed una substantia, quo circa hæc tria sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia.* S. Bernardus c. 1. medic. *Mens imago Dei est, in qua sunt tria, id est, memoria, intellectus, voluntas. Per memoriam Patri similes sumus; per intelligentiam; Filio, per voluntatem Spiritui Sancto.* Aptè profectò divinam nobis naturam, quoad fieri potuit, hunc in modum repræsentastis, O Patres piissimi! una in essentia consistit anima, sed non una in potentiis, unus in natura Deus, non unus in Personis. Adeo vivam Sanctissimę Triados imaginem in nobismetipsis depictam gerimus Auditores, ut non videam, qua venia digni sunt, qui Deum sibi in re intimè præsenti

§. 16. *Homo est imago Sanct. ssimæ Trinitatis.*

ſenti adumbratum, vel cognoſcere, vel amare non ſtudent.

§. 17. *Explicat hoc ſimile Sanctus Auguſt.* Urget hanc ſimilitudinem S. Auguſtinus l. 6. de Trinit. c. 6. *Sicut Pater generat verbum, & ipſum cum Patre Spiritum S. producit: Sic intellectus producit Verbum mentis; ejusque auxilio voluntas elicit amorem rei ſibi repreſentatæ.* Idem l. 11. de civit. cap. 28. *Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus non tres Dii, ſed unus Deus habens tres Perſonas; ita & anima eſt intellectus, & anima voluntas, & anima Memoria, non tamen tres animæ.* Atque in illis tribus, Dei imaginem gerit mirabiliter in ſua natura, noſter interior homo.

§ 18. *In quo conſiſtat præcipua devotio erga SS. Trinitatē.* Ex hoc loco advertite, in quo propriè noſtra, quam Sanctiſſimæ debemus Trinitati, devotio conſiſtat, nimirum in hoc, ut naturalem illam imaginem quam Sanctiſſima Trinitas animæ noſtræ impreſſit, Pater cùm creavit, Filius dum redemit, Spiritus Sanctus dum gratiam & charitatem infudit; hanc inquam imaginem ſtudeamus ornare, perficere, & Sanctiſſimæ Trinitati, quantum fieri poteſt, reddere quam ſimillimam. Memoria debet eſſe fœcunda, & plena bonis ſanctiſſimisque cogitationibus. Intellectus ſit illuminatus luce primarum veritatum, Sapientiæ, Scientiæ, Conſilii. Voluntas conſtanti feratur amore in ſummum bonum. Si Sanctiſſimam Trinitatem colere mens eſt, hæc facite quam diligentiſſime. Frequenter ſuggerat Memoria myſterii hujus magnitudinem, ſuggerat beneficia, quæ omnes tres Perſonæ in nos conferre ſunt dignatæ; ſuggerat divinorum præſtantiam attributorum. Præterea, ratiocinando vires ſuas, quoad poterit, exerat Intellectus; perpendat beneficii magnitudinem, conſideret eas, quas tanti myſterii circumſtantias nuncupamus; admiretur opus amoris divini, & quia tantam amoris potentiam nullo modo ſatis comprehendere poteſt, captivum ſeſe ſiſtat Deo in obſequium fidei.

Denique Voluntas, quæ tertia animæ noſtræ eſt potentia, huc feratur tota, imò huc ſuis rapiatur affectibus, ſtudiis, deſideriis. Sola in amore ſit Sanctiſſima Trinitas; jam in Deum Patrem ejaculetur ardentis animi ſuſpiria; jam amantibus verbis Dei Filium compellet, jam in Spiritum Sanctum amoris ſui flammulas tranſmittat; jam ſimul tres omnes, jam iterum ad unam ſe flagranti affectu perſonam convertat. Hic noſter finis eſt, Auditores; ad hoc conditi ſumus à rerum omnium parente Deo; huic exercitio ſingulas horas, imò ſi fieri poteſt, momenta, vacandum eſſe, noſtra nos animæ imago monet & adhortatur. §. 19. *Ut præterea Voluntas toto affectu feratur in Deum.*

Dum antea narravi viſionem Ezechieli objectam, non addidi, quod inter illas rotas, in curru viderit foculum, vel arulam; in illa ignem & prunarium, fumans ſuaviſſimo thymiamate; Hæc ara, hic focus, hic ignis, hoc prunarium, noſtra debet eſſe voluntas, ante thronum Sanctiſſimæ Trinitatis. Deſideria illam amandi, laudandi, glorificandi, gratias agendi &c. Illa ſunt verba ex intimo corde emanantia in linguam, quibus SS. Trinitatem vocamus laudabilem, ineffabilem, incompre- §. 20. *De arula in curru Ezech.*

comprehensibilem &c. S. Augustinus quibusdam locis, abreptus æstu amoris, triginta & plura talia conglomerat elogia; hæc inquam, sunt prunæ, carbones, scintillæ & flammæ, qui ignem accendunt, quem in ara & foculo cordis nostri coram Sanctissima Trinitate jugiter ardere oportet. Orationes verò quibus SS. Trinitatem vel adoramus, vel laudamus, vel benedicimus, vel gratias agimus, vel invocamus &c. sunt suavissimum illud thymiama, quod ex cordibus nostris in cœlos usque penetrat, & ab Angelis Sanctissimæ Triadi repræsentatur.

§.21. *De igneo pectore hominis, quem vidit Ezechiel.* Sed ubi invenimus illas prunas? ubi illum ignem, qui in cordibus nostris non nascitur, sed potius ignis concupiscentiæ? Rursum vos duco ad currum Ezechielis, qui præterea observavit, partem superiorem humani corporis, præcipuè pectus quod vidit, non fuisse ex carne compositum, sed ex electro ignito, ex quo plurimæ scintillæ, veluti favillæ erumpebant. Si vultis, per igneum hoc pectus intelligite pectus & Cor JESU ardens amore: Si vultis, per hunc ignem intelligit Spiritum S. Ipse ignis, ipse amor est. Ante Octiduum in forma ignis super Apostolos descendit. Ab his ignibus incalescunt Sanctissimorum hominum desideria; his accensa fuit quondam flagrantissima S. Ignatii optimi Parentis mei anima, quando ignitas in cœlum preces ex nocturna stellarum contemplatione vibrabat; His arsit feliciter igneum S. Theresiæ pectus, cum Seraphica ipsum sagitta læsisset amor. O utinam etiam in nostras animas se se pars aliqua divini ignis insinuaret! insinuabit profectò; si flammeum cor crucifixi Jesu subeamus, si piis cogitationibus in eodem versemur, si in hunc veluti fornacem frigidæ vitæ nostræ actiones immittamus. Amabo, his nosmetipsos flammulis recreemus, ludamus his ignibus, neq; enim dolor est, his uri, neq; enim amor tormentum est, sed ornamentum, lætitia, non tristitia. Ab his Jesu flammis, transferamus nos ad ignes Spiritus Sancti, ab illis ad ęternum Patris amorem; sic nullo unquã tempore cœlestis ille ardor nos deficiet; sic semper amoris divini focum alemus, affectuum ligna suppeditabimus.

Atque hoc est quod tam enixè hodie ab Auditoribus meis efflagito, ut SS. Trinitatem piis oratiunculis, precibus ut vocant jaculatoriis, suspiriis ardentibus laudemus, invocemus, extollamus. Talem nos docuerunt oratiunculam Seraphini, quos audivit Isaias clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* Is. 6. v. 3. nos docet Ecclesia; orando, *Gloria Patri & Filio & Spiritui S.* An. 589. in tertio Toletano Concilio Hispaniarum Rex cum toto regno fuit conversus ad fidem Catholicam Itaque præ gaudio à Patribus fuit conclamatum, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui S.* subjunxerunt Proceres regni; *Quicunq; non dixerit, Gloria Patri &c. anathema sit.* Nemo fuit, qui non corde & ore clamaret, *Gloria Patri.* § 22. *Sanctissima Trinitas laudanda est jugiter oratiunculis jaculatoriis.*

Idem mihi hodie liceat imitari Auditores, certè jam toto cordis affectu, ad testandam mea, quę SS. Triadi debeo obse- §.23. *Laus Sanctissima Trinitas.*

obsequia, corde atque ore exclamo, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui S.* iterum iterumque ingemino, *Benedicta sit Sancta & individua Trinitas!* Extollo vocem, quantū possum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus Sabaoth.* Idem mecum spero clamabitis, in eandem conspirabitis pietatem, in eosdem erumpetis affectus. Anathema sit, quisquis hoc Sanctissimæ Trinitati obsequium recusat! non sit humano dignus consortio, qui erga Deum suum, in re tam exigua adhuc esse velit inhumanus, & negligens.

§. 24. *Mirabile quid de corde S. Augustini*

Sed quid ego has minas super meos Auditores? Quorum corda puto esse similia cordi Sancti Augustini, de quo hæc narrat Ludovicus de Angelis l. 6. de laudibus & vita S. August. c. 5. Cum Clerici in choro pro gratiarum actione *Te Deum laudamus* inciperent, mira res! & super naturam mirabilis! cum enim versiculum *Sanctus, Sanctus, Sanctus* canerent, Cor in crystallo se movere cœpit, & quasi os ad Dei laudem aperuit, tanquam diceret, O Sancta Trinitas te dictando, prædicando, scribendo, canendo laudarem, si in corpore meo viverem. Quo viso totus Clerus, & populus Dei laudem ingeminarunt. Deinde singulis quoque annis, in festo Sanctissimæ Trinitatis, cum Missa canitur & cor super altare ponitur, mox omnibus intuentibus, cor movere incipit; non secus ac piscis in aqua se versans.

O si hæc cordibus nostris quoque inesset lætitia, Auditores! O si tempore Sacri Missæ officii, sub elevatione potissimum, veloci motu corda nostra exilirent, præ gaudio tanti, quo fruimur mortales, mysterii! quàm placeret Majestati divinæ hic motus, & si trinis semper vicibus hoc contingeret, quam gratus esset, quamque jucundus Sanctissimæ Triadi! Sed cum hoc majus sit, quàm ut re ipsa nos consecuturos singuli speremus, in animum saltem revocabit debita nostra huic tanto mysterio obsequia, imo stimulos nobis addet, ut imposterum corda nostra piis exercitiis, affectibus, suspiriis, amoribus, quibus erga Sanctissimam Trinitatem, feramur, solidè & cum fructu creari posse credamus. §. 25. *Votum, ut nostra sint talia.*

CON-



CONCIO XXX.

DOMINICA I. POST SS. TRINITATEM.

Epulabatur quotidie splendide.

Lucæ 16. verſ. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Euchariſtia eſt panis & Cibus dulciſſimus.

§. 1. *Verba illa*; epulabatur ſplendidè, *dici poſſunt de Communicantibus, qui veſcuntur pane dulciſſimo.*
§. 2. *Vita humana eſt plena miſeriis.*
§. 3. *Chriſtus Dominus pro ſolatio inſtituit Euchariſtiam.*
§. 4. *Euchariſtia eſt voluptas cordis & ſenſuum.*
§. 5. *Confirmatur ex Vrbano IV.*
§. 6. *Ex aliis SS. Patribus.*
§. 7. *Plura ex iiſdem.*
§. 8. *Simile S. Bernardi.*
§. 9. *Vlterior eius applicatio.*
§. 10. *Digreſſio ad Sodales Agoniæ.*
§. 11. *Cor ex adamante, donum Eliſabethæ Reginæ Angliæ.*
§. 12. *Applicatur amori & cordi Ieſu.*
§. 13. *Cor gemmeum oblatum Orangio.*
§. 14. *De corde piſcis Tobiæ.*
§. 15. *Cor Ieſu imponendum prunis charitatis.*
§. 16. *Dulcedo Euchariſtica ex aliis SS. Patribus.*
§. 17. *Liquefacta margarita à Cleopatra. Dulcior eſt potus ſanguinis Ieſu.*
§. 18. *Pulcher locus ex Concilio Trident. & ſuavis Apoſtrophe ad Ieſum in Euchariſtia.*

§. 1. *Verba illa, epulabatur ſplendidè, dici poſſunt de Communicantibus qui veſcuntur Pane dulciſſimo.*

LItterali ſenſu hæc verba loquuntur de conviviis, & compotationibus divitis epulonis: illius, inquam, erga pauperes tyranni, qui deinde mortuus, ac ſepultus eſt in inferno; futurus in omne ævum inferni titio. Continet proinde hodiernum Evangelium materiam contra divites accommodatam. Verum quia hac Dominica, quæ eſt infra Octavam corporis Chriſti, pleriſque locis, prout die Jovis præterito in

Æde summa, venerabile Sacramentum publicis Parochiarum solennitatibus, & magna devotione colitur & adoratur; in præsenti concione, citato themate alio sensu utar, dicamque de illo, qui frequenter & devote manducat Carnem, & bibit sanguinem Filii Dei; *Epulatur splendidè!* Est unus Sacerdos, qui postquam admirandis verbis, consecravit Corpus & sanguinem Iesu, deinde qua par est, reverentia & puritate, cœlesti illo cibo & potu vescitur, de tali sacerdote puto dici posse, *Epulatur splendidè.* Qui Sacerdotes non sunt, nihilominus per devotam Communionem, ejusdem cibi & potus possunt fieri, & fiunt participes; & hi *epulantur splendidè.* Celebrantes & Communicantes vescuntur pane Angelorum, manna cœli, frumento electorum, carne & corpore Agni immaculati, quid? an non *splendidè* tales *epulantur*? Bibunt de calice benedictionis, de fonte aquarum viventium & salientium in vitam æternam; de vino germinante virgines. Verbo, bibunt sanguinem Iesu, quid? an non bibunt splendidè? Splendidissimi hujus cibi, & panis Angelici varias proprietates alias explico. Tribus sequentibus Concionibus conabor suavi discursu demonstrare. Eucharistiam esse panem dulcissimum, melleum, lacteum; qui animas per cibum & panem amoris Christo unitas recreat, delectat, deliciis replet cœlestibus. De quibus dum verba facio, adeste tantisper animis, & vestram erga divinam hanc dulcedinem, famem atque orexin re ipsa exhibere.

§. 2. Vita humana est plena miseriis.

Constat vitam humanam variis esse, & molestiis & laboribus refertam, unde prudenter, Seneca de consol. ad Mar. c. 10. *tota vita*, inquit, *flebilis est, urgebunt nova incommoda, priusquam veteribus satisfeceris.* S. Basil. or. de morte *Si eas ob res, quæ nobis acerbè accidunt, lamentari atq; continuo lachrymari velimus, profectò ad eam rem omne tempus vitæ nostræ nequaquam sufficeret.* Idem de consl. ad Pol. c. 23. *Natura primum nascentium omen fletum esse voluit, ideò considerate qua'e vitam nobis promiserit, hoc principio edimur, huic omnis sequentium ordo consentit.* Et Tertull. l. de ani. c. 19. *Mentior si non statim infans, ut vitam vagitu salutavit, hoc ipsum testatur se sensisse, quod natus est.* Miseriæ hæ humanę tum corpus, tum animã concernunt, subjectum est illud morbis, doloribus, tormentis: hęc tristitiis, angoribus, fastidiis. His modò non immoror, sed tanquam nota, certaq; suppono. Hinc verò contingit, ut naturali inclinatione ducti, pro sensibus tum corporis, tum animę solatiola conquiramus, & avidè aucupemur.

§. 3. Christus D. pro solatio instituit Eucharistiam.

De consolatione ingenti providit suis Electis Christus D. cùm discessurus ex hoc mundo venerabilẽ Eucharistiam instituit, veluti cibum, qui nos in hac lachrymarum valle constitutos, cœlestibus recreat, demulcetq; deliciis. Id quod prævidit David Psal. 4. v. 7. *Dedisti lætitiã in corde meo*; moxq; subdit causam lętitię; *à fructu frumenti*. q. d. Propheta. Dum oculis mentis cerno, & credo, te aliquando fore cibum & potum tuorum, præ lætitia exultat cor meũ! Quanta illa fuisset, si David illius re ipsa particeps factus fuisset? erupisset haud dubiè in omnes affe-

ctus

ctus gaudii, & lætitiæ, quibus in variis Psalmis exiliit, & exultavit in Deo suo. Ceres apud antiquos Dea fuit frugum; acutè notavit Fulgentius nomen hoc in græco idem esse, quod gaudium. Et ideò ait, illam frumenti Deam esse voluerunt, quod ubi plenitudo, & abundantia fructuum sit, gaudium quoque sit & abundet, necesse est. Verissimum hoc est de venerabili Eucharistia; *frumentum est Electorum, triticum cœli, panis Angelorum*: ideo qui illo vescuntur, abundant gaudio. Dat illis Deus lætitiam in cordibus suis, *à fructu frumenti.*

§. 4. *Eucharistia est voluptas cordis & sensuum.* S. August. tr. 26. in Joannem. *Est quædam voluptas cordis illi, cui panis ille cœlestis dulcis est.* neq; voluptas cordis tantum, sed latissimè se extendit; ex corde derivatur in oculos; nam videre, & aspicere tantùm piis oculis, Sanctissimam Hostiam, veluti candidum, & dilucidũ velum, sub quo latet sponsus, est voluptas oculorum. Illa voluptas ex corde ascendit in aures: nam audire, & credere sub Hostia præsentem esse Deum, voluptas est aurium. Digreditur in tactum, nam tangere virgineum illud corpus, voluptas est tactus. Commigrat in nares, etenim olfacere cœlestes illos odores, & odorem unguentorum, & liliorum, inter quæ pascitur dilectus, voluptas est narium. Sed longe maxima, liquidissimaque voluptas est in gustu, in gutture, in lingua, quæ manducat carnem & bibit Sanguinem Christi: Sic Iesus in Eucharistia non animam tantũ recreat, & oblectat, sed & omnes sensus corporis.

§. 5. *Cōfirmatur ex Vrbano IV.* A quo non dissentire videtur Urbanus IV, in Clementina unica. *Hæc est commemoratio gloriosa, quæ fideliũ animos replet gaudio, & in ea congaudemus lachrymantes, & lachrymamur devotè gaudentes; lætas habentes lachrymas, & lætitiam lachrymantem; nam cor ingenti gaudio perfusum dulces per oculos stillat guttas.* Talia vidimus in S. Ignatio, talia in S. Dominico, talia in S. Xaverio, cum elevati è terra starent ad altaria, cùm jam Sanctissimum Sacramentum sumere vellent. Inter tales delicias ad dulcissimas epulas accessisse puto Beatissimam Virginem; arbitror ejus animum fuisse repletum gaudio; gavisa fuit lachrymans, lachrymata fuit gaudens &c.

Has delicias suavi calamo descripsit Auctor Anonymus. *O quantus amor! quam ignita desideria! qualis locutio! quam pudicus amplexus exhibetur, cùm pissimus Iesus, atq; dulcissimus Mariæ filius in os descendere dignatur. Tunc quippe templum Dei efficitur anima, arca fœderis, tabernaculum Sanctitatis, Sponsi thalamus, spirituale cœlũ, benedictionis ager, amœnus hortus, nuptiarum locus, atq; multarum virium consitus paradisus.* Quot fontes dulcissimæ lætitiæ!

§. 6. *Ex aliis SS. Patribus.* Facundę sunt linguæ Sanctorum Patrum in hac materia. Suaviter Petrus Cellensis Abbas: *Escam animarum, pabulũ Spirituum, dapes cœlestium deliciarum præfert hæc mensa: cibus iste vitã sine molestia parat.* Angelicè Angelicus Doctor de pane Angelorum op. 58. c. 20. *In hac vita nihil melius est, quã comedere & bibere, comedere panẽ scil. qui de cœlo descendit, & bibere vinum, quod lætificat cor hominis, scil. sanguinem Christi.* Bene Laurent. Justin ser. de Euch. *Bibas ut inebrieris, non vino, in quo est luxuria sed*

sed amore, sed exultatione, sed jubilo! Acutè Agellius in Psal. 21. *Ille panis vitæ est, quem nisi manducaverimus, non habebimus in nobis vitam, ut Salvator noster asserit.* Quod non solum de æterna vita rectè intelligi potest, verum etiam de hac mortali, quæ ut læta, suavis & jucunda nobis sit, necesse est, ut hoc pane frequenter reficiamur.

§. 7 Plura ex iisdem. Philo Carpathius hunc panem vocat: *Escam lætissimam* Stephanus Ep. *Lætitiam hominum.* S. Thom. op. 50. *Dulcedinem Spiritus Sancti.* S. Chrysost. hom 24. in ep. 1 ad Cor. *Quid futura commemoro?* (nimirum de cœlesti gloria) *nam dum in hac vita sumus, ut terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium.* Sive Christus D. in Eucharistia, prædixit David Psal 89. v. 17. *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos.* S. Hieronymus legit; *& sit decor.* Alii apud Lorinum, *sit super eos suavitas, jucunditas, dulcedo.* Chaldæus. *Et sit dulcedo Paradisi deliciarum à conspectu Domini Dei nostri super nos, dum vescimur dulcissimo & cœlesti hoc pane.* Agmen Sanctorum Patrum claudat S. Ignatius Martyr. ep. 15. *Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus hujus vitæ; panem Dei volo, panem cœlestem, qui est caro Christi Filii Dei, & potum volo, sanguinem illius, qui est charitas.* Addo ego, qui est suavitas, dulcedo, gaudiū.

§ 8. Simile S. Bernardi. Ex quibus omnibus occasionem credo nactus est S. Bern. hac, quam modo afferam, similitudine utendi, quò nos ad hujus dulcissimi panis amorem ac desiderium provocaret. Nautæ cum longè dissitas regiones petituri, alto se committunt pelago, de annо & pane potissimum solliciti laborant, illo deficiente ingens inter vectores oritur consternatio, præsertim se contrariis præpediti fluctibus ventisque in alto, inter fluctuum abyssos, syrtes, vada & scopulos hærere cogantur: Copia verò panis animat, & solatur tristes. Sensu mystico imitari debemus prudentiam, & sollicitudinem naturarum suadente S. Bern. *Quicunque se in hoc mari magno hujus sæculi esse cognoverit; quia spatiosum est, quia ventis & tempestatibus sævit, si securus vult esse, hunc panem coctum, fortissimum Iesum, in nave crucis suæ, quem comedat, quem adoret, quo reficiatur, quo consoletur, quo, ut breviter dicam, ab omnibus periculis eruatur.*

Si navigaturo in Indias ab amico offerretur panis, cum certitudine, se in fortitudine panis hujus feliciter ad optatum portum perventurum; qua gratiarum actione non susciperet? O animæ piæ! O quam longe est periculosior, quam majoris momenti, nostra ad Indias æternę glorię navigatio! pergimus eò in navicula sanctissimæ crucis, per persecutionū fluctus, per tentationum ventos, per scyllas dolorum, per plurimorum periculorum syrtes atq; charybdes. Sed ecce amicorū nostrorum optimus, Christus Iesus, offert panem bis, imo ter coctum; semel in fornace uteri B. Virginis, ardore Sp. S. iterum in camino dolorum, in cruce, flamma tribulationum, deniq; & præcipue in fornace ardentissimi amoris, in venerabili Eucharistia. Hoc pane fruere, hoc consolare, hunc adora, hunc māduca, & solatiis, gaudioq; ple- ... nus, § 9. Ulterior eius applicatio.

nus, mira dulcedine delibutus, in portum æternæ gloriæ atque felicitatis, infallibiliter invehêris.

§. 10. *Digressio ad Sodales Agoniæ.* Hæc similitudo S. Bernardi facit, ut Sodales Congregationis Christi in Cruce agonizantis, hodierna Dominica moneam, inter omnia navigationis nostræ pericula, ultimum naufragium præcipuè esse pertimescendum; cùm mors, cùm mortis angustiæ, cùm timores & fluctus desperationis, naviculam animæ, dum æternitatem ingredi cogetur, jactabunt. Væ illis! timeant, qui sine hoc pane Eucharistico, sine viatico, à morte repentina obruentur! benè illis, qui in agone ultimo, in fortitudine cœlestis illius cibi, ex ultimo naufragio eluctantes, portum attingent! O quale solatium erit, in ultimo agone, cœlesti pane munitum è vita hac mortali, in alteram immortalem decedere! hoc solatium quærunt, qui à Christo Salvatore, ardentibus precibus, & oratione Rosarii quinque SS. Vulnerum, per ejus mortem, & sanguinem, per ultimam præsertim in Cruce agoniam, per dolores afflictissimæ Matris; per S. Josephi, S. Barbaræ aliorumque Patronorum merita, illam gratiam petunt, ut sine viatico, sine dulcissimo hoc pane, inter dolores & tristitias mortis, ex hac vita non decedant. Apoc. 7. v. 17. *Quoniam agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget DEus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Thronus Agni est sanctissima Hostia; thronus sunt illa accidentia, sub quibus Agnus DEI latet. O felix vitæ nostræ navigatio, si illius cursus ita abundè cœlesti alimonia atque Angelorum pane instructus feratur in portum æternitatis beatæ! si nos Agnus, qui in medio throni est, regant alias naves alia sidera; habeant sibi suam cynosuram argonautæ, regantur ex obtutu stellæ polaris & maris; navigent favente Castore, si mihi faveat Agnus, qui in medio throni est, si sub & cùm hoc signo provehatur vitæ meæ carina; non tanti reliqua curo sidera, non lunæ clementiam, non Castorem & Pollucem, non Helenam, non Lyram, non Cynosuram, quoniam *Agnus qui in medio throni est, reget me, & absterget DEus omnem lachrymam ab oculis meis.*

§. 11. *Cor ex adamante, donum Elisabethæ Reg. Angliæ.* In angustiis & tribulationibus, præsertim mortis, certius solatium, & auxilium reperire non possumus, quàm apud Christum D. in Eucharistia. Elisabetha, impiissima illa Regina Angliæ, adamantem habuit pretiosissimum, formatum in modum cordis; hanc gemmam, vel hoc cor, duas jussit in partes, vel in duo media corda secari, atque alterum dono transmisit piissimæ Reginæ Scotiæ Mariæ Stuartæ, adjectis literis, quibus significabat, si aliquando bipartitæ illius gemmæ Symbolum ad se remitteret in Angliam, quibuscunque circumventa esset necessitatibus, statim eo se monitore excitandam, atq; auxilium, quantum quidem à sorore expectari posset, allaturam. Atq; evenit certè haud ita multò post, ut heroina piissima ab hostibus, & proceribus circumventa, conjecta fuerit in vincula, & carceres. Has itaque in angustias conjectæ Reginæ unum

unum illud erat post DEUM solatium, regia gemma vel medium cor ex adamante. Hoc semetipsam erigebat in spem auxilii ab Elisabetha submittendi. Sed ô vanum solatium ô spem inanem! Elisabethæ jussu, Londini publico in theatro mundiq; conspectu, innocens capite plexa est heroina.

§. 12. *Applicatur amori & Cordi JEsu.* Sincerior amicus est Salvator noster. Hic discessurus ex hoc mundo suis prædixit, Joan. 15. v. 17. *mundus vos odio habebit* &c. Sed pro dono, pro solatio nostro Eucharistiam instituit, in qua non gemmam, non cor medium ex lapide, sed cor suum divinum, totum, integrum nobis reliquit. Eja animæ piæ, in vinculis tribulationum, in carcere dolorum, in angustiis, hoc Cor aspicite. Cor JEsu monstrate Patri cœlesti non dubitate, aderit vobis, & ex omnibus periculis eripiet. Nimirum dulcis bolus est Cor JEsu, qui manducat, repletur gaudio. Quid, quod non manducare solùm Cor JEsu, sed vel pio oculo aspicere, vel cogitatione prosequi devota, summa est voluptas, delicium summum. Audite quid de Romanorum quondam pueris, testis locuples memoriæ reliquerit. Is est Macrobius, cujus l. 1. Saturnalium c. 6. hæc sunt verba: *Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quam inspicientes, ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent.* Sic ille. Ego verò de corde JEsu idipsum longè dixerim verius Auditores. Enimverò is ante alios omnes corde præstat, qui non figuram cordis, ut Latina quondam juventus, sed ipsum sacratissimum Cor JESU ante pectus appendit in Eucharistia. Ita demùm se hominem cogitabit, ita status sui felicitatem agnoscet, ita verâ delinitus lætitia triumphabit. In corde JESU cœli inveniet delicias. Ex hoc fonte fluet voluptatum inebrians torrens; Hoc qui facere diu negligit, næ is planè excors est, sine omni gaudio & solatio! & quid mirum si mœrore abjectus, pressus ærumnis, calamitatibus fatiscens, tristissimam agat vitam? respirare enim non poterit, cui cor deest, sedes Spirituum; Cor JESU, inquam, sine quo cor nostrum, veram lætitiam habere non potest.

§. 13. *Cor gemmeum oblatum Orangio.* Sed quando cordis Eucharistici facta est mentio, juvat addere id, quod de Orangio memorat historia. Huic enim, cum Gandavum victor, ingrederetur, ab urbis Magistratu pro exhibendo amoris affectu cor aureum illi oblatum fuit, cum inscriptione, *Sinceritas,* quod munus cũ ille mox pectori appressisset, non modica inde lætitia, consolationeq; se perfusum, vultu, ore, atq; oculis, manibusq; applaudens ostendit. O Auditores! quid si nos Cor JEsu frequentiùs stringeremus! O jucundum Cor, O aureum, O gemmeum! stringamus obsecro, addam ego dignam affectu nostro epigraphen: *Ex illo corde voluptas*, non aliunde, non ex alio fonte hauritur hæc aqua.

§. 14. *De corde piscis Tobiæ.* Cor gemmeum in memoriam mihi revocat cor piscis de quo Tobiæ 6. v. 7. dicitur. *Tunc interrogavit Tobias Angelum & dixit ei: obsecro te Azaria frater, quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servari jussisti?*

ſiſti? & reſpondens Angelus dixit; cordis ejus particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum. Quod & contigit, particula cordis prunis impoſita, ejuſque fumus vel odor impedivit, ne Satan Tobiam, & alios maritos occideret. Probabile eſt, tùm, cùm particula cordis fumaret ſuper prunas, ſimul cor Tobiæ fragraſſe, & fumaſſe odore ferventiſſimæ orationis, probabile eſt eundem fumum corda neoconjugum, Tobiæ & Saræ, admirabili gaudio perfudiſſe. Suaviſſima eſt applicatio S. Thomæ opuſc. 58. cap. 20. ſuper hunc locum: *Cor piſcis quaſi membrum nobiliſſimum, ex quo tota vita procedit, B. Virginem ſignificat: particula cordis ſignificat corpus de Virgine ſumptum: hoc debet ſuper carbones poni, fidelibus accenſis igne amoris donari* &c. ut fumus ille pellat dæmonia, ut ſuavi odore recreet amantium corda.

§. 15. *Cor JEſu imponendum prunis Charitatis.* Adeſte animæ piæ, docebo vos modum pulcherrimum, quo in tribulationibus, ac tentationibus, quibus vos perſequitur diabolus, ſalvi poſſitis atq; incolumes, imò etiam læti atque alacres conſiſtere. Manducate Cor & corpus JEſu, in corde veſtro excitate flamas & prunas ardentis amoris: illis Cor JEſu, quod comeditis, imponite, urite illud veſtris flammis, ejus fumus & fragrantiſſimus odor, hinc ex omnibus periculis vos eruet, pellet dæmones, infringet Sortes: hinc admirabilem quandam ſuavitatem, & cœleſtem in vobis dulcedinem excitabit. *Et quemadmodum,* ut loquar verbis S. Cypriani, *vino iſto communi mens ſolvitur, & animarelaxatur, & triſtitia omnis excluditur: ita & potato ſanguine Domini, & poculo ſalutari, videmus expoliari memoriam veteris hominis, & fieri oblivionem converſationis ſæcularis, & mæſtum pectus ac triſte, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ & bonitatis, & amoris, lætitia reſolvi.*

§. 16. *Dulcedo Euchariſtica ex aliis SS. Patribus.* Proſequitur meum diſcurſum de Euchariſtica dulcedine, de deliciis divini hujus epuli, dulcibus verbis S. Petrus Chryſologus ſer. 1. *Menſa Patris* (quæ dulcis eſſe ſolet, & ſuavis) *nos alit, virtutis cibo, ſalutis epulo, deliciis honeſtatis & gloriæ.* Idem facit S. Iſidorus Peluſiota l. 1. ep. 228. *Sacramenti hujus perceptio nobis conjunctionem cum DEO conciliat, nosque regni ipſius conſortes & participes reddit.* Regni? ergo & magnæ lætitiæ, ſpei, & gaudii. Unde Angelicus Doctor Sanctiſſimam Euchariſtiam, *pignus futuræ gloriæ*, vocavit. Pignus, eſt contractus, in quo res aliqua mobilis creditori obligatur, & traditur in ſecuritatem debiti. Itaque dum Chriſtus D. nobis dedit carnem ſuam, in cibum; & ſanguinem ſuum, in potum; obligavit ſe ipſum, & ſecuros nos reddidit de cœleſti gloria. Hoc verò pignus etiam in hac vita, nobis eſt cauſa peculiaris lætitiæ & dulcedinis: etiam ad ſatietatem, ſive abundantiam, & ſuperefluentiam frugum, fructuum, vel alicujus gaudii.. Antiqui illud ita depinxerunt: elegantē juvenem, hilari & amœno vultu, lætis oculis, cum cyatho vini in dextera, in ſiniſtra cum faſciculo ſpicarum. Sic mihi imaginor pulcherrimum ſponſum animarū noſtrarum in Eucha-


Euchariſtia. Dextera ejus aurea, tornatilis, plena hyacinthis, nobis porrigit panem, ſive dulciſſimam Carnem, & ſuaviſſimum Corpus; Siniſtra calicem cum dulciſſimo ſanguine. Epigraphen jam dudum appoſuit regius propheta; Pſal. 80. v. 17. *Cibavit nos dominus ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturavit nos.* S. Athanaſius hunc verſum ſic legit: *cibavit nos Dominus in abundantia rerum omnium*, præcipuè verò in abundantia melleæ & lacteæ cujuſdam dulcedinis, quâ dulciſſimus JEſus illos reficit qui manducant ejus carnem, & bibunt ejus Sanguinem.

§. 17. *Liquefacta margarita à Cleopatra. Dulcior eſt potus Sanguinis IEſu.*

Cleopatra ut Marco Antonio, quem deperibat, ſuum amorem manifeſtaret, & dulcem pararet cibum, liquefactis margaritis, immenſi valoris, veluti condimento vel aromatibus illi paravit cibos, unionumque liquorem & pretioſiſſimum ſuccum immiſcuit vino. Dulcior atq; ardentior fuit amor JEſu, non liquefecit gemmas, ſed panem transſubſtantiavit in ſuam Carnem, & Corpus; hoc revera comedimus; Vinum convertit in ſanguinem, hunc bibimus. Animam ſuam, omnia membra Virginei Corporis, Sanctiſſima Vulnera, manus, pedes, verbo complectar omnia, dulciſſimum Cor ſuum liquefecit in cibum, in potum, quo reficimur. An pretioſius, an dulcius nutrimentum deſiderare poſſumus?

§. 18. *Pulcher locus ex Concilio Tridentino, & ſuavis Apoſtrophe ad IEſum in Euchariſtia.*

Finio verbis ex ſeſſ. 13. Concilii Tridentini. Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem. Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias divini ſui erga homines amoris veluti effudit. Addo ego, ad rem meã, divitias quoq; dulcedinis, ſuavitatis, gaudii, lætitiæ, conſolationum deniq; omnium. JEſu mi dulciſſime! corculum meum, argenteum aureum, gemeum! effunde in me dum vivo, dum morior, hunc pretioſiſſimum ſive auri, ſive gemmæ, id eſt Corporis Sanguiniſq; tui liquorem O cor dulce! te geram pectori annexum meo! *te ſine nolo vivere, nolo mori*! JEſu panis Angelorum! en proteſtor in conſpectu tuo ſanctiſſimo, nolle me proſequi vitæ meæ navigationem, niſi, tu me, cœleſtis annona, crebro reficias. *His ſine deliciis nolo vivere, nolo mori*! JEſu mi, polaris ſtella, Cynoſura mea, ſeu potius Agnus meus, quem ſequor, quocunque ieris, proteſtor, nolo animæ cymbam ad portum æternitatis appellere, niſi tu me rexeris. *Te ſine nolo vivere nolo mori*! tecum autem ita vivam, ut me mori non pœniteat; ita moriar, ut me vixiſſe, æternùm gaudeam in cœlis cum JEſu meo.



CONCIO XXXI.

DOMINICA II. POST SS. TRINITATEM.

Homo quidam fecit cœnam magnam.

Lucæ, 14. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EST continuatio materiæ Concionis præcedentis, sive agit de Dulcedine Eucharistica.

§. 1. *Quare cœna aliqua possit dici magna.*

§. 2. *Cœna magna est cœna Eucharistica.*

§. 3. *Eucharistia frequenter in sacris litteris vocatur panis.*

§. 4. *Cæsar invitatis Senatorib. apposuit aureos panes: liberalior fuit Christus D.*

§. 5. *Amor Cyri erga amicos superatur ab amore Christi in Eucharistia.*

§. 6. *Duplex malus, altera Eva, altera Sponsa.*

§. 7. *Differentia inter utramque.*

§. 8. *IEsus in Eucharistia maximè amabilis.*

§. 9. *Pulcher locus de pomis sponsæ.*

§. 10. *Abisag cibos præbuit Davidi ut saperent melius.*

§. 11. *Putrida & fallacia poma huius mundi.*

§. 12. *Quomodo Christus in Eucharistia sit dulcis, cum eadem sit memoria passionis.*

§. 13. *Pulchrum responsum Sponsi* Cant. cap. 5.

§. 14. *IESUS in passione tristis, plenus amaritudine: in Eucharistia nobis dulcis est.*

§. 15. *Fructus myrrhæ suavissimi.*

§. 16. *Eucharistia est lac.*

§. 17. *Quænam sit integra mater: talis est Christus in Eucharistia.*

§. 18. *Lac Eucharisticum non solum est dulce & utile: & sanguis Christi in passione effusus fuit calidissimus.*

§. 19. *Quales sunt nutrices tales evadunt filii; IEsus in Eucharistia transit in nos, nos in ipsum.*

§. 20. *Beatorum in cœlis gaudium est IEsus gloriosus; deliciæ viatorum IEsus in Eucharistia.*

§. 1. *Quare cœna aliqua possit dici magna.*

OB varias circumstantias cœna aliqua magna dici potest. Vel ob dignitatem personæ, quæ invitat, si v. g. vel princeps, Rex, vel Cæsar; vel ob personas, quæ invitantur, si & ipsæ sint principes vel Reges: Vel ob locum, in quo cœna peragitur; si sit palatium regium elegantissimè instructum, vel hortus aliquis deliciosus: Vel ob personas, quæ inserviunt, si sint nobiles, barones, comites: vel denique ob divitias necessarii apparatus, ut si orbes, scutellæ, scyphi, vitra sint ex argento, auro, crystallo. Præcipuè tamen cœna aliqua magna dicitur, ob delicias, varietatem, & dulcedinem ciborum, ob præstantiam & generositatem vinorum, quæ hospitibus invitatis proponuntur. Tale magnificum convivium suis optimatibus aliquando instruxit Assuerus, prout cognitum est ex libro Esther.

§. 2. *Cœna magna est cœna Eucharistica.*

Verùm ut loquar, quod sentio, magnificentior longè est cœna hodierna Evangelica, sive Eucharistica. Qui invitat, DEUS est ipse; invitati non Reges solùm & Imperatores, sed omnes filii DEI divites & pauperes. Locum suppeditat pulcherrimus mons, pulcherrima civitas, locus pulcherrimus, & is quidem conclusus, Ecclesia scilicet Catholica. Ministri sunt cœlestes Spiritus sine numero; ipse Salvator noster se ministrum vocat, Luc. 12. v. 37. *Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Cibus est Caro & Corpus Christi, anima Christi, ipse DEUS Potus est ejusdem Sanguis. Magna profectò cœna, quia à magno DEO, magna charitate proposita: Magna, quia magno prodigio elaborata, in qua memoriā fecit mirabiliū suorū. *Magna*, quia magnis ferculis instructa, Corpore Christi, anima Christi, DEO! *Magna*, quia magni pretii, ubi sunt omnes thesauri, cœli & terræ. *Magna*, quia magna arte adornata, ubi tota cœna parvo concluditur frusto, & suum hospitem simul includit. *Magna*, quia magnæ multitudini præparata. *Magna*, quia magnis mysteriis ab omni retro ætate præsignata; in arbore vitæ, in manna, in arca, in pane Eliæ, in panibus Melchisedech, in panibus propositionis &c.

§. 3. *Eucharistia frequenter in sacris literis vocatur panis.*

Panis plerumque vocatur cœlestis hujus cœnæ cibus Eucharistia. Exodi 16. v. 4. *Ego pluam vobis panes de cœlo*, pluit his panibus cœlum, cum decidit manna, pulcherrima figura hujus Sanctissimi Sacramenti. Psal. 77. v. 24. vocatur panis cœli; *panem cœli dedit eis*. Psal. 104. v. 40. *pane cœli saturavit eos*. Psal. 77. v. 25. dicitur, *panem Angelorum manducavit homo*. Ecclesiast. 15. v. 3. *cibavit illum pane vitæ*. Joannis 6. v. 50. *hic est panis vitæ*, ibidem. *panis, qui de cœlo descendit*. Vers. 24. Psal. 77. *Pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit illis; panem Angelorum manducavit homo*; varii variè legunt: Alii pro manna, ponunt, *triticum cœli*. Alii, *apparatum Dei, Portionem, vel donum DEI*. Alii. *Panem pretiosissimum, divinæ virtutis, & succi*. Chaldæus, *Cibum, qui descendit de habitatione Angelorum*. Alii, *Eximium*, Cabalistæ, *panem membrorum*. Clarum est, sensu mystico locum agere de Venerabili Eucharistia. Hæc est illud manna, quo

DEUS

DEus in hujus mundi deserto suos recreat hæc est triticum cœli, & frumentum, quo pascuntur Electi, quod crevit in virginea terra virginei uteri; coctũ verò, est in fornace divini amoris; hæc, est ille panis, quem divina Sapientia invenit, omnipotentia adornavit, bonitas distribuit: Eucharistia est donum JESU, nec solùm portio DEI, sed totus Deus! Eucharistia est panis pretiosissimus, eximius, & divini succi. Est *panis pinguis*, Gen. 49. v. 20. *panis in monumentum*, scilicet amoris, Levit. 24. v. 7. Est *panis Sanctus*, 1. Reg 21. v 4. Est *panis qui cor hominis, confirmat*, Ps. 103. v. 15. *est panis egentium, vita pauperum* Ecclesiast. 34. v. 25. *lugenti est panis ad consolandum*, Jerem. 16. v. 7. est *panis filiorum*, Matt. 15. v. 26. Deniq; est panis melleus, lacteus dulcissimus, Prov. 20. v. 17. *Suavis est homini panis.* Hanc suavitatem cibi Eucharistici, suavi discursu, quem ante octiduum incepi, iterum demonstrabo.

§. 5. *Cæsar invitatis Senatoribus apposuit aureos panes Liberalior fuit Christus D.*

Cæsar aliquando in splendidissimo convivio, ad quod Romanos Consules & Senatores invitaverat, cuivis hospitum aureum panem apposuit. Raro & pretioso dono munificentiam regiam ostentare voluit. Liberalior fuit Christus D. quia pretiosiorem longè panem in cœna Eucharistica suis hospitibus proponit; aureo huic pani alias hæc verba inscripsi, *Panis amoris*; hodiè mihi iterum placet epigraphe Concionum præcedentium, *Panis dulcissimus.* O Suavitates! O dulcedines! O solatia! quæ sponsus & dilectus animarum nostrarum, mediante hoc pane & cibo, potuq; causat in cordibus nostris, in hac lachrymarum valle.

§. 5. *Amor Cyri erga amicos, superatur ab amore Christi in Eucharistia.*

Refert Xenophon l. 1. Cyrum Regem fuisse amantissimum amicorum suorum, ideo omnibus modis benevolum se illis exhibebat. Inter alia hoc in more habebat, ut cùm cibus aliquis bene saperet, prælibatum mitteret ad aliquem ex amicis, hoc addito mandato: *His Cyrus delectatus, te quoque vult eadem gustare.* Longè excellentiori modo hoc fecit Salvator noster, amicorum intimus. Discessurus ex hoc mundo in ultima cœna, accepit panem, benedixit, paucis sed mysterio plenis verbis, panem convertit in corpus suum, & vinum in sanguinem, primusque ipse communicavit, & quia novus hic cibus sapuit suavissimè; S. Ambrosius l. 1. de Abraham, *Est enim Eucharisticum convivium, non solum humano, sed & divino gustui jucundissimum*, statim ait ad Apostolos veluti amicos, quos tenerrimè amabat, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum*; accipite & bibite, *hic est Calix Sanguinis mei.* q. d. His JESUS vester delectatus est, volo ut & vos gustetis, ut & vos cibo potuque tam dulci delectemini. Et nos sumus amici Christi, & nos in hodiernum usque diem & horam amat liberalissimus ille Rex, & quidem tenerrimè, ut Mater filium, ut sponsus sponsam; ideo & nobis illum cibum, illum potum in Eucharistia reliquit, ut comedamus, & bibamus & delectemur. Quàm suavis panis, quam dulcis ille potus sit, expertus fuit S. Bernardus ser. 1. in festo Omnium Sanctorum. *Huic sapori, omne quod desideratur non valet cõparari. rursum; O quàm sapidꝰ, quàm amabilis est cibus ille!*

Sed amicis, sed fratribus, sed filiis non hostibus, non inimicis, non impiis; his cibus ille est fel & venenum; illis mel & vita.

§. 6. *Duplex Malus, altera Eva, altera Sponsa.* Binæ hic arbores, & quidem ambæ Mali se mihi objiciunt, altera est pomus sive arbor vitæ, & mortis in medio paradisi ex cap. 3. v. 6. Gen. Altera ex cap. 2. v. 2. Cant. de qua dicitur, *sicut malus inter ligna silvarum*, sub illa invenio Evam, sub hac sponsam; placuere Evæ oculis pulcherrima illa poma, & suadentibus, hinc concupiscentia, hinc Satana, in specie serpentis *tulit de fructu illius & comedit.* O amarum & venenatum morsum, quo pro se & posteris comedit mortem! Rupertus in cit. locum Gen. *Malus fructus, imò malus morsus, quo Adam per Evam vitam perdidit, & mortem invenit.* Sponsa verò etiam cum Sponso gustavit pomũ, & sapuit tam bene, ut exclamarit; *sub umbra illius sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo*, imò fructus vitæ, & gloriæ.

§. 7. *Differentia inter utramq.* Advertis sine dubio differentiam; Eva in pomo comedit mortem, sponsa vitam. Sub his arboribus, sub his fructibus, sub cortice horum pomorum hoc latet mysterium. Pomus est Venerabilis Eucharistia; arbor plena fructibus, ex se arbor est saluberrima, & dulcissima, est arbor vitæ. Sed Evæ, sive animæ plenæ concupiscentiis, animæ quæ audiunt vocem serpentis, animæ inobedientes legi divinæ, animæ ambitiosæ, sive rebelles per quodcunque peccatum mortale, tales inquam animæ in pomis & fructibus Eucharisticis inveniunt mortem, & quidem æternam; Sponsæ verò Christi, sive columbæ illæ lotæ in rivulis lactis, & sanguinis, illæ dilectæ, amicæ, pulchræ, in hoc cibo sive pomis Eucharisticis inveniunt favum, gustant mel, saccarum deglutiunt, lac potant, hauriunt dulcedinem, vitam denique obtinent, & æternam, quia inveniunt, gustant, deglutiunt, potant, hauriunt ipsum omnis fontem dulcedinis JEsum in Eucharistia.

§ 8. *JEsus in Eucharistia maximè amabilis.* Non ignoro, nullo non loco & tempore amabilem esse hanc dulcedinem, mellitum favum, nectar & ambrosiam. Est tamen vel maximè nectar, est maximè mellitus, est maximè amabilis in Eucharistia JEsus! fuerit amabilis in utero detentus virgineo: *at hic mihi est amabilior, quia cibus est.* Fuerit pastoribus & Magis dulcior in præsepi: Luc. 2. v. 10. *at mihi dulcior est in Eucharistia.* Fuerit floridus in Nazareth; hic mihi longè est floridior. Fuerit in Jerusalem nectar Magdalenæ: Luc. 7. v. 37. *mihi nectar est liquidissimũ in Eucharistia.* Fuerit discipulorum aliquibus in monte Thabor gloriosus, serenus, fulgurans, radiansq;, Matth. 17. v. 2. *mihi plus micat ac radiat Sol Eucharisticus.* Fuerit in Cruce melleus; *at mihi in cœna ultima*, qua Corporis sui Sanguinisque pretiosum instituit convivium, hic inquam, mihi amor est, hic deliciæ, hic dulcedo, suavitas, mel, favus, saccarum, lac, nectar, & omnia. Ab hoc siquidem fonte Eucharistico manat in cor meum sinceræ rivulus lætitiæ, ab hoc sole, cor meũ illustrat radius consolationis divinæ, ab hoc nectare infirma mea mens pascitur, & quasi semianimis in meliorẽ vitæ partem revocatur.

Con-

§. 9. Pulcher locus de pomis sponsæ.

Confirmo hæc ex eodem cit. versu 3. Cant. 2. per curiosam & affectuosam quæstionem. Ait Sponsa, *sub umbra illius*, sive sub arbore, *sedi*. Si sedit, quomodo accepit poma? Fortè ante ascendit pomaque collegit? Deinde sedit & comedit. Fortè antequam sederet jam humi decidua jacuere poma? Fortè tam humiles aliqui fuerunt rami, ut sedens ea inflectere, & poma decerpere potuerit? Fortè cum sedit, poma aliqua ultro in manus vel sinum sponsæ deciderunt? Fortè pedissequæ vel filiæ Sion illa obtulerunt? potuerunt hæc omnia fieri. Responsio P. Pinti pulchrum mihi suggerit mysterium, hic ait, sponsum qui sponsam in hortum deduxerat, ascendisse arborem, & pro sponsa decerpsisse poma, suisque manibus obtulisse; unde alibi ait, *ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus*. Cant. 8. v. 9. Et ille pastor apud Virgil. ecloga 2.

Ipse ego cana legam tenera languine mala
Castaneasque nuces --

Sponsus ergo fuit qui malum ascendit, ipse fuit qui inflexit ramos, ipse qui poma decerpsit, ipse qui dejecit, ipse qui tornatilibus manibus gustanda obtulit; Fortè ideo dixit sponsa; O sponse mi! quàm pulchra, quàm dulcia, quàm sapida sunt tua poma! non tantum quia ex se talia sunt, sed quia tu offers, qui es pulcherrimus, & dulcissimus, & sapientissimus.

§. 10. Abisag cibos præbuit Davidi ut saperent

Fundamentum habet hic discursus in l. 3. Reg. c. 1. v. 4. ubi dicitur de formosissima Abisag, *Et ministrabat ei*, scilicet Regi, id est, (inquit Abulensis) *dabat cibos manu sua, ut delectabilius comederet de manu illius, quam de manu suavius alicujus alterius, eò quod illa ministraret illi omnes cibos mundissimè*. & q. 5. *Neq; enim Rex cibos à dilecta sibi sponsa oblatos, tædio licet nimio foret affectus, respueret, sed cum desiderio reciperet*, non tam delectatus ciborum sapore, quam deferentis cibos amore. In cibo Eucharistico, de quo mihi sermo est, habemus utrumque, & dulcissimum atque sapidissimum cibum; & suavissimum atque pulcherrimum sponsum, qui ministrat: sub hac arbore sedentes inter delicias dicere possumus; *quam dulcis fructus gutturi meo*! quam dulcis est hæc caro! quam suavis est hic sanguis! quam dulcis illa anima, quam suavis Deus, qui noster est cibus & potus! quam dulcia poma!

§. 11. Putrida & fallacia poma hujus mundi.

Sed quis putas illa mihi poma decerpit? mundusne? ah! ne loquere mihi quidquam de fructibus ejus nefastis, jam pridem huic arbori fructibusque maledixit Omnipotens. Fallacia quippe sunt mundi poma*; rubicunda quidem, sed sodomitica; formosa, sed plena pulvere, plena cineribus. Venusta, sed à Venere tantum, non Numine. Decora, sed putrida! quibus proinde hoc hemistichium merito adjungo; *Mentitur forma; caveto*. Ut nemo posthac extima deceptus pulchritudine pestem comedat pro salute. Valete itaque ingrati fructus. Magis venenata sunt poma Sodomæ & Veneris, valete. Fallacia, licet aurea, poma Pluti valete. Alia mihi poma sunt, atque alia de stirpe decerpta. Arbor stirps, radix idem mihi sponsus est, idem Iesus in Eucharistia: hic *mihi*

dulce sapit; qui Bernardo fuit *dulcedo ineffabilis*, qui carnem suam mihi manducandam dedit. O cibum Angelicum! qui suum mihi sanguinem hauriendum proponit, O nectar divinum! Qui proponit, Sponsus meus Iesus est.

§ 12. *Quomodo Christus in Eucharistia sit dulcis, cũ eadem sit memoria passionis.* Sed oritur Scrupulus. Cum Salvator noster Eucharistiam instituit, scivit, instare horam passionis; cùm dixit, *hoc est corpus meum*, Matth. 26. v. 27. vidit clarissimè, illud corpus mox ligandum, ac flagellandum, vidit spinas, quibus coronandum caput, clavos, quibus manus & pedes affigendi Cruci. Cùm dixit, *hic est calix sanguinis mei*, vers. 28. vidit quod brevi effusurus esset hunc pretiosum Sanguinem in sanguineo sudore, in flagellatione, in coronatione, in cruce, quæ adeo piissimum Dominum contristarunt, ut paulo post dixerit, *tristis est anima mea usq; ad mortem*. Matt. 26. v. 38. Et repetitur hæc tragœdia incruento modo in sacrificio missę quotidie: est n. simul convivium, in quo recolitur memoria Passionis Christi. Quomodo ergo hic panis, hoc corpus, hic cibus dulcis esse potest? Quomodo sponsus noster in Eucharistia dulcis esse potest, cùm sit fasciculus myrrhæ? quomodo dulcis ut lac, cùm sit botrus sub torculari crucis?

§. 13. *Responsum Sponsi. Cant. cap. 5.* Difficultati & quæstioni huic respondeo ex v. 1 cap. 5. Cant. his verbis Sponsus invitat Sponsam ad hortum. *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham cum aromatibus meis, comedi favum meum, cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo; comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.* Clarum est apud interpretes sponsum hoc loco in sensu mystico loqui partim de sua passione, partim de institutione Venerabilis Eucharistiæ. Myrrha notat passionem; mel verò, lac, & vinum, Eucharistiam. Duo itaque ait Sponsus se fecisse; Primò, quod passus sit, id est, *messuit myrrham*. Myrrha fuit illa angustia mortis, myrrha plenus fuit calix ab Angelo deportatus; hunc ebibit. Secundò ait, quod sponsæ providerit de cibo, lacteo & melleo; ideo ipse gustavit, unde aiti, *Comedi & bibi*. Sed in hoc est difficultas, postquam dixit, *Comedi & bibi*, subdit, *Amici*, & vos comedite, bibite, gustate. Et cur, postquam dixit, *messui myrrham*, non ait, & vos ascendite collem myrrhæ, & vos myrrham metite; & vos sudate sanguinem, ut ego? & vos spinas portate, ut ego, & vos flagella excipite, ut ego; patimini injurias atque opprobria, ut ego; bajulate crucem; ut ego, fel & acetum gustate? talia non dixit. Hic siquidem est amor sponsi! myrrham solus metere volui, solus pati, solus gustare acerbum calicem passionis; solus ivit cum falce ad locum agonis & sudoris sanguinei, solus ad domum judicum, solus ad columnam, ad crucem; & hoc pro nobis & salute nostra.

§. 14. *Iesus in passione tristis; plenus amaritudine: in Euchari-* Mel verò & lac, id est, Carnem & Sanguinem suum nobiscum communicat, hujus nos vult esse participes. Unde licet sibi fuerit tristissimus, nobis tamen est suavissimus & dulcissimus: similis ficui. Arbor hæc tota est amara, amara radix, amarum lignum,

stia nobis est dulcis. lignum, cortex amarus, amarus succus, amara folia; solus est fructus dulcissimus. Ejusmodi fuit arbor, cum divinissimam institueret Eucharistiam Salvator noster, quanta, eheu! plenus amaritudine! quæ in omnia se membra, in omnes articulos, in omnes venas, in omnes corporis partes undique diffuderat. Si ejus respiceres oculos? amaras fundebat lachrymas. Si frontem? erat tristitiæ nubibus obducta. Si faciem? sudabat liquorem, divinum quidem, sed amarum valde. Si manus? in altum erectæ animi testabantur amorem, & amaritiem. Si cor ipsum? sedes erat amaritudinis, mœroris, tristitiæ. An non amara fuit arbor, amara stirps, amara radix Salvator noster?

§ 15. *Fructus myrrha suavissimi.* At verò quales ejus extiterunt fructus? longè certè alii, dulcissimi, mellitissimi, suavissimi. O bona arbor! quæ cum admirabilem aliis dulcedinem communicas in fructu; tibi in radice ac medulla præter amaritiem & amorem aliud nihil reservas. Agnosco tuam in me dulcedinem, suavissime JESU; hic tuus est mi sponse genius, hæc tua dulcis indoles, ut mihi bene sit, tu te ipsum privas deliciis, ut ego natem in nectare, tu illius flumina, è corde tuo, tanquam Oceano effundis. O amor! at nolo tamen, nolo tam imparem mihi tecum esse animi corporisque statum; nolo ego peccator tantùm melle pasci, & tu ipsa innocentia felle: nolo ego gustare dulcia tantum, tu amara: equidem hoc mihi subtrahi nectar Eucharisticum nolim: simul tamen tuæ fieri particeps myrrhæ desidero. Cupio dulcedinem, sed non sine amaritie: non amo, si non compatior; non mihi sapiet tuum manna, ni fellis etiam tui atque aceti amaritiem mihi quoque communices.

Necdum à dulcissimo hoc loco discedere possum, quando novam mihi materiam suggerit, ut probem panem Eucharisticum esse dulcissimum; & quidem id facit, unica vocula, *lactis*. *Bibi vinum cum lacte meo*, ait Sponsus; hoc inquam verbulum, Eucharistiam esse dulcissimam evincit. Ideo S. Aug. ait, *Oportebat ut mensa illa lactesceret*, & Irenæus l. 4. Pæd. c. 6. *Quidquid generavit, eo quod generatur, alimentum protinus præbere, est consentaneũ.* Videmus experientia etiam in bestiis, maximè tamen in Matre, quę vix peperit filiũ, & applicat uberibus, ut lacte pascat. Ideo natura, vel auctor naturæ illi providet de lacte. Plutarchus, *faris ergo lactis officina, & dispensatio providentiam ejus & solicitudinem demonstrat.* O iterum, iterumque dulce cor JESU! quid dignum de hoc eloquar, quidve cogitem? Dicam esse amabilem lactis officinam; atque ita sitim vestram accendam. Cogitabo esse Eucharistiam apis cœlestis alveare, & sic comprehendam aliqua saltem ex parte amoris divini suavitatem. Nominabo viam, quam in cœlis lacteam vocant; erunt non dubito ex Auditoribus meis, qui in illa ad animi recreationem deambulare contendent. Perpendam ipse mecum, esse § 16. *Eucharistia est lac.*

esse oculorum illecebras, esse voluptatis thronum, hortulum lætitiæ, amoris tabernaculum; atque ita magis, magisque seu videndo, seu colendo, seu gustando, seu manducando, dum vixero, meas pascam delicias. Habitabo in officina dulcissimi lactis, in suavissimo corde Iesu, in Eucharistia. Antequam in lectulo crucis per mortem nos gigneret, Deus homo Eucharistiam instituit, ut filiis provisum esset de lacte.

§.17. *Quænam sit integra Mater? Talis est Christus in Eucharistia.* In Gellio ait Paphonius Philosophus: *Oro te mulier, sine eam totam & integram esse matrem*; aliquod enim, est contra naturam, imperfectum atq; dimidiatum matris genus; peperisse & statim abjecisse. Talis mater non fuit Christus D. integra mater esse voluit, nō genuit tantū, sed pavit; & ut mater, id est suavissimè sive lacte. Mater filium, quem diligit, applicat uberibus; Christus D. in Eucharistia nos applicat pectori, cordi, Vulneribus veluti regiis mamillis. O animæ piæ, fugite, fugite, dulcis latet potus. S. Chrysost. in Psal. 50. *Partu mulier, nec nutrix efficitur; pudet enim nutricem effici, quæ mater effecta est. At non ita Christus, ut nos progenuit, ita etiam aluit; ciborum loco, carne sua nos pascit, ac poculi vice, cruore suo nos potavit*, ut simus sine metu.

§.18. *Lac Eucharisticum nō solum est dulce, sed utile, & Sanguis Christi in Passione effusus fuit calidissimus.* De lacte ait Plinius l. 28. c. 9. *Non dulce modò sed utilissimum cuique lac maternum est.* Non dulcis tantum sed utilis animabus est potus Eucharisticus. Idem Plinius ait; *si gustari posset lac, ubi in venis coctum est, ipso etiam melle dulcius inveniretur, calidissimum lac, dulcissimum quoque est.* Et ob hanc causam, potum Eucharisticum dulcissimum esse, necesse est. Quis dubitet sanguinem Christi fuisse calidissimum? cum inflammatus amor eum adeò accendit, ut in sudore sanguineo per poros eruperit? hunc in Eucharistia gustamus, quis dubitet, prę calore bulliisse sacrosancti capitis cruorem? quem crudeles spinarum aculei expresserunt; *quo calidior, hoc mihi dulcior est sanguinis tui potus, mi Iesu!* quis dubitet ferventes etiam fuisse guttas, quæ in Pilati atrio, cum in innocentem Agnum flagella ingeminarunt lictores, columnam purpurarunt? *quò ferventior, hoc mihi gratior est, liquor ille, succus ille, lac illud, mi Iesu!* Denique quis dubitet, fuisse cor Christi fornacem amoris ignibus luculenter instructum? *quo ardentius, hoc mihi suavius cor est tuum, mi Iesu!* Bibam itaque divinum sanguinem cum voluptate; nam quia calidissimus, ideò dulcissimus existit; bibam cum siti, cum amore, cum lætitia, memor lacteum me bibere liquorem, vel amorem potius lacteum.

§.19. *Quales sunt nutrices, tales evadunt filii, Iesus in Eucharistia transit in nos, nos in ipsum.* Finio tandem pulchro dicto Avicennæ lib. 1. phæn. c. 3. doctr. 1. cap. 2. *Nutrix secundum mores suos consideratur; quoniam ipsam oportet bonorum morum & laudabilium esse: nam isti corrumpunt complexionem & transeunt in infantem lactatum*, id est, quales nutrices sunt, tales evadunt filii. Hunc itaque fructum in vobis auditores, hac concione desidero, ut mediante suavissimo cibo, & lacte Eucharistico, transeat in vos Iesus, vos in Iesum secundùm mores sanctos, & laudabiles.

les. Salvator noster fuit humilis, modestus, amator puritatis &c. tales esse debent, qui lactantur lacte Eucharistico. Non possum omittere, quod Clemens Alexandrinus advertit l. 1. pædag. *Age verò Domine, quare invitas homines ad carnem tuam cum sanguine manducandam, utpote vitam manducantibus præbituram; qui olim hominibus carnem belluarum cum sanguine edere prohibebas? A belluina carne cùm sanguine homines DEUS jussit abstinere, ne qui belluinam carnem cùm sanguine manducaret, se belluinis moribus, in belluam ex homine deformaret; ad carnem verò suam, mixtam sanguine invitat, epulandam, ut qui totum sic Christum ederet, totus in Christum Dominum mutaretur, ita ut alter Christus videretur. Dumque ita Christus in eo, & ipse in Christo maneret, alter in altero, ut in speculo crystallino compareret.* De Abele ait Abulensis in Gen. 4. quod licet carne ovium non fuerit nutritus; lactatus tamen fuerit *lacte ovino, ut mores suos ad mansuetudinem ovium efformaret.* Eja amici, gustate, bibite dulcissimum hoc lac Eucharisticum, manducate carnes mansuetissimi Agni, comedite corpus JESU, ut ad JEsu mansuetudinem, patientiam &c. vos quoq; efformetis. Hæc facite, & experiemini verum esse, quod dixit Marcus Ep. Wormaciensis hom. 5. in cœna Domini. *Futuræ jucunditatis amabile præludium,* (est Eucharistia) *Ecclesia militantis cum triumphante suave glutinum; dum eandem dulcedinem, qua illa fruitur sine velamento, ista habet sub Sacramento.*

§. 20. *Beatorum in cælis gaudium est JEsus gloriosus. Deliciæ Viatorum JEsu in Eucharistia.*

Ite jam triumphantis illius cœlorum exercitus felix turma! applaudite vobis Sancti Angeli de dulcedine vestra, qua in DEO, JESU vestri aspectu fruimini; non equidem invideo, cùm eadem mihi quoque in partem veniat voluptas, eundem quem vos sine velamento, nos sub Sacramento habemus Amorem; iisdem fruimur deliciis, eodem seu lacteo, seu melleo innatamus Oceano, cum solo eo, quod modo memoravi, discrimine. Triumphate de hac vestra felicitate, Prophetæ Sanctissimi, atque inclyti Patriarchæ; sed & nos in hac vita mortali degentes, non minus festivos agemus eandem ob causam triumphos. Exultate vos purpureæ Martyrum Rosæ, vos candida Virginum lilia, vos cœrulei Confessorum hyacinthi; date plausum, tripudiate, jubilate, concinite, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus sine velamento*; nos chorum alternabimus in terris, nos lætis vobis excipiemus cantica vestra, nos concinemus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus in Sacramento!* quia eandem omninò dulcedinem, easdem delicias, easdem amoris & gaudii illecebras, quas vos sine velamento, nos sub Venerabilis Eucharistiæ Sacramento agnoscimus, gustamus, comedimus, communicamus.



CONCIO XXXII.

DOMINICA III. POST SS. TRINITATEM.

Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam.

Lucæ, 15. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS.

JESUS, ut bonus Pastor suas oviculas pascit suavissimè; proinde hæc concio iterum agit de dulcedine Eucharistica.

§. 1. *Pastor cibat oviculas bono gramine &c. Bonus JESUS nos pascit pane dulcissimo.*

§. 2. *Est panis non tantùm lacteus sed melleus.*

§. 3. *Jupiter parvus fuit educatus melle: JEsulus à B. virgine melleo lacte.*

§. 4. *Nos quoque parvuli sumus, quos Christus melle cibat, Christus in Eucharistia est apis.*

§. 5. *Apis est animalculum purissimum; Encomia mellis applicantur Eucharistiæ.*

§. 6. *Oviculæ aliquæ pastæ melle Eucharistico.*

§. 7. *Salvator nos amavit usq; ad delicias.*

§. 8. *Dulcedo mannæ fuit figura dulcedinis Eucharisticæ.*

§. 9. *IEsus in Eucharistia flosculus melle plenus.*

§. 10. *Oviculæ si velint esse participes hujus mellis, debent ablactari ab uberibus creaturarum.*

§. 11. *Mirabilis spelunca montis Ætnæ.*

§. 12. *Fructus terræ Sanctæ allati à Caleb & Iosue.*

§ 13. *Metamorphoses Christi in Eucharistia.*

§. 14. *Aliud pulchrum Emblema: IESUS in Eucharistia rosa, simus nos apes.*

§. 1. Pastor cibat oviculas bono gramine &c. Bonus IEsus nos pascit pane dulcissimo.

PErditam oviculam dum reperit bonus pastor, non tantùm humeris impositam refert ad gregem, sed lassam cibat vel pane, vel teneris ramis, ac foliis, vel si necesse est, lacte; Deinde cum reliquis eam ad pascua ducit optima. Hic amor boni pastoris; hæc felicitas oviculæ, occasionem

casionem mihi præbent, ut tertia vice pergam discurrere in suavissima materia de dulcedine Eucharistiæ. Verè bonus pastor est Salvator noster, qui nostras animas, quas veluti perditas oviculas in deserto hujus mundi collegit inter spinas, pascit pane Angelorum, seu pretioso corpore suo ac sanguine. Oviculas pascit mitissimus Agnus. Qui pastor est, Agnus est, cibus est, potus est. Multis jam ostendi, cibum hunc esse dulcissimum, potum hunc esse suavissimum: Residua sunt adhuc, non minus utilia, quàm scitu curiosa, quæ idipsum probant. Quæ, cùm sciam vos Venerabilis Eucharistiæ amantissimos æquis auribus, animisque excipere, hac concione latius proponam. Laus & interim benedictio sit Sanctissimo altaris Sacramento.

§. 2. *Est panis non tantum lacteus, sed melleus.*

Non exhausi ante octiduum mysteria versus 1. cap. 5. Cant. *Comedi favum meum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo; comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.* Ex hoc loco ante octiduum ostendi, panem Eucharisticum esse panem lacteum dulcissimum, plenum cœlestibus suavitatibus. Quia sponsus eodem loco mellis facit mentionem, melleus quoque vocari potest. Attendite Oviculæ hac Concione pascam vos melle.

§. 3. *Iupiter parvus fuit educatus melle; IEsus à B. Virgine melleo lacte.*

Fabulæ narrant Jovem parvulum, teste Lactantio fuisse pastum & educatum melle, id quod dupliciter contigisse putant. Aliqui dicunt advolasse apes, & os pueri implevisse melle. Alii ajunt, Melissi Cretensium Regi fuisse duas filias, Amalthæam & Melissam, quæ Jovem parvulum melle nutrierunt. Fabula est: sensu tamen pio veritatem proponit. An non enim Christus Salvator noster in Nativitate & infantia melleus fuit Puer? quem apis purissima, Virgo inquam pulcherrima, parvulum lactavit virgineo lacte & melle? fuit profecto! Et memento stabuli Bethlemitici, & uberum pulcherrimæ Matris, quæ Filium DEI lactaverunt; dulcius sine dubio lac illud fuit, quàm mel cujuscunque apiculæ.

§. 4. *Nos quoque parvuli sumus, quos Christus melle cibat. Christus in Eucharistia est apis.*

Alio sensu nos dici possumus parvi Joves & infantes parvuli quos Christus D. velut apis dulcissima pascit & nutrit melle dulcissimo, id est sua carne & sanguine, qui omni melle longè est dulcior. Apicula est Christus D. in Eucharistia variis profectò de causis. 1. *Apis virgo sine coitu generatur.* Christus D. natus est Virgo, ex Virgine Matre sine virili semine. 2. *Apicula amat castas*: pari ratione Christus D. in Eucharistia. 3. *Apis mel habet, sed aculeum quoq;*: & Christus in Eucharistia suavitates pro Electis, aculeos pro Impiis. 4. *Apes non amant loca, in quibus sunt venti, hœdi, errans bucula campo, lacerti, vespæ*; sed campos quos flores ornant, quos alluunt rivuli, quos fontes refrigerãt, quos Favonii demulcent, quos lambunt herbæ odoriferæ. Invenire est nõ paucos, quorum corda, ventorũ carceres, atq; Æoli antrum jure dixeris; in quib9 nimirũ turbidi vitiorũ venti tẽpestatesq; dominantur; debacchatur ira, superbia furit, desævit invidia &c. Non est hic, mihi credite, non est hic Eucharisticæ cãpus suavitatis; exulat hic divina apis,

non delectatur his putridis amaris & graviter olentibus floribus, non quærit ex hisce colligere mel, non amat turbulentam hanc regionem:

Procul hinc, procul este profani.

Odi profanum vulgus & arceo, -- ajebat olim Poëta. Vel mores mutate, atque iram convertite in clementiam invidiam in amorem, in demissionem, superbiam; vel mellis artifici volucri, divinæ api, mellitissimæ inquam Eucharistiæ valedicite. *Et vos procul este profani*; vos, ut cum Horatio loquar, *olentes uxoris ma iti*, vos fœtidi hirci, capræq; turpes: vos enim maximè odit *apis Eucharistica*, non amat commercium vestrum, non delectatur consortio abominando; Vos crescentes virtutum flores pulcherrimos, & argentea potissimùm lilia impuro calce proteritis: abeste, abeste immundum pecus; non vobis rident prata Eucharistica, non vobis exhalant odorem flosculi, non vobis purpurascunt rosæ divini Sanguinis; non vobis divinæ carnis lilia candicant; vel certe quod ante dixi, mutate mores, novas nova metamorphosi formas induite; ex hircis migrate in agnos, ex salacibus capris, in innocentes oviculas; neque alio in hanc rem opus est Ulysse, quàm voluntate vestra animoque efficaci.

§. 5. *Apis est animalculum purissimum. Encomia mellis applicantur Eucharistiæ.*

5. Bene Didymus: *est hoc animal per excellentiam purum*, nulli rei graviter olenti atque immundæ insidens. Et Apollonius 2. arg. fuliginoso fumo infestatæ longius avolant. Christus in Eucharistia est fons puritatis, odit omnem odorem vitiorum. 6. Et præcipuè, ut ad propositum revertar, *mella conficiunt, succumque dulcissimum at saluberrimum*. Apis itaque nos pascit melle, apis verò Eucharistica id facit melleis de cœlo suavitatibus; pascit oviculas sua carne, & sanguine, qui melli non immeritò comparatur. Plinius l. 11. cap. 12. vocat mel, *sudorem cœli*, *siderum salivam*, *succum aëris*. Mel Eucharisticum est sudor sanguineus JESU, est succus suavissimus, & ipse Sanguis, & quidem delicatissimus ex suavissimo corde JEsu. Mel est suavissimum, suavior est caro Filii Dei, & ejus dulcissimus succus divinam in se continet dulcedinem. Mel est saluberrimum, medetur multis morbis & vulneribus; longè salubrior est sanguis Christi in Eucharistia contra morbos & vulnera animæ. Denique ad mellis dulcedinem multùm conferunt Aurora & ros matutinus. *Speciosissima Aurora est Beata Virgo*, ex hujus sanguine delicatissimo veluti rore Spiritus S. formavit carnem & sanguinem filii Dei, & hinc quoq; profluit, admirabilis illa dulcedo cibi vel mellis Eucharistici, quo bonus Pastor JEsus oviculas pascit.

§. 6. *Ovicula aliqua pasta melle Eucharistico.*

Ovicula fuit S. Bernardinus, ideo ser. 1. in Festo omnium Sanctorum exclamavit: *huic sapori omne quod desideratur, non valet comparari. O quàm sapidus, quàm amabilis est cibus ille.* Ovicula fuit Angelicus Doctor S. Thomas; nam cùm dulcedinem mellis Eucharistici gustaret, dixit opusc. 58 c. 32. *Qui enim de petra Corporis Christi, melle Sanguinis ejus saturati sunt, omnis peccati suavitatem contemnunt.* Ovicula fuit S. Cyprianus, cùm hoc mel gustasset, melleo

calamo

calamo hæc scripsit de cœna Domini; *Hoc uno ferculo* (melleo) *contenti pauperes Spiritu, omnes mundi, hujus delicias aspernantur: & possidentes Christum* (in Eucharistia) *aliquam hujus mundi possidere suppellectilem dedignantur.*

§ 7. *Salvator noster nos amavit usque ad delicias.*

Quia Filius Dei hoc melle suas oviculas pascit, locum habere videntur verba Senecæ l 4. de benef. c. 5. *Neque enim necessitatibus tantummodo nostris provisum est, usque in delicias amamur.* Dum scilicet nos melle pascit. Dilexit nos dum factus est homo, dum mortuus est in cruce, sed id summa exigebat necessitas. Eucharistiam instituit, ut delicias offerret: & ut vicissim amaremus, ac diceremus cum S. Bernardo Ser. 22. in Cant. *Super omnia reddis amabilem te nobis, bone Iesu, calix, quem bibisti, nostræ redemptionis, ut nos redimeres.* Addo ego, quem in Eucharistia reliquisti, ut nobis esset potus usq; in delicias. Cibum dulcissimum nominavit Regius Psaltes Psal. 54. v. 14. *Tu verò homo unanimis, Dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.* S. Hieron. legit, *qui simul habuimus dulce secretum.* Aquila. *Qui simul dulce fecimus secretum.* Omnia hæc verba sapiunt mel suavissimum & delicias jucundissimas.

§. 8. *Dulcedo manna fuit figura dulcedinis Eucharistiæ.*

Sapientiæ 16. v. 20. cap. prædicatur dulcedo mannæ. *Angelorum esca nutrivisti populum tuum; & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.* Biblia Regia sic legunt; *ad omnem voluptatem valentem, & ad omnem congruum gustum.* Vatablus, *omni accommodatum gustui.* Omnia hęc applicat S. Cyprianus melli sive suavitati cibi Eucharistici ser. de cœna Domini. *Vt manna, sic & hic panis omne delectamentum in se habet; virtute mirifica omnibus, qui dignè & devotè sumunt, secundum suum desiderium sapit, implet, satiat, edentium appetitus, & omnium exsuperat dulcedinum voluptates.* Ob hanc dulcedinem Theodoretus in Cantica, super illa verba, *Dilectus meus sicut malus, cujus fructus dulcis gutturi meo*, Christum in Eucharistia comparat venusto & melleo pomo, quod omnes sensus delectat *Sponsum appellat*, scilicet sponsa, *pomum, quod tactu molle, gustu dulce* (& melleum) *aspectu jucundum ac venustum, & auditu amabilissimum: talis est Dominus & Salvator noster, & sponsus qui convivio* (melleo) *sensus omnes nostros explet suavitate.* Usque in delicias, & præcipuè gustum animæ melle sui sanguinis saturata.

§. 9. *Iesus in Eucharistia flosculus plenus melle.*

S. Augustinus Christum in Eucharistia imaginatus sibi fuit veluti florem, plenum melleo succo & rore. Unde in hæc verba prorupit, l. de substantia amoris c. 3. t. 4. *Suge, Suge, O apicula,* (dicam ego hodie, O ovicula) *Suge & bibe dulcoris tui inenarrabilem suavitatem, immergere & replere, adhære & inhære, sume & fruere.* S. Cyprianus in eodem flore invenit melleos rivos, fontes & canales. *Vide quomodo his, inquit, qui Christi passionem commemorant, quasi per quosdam canales de interioribus fontibus* (ex pectore, ex corde Christi) *egrediantur torrentes, & super omnes delicias, lachrymis nectareis* (melleisque) *anima delectetur, quantâ*

suavitatem animæ inquirenti, ubi sit Deus suus (vel Iesus in Eucharistia) *suspiria contemplationis eliciant. Ros matutinus est, de cœlestibus stillans* (ros est, mel est, ex Vulneribus Christi fluens) *& quasi unctio Spiritus mentem deliniens.* Isaias c. 66. v. 11 in Eucharistia prævidit ubera plena, & turgentia melleo lacte. *Ut sugatis, & repleamini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis & deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.* D. Irenæus l. 3. cap. 40. *quapropter, qui non participant eum, neq; à mamillis matris nutriuntur in vitam; neque participant à corpore Christi procedentem nitidissimum* (& melleum) *fontem*, non vivent. D. Chrysologus hom. 28. in Matth. *Multa matres post partum* (ut nuper insinuavi) *aliis nutricibus infantes dederunt; quod ipse facere noluit* (peperit nos id Cruce, ad necessitatem) *sed usque in delicias proprio corpore nos alit, & sibi conjungit atque conglutinat.* Deinde monet hom. 83. *Non videtis, quanta infantes alacritate mamillas arripiant, qua pressione papillis infigunt labia? non minori cupiditate nos quoque ad hanc mensam, ad* (mellei) *hujus calicis spiritualem accedamus papillam, imò verò desiderio quasi lactantes pueri, gratiam* (& mel) *sugamus.* Hæc facientes dicemus cum S. Cypriano; *quam præclarus* (quam dulcis, quam melleus) *est calix iste, per quem, non habentes sensum mundi, cruci adhæremus, sanguinem* (& mel) *sugimus, & infra ipsa Redemptoris nostri Vulnera figimus linguam.*

§. 10. *Oviculæ* In his tamen præ oculis habenda est observatio Isaaci Presbyteri. *Ejus panis post ablactationem datur infanti, & homo qui vult delectari in divinis,* (dicam ego in melle Eucharistico) *prius se debet à sæculo velut infans ab uberibus maternis* (ab uberibus mundi, ab uberibus Veneris) *alienare.* Sanctus Bernardus Serm. 9. de Ascensione. *Errat omninò, si quis cœlestem illam dulcedinem* (illud mel Eucharisticum) *huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno* (vel illud mel, felli) *charismata illa Spiritus, misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur.*

si velint esse participes hujus mellis debent ablactari ab uberibus creaturarum.

Eleganter & melleè Sanctus Augustinus lib. 8. Confess. c. 1. *quam suave mihi subitò factum est, carere suavitatibus nugarum; ejiciebas eas à me, vera tu & summa suavitas, ejiciebas & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior.* Mi IESU dulcior melle! Sanctus Cyprianus; *qui de sacro calice bibit, amplius sitit, & ad DEUM vivum erigens desiderium, ita singulari fame, uno illo appetitu tenetur, ut deinceps fellea peccatorum horreat pocula, & omnis sapor delectamentorum carnalium, sit ei quasi rancidum radensque palatum acuta mordacitatis acetum.*

§. 11. *Mirabilis spelunca montis Ætnæ.* Et hic effectus admirabilis mellis Eucharistici. Notissimus est flammeus mons Ætna, in Sicilia. In illo, teste Aristotele lib. de mirab. auscul. est spelunca, sive hiatus in quo optimum crescit triticum, cum omnigena florum copia; omni tempore ibi vernant violæ, lilia, narcissi, flores adeò fragrantes, ut canes venatici suavitate odoris, occupiat, feras investigare nequeant. Spuit mons flammas, evomit igneos globos, spargit cineres,

cineres, ejaculatur sulphur, huic tamen valli, huic tritico, his floribus non nocet. Mons Ætna est hic mundus, totus positus in flammis concupiscentiæ. Quod animabus Sanctis, velut violis & liliis non noceant hæc incendia, asscribendum est tritico; facit panis Angelicus adeo melleus & dulcis, ut ejus suavitate occupati alias flammas, alios amores, alias delicias non quæramus. Ardeant circum circa damnatæ libidinum faces, eructet nefanda pessimarum cupiditatum incendia Venus, sint plena omnia cineribus atque favillis, etiam ex incendiis Sodomæ; jactet insani amoris flammas humana malitia; si flores sumus, & lilia convallium, si violæ plenæ succo & melle Eucharistico, nequicquam timebimus, Audites. *Venter tuus*, ait sponsa Cant. cap. 7. *sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Dicam ego. Amor tuus Eucharisticus, mi IESU, sponse mi, sicut acervus tritici, ad quem profani ignes accedere non possunt: quia vallatus est liliis, purissimis nimirum, qua Angelorum, qua hominum mentibus circumseptus. Et quid mirum? hæc illa est secura vallis, hæc tuta flosculis fovendis regio, hæc certa quies, hæc ab infernalibus illis flammis immunitas. Ita suum tritici melleum acervum communitum voluit atque exornatum Amor divinus.

§. 12. *Fructus terræ Sanctæ allati à Caleb & Iosue.* Sed redeo ad fontes mellis ad suavitatem Eucharisticam. Numerorum 13. misit Moyses fortissimos viros, Caleb & Josue, qui explorarent terram promissionis. Reduces in vecte portaverunt unam uvam, de malis quoque granatis, & de ficis loci illius tulerunt, dixeruntque populo: *Venimus ad te terram ad quam misistis nos, quæ referta fuit lacte & melle, ut ex his fructibus cognosci potest.* Præ aliis melleis verbis locum hunc explicat Gaudentius; *Promissionis terra Christi Caro est, dulcibus divinæ gratiæ succis exuberans: cujus purissimo doctrinæ lacte* (& melle Eucharistico) *alimur ac nutrimur, cujus cœlestium charismatum suavitate reficimur.* Tres verò illi fructus, denotant tres Eucharistiæ proprietates vel effectus. *Malogranatum* unionem amoris, quam cibus hic inter hominem & Christus conciliat. *Botrus*, vinum lætificans cor hominis & generans Virgines. *Ficus*, melleam cœlestis cibi dulcedinem, quæ tanta est, ut cum Petro Cellensi de 12 pan. dicere possim: *Aut facit, aut invenit paradisum*; in corde scilicet, vel anima, quæ reficitur pretioso Corpore & Sanguine IESU Christi. Et cum Philone Carpathio in Cant. *Tantum dulcedinis, & cœlestis alimoniæ affert cibus ille, & suavitatis, ut bene quis dicere possit cum Davide, gustate, & videte, quam suavis est Dominus.* Dico ego, quam melleus IESUS in Eucharistia. *proinde, Nil debet* (Franco Abbas tr. 4. de gratia DEI.) *Christiano cordi præter Christum dulcescere, ut qui affectus animarum nostrarum, sapore divinæ suavitatis condiat, noxios carnalium affectuum humores igne charitatis suæ ipse decoquat.*

Finirem jam, nisi me pulcherrima Dro-

§ 13. Metamorphoses Christi in Eucharistia. Drogonis verba adhuc nonnihil retardarent. Ita enim ille l. de pass. *Quid amplius dicam? Unus idemque cibus, & api est mel, & cervo est fons aquæ, & panis qui cor hominis confirmat. Quid hic non invenit anima? si instar apis, insideat lilio, mel sugit; si veluti cervus anhelet ad fontem, invenit aquam imò Sanguinem; si instar aquilæ huc advolet, Caro est si velut homo assideat mensæ, est panis.* O animæ piæ, estote aquilæ, estote cervi, estote apes; Iesus in Eucharistia caro est, fons est, flos est plenus mellea suavitate. Et certè si vitam spiritualem ducere cogitamus, si animæ mortem à nobis arcere, hæs melleas dapes, panem hunc Eucharisticum nobis esset perquam necessarium intelligite. Ita enim me erudire videtur Ecclesiasticus c. 39. *Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum; lac, sal & panis similagineus, & mel, & botrus uvæ, & oleum, & vestimentum.* Quid per aquam & ignem, per ferrum, Sal, mystico in sensu sit intelligendum hic equidem non disputo; illud autem indubitatè assero, sequentibus è verbis, sub lactis liquore, sub mellis dulcedine, sub botri sapore, sub olei lenitate, sub vestimenti splendore, non alias quàm Eucharisticas latere delicias. Ergò hanc doctrinam probè cognoscite mortales; si vitam amatis cœlestem, mel quærite, si salutem desideratis, panem similagineum diligite, gustate, comedite. Ex ejus gustu mellea erit lingua vestra, melleum os, cor melleum, mellea anima, vita mellea, mors denique ipsa, qua nihil amarius esse solet, mellea evadet tota. Memini legisse me, ursum in quæsiti mellis fovea demersum cum annexo lemmate: *In melle mors.* Fortè ut hoc emblemate, mellea ac noxia voluptatis profanæ illecebra depingeretur. Ego verò in rem meam adversam plane subjungerem epigraphen, *In melle vita* sed non in alio quam melle Eucharistico. Hic submergi, vivere est, hic piis cogitationibus innatare, voluptas suavissima.

Aresius apes pingit volantes ad Rosam cum lemmate, *In odorem currimus.* § 14.
Quid enim? an non rosa, Iesus est in *Aliud emblema*
Eucharistia? cui purpuram Sanguis, *Iesus in Euchari-*
candorem Caro virginalis aspersit. Et *stia rosa,*
rosa quidem pentaphylla ex quinque *simus nos*
sanctissimis Vulneribus. Nos modò *apes.*
apes simus, Auditores; curramus, eja, volemus in odorem; legamus in rosa favum, in flore mel, in Eucharistia dulcedinem. Vel cervi estote, currite, properate, desiderate fontes aquarum, imò ad fontem aquæ vivæ, Iesum in Eucharistia. Et ipse siquidem est fons melleus, fons de quo Propheta, de petra melle saturavit eos. Bonus pastor oviculas suas pascit suo Corpore & sanguine. Quam ob rem sit benedictus in sæcula,

Amen.

CON-

CONCIO XXXIII.

DOMINICA IV. POST SS. TRINITATEM.

Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est,
Lucæ 6. vers. 36.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit hæc Concio, Misericordiæ Virtutem divitibus esse utilem & necessariam.

§. 1. *Encomia misericordiæ & liberalitatis.*
§. 2. *Alia ex S. Paulo & Sanctis Patribus.*
§. 3. *Divites facilè labuntur in morbos animæ; sanat illos misericordia.*
§. 4. *Divites frequenter manus habent aridas.*
§. 5. *Confirmatur ex S. Ambrosio.*
§. 6. *Misericordia satisfacit pro pœnis peccatorum.*
§. 7. *Est advocata corā tribunali Christi.*
§. 8. *Liberum ad illud habet accessum, ut suos clientes defendat.*
§. 9. *Pulchra visio S. Catharinæ Senensis.*
§. 10. *Vir misericors non timet pœnas; pulchrum emblema.*
§. 11. *Pauperes sunt regia cohors pro defensione Regis.*
§. 12. *Per misericordiam divites consequuntur sanctam mortem.*
§. 13. *Invectiva in tenaces.*
§. 14. *Misericordia liberat divites à damnatione æterna.*
§. 15. *Loth quare liberatus ab incendio Sodomæ.*
§. 16. *Sanctus Ioannes Baptista cum pœnitentia prædicavit misericordiam.*
§. 17. *Misericordia est funis, quo divites à sinistra Iudicis trahuntur ad dexteram.*
§. 18. *Imploratio Misericordiæ Divinæ.*

§. 1. *Encomia misericordiæ & liberalitatis.*

MIsericordia quam Christus D. in hodierno Evangelio nobis commendat, nobilissima est virtus. Pythagoras rogatus; qua ratione homines Diis similes haberi possent, respondit: *Si veritatem amplectarentur & cunctis benefacerent.* Ex Theophrasto quæsitum fuit; quidnam vitam conservaret humanam? respondit: *Beneficentia.* Ex Anaxilao Rege, quid esset in regno beatissimum? respondit, *Nunquam vinci beneficiis.* Ex Alexandro Severo Imperatore, Quis esset Rex optimus? dixit:

dixit: *Qui amicos muneribus retinet, & inimicos beneficiis ambit, & reconciliat.* Quod si hunc in modum, ab iisdem percontaremur viris sapientissimis; quis optimus in urbe aliqua aut republica consul? quis dignissimus Ecclesiastica in dignitate Prælatus? Senatorum quis amplissimus? quis Clarissimus Juris Consultorum? quis expertissimus Medicorum? Philosophorum quis subtilissimus, Rhetorum facundissimus, acutissimus Poëtarum? Si superstites forent, quid responderent aliud, quam in beneficiis, in liberalitate, in misericordia, summam & acuminis, & eloquentiæ, subtilitatis, & felicitatis, & dignitatis, & majestatis laudem consistere. Cui esset misericors in subjectos & miseros animus, hunc illi Poëtarum *Virgilium*, Rhetorum *Ciceronem*, Philosophorum *Aristotelem*, Medicorum *Hippocratem*, Jure-Consultorum *Justinianum*, Senatorum *Principem*, Prælatorum *caput* pronuntiarent.

§. 2. *Alia ex S. Paulo & SS. Patribus.* Sed Christianis, & elegantioribus verbis illam virtutem commendat S. Paulus & SS. Patres Ille, ad Phil. 4. v. 18. cap. illam vocant, *odorem suavitatis hostiam acceptam, Deo placentem.* S. Chrysost. Hom. 33. ad pop. *Melius est hanc artem eleemosynas dandi scire, quam esse regem: hæc enim domos in cœlis ædificat semper mansuras; hæc docet quomodo Deo possis fieri similis.* S. Leo ser. 10. de quadrag. *Ubi Deus misericordiam invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit.* Clemens Alexandrinus: *Dei Imago est homo benefaciens.* S. Greg. Nyssenus *Propria nota Deitatis.* Lactantius, *In homine præclarum, & excellens bonum, Misericordia.* S. Greg. Nazian. *Neq; enim omnino ulla res est, quæ Dei benevolentiam perinde conciliet, ac Misericordia.* Sanctus Ambrosius. *Nihil tam commendat Christianam animam, quam hæc virtus.* Sed his & similibus encomiis sanctorum Patrum alias insisto, hac concione aliquot causas proponam, ex quibus patebit, quàm hæc virtus divitibus sit necessaria, & utilis, si finē suum assequi desiderant; quem in hoc fundatum esse oportet, ut divinam Patris cœlestis misericordiā, cum ea maximè opus fuerit, experiantur.

§. 3. *Divites facile labuntur in morbos animæ; sanat illos Misericordia.* Divites plerumque gravium scelerum sunt rei, quibus & graves pœnas incurrunt, & proinde ut plurimum vitam degunt periculo infelicis mortis, atque æternæ damnationis sententiæ expositam. Ut autem à via mala convertantur, ut pro sceleribus suis satisfaciant, ut feliciter moriantur, ut vindicentur à flammis inferni, necessaria illis est Misericordia. Et primum quidem ut dives, si à morbis animi velit expediri, sit misericors, & liberalis erga pauperes. Id quod clarè Salvator noster ostendit Matth. 12. dum languidus quidam habens manum aridam, sanitatem ab eo rogat, cui ita respondit v. 13. *Extende manum tuam, & extendit, & restituta est sanitati, sicut altera,* addit hic Glossa: *Nihil plus valet curationi, quam eleemosinarum largitas & frustra pro peccatis rogaturus, manus extendit, qui has ad pauperes pro posse non extendit.* Latet pulchra doctrina: iste enim est sensus.

O divites! estis ægri, estis languidi in

§.4. *Divites frequenter manus habent aridas.* in cultu divino, adversa animas vestras valetudo afflixit. At præcipua morbi vis in eo est, quod manus habeatis aridas. Hos morbos vestros descripsit Apostolus ad Romanos 1. v. 29. cap. dum vos vocat; *repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, contentione, dolo, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos superbos, elatos* (& quod potissimum est) *sine affectione, absq; fœdere, sine misericordia.* Repetit hos titulos paulò aliis verbis 2. Timoth. 3. vers. 2. *Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, ingrati, scelesti, sine affectione.* Quod si ab his morbis, ab hoc languore convalescere desideratis, eo, quod cœlestis animorum medicus præscribit, medio utamini necesse est, Extendite manus, estote liberales & munifici in pauperes. Pulchrè S. Chrysologus, *Orate Patres, ne sit in Ecclesia cujus manum arefaciat cupiditas, contrahat avaritia, rapina debilitet, tenacitas ægrotam constringat* (an non Moguntinos aliquos describere videtur?) *sed si acciderit idipsum, audiat Dominum, & citò eam in opere pietatis extendat, relaxet, & eleemosynas porrigat. Sanari nescit, qui nescit pauperi fœnerari.*

§.5. *Confirmatur ex S. Ambrosio.* Et S. Ambrosius. *Qui in mortem peccatis aruerunt,* (cùm ultima & proxima dispositione, ut ardeant in inferno) *ad vitam eleemosynis reviviscunt*: Et rursum. *Sit illis misericordia fons salutis, quibus avaritia fuit mortis incendium; ut flammas, quas sibi peccando accenderunt, largiendo restringant.* Nihil elegantius primo concionis puncto addere potero.

Jam verò alteram dictionis partem, quod scilicet misericordia satisfaciat pro peccatorum pœnis, latè deducit S. Chrysostomus hom. 9. de pœnit. *Eleemosyna, inquit, Regina illa virtutum advocati optimi loco fingitur, magna res est eleemosyna; transit lunam, solis radios excedit, ad ipsum venit cælorum culmen, ipsos pertransiens cœlos, & Angelorum populos decurrens, Archangelorum choros, & omnes superiores Potestates, ipsi assistit regali throno.* hom. 33. ad pop. *Hæc Christi astat tribunali, non tantùm patrocinans, verùm & ipsi persuadens judici, ut reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat.* §.6. *Misericordia satisfacit pro pœnis peccatorũ.*

Audacter itaque in divinum vocatus tribunal prodeat, atque omni expeditus formidine consistat, quisquis hanc facundissimam nactus est Advocatam, *Misericordiam*! si fulmen divina minatur Justitia, hæc iratam retrahit dexteram; furoris ac vindictæ sit gladium ad puniendum evaginaverit, hæc benignè, ne noceat, in vaginam recondet; si illa in admissa invehatur scelera, hæc exercitos charitatis actus commendabit. Si vultum illa exhibet minacem, si oculis fulgurat, si ore tonat; hæc sermonis sui lenitate, serenitate frontis, oris demum ac linguæ affabilitate furorem mitigabit, avertet, extinguet. §.7. *Est advocata coram tribunali Christi.*

Sed pergit S. Pater hom. 36. ad pop. *Tanta vis est eleemosyna! cum multa fiducia suos introducit alumnos; est enim cæli nota janitoribus; contradicit nemo, sed* §.8. *Liberum ad illud habet accessum ut suos clientes defendat.*

sed omnes cedunt. Ut nimirum coram tremendo illo tribunali reos defendat. Fortassis in hæc, vel ejusmodi accusationum capita id temporis erumpet Justitia divina. Hic dives per fas nefasque, per fraudes atque injurias congessit opes, corrasit divitias; thesauros accumulavit. *Respondebit Misericordia*; sed fecit sibi amicos de mammona iniquitatis, sublevandæ inopum egestati non defuit. *Opponet illa*; animo fovit superbiam, præ aliorum conditione extulit se arrogantius, plus ac par erat, sibi suæque dignitati voluit tributum; *Hac respondebit*, Charitas quæ operit delicta Jacobo teste, hanc mentis inflatæ maculam diluit. *Illa reclamabit*, spoliavit pupillos, oppressit viduas, contritos magis conterere conatus. *Hac* factum quidem non inficiabitur, sed plura misericordiæ, quam tyrannidis opera ab ipso enumerabit. *Illa* allegabit luxum vestium, cultus divini neglectum, & sexcenta alia, quæ referre singula, nimis foret prolixum: sed omnes hos justitiæ incursus atque impetus, quæ vicina stabit, charitatis suæ scuto instructa *Misericordia*, repellet feliciter.

§. 9. *Visio S. Catharinæ Senensis.* Cum S. Catharina Senensis sollicita animo volveret, quid respondere posset Judici, si accusaretur à diabolo, Christus Dominus illi apparuit, argenteam ostendens Crucem, quam in juventute dederat pauperi, & se in extremo die judicii universo mundo illam ostensurum crucem promittebat, q.d. Confide filia, noli timere; hęc Crux quam dedisti pauperi, coram regio Justitiæ tribunali tuam causam defendet, & tibi patrocinabitur. Eja divites, extendite manus, projicite subinde in sinum, & manus pauperum aliquos argenteos nummos! in valle Iosaphat aliquando ostendet illos Christus Dominus, ut vestra scelera redimatis, &c.

§. 10. *Vir misericors non timet pœnas. Pulchrum Emblema.* Vir misericors non timeat pœnas. In numismate Quinti Augusti, formosa videbatur Virgo, quæ leva innititur columnæ, & dextera præfert ramum Olivæ, cum hac inscriptione, *securitas Augusti.* Pierius l. 49. Talis est profectò Misericordia, vel homo misericors: nam licet multorum scelerum reus sit, tamen columnæ spei, vel Sanctissimæ Crucis innititur: licet plurima ob scelera perpetrata, extremum illum vitæ agonem metuendi causam habeat non modicam: si tamen spe plenus, iratæ Nemesis gladio vel fulmini opponat ramum Olivæ, quæ symbolum est notum misericordiæ, stat securus, stat certus, stat lauro tectus, se Deo pro meritis pœnis per eleemosynas posse satisfacere.

§. 11. *Pauperes sunt regia cohors pro defensione Regis.* Oseæ. 12. v. 6. *Misericordiam & Iustitiam custodi, & spera in Deo tuo semper. Septuaginta: & propinqua Deo tuo seper.* Robertus Rex Francię turbam pauperum, quæ Regem semper sequebatur, vocare solebat cohortem, vel exercitum, quo instructus cœlum expugnaturus procederet. Divites & potentes hujus mundi, qui salvari cupiunt, videant, ut de simili cohorte sibi prospiciant. Plurimi, ut conscribantur, sese offerunt.

Nunc age, aggrediamur tertium punctum.

§. 12. *Per misericordiam divites consequuntur sanctam mortem.* ctum. Divites, virtutis hujus patrocinio felicem vitæ clausulam haud difficulter impetrant: Alibi hoc prolixius expono; modò sufficiant verba S. Hieronymi in Psal. 40. *Non memini me legisse malè mortuum, qui libenter opera pietatis exercuit: habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.* Novit hoc apprimè Galliæ Rex S. Ludovicus, à liberalitate in pauperes clarissimus, hinc egenos vocare solitus erat, stipendiarios milites, à quibus regnum Franciæ custodiretur. Quàm bene faciunt divites, quæ vestigiis sanctissimi Regis insistunt, qui tales milites sibi conscribunt, ut in agone contra Diaboli insidias armati, probeque muniti consistant. Certe teste S. Gregorio M. l. 4. Dial. cap. 36. quidam in ecstasi deductus fuit ad periculosum, & vorticibus infamem fluvium; ex cujus diversa ripa amœnissimos vidit hortos, ad quos aditus patebat per angustissimum pontem fluvio impositum, ex quo plerique in aquas dati præcipites. Et hos inter novit Stephanum quendam opulentum, sed ob varia scelera notissimum; Vix erat ille effusus in undas, cùm ecce emergentes quasi è profundo dæmones, miserum pedibus arreptum conati fuerunt submergere; sed ab Angelo bono è præsentissimo corporis atque animæ periculo ereptus fuit. Narravit vir ille visionem loci Episcopo, cui nota erant scelera Stephani, qui respōdit. *Quantum adverto, in Stephano mala carnis cum eleemosynarum operatione concertant. Scio hinc Stephanum ob notam luxuriam esse in periculo infelicis mortis, ut per illam demergatur in profundum æternæ damnationis; Sed video hinc pro illo decertare Misericordiam.*

§. 13. *Invectiva in tenaces.* O divites, O Eucliones! Scio non ità omnes terrenis hæretis immersi desideriis, non ita lucro tantùm inhiatis terreno, quin subinde ad cœlestem quoque thesaurum piâ cogitatione aspiretis. Non id improbo. Sed veniat pariter in mentem, angustam esse portam, difficilem aditum, & pontem, per quem eundum, planè lubricum & periculosum. Quid si in illo difficili transitu ad æternitatem, in agone inquam, vestra vos scelera, & numero prope infinita, & magnitudine gravissima, in subjectum desperationis abyssum præcipitent? non paucis ita usuvenit. Quid si ferream vobis catenam injiciant illæ vestræ libidines, superbia, avaritia? quid si eadem vos catena, momento quo non putaveritis, ex hac mortali vita in alteram infelicem pertrahant? Timendum profectò malum! Verùm me audite. *Misericordiam* modo, dum vivitis, ut vestra sit olim patrona, & in tanto salutis discrimine clementissima Advocata, subornate. Diligite *Misericordiam*, hujus vos tutelæ cōmittite, quod faciendum hæc suaserit, facite, nunquam ab illius imperio, vel nutu, aut etiam instinctu discedite; nec dubitate, comitem in morte habebitis felicem, quam in vita ita impensè, ut Dominam, ut Reginam, ut Matrem amastis & coluistis.

§. 14. *Misericordia liberat divites à damnatione æterna.* Atque ex hisce tribus, nunc quartum quoq; punctum breviter deduco. *Misericordia* liberat divites à periculo æternæ damnationis. De liberalitate, & be-

& benignitate Lothi, qua Gen. 19. v. 1. ingredientes in urbem juvenes excepit hospitio, pulchrè ait Origenes hom. 5. in Gen. *Audite hac qui peregrinis clauditis domos, audite hac, qui hospitem veluti hostem vitatis! Loth in Sodomis habitat, alia ejus benè gesta non legimus; hospitalitas sola in eo, ex usu veniens memoratur, evadit ignes, evadit incendia: ob hoc solùm, quod domum suam patefecit hospitibus. Hospitalem domum Angeli ingressi sunt; clausas hospitibus domos ignis ingressus est.*

Et Elegantissimè S. Chrysologus. *Loth, quia hospitio suscepit Angelos, judicium prævenit, Misericordiam nescit divinus ignis exurere. Faciat ergo misericordiam qui vult gehennæ incendium non timere.* S. Chrysostomus Hom. 33. *Non sinit nos eleemosyna eò decidere, quo dives ille epulo decidit;* Luc. 16 v. 22. *nec audire verba tremenda,* Matth. 25. v. 41. *discedite à me maledicti in ignem æternum; sed in sinum Abrahæ deducit.*

Loth quare liberatus ab incendio Sodoma.

§. 16. *S. Ioannes B. cum pænitentia prædicavit misericordiam.*

Lucæ. 3. cap. v. 7. 8. S. Joannes Baptista egressus è deserto per regionem Jordanis prædicat baptismum pœnitentiæ, ut impiis metum & terrorem incutiat, duris verbis, & asperis minis illos aggreditur. *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? jam securis ad radicem arboris est posita, omnis arbor non faciens fructum excidetur, & in ignem mittetur.* Territi his minis quærunt, *Quid ergo faciemus?* q. d. quis has pœnas evadendi modus? quæ ratio? respondit pœnitentiæ præco. Inprimis, *pænitentiam agite*, hoc primum est, deinde; *qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.* q. d. Vos usurarii estis, vos rapinis dediti, ac furtis, vos de terrenis duntaxat solliciti, de bonis æternis ac cœlestibus ne quicquam laboratis: ac cavete, parata est pœna, posita ad arborem securis; cras forsan exscindemini, cras forsan flammis æternis pabulum eritis: nec alius evadendi modus, nisi dando egenis, date quod clementiæ parens suggerit Misericordia; conferte in pauperes, quod in vos, si egeni essetis, collatum desideratis. Hic & non alius vindicandi animas vestras ab igne Infernali est modus.

§. 17. *Misericordia est funis quo divites à sinistra Iudicis trahentur ad dexteram.*

Finem dicendi imponet pietas insignis illius Matronæ, & eximia ejus in pauperes liberalitas. Nam cum duobus mendicis stipem fortè petentibus, aliud ei, quod in ipsos conferret, non suppeteret, argenteum cingulum, quo succincta erat, obtulit. Quam insolitam liberalitatem admiratus mendicantium alter, instinctu Spiritus Sancti dixit: *Bene habet, hoc cingulo aliquando in die judicii à parte sinistra, trahemus te ad dexteram.* Voluit innuere, Misericordiam erga pauperes esse funem, quo divites se liberare possunt ex periculo æternæ damnationis.

§. 18. *Imploratio misericordia Divina.*

O si plures ejusmodi funiculos nobismet ipsi contexeremus Auditores! Doceat nos hanc artem Magistra Clementia, instruat Misericordia, erudiat Christianæ charitatis affectus erga eos, qui vel opem nostram, vel solatium desiderant. *Trahe me post te*, ajebat ad sponsum sponsa in Canticis. *Trahe me post te*, dicam ego, O cœlestis Misericordia, cùm mihi laqueos injicere conabuntur

nabuntur dæmonum insidiæ; cùm moribundum me destituent mortales, *Tu, trahe me post te.* Hunc in finem dum vivo, traham te, post me. Nunquam non tui memor, amoris vinculis, benevolentiæ funiculis constringam egenos, ut Tu vicissim, cùm opus fuerit, animam meam, *O cœlestis Misericordia*, Charitatis æternæ funiculis irretias, trahasq; à sinistra ad dexteram benignissimi JEsu, cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.



CONCIO XXXIV.

DOMINICA V. POST SS. TRINITATEM.

Ascendens in unam navim, quæ erat Simonis,

Lucæ, 5. v. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de aliquibus signis, & notis veræ Ecclesiæ.

§. 1. *Affluxus turbarum ad Christum D.*

§. 2. *Quare ascenderit Navim?*

§. 3. *Captura piscium fuit figura veræ Ecclesiæ, de cujus signis agit hæc Concio.*

§. 4. *Captura piscium mutata à Christo in capturam hominum.*

§. 5. *Veræ Ecclesiæ varia sunt signa.*

§. 6. *Præcipuè quinque, est sponsa, ideo una.*

§. 7. *Multorum Ecclesia non est una.*

§. 8. *Hæc est apud solos Romano-Catholicos.*

§. 9. *Contentio duarum mulierum coram Salomone.*

§. 10. *Sponsa debet esse pulchra, & sancta.*

§. 11. *Sunt etiam inter Catholicos gravia scelera, sed non probat illa Ecclesia.*

§. 12. *Vera Ecclesia debet esse corpus mysticum.*

§ 13. *Cum pulchro ordine inter corporis membra.*

§. 14. *Qualis est in Ecclesia Romano-Catholica.*

§. 15. *Vera Ecclesia est regnum DEI.*

§. 16. *Continens omnes provincias mundi.*

§. 17. *Stabilitas Romanæ Ecclesiæ defectus hæresum.*

§. 18. *Epilogus.*

DE

§. 1. Affluxus turbarum ad Christum D.

DE sequentibus Christum Dominum ad audiendum verbum ejus, pulchrè dixit S. Chrysostomus, *Erant ei connexi, diligentes eum, & mirantes, tenere cupientes, &c.* Non miror, Christus Dominus erat speciosus forma, amabilis facie, suavis in verbis, dulcis in conversatione, potens in opere, & miraculis, omnium solatium: hinc ille ardens amor in populo, & summum desiderium semper adhærendi Christo. Verùm cur hæc tam eximia, *diligere Christum*, in quo consistit vita æterna, *connecti Salvatori*, à quo omnis promanat benedictio: *illi adhærere*, quæ summa est felicitas; talia inquam, tam eximia cur solùm dicuntur de turbis, & de plebe? *cùm turba irruerent in IESUM.* Ubi Principes? ubi Scribæ, & Pharisæi? ubi Sacerdotes? videtur jam tùm viguisse ille usus, qui hodiè invaluit, ut Magnates, Proceres, & Primarii haud magni æstiment conciones, ut rarò audiant verbum DEI; conformiter illi maledictioni 2. Reg. 1. v. 21. *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos.*

§. 2. Quare ascenderit navim.

Dum cœlestis Magister navim convertit in cathedram, terramq; deserens ascendit in mare; suos Apostolos, & Prædicatores docet, quomodo à terra, id est mundo, honoribus, voluptatibus debeant deflectere, si quidem reti prædicationis copiosam piscium, seu animarum partem irretire desiderant. Alterum verò ad hunc finem obtinendum monitum est, ut ducant in altum, id est, ut ad magnam, & altam aspirent perfectionem atque vitæ sanctitatem, laxentq; sua retia in nomine suo: quod quamprimum Petrus fecit, ingentem piscium cepit multitudinem. Nomen JESU fuit *unguentum effusum*, quo dum rete Petri inunctum fuit, illi ultrò se pisces implicarunt. Hoc modo in mari pisces fuerunt inclusi reti S. Petri; in terra verò homines reti amoris JEsu.

§. 3. Captura piscium fuit figura veræ Ecclesiæ de cujus signis agit hac Concio.

Captura hæc piscium & navicula Simeonis apud omnes interpretes fuit symbolum, & figura veræ Ecclesiæ, de quâ hodiè celebris est quæstio, apud quos inveniatur, an apud Catholicos an Lutheranos, aliosq; sectarios. Tria hac concione vobis proponam, quibus auditis vosmetipsos judices appellabo. Benè habet in nomine JESU ducam in altum, & laxabo rete concionis. Da mi Salvator, ut in laboris mei solatium, vel unum pisciculum capiam.

§. 4. Captura piscium mutata à Christo in capturam hominũ.

Mirabili hac captura piscium, Christus DEI filius non tantùm omnipotentiam suam ostendere voluit, juxta c. 13 v. 9. Esther; *sub cujus ditione cuncta sunt posita*; terra, mare, homines, pisces, & omnes creaturæ: verùm etiam miraculo hoc, veluti pulchra parabola prælusit conversioni gentium, & prædicationi Evangelicæ qua quasi reti, innumerabiles animæ captæ sunt, & tractæ ad agnitionem, & amorem Salvatoris. Audiamus Bedam in Lucam: *Per hoc quod dixit, ex hoc eris homines capiens, voluit demonstrare, quid mysticè illa captura piscium monstraret; ac si diceret; sicut hactenus cœpisti pisces per retia corporea; sic amodò capies homines ad salutem per prædicationem divinam.*

Hæc

Hæc autem captura & prædicatio in una solùm fit Ecclesia, de qua quæritur, an illa apud Catholicos, an Lutheranos reperiatur.

§.5. *Vera Ecclesiæ varia sunt signa.* Quænam autem Ecclesia vera sit, & Ecclesia Christi, colligere necesse est, ex certis signis, in sacra scriptura benè fundatis. Gen. 4. v. 15. *Posuit DEus signum in Cain*; ex quo statim agnitus fuit. Talia signa apposuit Ecclesiis spuriis, & adulterinis; alia verò Ecclesiæ sanctæ & suæ, ex quibus, quæ vera sit, agnosci potest. Ecclesia est veluti Sol, qui suum splendorem, vim & efficaciam, substantiam, & essentiam pulcherrimis radiis demonstrat. Per aureos radios Ecclesiæ intelligo modo aliquos titulos, vel encomia, quibus in sacris literis Spiritus Sanctus suam Ecclesiam extollit, & prædicat, quæ omnia ad quinque fere capita reducuntur.

§.6. *Præcipue quinq; est sponsa, ideo.* 1. Quod sit sponsa Christi, & una. 2. quod sit corpus Christi. 3. quod sit regnum DEI. 4. Domus Dei. 5. Castrorum acies ordinata. Ideò Christus Dominus vocatur Ecclesiæ sponsus, Caput, Rex, Princeps, Dux & Rector. Alii tituli, quod Ecclesia sit soror, mater, amica, columba, pulchra, immaculata, dilecta, electa, perfecta, turris, civitas, terribilis, militans, &c. hæc inquam omnia, & similia prioribus comprehenduntur, ex quibus, apud quos vera sit Ecclesia, non erit difficile cognoscere. Itaque primus titulus fuit; Vera Ecclesia est Sponsa Christi, & una. Sic sponsus ait Cant. 6, v. 8. *Una est columba mea, perfecta mea.* q. d. unicam sponsam agnosco & diligo. Ex latere dormientis Adam in paradiso unica educta fuit Eva: ex latere & corde dormientis in Cruce Christi, cum sanguine & aqua unica effluxit Ecclesia & Sponsa. Ad Ephesios 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Non dicitur Ecclesiis: sed sicut unus Christus & filius Dei, sic una est Ecclesia; sicut unus est sponsus, sic una sponsa ad Ephes. 4. v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*, addo; unum ovile, una sponsa, una Ecclesia. Hanc sponsam scimus simul esse columbam, id est, Matrem & fœcundam, veluti olivam fructiferam; proinde sicut maritus unicam diligit uxorem, sic Christus unam Ecclesiam; maximè cùm sit pulchra, speciosa, decora, fidelis, pacifica & immaculata. His positis quæritur ubi sit hæc Ecclesia, sive Congregatio fidelium?

Dico. 1. patere Orbi, luceque Solis esse clariùs. Oculis cernimus, manibus palpamus, Ecclesiam Lutheri, vel Calvini, in doctrina, in amore, in Sacramentis, in cæremoniis, non esse unam, sed divisam, & distractam in partes. Alia & diversa non solùm docent Lutherus, & Calvinus: sed Lutherani etiam, & Calvinistæ inter se varias in sectas, sententias, & dissidia dispersi sunt; verbo *quot capita, tot sententia.* Enimverò sunt ex iis non pauci, qui Sacramenta asserunt tria numero, alii duo, unum alii; Alii rejecerunt cæremonias Ecclesiasticas omnes, alii aliquas. Sacrorum ritus alius est in Germania, alius in Britannia &c. imò in una eadem urbe in multis discrepant. §.7. *Multorū Ecclesia non est una.*

Et erit adhuc tam vecors aliquis, tam insipiens, qui similes sectas veram esse Christi naviculam sibi possit persuadere? Misera profecto navis, quæ & gubernatore caret, & remo & concordi remigium labore atque industria est destituta! si contingat clamare alium. explicanda esse vela, navigandum Orientem versùs; ad Occidentem alium jubere impelli remos: alium, in Septentrionem cursum navigationis dirigendum; alios, tenendum littus, alios, in alto versandum, alium aliud vociferari, si inquam hæc contingant, & quid si naviculæ hujus tot sint gubernatores, quot nautæ, ac remiges? ecquem obsecro finem ridicula hæc navigatio consequetur? cui tandem littori appellet? quem tenebit portum? ubi gentium, aut quibus in oris exscensionem facient miserandi nautæ ejusmodi? Ah vereor, ne ventorum fiat tempestatumque ludibrium hæc navis. Vereor imò certissimò assevero, nunquam tam discors, tot capitum gubernatorumque sententia hanc miserandam navim in æternæ beatitudinis portum deducet.

§ 8. *Hac est apud solos Romano Catholicos.* Apud Romano-Catholicos in his omnibus summa est unio, & concordia, in punctis sive articulis fidei. ut vocamus nulla est discrepantia, In Europa, Africa, Asia, America, ab ortu Solis usque ad occasum, ubicunq, sunt Catholici, idem sapiunt, idem sentiunt, idem docent de omnibus mysteriis, ritibus & Sacramẽtis præcipuè. De hac Ecclesia dicere possumus, *Una est navis, una est colũba, una Sponsa Christi.*

Dum lis est de hac unitate, occurrit mihi celebris illa contentio, duarum mulierum 3. Reg. 3. v. 23. 24. De vivo filio ait una. *Meus est*: altera, *meus est.* Una ait alteri, *Mentiris, filius quippe meus vivit, & filius tuus mortuus est.* Vicissim altera, *Mentiris, tuus est mortuus, meus vivit.* Ad decidendam litem ait Salomon, *afferte mihi gladium, & dividite infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri.* Hic commota fuerunt viscera veræ Matris, ut exclamaret, *Obsecro Domine, date illi infantem vivum, & nolite interficere.* Adulterina verò Mater; *Nec mihi, inquit, nec tibi sit; dividatur.* Vix hoc audiit Rex prudentissimus Salomon, vix mentio fuit facta de divisione, quam princeps pacificus cane peius & angue oderat, litem decidit, & pro altera muliere, cui unitas potior erat quam divisio, sententiam pronuntiat. *Vera mater fuit, quæ nullam divisionem admisit.* Ite jam discordes hæreseon sectatores! ite, audistis judicium: pronuntiavit æternæ veritatis sententiam nullo unquam tempore revocandam cœlestis Salomon; *Una, inquit, est columba mea.* Vos eam inter vos partimini, vos quod dividi non potest, indies dividere conamini. Vicit causam piissima Mater Romano-Catholica Ecclesia Nihil illa de divisione fidei, nihil de crudeli illa membrorum in varias sectas dispersione cupit intelligere; ejus est Symbolum: *Vel totum, vel nihil.* Nimirùm lucidissimus Sol, vera Christi religio, nec socium patitur alterum, nec sui divisionem potest, aut vult admittere.

§. 9. *Contentio duarum mulierum coram Salomone.*

Hanc

§. 10. *Sponsa debes esse pulchra. & sancta.* Hanc Sponsam pulchram esse docet, & formosam; quæ pulchritudo consistit in sanctitate, in innocentia vitæ; in corde puro, & immaculato. Sanctam credimus Ecclesiam: Disquirite nunc, quænam Ecclesia sit sanctior, an Romana, vel alia quævis ego

Dico 2. Illam Ecclesiam esse pulchram, sive sanctam, quæ prohibet malum non verbis tantùm, sed & factis; quæ carpit vitia. quæ prædicat pœnitentiam, quæ suos invitat & vocat, & ducit ad viam arctam, & portam angustam æternæ gloriæ. Non verò illam, quæ licentiam ad omne scelus liberrimè cuivis impertit, quæ pœnitentiam destruit, quæ viam latam voluptatum aperit ad æternam perditionem. Hoc faciunt Lutherus & Calvinus. *Hic* docet esse impossibile servare mandata DEI; reprobos damnari necessariò; non esse homini liberum amplecti virtutem &c. *Ille* asserit ad justificationem impii, & ad obtinendam salutem sufficere solam fidem & spem in Christũ, licet sit blasphemus, licet fornicarius, licet homicida &c

An non hæc doctrina portam aperit infernalem? Pœnitentia his hæresiarchis est fabula, est figmentum Papistarum: Confessio, equuleus, tortura & tyrannis conscientiarum; satisfactiones nostræ sunt superfluæ, imò sordes. Vota sunt nugæ, præcepta Ecclesiæ nulla. Horum Doctrina est, O quam sancta, quam pulchra! licere religiosis fugere ex claustris, ducere uvores, & similia sexcenta. Poteritne prudens & æquus æstimator judicare hanc Sponsam, hanc doctrinam fluxisse ex latere, & corde Christi? ex fonte omnis puritatis? Nunquam ego sic judicabo, quin potius hanc Ecclesiam meretricem esse Babylonicam, quam sponsam Christi existimo.

Non negamus etiam à Romano-Catholicis multa & gravia committi scelera; non negamus gravissima quandoque scandala præberi; & sæpè in urbibus Catholicis graviora, quàm apud heterodoxos. Verum quid inde argues? an fidei sinceritatem evertunt perversa nonnullorum exempla? nequaquam sanè. Necesse est, ut veniant scandala. Vox est Salvatoris. *Væ autem homini illi per quem scandala veniunt.* Videt Ecclesia nostra Catholica, videt plurima in membris suis odio quàm amore, pœna quàm præmio, tenebris, quàm luce digniora: non ea approbat, sed vituperat; non laudibus prosequitur, sed suppliciis. Et si quandoque certas gravissimasque ob causas dissimulatione utendum existimat; vel quod temporum injuriis nonnihil cedendum sit, vel quod aliam in occasionem rejiciat, non tamen ideo illis subscribere, non fovere malum, non iniquitatem pascere dici jure poterit. Quid? An non clamat illa ad divites æquè ac pauperes? ad nobiles, & ignobiles, ad dynastas, & plebeios, ad subditos & Reges? *Iniqui regnum DEI non possidebunt.* An non extollit vocem suam quasi tuba, atque ad pœnitentiam provocat, exhortatur, exstimulat? An non summos æquè ac infimos suis adstringit legibus? an non omnibus pœnitentiæ opera inculcat?

§. 11. *Sunt etiam inter Catholicos gravia scelera, sed non pro, at illa Ecclesia.*

cat? an non urget seriam peccatorum exomologesin: an non invitat immundas animas ad balneum divini Sanguinis JESU Christi? an non ad producendos bonorum operum fructus sollicitat? Possem, si necessum foret, insignia hujus rei exempla in medium afferre; possem nominare potentissimos Reges, in quos, impios atque in malo obstinatos illa nostra Ecclesia Catholica gravissima anathematis fulmina vibravit: possem integras adducere provincias, ac regna, quorum vitiis illa non minus audacter, quàm fortiter pro DEI gloria se se opposuit. Tantum abest, ut quod mentiuntur adversarii, scandalis vel occasionem præbeat, vel id quod malum est, tueri atq; defendere machinetur.

§.12. *Vera Ecclesia debet esse corpus mysticum.* Alter titulus Ecclesiæ est, quod sit mysticum Corpus Christi, sub uno capite, quod etiam Christus est. Ad Ephes. 1. v. 23. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* cap. 4. v. 4. *Unum corpus, & unus Spiritus, unus Dominus.* De essentia verò corporis est unum caput, cujus influxu, & virtute reliqua membra licet diversa sint, gubernantur & conservantur. Nunc inquirite, quænam Ecclesia referat corpus sub uno capite, & quidem per totum orbem, per quem Ecclesia Christi est propagata. Dicite ergo Lutherani, ubi est vestrum caput cujus estis membra? estne in Germania? estne *Francofurti*? id non concedet *Argentina*. Estne *Norinberga*? negabit *Saxonia &c.* Atque ita de aliis sectæ vestræ civitatibus, aut provinciis licebit disserere. Dicite Calvinistæ? ubi est vestrum caput? *an in Anglia?* verùm Galli nullam ægnoscunt Anglis debitam subjectionem. *An igitur in Galliis?* inficiabuntur *Britanni*.

Si verò illud quæratis ex Catholicis, idem omnes, non tantùm urbes, sed provinciæ & regna respondebunt. Hispani dicent, *Roma est.* Galli, *Roma est*, Germani, *Roma est.* Idem loquentur Poloni, idem Bavari, idem Austriaci, idem Catholici loquentur universi.

§.13. *Cum pulchro ordine inter corporis membra.* Natura vel naturæ auctor inter membra corporis humani diversissima, pulchrum nihilominus constituit ordinem, & symmetriam unius cum alio. Similis ordo requiritur in membris Ecclesiæ, cum potestate quadam, quæ præcipuè confertur constitutis in sacris Ordinibus ad conficiendum Sacramenta, ad prædicandum DEI Evangelium, aliaque munia Ecclesiastica catholico ritu, atque ordine peragenda. Apud Lutheranos, & Calvinistas pleriq; potestatem hanc prætendunt; sutores, sartores, imo fœminæ licere sibi interpretari scripturam, contendunt. Dicite, quis hic ordo? quæ connexio? quæ membrorum symmetria? quæ unius ab alio dependentia? Cùm dubium obrepit, ad quem judicem confugiant, plures non habent exploratum; plurimi se solos sapere arbitrantes, nefas esse judicant, doctiorem consulere.

§.14. *Qualis est in Ecclesia Romano-Catholica.* Catholicæ Romanæ Ecclesiæ Corpus sub uno capite diversissima habet membra, sed pulcherrimo cum ordine, & continua successione, jam ab annis 1664. de qua pulchrè S. August.

Tenet

Tenet me in Ecclesia, ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum. Cum hæc diceret scriberetque S. Augustinus, fuit successio Pontificum quadraginta; quid modo diceret, postquam plures quam ducenti sibi continuo successerunt in cathedra Petri? Quæso hic iterum vos estote Judices, causam decidite, ferte sententiam: ego decido, fero, pronuntio pro Catholicis.

§.15. *Vera Ecclesia est regnum Dei.* 3. Ecclesia vocatur regnum Dei, quod Prophetæ, præcipuè David, prædixerunt dilatandum per totum terrarum orbem, & ipse Christus Dominus dixit Apostolis, Marc. 16. v. 15. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Evangelistæ prædixerunt fore stabile. Luc. 1. v. 33. *Regni ejus non erit finis.* Dan. c. 7. v. 14. *Regnum ejus, regnum sempiternum.* Actorum 5. v. 39. *si ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur; si verò ex Deo est, nemo potest dissolvere.* Ex hoc unico signo ego cum multis infallibiliter colligo, apud Lutheranos, Calvinistas non esse veram Ecclesiam: quia nec hæc, nec illa dilatata est per totum orbem. Lutherana sedem præcipue pro dolor! habet in Germania, aliqua tantum in parte Europæ. Calvinistica quondam in Gallia, hodie felicibus felicissimorum Regum armis ferè prostrata jacet. Et quot alia regna in orbe supersunt, ad quæ ne fama quidem Calvini nomen pervenit; nec spero ullo unquam tempore perveniet. De sola Romano-Catholica dicere possumus, dominari illam *ab Ortu Solis usque ad Occasum.*

Fuerunt in novo etiam orbe Reges complures, (qui Dei gratia etiamnum existunt) qui Romano se Pontifici, tanquam Christi in terris Vicario, subjecerunt; barbari licet essent, atque humanitatis inexpertes iis in oris mortales. Nominate si potestis vel unum ejusmodi Regem, aut Principem, Lutherani, cui in Chinis, in Indiis, in Japonia, in Monomotapa & sexcentis aliis locis persuaserit Lutheri vestri, aut Prædicantium auctoritas, ut sua regna, sceptra, purpuram, coronam, terras, provincias, populos, illorum in spiritualibus imperio subjicerent? Sed quid purpuras nomino? quid sceptra & coronas? ne reguli quidem, & principes tam fatui sunt, ut illorum se Dominio, quod in rebus ipsorum sacris, non nisi fictum est, submittant. Pudet huic argumento, quod omnibus notum est, quid in historiis Orientalium regnorum peregrini non sunt, immorari diutius: præterquam quod alibi ago de veræ Ecclesiæ propagatione, & per universum orbem dilatatione. §.16. *Continens omnes provincias mundi.*

Stabilitatem quod attinet, reperiemus in historiis, omnes fermè hæreses in initiis magna sumpsisse incrementa, mox tamen suis labefactatas defecisse. S. Augustinus in Ps. 57. *Non terreant vos, fratres, quidam fluvii, qui dicuntur torrentes: decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit, diu stare non possunt. Multæ hæreses jam emortuæ sunt, cucurrerunt in rivis suis, quantum potuerunt; decurrerunt, siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur.* Ducentæ §.17. *Stabilitas Romana Ecclesiæ: defectus hæresum.*

& amplius hęreses fuerunt ante Lutherum; quarum apud vulgum non est nomen amplius nec memoria: Fuerunt torrentes.

§.19. Epilogus. Lætamur verò, quicunque per Dei gratiam in hac Christi & Petri versamur navicula Catholici. Ita tamen lætamur, ut simul bonorum operum, virtutumque remos impellere non cessemus. Instamus fortiter operi; nam ad beatæ vitæ portum navigamus; ab uno omnes gubernatore provecti, nō in varias dispersi sectas, educti in altum Sanctitatis Oceanum. Denique omnium fermè Regum, ac Principum, ibi nobilissima mundi totius (si pauculos excipias hęreseon angulos) corona, & societate locupletati.

Finio, declaraturus alibi, quam elegans domus Dei sit Ecclesia Romano-Catholica, & quam ordinata atque terribilis castrorum acies; quæ cœlesti suo Regi fidelissimè militat, cui sit laus, & honor in sæcula. Amen.



CONCIO XXXV.

DOMINICA VI. POST SS. TRINITATEM.

Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.

Matth. 5. vers. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Quantum noceat ira: quomodò domanda sit,

§. 1. *Tres gradus iræ.*

§. 2. *Propositio, quantum noceat, quomodo domanda sit; hæc erunt duo puncta hujus concionis.*

§. 3. *Morbus gravis est, qui mutat faciem, hoc facit ira.*

§. 4. *Iracundo proponendum speculum.*

§. 5. *Ira est voluntarius dæmon. Convertit hominem in bestiam.*

§. 6. *Invectiva in Iracundos Conjuges.*

§. 7. *In iracundo habitat diabolus.*

§. 8. *Iracundus est chymara.*

§. 9. *Iracundia Saulis.*

§. 10. *Varia similia.*

§. 11. *Aliud.*

§. 12. *Aliud simile; & descriptio iracundi.*

§. 13. *Alia descriptio.*

§. 14. *Alia.*

§. 15. *Motus iræ debent statim compesci.*

§. 16. *Exemplo Danielis l. 1. R.g. c. 14.*

§. 17. *Ira est flamma: statim debet extingui.*

§. 18. *Petulanti equo statim injicitur frænum.*

§. 19.

§. 19. Sepe res levissima gravissimè offendunt iracundos.
§. 20. Crudelitas Mahometis Turcarum Imperatoris.
§. 21. Animus se ante preparet, ut vincat iram.
§. 22. Simile S. Chrys.
§. 23. Epilogus.

§. 1. *Tres gradus ira*

IN iram invehitur Salvator noster in hodierno Evangelio, & tres illius status constituit. Primus est, cum quis interius in corde deliberata voluntate concipit iram contra fratrem: hunc dicit esse reum judicio. Judicium autem apud Judæos erat Concilium viginti trium virorum. Alter est, cùm quis iram interius conceptam verbis, vel voce aliqua contumeliosè effundit, v. g. *Raca*. Hoc qui fecerit reum se concilio declarat, & olim quigem talis coram tribunali septuaginta duorum virorum accusari solebat. Tertius denique gradus est, cùm ira erumpit in manifestam injuriam, & tum, qui hoc modo irascitur fratri, reus est gehennæ ignis. Ex quibus pœnis patet Christum Dominum de ira gravi, & voluntaria voluisse disserere.

§. 2. *Propositio; quantum noceat, quomodo domanda sit; hac erunt duo puncta huius concionis.*

Neque verò abs re me facturum existimo, si cum Salvatore meo hodierna die eidem themati insistam; præsertim cum vulgare sit malum iræ, & quod altas perniciosasque in plurimorum animis radices egerit. Id quod facile consecuturum me spero, si priori concionis parte ostendero, quantum & corpori, & animæ detrimentum afferat effrænis hæc bellua; ita tamē ut in altera mox parte, frœnos eidem domandæ, & sub rationis imperio continendæ suppeditem.

§. 3. *Morbus avis*

Eleganter ait Plutarchus lib. de cohibenda ira: *sicut Hippocrates ait eum morbum esse gravissimum, qui faciem ægrotantis quàm maximè mutat in diversum: ita conspiciens aliis ob iram maximè accidere, ut vultum immutantes, colorem, incessum & vocem, in diversum verterent; hinc velut imaginem ejus mali mihi fingebam, admodum dolens, si aliquando tam formidabilis viderer amicis aspectu truci & inamœno.* Gravibus verbis eandem rem proponit *S. Chrysostomus tom. 5. ajens. Eius interior perturbatio in exterioribus apparet, insuaves enim oculi, distortum os, artus tremuli, & tumentes, lingua impura, blasphema, & sæpe muta, mens emota, nonne tu id omne infamia tribuis? quid enim si ad tempus id respondeas? Nam & qui furit ad tempus furit.* *Est qui mutat faciem, hoc facit ira.*

§. 4. *Iracundo proponendum speculum.*

Addit Plutarchus, *quod si mihi esset famulus diligens molestè ferrem, si in ira speculum mihi afferret; si fortè tam teter aspectus iram sapiat.* S. Ambrosius 2. off. c. 49. *Non inveniat in te adversarius imaginem suam, non rabiem, non furorem, in hoc enim imago eius es; adversarius enim diabolus tanquā leo rugiens, quærit quem occidat, quem devoret. 1. Pet. 5. v. 8.* Tales leones, tales leænę rugientes sunt viri & fœminæ iracundæ; tigrides sunt imaginem rugientis & ferocientis diaboli circumferentes.

§. 5. *Ira est voluntarius damon. Convertit hominem in bestiam.*

Iterum S. Chrys. Hom. de mansuet. *equis videns hominem ira furere, dubitaret, vel dæmonio agitari miserum, vel voluntariè in tantam insaniam prosilire? Ira voluntarius dæmon.* Paulò mitior est S. Basil. Hom. de ira, qui non quidē cum diabolo

diabolo, sed cum fera & bestia confert iracundum. *Quando enim semel iræ perturbatio mentem præcipitans, imperium animæ sumpserit, hominem penitus in feram convertit; nec hominem qui rationis sit compos esse sinit.* In eadem homilia; *impetu*, inquit, *feruntur, insiliunt rabie, ut canes latrant, pungunt ut scorpii, mordent ut serpentes.* Et oratione 9. *Mala res est cum cane colligari, perpetuoque ejus latratu frui, sed difficilius est cohabitare iracundo.*

§ 6. *Invectiva in iracundos Conjuges.* Testor omnes conjuges, quibus illis cohabitare vel leonibus, vel leænis cruciatus est longè acerbissimus. Nec dubito quin, si uxoribus quibusdam palam hac de re verba facere liceret; aliud nil dicturæ essent, quam plurimæ saltem, quam, non Patremfamilias se nactas in marito conjuge, *sed leonem*: non virum, *sed bestiam*; non in adversis solatium, *sed serpentem, molossum, scorpium, dæmonem.* Ita nil nisi horridum, truculentum, leoninum, barbarum ab illo speres. Sed vice versa si maritos audiremus, prô! quam vivis plurimi coloribus repræsentarent conjuges suas! quas vel leænas dicerent, vel rabidas tigrides, vel furias & megæras, quæ omnes ædium angulos rixis, clamoribus, ira atque impatientia impleant. Et quæ ista amabo est societas? quæ conjugalis ejusmodi status deliciæ? Repeto tuum D. Basili oraculum, *Mala res est cum cane colligari, perpetuoque ejus latratu frui.*

§. 7. *In iracundo habitat diabolus.* Dixeram antea sanctum Basiliũ esse nonnihil mitiorem S. Ambrosio, sed revoco; huic enim consentit Hom. de ira, inquiens, *sicut qui charitatem habet, Deum in se habet; ita qui iram, & odium habet, dæmonem in se continet, vel potius est incarnatus dæmon.* Seneca l. 2. de ira. *Qualia Poetæ inferni monstra finxerunt, succincta serpentibus, & igneo flatu, quales teterrimæ inferis exeunt furiæ, qualẽ Cerberum tricipitem, flammas vomentem, talem nobis iram figuremus.*

§. 8. *Iracundus est chymæra.* Chymęra monstrum est, quod Philosophi ex variis animalibus componunt, v g. apro, & serpente, leone, & mulo, cato, & serpente, vulpe, & ansere. Ens rationis est talis chymæra: nisi dicamus esse iracundum; hic dentes ostentat ut aper, lingua sibilat ut serpens, oculis scintillat ut leo, voce fremit ut tigris, latrat ut canis, unguibus lacerat ut catus, pedibus impetit ut mulus, præ ira exilit ut equus, trudit ut taurus. Si opus foret, possem nominare ædes, in quibus tales reperire esset chymæras.

Quid mirum, quod in tali bestia, in homine inquam iracundo, ratio locum non habeat? Audite Sanctum Gregorium Nazianzenum, *ira*, inquit *est turbo mentium.* Sanctum Chrysostomum, *ira quasi tempestas in animam irruit.* Senecam; *ira non secus quam fulmina, procellæque & si qua alia, irrevocabilia sunt; nec eunt, sed cadunt; vim suam exerit, atque obruit rationem.* Adeo siquidem iracundi excæcantur, ut quid agant, non videant. De quo David questus fuit Psal. 30. v. 10. *Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.* Quasi diceret, Ira conatur oculum mentis, sive rationis, & animam, & corpus, sive totum hominem conturbare. Sic

§.9. *Iracundia Saulis.* Sic conturbati fuerunt oculi Saulis l.1.Reg.20.v.30. Nam dum Jonathas apud iratum Patrem pro Davide intercessit, Saul non tantum acribus verbis filium excepit, sed insuper hastam arripuit, ut Pater filium, Saul Jonatham transfoderet. Et quid agis Regum infelicissime? in Jonatham, filium primogenitum? in hæredem regni? in innocentem, contorques hastam? *Nescit scilicet iracundia succensus animus quid agat.* Turbo irarum & tempestas irruit in animam ejus, sic loquitur sacer textus; *quia iratus est Saul adversus Jonatham.*

§.10. *Varia similia.* Conturbationem, & perturbationem, qua ita in hominis animam irruere solent, SS. PP. pulchris explicant similibus. Primum est S. Chrysostomi l. 2. de Sacerd. *Nihil sic ingenii perspicuitatem, nihil sic mentis aciem hebetat, ut ira, nullum ordinem servans, ab animi impotentis impetu nata, ira enim & prudentes perdit; quasi enim in nocturna pugna aliqua* (in verbis quæ sequuntur latet similitudo) *obtenebratus animi oculus non internoscit amicos ab adversariis, neque ignobiles à claris, sed omnes simul uno loco habet; ita ira tyrannis, ubi animum possedit, voluptatis tyrannide crudelior truculentiorque est; universum illius statim disjicit, conturbat & pervertit.* Ita os illud aureum Chrysostomi.

§.11. *Aliud.* Plutarchus hoc simili fuit usus. *Ira non aliter agit, quam illi, qui se se unà cum ipsis ædibus incendunt; ita tumultu, fumo, & caligine cuncta intus replet, ut nec videre possis, nec audire eos, qui cupiunt subvenire.*

S. Chrysostomo placuit simile desumptum à naufragio. *Iratus animus est navis inter fluctus sine remo, sine navarcho &c.* Ejusdem sunt & illa: *Sibi ipsis imperare non valent iracundi, & quia furore & ira vincuntur, similes sunt navi, quæ in media tempestate submergitur, à gubernatore destituta, undequaque procellis in eam ingressis.* §.12. *Aliud simile & descriptio iracundi.*

Ex tali nocturna conturbatione, in tali incendio & naufragio, iterum turget facies, (S.Chrysost. or. 5. adv. Jud.) *vox fit asperior, oculi fiunt sanguinolenti, mens obtenebratur, prudentia submergitur, lingua tremit,* (sæpe erumpit in maledictiones, imprecationes, contumelias, blasphemias in Deum & Sanctos) *nimirùm, Ira percellente cerebrum, tempestatem concitante, turbationemque gignente insedabilem.*

§.13. *Alia descriptio.* Huic loco accommoda est alia descriptio iracundi hominis apud eundem S. Chrysost. ser. de mansuet. t. 5. *Iracundus insuavis est obviis, insuavis vicinis, communisque hostis civibus, & peregrinis, clamat, vociferatur, plagas intentat, dicenda & non dicenda loquitur, aspectu torvo, inflata facie, lingua rabida &c.* Age dictam D. Chrysostomi sententiam nonnihil penitiùs inspiciamus, atque accuratiùs ejus veritatem, cujus cognitio non modicum afferet emolumentum, perpendamus.

§.14. *Alia.* *Iracundus,* inquit, *insuavis est obviis.* Et quid mirum si insuavis? nonne aspersi sunt felle ejus oculi, lingua, frons, vultus, manus, pedes, pectus, cor, atque omnia corporis membra? *Insuavis est vicinis?* Nam nulla diu gaudet amicitia, nulla fruitur consuetudine vicinitatis, animus ejus est veluti

Euripus æstuans iræ fluctibus. *Communis hostis civibus & peregrinis.* Neminem recto intuetur oculo, nullum non sui similem, id est, rigidum, torvum, malevolum suspicatur. *Clamat, vociferatur, plagas intentat.* O barbaros mores! O vitam non hominis, sed belluæ! sed pergamus. *Dicenda & non dicenda loquitur.* Hinc malorum ignes, odiorum novi fomites, periculosa calamitatum incendia. Hinc innocentium scandala, hinc blasphemi in Superos clamores; hinc in Magistratum scomata, in superiores convitia, in æquales execrationes horrendæ! Sed necdum audivistis tragicæ hujus Scenæ epilogum. *Aspectu torvo, inflata facie, lingua rabida.* Fugite liberi, fugite domestici, fuge misera conjux, maturè vos è conspectu ejusmodi leonis subducite; timete non faciem solùm ejus, sed & ungues, & manus, & rugitum belluæ expavescite!

§. 15. *Motus iræ debent statim compesci.* Itaque viri sapientis & præcipuè Christiani hominis est, motus iræ, dum consurgunt, statim compescere. Quem in finem eleganter Plutarchus de Socrate ait lib. de coh. ira. *Socrates quoties sensit se acerbius commoveri adversus quempiam amicorum, velut imminente fluctu antennam dirigens, faciem placidiorem ostendebat, erat suavior in verbis &c. Itaque in alteram partem deflectendo & in diversum intendendo, quàm quò vocabat animi affectus, se ipsum inconcussum servabat.* Ethnici hæc fuit consuetudo; quid nos simile facimus Christiani? Sed audiamus rursùs S. Chrysostomum qui præclarè Hom. 2. de Saule & Davide hunc in modum discurrit.

§. 16. *Exemplo Davidis l. 1. Reg. cap. 14.* Cùm David l. 1. Reg. cap. 24. v. 7. in spelunca deprehendisset Saulem, licet varia illum stimularent ad iram & vindictam, iram tamen cohibuit, & hosti pepercit. De quo gloriosissimo facto ait citatus Doctor. *Egressus fuit ex spelunca, tanta cum gloria, quanta tres pueri egressi sunt de camino ardenti. Nam sicut illos non exussit ignis, ita hic non conflagravit incendio ira: & illis quidem nihil foris ignis, in quo versabantur, nocuit; hic verò cùm intus in corde haberet carbones accensos, cùm foris videret diabolum, camino inflammando occupatum, idque variis modis ab inimici conspectu, ab exhortatione suorum militum, à facilitate perficiendi cædem, à præteritorum memoria, à futurorum periculorum metu,* (siquidem hæc & sarmentis, & stipulis & cæteris omnibus, quibus caminus ille babylonicus incendebatur, lucidiorem excitabant flammam,) *Non tamen exarsit David, neque ullo pacto sic fuit affectus, sicut consentaneum erat affici hominem tot modis irritatum.*

§. 17. *Ira est flamma: statim debet extingui.* Adverto sæpius in sacris literis iram comparari flammæ. Ecclesiastici 23. v. 22. *Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat.* Tigurina legit. *Animus æstuans.* Oseas c. 7. v. 7. *Calefacti sunt* (iracundi) *quasi clibanus.* Job. 41. v. 10. *De ore ejus lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ.* Prov. 26. v. 21. *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, sic homo iracundus excitat iram.* Ab his ignibus, ab his prunis, & carbonibus ab his tædis, & facibus

bus tot fumant incendia animarum. Sed veri Christiani est, cum Davide has flammas restinguere. Itaque, ad JESUM pendentem in Cruce pergite iracundi, hic saliunt fontes Salvatoris ex sanctissimis Vulneribus; his aquis, irarum, odiorum, & commotionum flammæ restinguuntur. Divinissimo illi sanguini hæc inest vis, ut iram compescat.

§ 18. *Petulanti equo statim injicitur frænum.* Sed faciendum hoc est statim, quàmprimùm iræ motus exsurgunt. Plutarchus cit. *Quiescere, & statim, optimum est, aut effugere, aut occultari, & sese ad silentium velut in portum recipere* (sicut solent, qui epilepsiam oborientem senserunt) *ne concidamus, aut potius ne in quenquam irruamus.* Idem auctor alio pulchro simili hoc exponit. *Quemadmodum equis in ipso cursu nemo injicit fræna, sed longè ante: ita qui animo sunt in iram præcipites atq; ad res molestas, facile irritabiles, rationibus quibusdam, diu ante præsumptis, in certamen sunt producendi.*

§. 19. *Sæpe res levissima gravissimè offendunt iracundos.* Repeto duas illas voculas; *facilè irritabiles*, nam verissimum est illud Senecæ l. 1. de ira c. 10. *Ut ulcera ad levem contactum condolescunt, ita animus affectus minimis offenditur; adeò ut quosdam salutatio, epistola, oratio & interrogatio ad litem evocent.* Et inde, *illud sequitur* (l. 2. de ira c. 25.) *ut minimis rebus exacerbentur*, v. g. parum agilis est puer, potus tepidior, mensa negligentius posita, alicujus tussis, sæpe musca in rabiem agit; aut vitrum servi fortè manibus elapsum. Ut taurum excitat color rubicundus, ut aspis ad umbram exsurgit, ut ursos leonesq; mappa proritat, sic iracundos sæpe res minima ad nefanda urget facinora. Jam fulmina vibrantur, jam audiuntur tonitrua, jam de fracto vitro, quasi de jactura imperii Romani tempestatem excitat, non cœli sed terræ aliquis nefandus Jupiter. *Tantilla res, tantos potuit furores excitare?* non res, sed effrænis rabies, furor & ira; falsa sæpe, sæpe frivola, sæpe iniqua persuasione conceptus fervor his desævit furoribus. In uno vel altero exemplo pudendos iræ fructus colligite.

Otto Mahomet, ut auctores referunt probati, ob desideratum in horto peponem, ephebo jussit scindi ventrem, & aperiri stomachum, ut videret, an comedisset. Antonius Dux Urbinas, famulum quod se statuta hora non excitasset, jussit illini pice, & veluti facem accendi. Wenceslaus Rex Bohemiæ coquum, quod caput nefrendis minus bene parasset, jussit transfigi veru, O portenta & monstra! sed talia suadet animi ira indomita, nisi initio statim tali bestiæ frænum à recta ratione injicias. *§. 2[0]. Crudelitas Mahometis Turcarum Imperatoris.*

Huc facit ea, quam posteritati tradidit doctrinam Plutarchus. *Sicut qui expectant obsidionem, contrahunt & in promptu collocant, quibus est opus: ita maximè oportet, nos adversus iracundiam auxilia à longinquo petita, nimirū à Philosophia,* (dicamus nos, à Doctrina Christi) *inducere in animum; ut cùm opus est, huic hosti facilè possimus occurrere.* *[§. 21.] ...se ante præparet, ut vincat iram.*

Finiam loco pulcherrimo ex S. Chrysost. Hom. 23. ad pop. *Quantum alii circa leones, tantùm tu circa temetipsum studium impende, ut iram tuam mansuefacias; hæc enim habet difficiles tam* *§. 22. Simile S. Chrysost.*

les tam dentes, quàm ungues, nisi mansuetam reddideris, omnia destruet. Neque enim ita leo, vel vipera potest dissipare, sicut ira, quæ non solum lædit corpus, verùm & animæ sanitatem corrumpit, devorans, dissipans, & omnē ejus virtutē dilacerans.

§. 23. Epilogus. Nostrum jam est Aud. operam dare, ne ab hujusmodi leone, ira inquam, optimam nostri partem, Rationem, qua nihil melius, sopiri, imò opprimi permittamus. *Simus, O simus Davides*, aggrediamur prius hāc feram, ne ipsa nos postmodū aggrediatur, prosternat, dilaniet: *O mi JEsu*, ad hoc nos movet, impellit, incitat mansuetissimæ virtutis tuæ exemplū. Tui de Cruce pendentis mitissimi oculi, nil nisi amorē spirant & Charitatem! Et nostra lumina malesanus furor accendat? *Absit, absit.* In lingua tua non nisi mel, & Ambrosia! Et nos felle tantùm pascamur? *non ita mi JEsu, non ita*! In tuo suavissimo corde sedem fixit dulcedo! Et nos meditemur furores, vindictam, tyrannidem? Tu totus, quantus es, Agnus es, & nos Leones, & tigrides? *Ne hoc patere, dulcis amor meus, IESV*, ah asperge labiis amarissimis aliquam nectaris tui partem, infunde cordi nostro aliquas tuæ charitatis guttas; ita fiet, ut terribilem illum Leonem, Iram inquam, posthac nihil metuentes, tecum & cum Davide victores, in cœlis suavissimis fruamur deliciis.

CONCIO XXXVI.

DOMINICA VII. POST SS. TRINITATEM.

Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me.
Marci 8. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit hæc Concio tres proprietates Misericordiæ DEI & Christi Domini erga nos miseros mortales.

§. 1. *Frequenter Concionatoribus agendum est de misericordia.*

§. 2. *Deus duo præcipuè attributa ostendit erga hominem: Iustitiam & Misericordiam.*

§. 3. *Ad extra Misericordia est super omnia opera ejus.*

§. 4. *Confirmatur ex Isaia.*

§. 5. *Pro-*

§. 1. *Frequenter Concionatoribus agendum est de divina misericordia.*

SUavissimum hęc Christi D. verba denuò mihi præsentis materiam concionis, nimirum de infinita ejus misericordia dicendi occasionem suppeditant. Eo nimirum fine, *ut* (ad Ephes. 3. v. 18.) *possitis comprehendere, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum immensæ ejus bonitatis, & scire supereminentem charitatem Christi.* Latitudo est tam lata, ut nesciat terminos, longitudinis non est finis, quia æterna, sublimitatẽ nemo attingere, nemo profunditatem mensurare potest. Quæ si ita sunt, dicet fortasse non nemo, cum incomprehensibilis sit misericordia divina, quid est quod tu de illa disserere non dubitas? Respondeo quæstioni. Nunquid igitur quia totum fluvium, & fontem ebibere nequeo, id quod mihi commodum est, sub mensura non hauriam? nunquid cum Solem oculis comprehendere nequeam, etiam lucis illius usum, quantum sufficit, non aspiciam? etsi in hortum magnum ingressus fuero, in quo omne fructuum genus comedendo absumere non potero, an ideo unum saltem vel alterum delibare prohibebis? pari ratione, etsi divinæ misericordiæ mare exhaurire non possim, non est tamen cur aliquot saltem guttas non hauriam. Sol est divina bonitas, licet oculis intellectus illum comprehendere non possim, ex radiis tamen quosdam, quo minus vobis intuendos proponam, non obstat. Ex magno & spatioso horto aliquos decerpam flosculos. Gutta prima, primus radius, primus flosculus, primum erit concionis hujus punctum, thema verò, *Misericordia Domini super omnia opera ejus.* Altera gutta, radius alter, alter flosculus eo in themate proponetur, *Deus vel Christus Dominus natura sua & essentia est bonus.* Tertia denique gutta, radius tertius, tertius flosculus in hoc argumento, vel manabit, vel coruscabit, vel virescet, *Offert peccatori misericordiam nostræ salutis avidissimum Numen.*

§. 2. *Deus duo præcipuè attributa ostendit erga hominem.*

Duo præcipuè attributa manifestavit Deus erga nos homines, & maximè erga peccatores, Justitiam, & misericordiam, Justitia de cœlo in infernum detrusit Luciferum, Justitia ignibus Sodomam, cataclysmo mundum delevit,

Justitiam & misericordiam. vitverbo Justitia accendit gehennam, ut bene dixerit David, *Justus est Dominus.* Misericordia verò respexit Adamum, misericordia de cœlo attraxit Filium Dei, misericordia per ejusdem mortem, æternæ hominem saluti asseruit. *Et misericors est Dominus.* Bene tamen observavit David Psal.144 v.9. *Suavis Dominus universis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Creaturarum, quæ adeo est temeraria, ut DEO rebellet, puniri & in æternos præcipitari ignes, non est adeo mirum, Filium Dei pro homine, pro inimico mori, & morte mori infami, hoc magnum, hoc divinæ bonitati est gloriosum. In Scholis Theologicis certum est, attributa omnia divina inter se esse æqualia, & infinitæ perfectionis; æterna, atque immensa est omnipotentia; æterna, atque immensa Sapientia &c. sive, Magnus & gloriosus est Deus in sua sapientia; nam nullis circumscribitur terminis. *Magna & gloriosa potentia*; ad quidquid enim quod cogitari potest, modo imperfectionem excludat, extenditur: *Magna & formidandis horrenda tonitruis justitia*; nam nullo corrumpitur auri argentive fulgore, nulla hominum gratia, ab eo, quod rectum est, detorquetur: *magna immensitas*, cui nulla sufficit locorum capacitas: *æternitas magna*, cui nec principum nec finem addidit ævum imortale. *Providentia deniq; magna*, quæ nullis rerum etiam possibilium eventibus, nullis temporum motibus, nullis annorum labentium vicissitudinibus labefactatur.

Verùm si effectus & relationes atq; ordinem earum perfectionum ad nos, præcipuè peccatores examinemus, meritò cum Davide exclamamus: *Misericordia ejus super omnia opera ejus.* Maximus, gloriosissimus & superexaltatus est Deus in misericordia sua. Vel, ut cum S. Jacobo cap. 2. v. 13. loquar, *superexaltat misericordia judicium.* Acutè David Ps. 35. v. 7. *justitia tua sicut montes Dei.* Ps.107. v.7. *Magna est super cœlos misericordia tua.* Excelsos montes in orbe invenies, *In Sicilia* Lilibæum & Ætnam, *in Asia*, Caucasum, Atlantem *in Africa*; *in Græcia* Heliconem, *in Phrygia* Idam, Mænalum *in Arcadia*, Alpes *in Italia*, Pyrenæos *in Hispania*; sed altius illis est cœlum, licet omnes hos montes etiã Olympo imponas. Sensus ergo est, sicut exaltantur cœli super terram, & montes, sic & misericordia super justitiam, & alia opera, non quantum ad essentiam, & intrinsecam excellentiam, sed quoad effectus utriusque. *§ 3. Axe extra. Misericordia est super omnia opera ejus.*

§. 4. Confirtur ex Isaia. Ita quoque sensit Isaias c. 30. v. 18. *Propterea expectat Dominus ut misereatur vestri, & ideo exaltabitur parens vobis*: Quem locum hunc in modum exponit S. Hieronymus. *Grandis clementia Dei, ut expectet nostram pœnitentiam, & donec nos à vitiis convertamur, ille potentem contrahat manum, ne nos ferire cogatur. Ideo autem miseretur, & parcit, ut ejus misericordia exaltetur, & bonitas creatoris nota sit cunctis, juxta illud Salvatoris, cũ exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Idcircò exaltatur in Cruce, ut omnibus parcat.* Et sic per crucem, per mortem, gloriosissimo tamen modo, exaltata est misericordia super omnia opera ejus. Sed age,

age, qua nobis hac in re figuras suppeditent sacræ literæ, videamus.

§. 5. *Propitiatorium arcæ, fuit pulchra figura.* Exodi 25. Jussit Deus super arcam fœderis constitui propitiatorium. Cur supra? cur non infra in ipsa arca? latet puto, mysterium. Intra arcam inclusa erant lex Dei, virga Aaron. Hæc duo justitiam, & judicium præ se ferunt. Lex contra transgressores vindictam à Deo sollicitat, virga symbolum est pœnæ. Propitiatorium verò erat sedes misericordiæ, ad illud namq; peccatores tanquam ad sacram anchorā confugiebant, ut scelerum veniam, & Dei misericordiam consequerentur. Ideo, *sic statuit Dominus* (ait S. Ansel. in ep. ad Hebr. c. 9. v 17.) *vel propitiatorium superponitur, quia superexaltat misericordia judicium, sive, quia miserationes ejus sunt super omnia opera eius.* sive, quia *Misericors Dominus*, Ps. 144. v. 17. & *justus & Deus noster miserator*. S. Ambrosius ser. de obitu Theodosii. *Bis misericordiam posuit, justitiam verò semel; in medio est justitia, gemino inclusa septo misericordiæ.*

§. 6. *Cur filius hominis visus fuerit similis Iaspidi & Sardini.* Apoc. 4. v. 3. ait. S. Joan. *qui sedebat super sedem* (scil. filius hominis omnium Judex) *similis erat aspectui Iaspidis & Sardinis.* Cur Jaspidi & Sardini; non carbunculo, vel pyropo, vel adamanti filium hominis comparat? cur lapides hi duo præ aliis gemmis radiarunt in sede, & throno divinæ Majestatis? quia jaspis pulcherrimus, & viridis: quia Sardonix rubeus, & igneus est. S. Ambros. per Jaspidem intelligit divinitatē Christi, per Sardonychen Sanctissimam humanitatem sanguine suo rubicundam. Richardus de S. Victore per jaspidem putat denotari cœlestem gloriam pro electis; per Sardonychen ignes inferni pro reprobis. Jaspide, sive spe cœli, filius hominis recreat bonos, sardonyche terret impios. Modò mihi placent interpretes, qui his duabus gemis arbitrantur exprimi duo præcipua Dei hominis, Christi Iesu, attributa; *Misericordiam* per jaspidem, *justitiā* per sardonychen: sed primo loco misericordia, non nisi secundo Iustitia collocatur. Hanc illa præcedit; ante omnes gemas Ioannis oculos incurrit jaspis. Unde illi mox addit gemmam ejusdem coloris, viridem Smaragdum. v. 3. *Et iris erat in circuitu sedis, similis visioni Smaragdinæ.* Acutè! sardonix sive Iustia radiat in parte tantum throni. Iaspis, Smaragdus, iris, symbola misericordiæ, cingunt & circumdant totum thronum. Totus filius hominis est misericordia. Regia corona est misericordia. Ornamentum pulcherrimum filii hominis est Iaspis.

§. 7. *Cur ejus aspectus similis Sapphiro.* Ezechielis cap. 1. de superiori parte corporis filii hominis sive Filii Dei ait v. 26. *Aspectus capitis fuit, quasi aspect⁹ lapidis Sapphiri*, vel ut alii legunt, *electri, succini*: versus verò 27. ait. *à lumbis ejus deorsum vidi quasi speciē ignis splendentis.* Sapphirus, succinum, electrum sunt symbola bonitatis, quæ occulta vi omnes ad se trahit, ignis verò est symbolum Iustitiæ. Sed advertite: Iustitia locum habet in sede inferiori, in lumbis, in tibiis, infra pedes judicis ardet ignis inferni, in quo Iustitia præcipuè dominatur: loco supremo, præcipuo, in pectore, imò in divino corde Salvatoris thronum posuit *Misericordia*, atque adeo *hæc est super omnia opera ejus.*

Ut misericordiam Dei David exaltaret,

§ 8. In uno Ps. 135 vigesies septies repetitur Misericordia &c.

ret, composuit Ps. 135. in quo vigesies septies hunc versum repetit, *Quoniam in æternum Misericordia ejus. Confitemini illi, qui facit mirabilia, quoniam in æternum misericordia eius.* Cœlos ipse condidit, cœlorumque orbitas longè lucidissimas, *Confitemini Domino quoniam in æternum misericordia eius.* Nobis Dei beneficio Sol nascitur, occiditque ad lucem suam, promit, & condit; nobis suos cursus sidera exercent, nobis Planetæ errant & vagantur: *Confitemini Domino &c.* Nobis in terra horridæ montium, & amœnæ silvarum scenæ se erigunt; nobis undant flumina, Oceanus tumet, terra vernat, segetes flavent: *Confitemini Domino &c.* Ipse sua in cruce pandit & expandit brachia, ad nos amplexu benevolo constringendos: *Confitemini Domino.* Ipse suum nobis pretiosissimum sanguinem in animarum medicinam, è quinque corporis sui sacrosancti rivulis paternè propinat; nobis ejus rosea patent vulnera &c. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.*

§. 9. Misericordia maximè laudabilis.

Percurre alia mirabilia, quæ in illo Psalmo memorat Psaltes, in omnibus laudare possumus Dei potentiam, sapientiam, justitiam, providentiam: Davidi placuit *Misericordia.* Hujus honori toties repetit toties repetitum versum; *Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius.* Super exaltemus & nos cum Davide misericordiam super Judicium.

§. 10. Natura Dei &

Altera gutta ex mari divinæ misericordiæ, alter flosculus ex hoc horto, alter hujus Solis radius, sive alterum punctum meæ concionis, ejusque thema, sit hoc: *Deus & Christus D. natura sua, sive per essentiam & substantiam suam inclinantur ad misericordiam: per accidens verò, & qua per nos ad justitiam.* Ad hanc per scelera nostra quasi coguntur. Ponderavit hoc thema eleganter S. Bernardus ser. 5. de Nativ. super verba illa S. Pauli 2. Cor. 1. v. 2. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri IESV Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Benedicitur,* inquit S. Bernardus, *pater misericordiarum, cui proprium est misereri semper & parcere.* Sed fortè quis dicat, quomodo proprium est illi misereri, cujus judicia abyssus multa? neque enim dicitur, Omnes viæ ejus sola misericordia, sed *misericordia & veritas*: non minus justus quam misericors est, cui misericordia, & judicium decantatur.

Christi D. est Misericordia.

§. 11. Proprium est illud misereri.

Verissimum est; cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Sed quod miseretur, proprium est illi, ex se enim materiam sumit, & velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod judicet & condemnet, nos quodammodo eum cogimus; nos ei quandam velut necessitatem imponimus: ut longè aliter de corde ipsius miseratio, quam animadversio processisse videatur. Juxta illud Ezechielis 18. cap. 23. *Nunquid voluntatis meæ est, mors impii? Et non magis ut convertatur & vivat?* rectè igitur non Pater judiciorum, non justitiæ, non pater irarum, & vindictæ, vel ultionum dicitur, sed, *Pater misericordiarum.* Auget hæc circumstantia misericordiam in infinitum, & exaltat super omnia opera ejus.

Sed

§.12. *Similia.* Sed clarius fortè, pluribus rem unam similibus exponit S. Cyprianus: *Ut sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat, ita se spiritus cœlestis,* (sive Misericordia) *infundit. Sol est misericordia*, Sol est Christus D. natura sua spargit radios misericordiæ. Neminem sua luce excludit, nulli suum invidet fulgorem, nisi qui sponte sua perversissimaque indole, oculos vel avertit, vel occludit. *Dies est Misericordia divina*; nihil illi commune cum tenebris, justis æque atque injustis oritur, micat, radiat. *Fons est*; non potest non subjectam humectare terram. Hæc ejus est natura: & lavat, & refrigerat, & reficit, & delectat, neque alio hanc in rem labore opus est, aut pretio, peccatori, nisi ut audacter, animo tamen demisso, & corde contrito accedat. *Denique imber est*; sitientibus agris non potest non esse amabilis; dum labitur, natura sua fœcundat. Hæc ejus est indoles, hæc divinæ natura clementiæ, hoc *misericordiæ* proprium.

§.13. *Misericordia est essentia & vita Dei.* Sanctus Gregorius Nazianzenus ait essentiam & substantiam Dei consistere in misericordia: nam capite decimo sexto v. 21. Sapientiæ, *Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat*, sic legit: *Substantia mea, dulcedo mea est*, juxta illud Davidis Psal. 58. v. 18. *Deus meus, Misericordia mea.* Adeò necessario Deus est misericors, ut Clemens Alexand. dixerit; *nam cum sit bonus; si cessaret unquam benefacere, Deus quidem cessabit esse, quod est nefas dicere.* Alii Sancti Patres sic loquuntur, *Misericordia est vita Dei.* Declarant ex cap. 21. v. 19. Gen. Tristissimæ Agari, quia videbat præ siti expirare Ismaelem, per Angelum succurrit Dominus, excitando fontem aquæ, ex quo refocillatus est puer, & revixit. Quæri potest, quo nomine hinc fons sit appellandus? *An fons gaudii?* non male! puto Agarem summo exultasse gaudio, cum ex terra sub arbore has crystallinas lymphas vidit scaturire. *An fons aureus?* Sic puto: Sine dubio Agari in illis circumstantiis gratior fuit præ omni auro, & divitiis hujus mundi. *An fons lacteus?* & sic vocari potest, cujus aqua Ismaëli lac fuit. Curiosus plura hujusmodi nomina facilè poterit conglobare. Mihi modo placet, *Fontem Misericordiæ* nuncupare, quia per illum Deus misericordiam exhibuit. Ut connexio sit cum verbis Paraphrastis Chaldæi, qui vocat *puteum, super quo Angelus vitæ apparuit.* Subtilissimè! qui fons est misericordiæ, est fons vitæ; & fons vitæ, est fons misericordiæ; quia in Deo, in Christo Iesu idem sunt, ejus vita, natura, essentia, substantia, dulcedo & Misericordia. Eja animæ piæ, currite ad fontem, qui ex radicibus Sanctissimæ Crucis scaturit, currite ad Iesum crucifixum, tum potissimum, cùm sitis, cum angustiæ, & timores mortis vos premunt: hic fluunt illi fontes; bibite, *haurite aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

Propero ut de tertia gutta inexhausti maris divinæ misericordiæ, de tertio radio dulcissimi illius Solis, de tertio flosculo amœnissimi horti aliquid saltem liceat delibare. Thema verò §.14. *Christus D. peccatori obtrudit misericordiã*

verò tertii puncti est hoc. *Deus, vel Christus piissimus Salvator noster peccatori quasi obtrudit misericordiam, anhelat effundere viscera miserationum suarum.* Pater misericordiarum est benignissimus Iesus, gravidus miserationum thesauris. S. Chrysost. *Benignus est Deus, ut quemadmodum parturiens cupit eniti fœtum, ita ille cupit effundere suam misericordiã.* Mulier parturiens nihil ita desiderat, quam eniti prolẽ pari ratione anhelat Deus ut parcat, ut misereatur; ut ad extra misericors esse possit

§. 15. *Erumpit D. Misericordia.* Aliis verbis hoc thema confirmat Isaias c. 58. v. 8. *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum.* Non oritur Sol tantum, non apparet tantùm, sed erumpit quasi vi, ut benevolos undique radios diffundat. Animadvertite divinæ copiam charitatis, Peccatores! neque enim illi sufficit, ut quasi pulcherrima Aurora cum aurea hora depulsis mane tenebris exsurgat, sed cum impetu exsurgit, prodit cum desiderio, effunditur è nubibus, celerrimè invehitur, ardet, properat, anhelat. Et quorsum ita amabo eruptio? itane omnis est moræ impatiens? age, gradum nonnihil siste pulcherrime Cynthie, sta Sol, quoad festinati tui cursus causam intelligam! *Sed frustra ago*: properat celerrime! Sol cœlestis, erumpit quasi vi protrusa è nubibus divinæ misericordiæ aurora! Agnoscite hoc beneficium mortales! vestris hoc amoribus impenditur, vestræ saluti felicitatique hic rapidus Solis cursus destinatur.

§. 16. *Confir.* Age verò nunc quæ sit hac super re D. Chrysostomi sententia, auscultemus; Sic n. ille hunc in locum: *Cur non apparebit dixit, sed erumpet? ut velocitatem scil. & copiam dantis exprimeret; utq; hoc verbo intelligamus, valdè illum nostræ salutis cupidum esse, quodq; muneribus plenus, ex largiendi festinatione, quasi prorumpit: Cum nihil sit, quod ineffabilem ejus impetum prohibere possit. Quibus omnibus infinitam profecto bonorum copiam, paratam nobis esse ostendit.* *matur ex S. Chrysostomo.*

Verè hæc omnia de Christo Salvatore nostro dicuntur. In cruce pendentem aspicite; sedentem in throno misericordiæ, solem in meridie ardoris & amoris, in summo æstu charitatis. Pater est, quin & Mater est, quæ in gravissimis doloribus nos peperit in lecto crucis. Sed adhuc turget pectus, tumidum est bonitate cor, gravidum gratiis, plenum latus pietate. Effluunt quidem miserationes ex Vulneribus manuum, & pedum, *sed miseratio miserationũ adhuc latet in utero cordis* ideo parturit, angitur, anhelat, ut illã effundat, ne janua & via desit: ecce, adest Longinus & lancea benedictum illius cor recludit! *Digressio ad crucifixum.*

§. 17. *Adhortatio ut fugiamus ad D. Misericordiã.* Hic, si unquam alias, juvat citato gressu occurrere. *Agitur salus nostra*; si de ea periclitamur, advolemus. *Lux oritur æterna vita*: si quæ mentibus nostris offusa est peccatorum cæcitas, hujus intuitu Solis depelletur. *Thesaurus aperitur immensus*: Si qua nos premit inopia, si qua urget vel corporis, vel animi necessitas; actutum nos huc conferamus; plena his est optimaq; ditescendi facultas. Si qua nos vel sitis, vel fames excruciat, hic est alimentorum copia cœlestiũ; hic nectar manat pleno alveo, hic lactei fluunt fontes, hic

hic mellea scaturiũt flumina. Muneribus instructus est hic locus, instructus deliciis, amoribus, thesauris, divitiis, honoribus. *Confitemini Iesu meo, sponso meo, amori meo Crucifixo, quoniam bonus, quoniam in aeternũ misericordia eius.*

§.18 *Pietas Patris erga Filium prodigum* Finio: Deus & Iesus meus est Pater misericordiarum, peccatori ultrò, & à longè occurrens, filio prodigo sponte offerens osculum pacis. Praevenit ingratum filium in miserationibus suis Luc.15 v.20. *Cùm adhuc longe esset, vidit eum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius & osculatus est eum.* Guerricus Abbas Ser. de filio prodigo. *Accurrens tardius siquidem videbatur Patri filio veniam dedisse, quam filio accepisse. Sic festinabat absolvere, reum à tormento conscientia sua. Festinabat!* S. Chrysost. ser.3. de fil prod. *Rogo. quis hic desperationi locus? qua hic excusationis occasio? & hic qua timoris simulatio? nisi forte timeatur occursus, terreat osculum, turbet amplexus, & capere ad vindictam, & non recipere ad veniam Pater credatur, qui claudit gremio, & lacertis ligat.*

§.19. *Apostrophe ad peccator.* Audin hoc peccator? ad te enim, dum finem respicit, mea meritò se convertit oratio. Audin hoc inquam? *dum Iesum respicis in Cruce suffixum,* videre te puta paratam, in opem tuam, Misericordiam divinam, *dum extensa spectas brachia*; spectare te existima, paratam in amoris amplexum clementiam. *Dum pendulam & modestè inclinatam cernis cervicem divinissimam*; cernere te judica misericordiam, ut osculum pacis tibi libare, suaviter se demittentem; Et non accurris? non properas? non te rapit tanta bonitas? non ad mutuum allicit amorẽ? non ad coelestis vitae desideriũ accendit? Ego certè mi Iesu, quidquid senserint alii, liberè profiteor, nullã mihi in hoc terrarum orbe, posthac rem fore gratiorem, nullã tua divinissima, i.e. *maxima Misericordia* voluptatem suaviorem.

CONCIO XXXVII.

DOMINICA VIII. POST SS. TRINITATEM.

Attendite à falsis Prophetis.

Matth. 7. vers. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Describit falsos Prophetas.

§. 1. *Bonis Christus D. bonus est: Malis iratus.*

IN Evangelio præteritæ Dominicæ mitem se atque amabilem: in hodierno minacem exhibet & terribilem Salvator. Ante octiduum suavissimè dixit, *Misereor super turbã*, hodiè terribiliter intonat, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. v. 7.* Ante octiduũ ostendit, se suos electos, qui illum sequuntur, in necessitate non deserere; in hodierno Evangelio ostendit se impios æternis puniendos ignibus addicere. Evangelium Dominicæ præteritæ facit ut Christum amemus; facit ut spem & fiduciam in nobismetipsis erga eundem excitemus: Hodiernum terrorem nobis incutit, ut ejusdem pertimescamus justitiam. In utroque tamen piissimus Salvator, sive consolationem injiciat, sive terrorem; semper bonum nostrum intendit. Pater enim qui filium, quem amat, instruit, duo agit. Primum, quæ facienda sunt, præscribit, & præmium pollicetur. Deinde, quæ cavenda sunt, monet, & hoc sub interminatione supplicii. Idem Pater noster amantissimus, & Doctor Sapientissimus præstat in Evangeliis. In quibusdam instruit, quid agendum; quid cavendum in aliis.

§. 2. *Ideo in hodierno Evangelio minatur, Omnes &c.*

In hodierno monet, 1. ut caveamus falsos Prophetas. Deinde ut operam demus, ne steriles inter arbores numeremur, & hoc sub metu damnationis æternæ. Verùm ut à falsis nobis Prophetis prospiciamus (præcipuè cùm se tegere soleant) ante omnia, nosse illos oportet, ad hunc finem in hac concione, detraham illis quasdam veluti vestes & larvas, sub quibus luporum occultare naturam & rabiem consueverunt. Hoc ubi fecero, satis credo, perspicuè intelligetis, quinam illi sint falsi Prophetæ. Intelligetis esse lupos, esse spinas, esse steriles arbores; quibus ferè nominibus hodierno in Evangelio eos ipse Salvato

vato

vator indigitat. Vos dicenti benevolas pro more vestro aures atq; animos accommodate.

§. 3. *Nemo pulchrius illos describere potest, quàm fecerit Christus D.*

Ex ipsis verbis Christi Domini debemus agnoscere, quinam sint falsi Prophetæ: nemo enim hoc melius explicare poterit, quàm fecerit Christus D. Hic ait, venire illos *in vestimentis ovium, intrinsecus autem esse lupos rapaces.* Quæ verba Christi sunt allegoria, quæ aliud verbis, aliud sensu ostendit, neque enim Christus D. intelligit exteriorem vestitum ovinæ pellis, de qua loqui videtur, neque de dentibus rapacis lupi; hac enim ratione, si falsi Prophetæ tali pelle se vestirent, si dentibus morderent, quamprimum vel à pueris agnoscerentur. Alium itaque intelligit per ovinam pellem. v. g. Pellis ovina, vel vestimentum ovis, est *Doctrina mollis & blanda*, quæ nil grave, & asperum, sed tantum carni & sensualitati, & amori proprio placentia proponit. Qualem doctrinam audire desiderabant Israelitæ ab Isaia cap. 30. v. 10. depicti: *loquimini nobis placentia.* Tales auditores erant etiam tempore S. Pauli, contrà quos ait 2. Timot. 4. v. 2. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia. Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus.*

§. 4. *Descriptio illorum ex Jeremia.*

Audiamus quomodo Spiritus S. per Jeremiam c. 23. v. 28. tales Prophetas describat. *Propheta, qui habet somnium; & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè; Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* Hoc faciunt falsi Prophetæ. Suavibus somniis, & dulcibus promissis de certitudine beatitudinis, de efficacia Passionis Christi, de abundantia divinæ misericordiæ &c. decipiunt Auditores. Narrant somnia placentia, sufficere ad salutem solam fidem, non esse necessaria opera pœnitentiæ &c. Veluti palea est talis talium Prophetarum doctrina. Veri Prophetæ, Concionatores Apostolici, petras, id est, dura & saxea corda adurunt facibus, conterunt malleis, terribilibus minis, exemplo Christi in hod. Evang. detonantis, *Omnis arbor &c.* exstimulant.

§. 5. *Ex S. Paulo ad Rom. 16.*

Æquè eleganter illos iterum describit S. Paulus ad Rom. 16. c. v. 17. *Rogo autem vos fratres, ut observetis eos* (hoc monito Apostolus finit illam epistolam) *qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis; hujuscemodi enim Christo Domino nostro, non serviunt, sed suo ventri; & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium:* ob quam causam Christus D. in Evang. tales vocat lupos rapaces, scilicet non corporum, sed animarum. Ejusmodi verò sermones dulces, hujusmodi benedictiones, hujusmodi somnia sunt vestis, & pellis ovina, sub qua nequitiam, & Diaboli fraudes regunt, certissimum falsi prophetæ indicium.

§. 6. *Differentia inter Doctrinam Ca-*

Itaque rogo, ut jam attendatis ad doctrinam Catholicorum & Acatholicorum. Prophetæ Catholici clamant pro cathedris frequenter, cre-

tholico rum & Acatholicorum.

dendum esse in Christum, sine fide impossibile esse placere Deo; &c. Sed simul urgent, & ajunt, Carni, sensualitati, amori proprio fortiter esse resistendum; has bestias esse castigandas, & in servitutem cum Apostolo 1. ad Cor. 9. v. 27. redigendas, ut Spiritui subjiciantur; esse affligendas, & edomandas jejuniis, ciliciis; verbo, Carnem esse crucifigendam cum vitiis & concupiscentiis suis. Clamant, peccata commissa in auriculari confessione esse subjicienda clavi; impios sine pœnitentia salvari non posse; Prophetæ Catholici clamant cum Christo D. in hod. Evangelio, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et illa verba Christi; *Non omnis qui dicit, Domine, Domine; intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris qui in cælis est, ille intrabit* v. 21. Catholici clamant, *regnum cælorum vim patitur, violenti rapiunt illud.* Clamant cum Christo D. *Angusta est porta ad salutem*; per illam *contendite intrare.* Clamant cum S. Joanne Baptista, Matth. 3. v. 8. *Quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Omnibus patet, hanc doctrinam non esse mollem, non esse de lanâ, sed ex pilis Cameli contextam.

§. 7. Prosecutio ejusdem differentia.

E contrà scimus & audimus, quæ sit doctrina Rabularum Acatholicorum. Illorum enim est axioma certissimum de quo dubitare non licet, solam atque unicam salvare fidem; quàm mollis, quàm lanea pellicula! Illorum est doctrina, nil esse præter horrendam conscientiarum torturam, quam nos more Catholico, Confessionem vocamus auricularem. Prædicant, opera Pœnitentiæ nequicquam conferre ad salutem; aliis operibus bonis à quocunque præstitis plus inesse vitii, quàm laudis; liberos atque omni onere expeditos debere esse Christianos, ac perinde nulli Ecclesiæ præcepto subjectos. Quæ putatis feræ, quæ immanes belluæ sub his ovinis pellibus latitant, Auditores? Quid? quòd nec ipsas leges divinas à quodam mortali hac in vita servari posse, ineptissimè contendunt: An non ista carni, & sanguini perquam jucunda? an non imperitorum aures titillant? an non pellem præ se ferunt ovinam? At nos majorem veritati, quà mendacio, luci quàm tenebris, Christo & Evangelio, quàm Pseudoprophetis fidem habemus; illius contraria sunt omnia dogmata. Seriò proinde nos monitos voluit, *Attendite à falsis Prophetis.*

Deinde vestimenta ovium sunt Verba S. Scripturæ, Apostolorum & SS. Patrum, quibus doctrina falsa tegitur, atque defenditur. Hac lana semper in Ecclesia se vestiverunt omnes fermè hæretici. Hæresis lupus est, & rapax lupus: ne statim agnoscatur, hac pelle se contegit. Imò ipse Diabolus, hæresiarcharum Pater, cum Christum Dominum in eremo tentaret, hac veste se induit. Hinc Tertullianus Scripturam vocavit *librum hæreticorum*; non, quod illa hæreses doceat, sed quod omnes hæretici & verbis, & sensu Scripturæ, ad suos errores stabiliendos, abutantur. Ideo plerumq. apud adversarios ille magnus est Propheta, qui uno

§. 8. Verba scriptura sunt vestimenta ovium.

uno halitu decem Scripturæ versus crepat. Ille sartor, qui unam vel alteram versuum è Scriptura decadem memoriæ mandavit, Concionator & Propheta est eximius. Conglobantur ab illis citationes è sacro textu sine numero, sed omnes dulces, suaves, amœnæ, jucundæ, placentes auribus; nullæ quæ terreant, quæ salutarem Dei timorem incutiant. S. Judas Apostolus, *Subintrojerunt quidam homines impii; hi quæcunq; ignorant blasphemant*, & suo sensu, è suo quisque capite & cerebro, explicant scripturas. Proinde monet nos Salvator noster, *Attendite* &c.

§. 9. *Heterodoxa torquent scripturam.* *Fide, sed cui, vide.* Non sunt cuique faciles præbendæ aures, qui scripturas allegat. Torquent Heterodoxi, & retorquent sacræ paginæ verba in suum sensum, aut potius delirium, imò pervertunt, immutant, omittunt, prout suo cuique genio visum est, atque ingenio. Quod si quam fortè errori suo tuendo accommodam, ut ipsi quidem existimant, sententiam reperere, illam sesquipedalibus litteris depingunt, exarant, transscribunt; illam omnium auribus, decies, vicies, tricies, ad nauseam usque ingerunt è cathedris, illa, quasi jam Herculem prostravissent, magnanimè gloriantur; Benè hoc quidem, nisi à recta SS. Patrum, totiusque Ecclesiæ interpretatione discederent. Hoc verò cùm non minus impudenter, quam subdole faciant, profectò nullam iis injuriæ partem irrogaro, si cum Salvatore nostro eos rectos ovinis pellibus rapaces lupos appellare non dubitem. Nimirùm *abutuntur* scripturis, *non utuntur*; *pervertunt* miseras animas *non convertunt*; *non adducunt* deniq; ad ovile Christi homines, sed ab eodem *seducunt*.

Ad hanc classem falsorum Prophetarum pertinent, Sacræ Scripturæ mutilatores, mutatores. Fecerunt hoc Hæresiarchæ ab initio Ecclesiæ. Anno 90. Cerinthus rejecit totum novum Testamentum, excepto Evangelio S. Matthæi; idem fecit Ebion, osor epistolarum S. Pauli. Valentinus legem & Prophetas ex parte tantùm recepit, & traditiones omnes rejecit. Cerdon, legem, & Prophetas, & novum Testamentum rejiciebat, excepto Evangelio S. Lucæ, & aliquot epistolis non integris. Marcion Cerdonis Discipulus ex Evangeliis, & epistolis abstulit omnia loca suis erroribus contraria &c. Et hoc semper fuit & est, ingenium omnium hæreticorum, seu falsorum Prophetarum, ut quibusdam Scripturæ locis velut vestimentis ovium se pallient; alias autem scripturas, & traditiones mutilent & lanient, sicut lupi rapaces. Ipsemet hoc Lutherus agnoscit. Audite obsecro ipsum loquentem & scribentem, Tom. 3. Jenæ 1565, fol. 285. in procœmio ad libellū, syngramma Suevicum dictum §. Aliffs erste. ait falsorum Prophetarum esse Sectas multiplicare, dum textus Scripturæ non nisi ex suo capite explicant; f. 286. Non posse Diabolum certiùs nosci, quàm in mendacio, & sectis fidei. Sed mundū decipi velle, sicut tempore Arrii. Alio §. ait, falsos Prophetas, torquere, truncare, vertere & miscere scripturas, sicut chartifolia misceri solent, §. 10. *Mutant & mutilant.*

& tra-

& tractari. Et, *unde secta?* ait! *ex tortura, trajectione, mutilatione Scripturarum.* Quis ergo falsus Propheta? qui torquet, mutilat, trajicit & miscet scripturas. Auditores, si Lutherus unquam verum scripsit, hoc ipsum est, quod de natura, & ingenio falsorum Prophetarum, sive hæreticorum scripsit, & sensit. *Attendite à falsis Prophetis.*

§. 11. *Falsi Prophetæ sunt lupi rapaces.*

Addit æterna Veritas in Evangelio, tales esse lupos rapaces, præcipuè in hoc, quod pastori Christo, planè sint oppositi. Joannis 17. v. 11. Christus ait; *Pater Sancte serva eos in nomine meo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro iis, qui credituri sunt per verba eorum in me, ut omnes unum sint; sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi unum sint in nobis.* Christi scilicet pastoris intentio, est unitas & concordia. Alia est intentio hæreseos quia lupus est, de quo Christus ait Joannis 10. v. 17. *qui rapit & dispergit.* Lupi intentio est, gregem dissolvere, & in partes dividere. Pastor cogit oves in unum ovile, concludit eas sepi, apponit custodes, vigiles adhibet canes. Lupus has custodias odit, mallet oviculas non esse simul. Quod si lupo in verba lingua suppeteret, quid aliud Amabò diceret, quàm, *O simplex pecudum genus!* Itàne misere semper eritis oviculæ, ut nunquam ad perfectam, quâ nihil jucundius, libertatem aspiretis? Itane vos sensibus sepibusque, quasi carcere, includi non animadvertitis? an non multis partibus mea est felicior conditio, dum nullis inclusus ergaltulis liberè, quò lubet libetque, excurro? quid? an non jucundius est sine metu, sine vinculis prodire in campos, discurrere per prata, vagari per silvas, deambulare, quò sua quemque trahit voluptas? ecquid verò canibus istis opus? quid istis molossis, qui vestram vobis eripiunt prodeundi libertatem? Hæc quidem speciosè admodum lupus; cujus oratio, quem in finem tendat, nemo non facilè arbitror, intelliget.

Nimirum hic est dicendi stylus Pseudoprophetarum; hæc hæreticorum indoles genuina, hæc blanda in speciem oratio, mellita verba, quibus dum conscientiæ religionisque libertatem, *aureum certè munus*, pollicentur, simplices animas in miserandam scelerum vitæque licentioris, ac demum inferni servitutem, imò prædam spoliumque abducunt. Attendite à falsis Prophetis; incedunt in vestimentis ovium, intus lupi rapaces. Hæ sunt ovinæ pelles, hæc lupinæ vestimenta sævitiæ. §. 12. *Mellea illorum verba.*

Præterea nomen ipsum innuit, quis sit falsus propheta. Ille nimirum, qui de futuris falsa prædicit. Nam prophetia propriè est de futuris. Christum Dominum verum prophetam, nemo dubitat: quisquis ergo exemplo Christi vera prophetizat, verus quoque sit propheta necesse est: qui verò futura aliter prædicit ac Christus fecit, falsus est propheta. Unico illud exemplo ostendo cap. 3. v. 2. ait S. Matth. *Exinde cœpit IESUS prædicare & dicere, pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Dulce verbum *Regnum cœlorum!* sed durum, & carni contrarium, *pœnitentiam agite!* hoc tamen

§. 13. *Falsi prophetæ sunt qui falsa prædicunt & opposita doctrinæ Christi.*

tamen modo æterna veritas futuram beatitudinem promisit; hæc duo conjuxit, *Pœnitentiam*, & *cœlum*. Qui alia ratione promittunt, scilicet sine pœnitentiâ, falsi sunt prophetæ.

Iterum Matth. 5. v. 7. 8. 9. Christus D. promittit cœlum, item futuram consolationem, saturitatem animæ, visionem Dei, mercedem copiosam. *Consolabuntur, saturabuntur, misericordiam consequentur, filij Dei vocabuntur, DEum videbunt*: omnia sunt futura. *Erit merces copiosa*: erit, scilicet in futuro. Quàm dulcia promissa, quàm molles pelliculæ? Sed promittit Christus D. talia pauperibus, paupertas nomen est asperum. Promittit lugentibus, famelicis, sitientibus, misericordibus, illis, qui mundo sunt corde, patientibus in tribulatione. Omnia hæc asperitatem, & molestiam sapiunt. Sensus ergo, promissionis Christi D. hic fuit: polliceor veram animæ solidamq; quietem, sed non nisi mansuetis. Spondeo bonorum cœlestium abundantiam, & ex divino nectare saturitatem, sed non aliis, quàm quorum hac in vita ardens fuit fames, ac desiderium Justitiæ.

§. 14. *Promissiones Christi D.*

Idem hodie Christi exemplo prædicant, idem sentiunt ac loquuntur veri prophetæ. Nam si securitatem in animam inducunt, inducunt non nisi eam, quæ ex promisso divinæ veritatis fidem datam frustrari non potest. Si certa cœlorum gaudia spondent, non nisi ijs spondent, qui ex mente Salvatoris tam vivæ Charitatis, quàm fidei operibus, illis se se gaudiis dignos effecerint.

§. 15. *Eadem prædicant boni prophetæ apud Catholicos.*

Matth. 7. v. 13. ait Christus D. *intrate per angustam portam, quia lata porta & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per illam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci inveniunt eam!* His verbis Salvator statim subjungit Evangelium hodiernum, q. d. Ego doceo viam ad vitam esse arctam, sed venient alii, qui docebunt contrarium. *Attendite à falsis prophetis.* Mea doctrina est, numerum salvandorum, si cum damnatis conferatur, oppidò esse exiguum; nam latam viam illam quæ ad inferos ducit, sunt inituri, multis partibus eos numero superant, qui arctiori, quæ cœlestis est, semitæ insistent. Verùm *Attendite*; Erunt qui spatiosum voluptatis vitæq; licentioris tramitem tenendum contendunt.

§. 16. *His, juxta verba Christi: via ad cœlum est arcta, apud Catholicos lata.*

Dico ego, difficilem esse viam ad Superos, lubricâ asperam, spinis plenam, & sentibus: erunt qui illam vel plumis stratam, vel rosis ornatam clamabunt. *Attendite.* Ego à paucis reperiendam hanc cœli viam pronuntio: erunt qui obvium omnibus aditum, atque omnium pedibus calcandam illam semitam asseverent. *Attendite.* Ita profectò usuvenit, quemadmodum tu futurum affirmasti Salvator! impleta est prædictio tua, videmus ejusmodi pseudoprophetas, & heu pudor! videre cogimur, invitis licet oculis Catholicis. Vos tamen ex dictis facilem potestis rationem inire, quinam præcipuè in doctrina, & fide sint falsi prophetæ; quinam lupi rapaces animarum.

§. 17. *Illa, strata spinis, his, rosis.*

Verùm & hoc notate, etiam inter Catholicos subinde reperiri falsos prophetas; qui etiam incedunt in vestimentis ovium, & tamen sunt rapaces lupi. Tegunt se pulcherrimis foliis, & sub illis abscondunt pessimos ac vene-

§. 18. *Etiam inter Catholicos inveniuntur falsi prophetæ.*

natos fructus. Vestis oviculæ est, v. g. exterior species hominis Christiani; dum quis foris se ostendit bonum sanumq; Catholicum; intus tamen malus est, intus putredine plenus atq; ulcere, intus undiq; peccatorũ sordibus contaminatus. In talibus est exterior quædam species Religionis simulatæ.

§.19. *Confirmatur ex S.Scriptura.* S. Chrysostomus Hom. 24. in Matt. *Per pseudoprophetas Christus mihi significare videtur eos, qui cum sint vita pravitate corrupti, speciem tamen virtutis induti sunt.* S Hieronymus. *Falsi prophetæ sunt, qui aliud præferunt ore, aliud opere: Ore Agni: corde & intentione lupi.* Animadvertite hoc obsecro parentes, observate præceptores, vos, quibus teneræ commissa est à Deo cura juventutis, vos inquam, hoc cordi ducite. Proh quantus hodie illorum est numerus adolescentium, qui in specie virtutis apparent, cùm sint vitæ pravitate corrupti! hinc tot castimoniæ naufragia! hinc tot infanda seductionũ exempla! tot scandala, libidinũ monstra, tot quæ vel nominare nefas est, scelera flammis subinde expianda! quid multa? in aperto res est; habentur privata passim inter adolescentes conventicula, concurritur, dantur mutuæ, & repetuntur visitationes, colloquia celebrantur clandestina, prætenditur larva amicitiæ, objicitur communis studii societas, allegantur, nescio quæ aliæ causæ, quibus speciem virtutis dexterè mentiuntur. Sunt interim inter eos lupi rapaces; sunt, qui alios ad mala incitant, sunt, qui ad infanda alliciunt. O præceptores! O parentes! *Attendite*, amabò, *Attendite*, non oviculæ sunt omnes, quos in consortium, vel filiorum vestrorum, vel discipulorum, & consuetudinem nimis familiarem tam facile admittitis.

§ 20. *Cain fuit falsus Propheta.* Placetne videre tales lupos sub pelle ovina? Ovis lingua fuit Cain, corde lupus. cum dixit fratri Gen. 4. v. 8. *Frater egrediamur foras in agrum*, quantum lingua sonat; egrediamur recreationis gratia: in corde cogitabat fratrem occidere, & certe Abel velut Agnus laniatus fuit à lupo. O parentes *Attendite*! Sunt Caini, qui vestros filios educunt inter hortos, ore dicunt, *Ludemus*; ludunt lusus magis onmi turpidini quam honestati consentaneos, imò ludunt lusus igne piandos. *Attendite à falsis Prophetis*, à lupis rapacibus.

§. 21. *Itaq; falsi Prophetæ sunt fugiendi.* Serpens in paradiso blando sermone decepit Evam *Attendite Virgines*. Sed & lupæ inveniuntur sub pellibus ovinis. Talis lupa fuit Dalila, discerpsit fortissimum Samsonem. Talem lupam sub pelle ovina describit Salomon Proverb. 7. v. 6. *de fenestra domus meæ prospexi, &c.*

Sed finem dictis impono, atq; illud Salvatoris nostri monitum longè fidelissimum ingemino, *attendite Vos*, quibus commissa est innocentium cura animarum, date operam ne quam negligentia vestrâ prædam ex illis faciat lupus infernalis. *Vos*, qui in medio nationis pravæ inter hæreticos vitam degitis, *Attendite*. *Vos* deniq; quibus animæ vestræ olim in cœlo collocãdæ cura est ac studium, à Pseudoprophetis, à rapacibus lupis, ab omnibus iis qui vos à vestro possunt fine retardare,

etiam atque etiam

Attendite.

CONCIO



CONCIO XXXVIII.

DOMINICA IX. POST SS. TRINITATEM.

Redde rationem villicationis tuæ.

Lucæ. 16. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRæscribit modum, quo nos præparare debemus ad reddendam rationem, sive ad Particulare Judicium.

§. 1. *Exactissima petetur ratio etiam de verbis otiosis.*

§. 2. *Quid fiet de peccatis gravibus? hoc pii timent, & tempestivè se præparant.*

§. 3. *Modum docet nos Christus D. in monte Oliveti.*

§. 4. *Expavit ob peccata aliena, quis erit pavor ob propria?*

§. 5. *Offert Patri Sanguinem, & Orationem.*

§ 6. *Hac imitemur in Christo D.*

§. 7. *Cur Iob diem judicii comparaverit turbini?*

§. 7. *Quomodo possimus evadere fugiendo ad turrim? via ad vulnera Christi Salvatoris.*

§. 9. *Alium modum præveniendi suggerit S. Paulus.*

§. 10. *Descriptio Iudicii.*

§. 11. *Allocutio pia ad peccatores.*

§. 12. *Prosopopæja loquentis S. Augustini de die Iudicii.*

§. 13. *Casus tragicus, vel horribilis visio.*

§. 14. *Prosecutio.*

§. 15. *Caveamus ne præveniamur.*

§. 16. *Monitum Christi D.*

§. 1. Exactissima petetur ratio etiam de verbis otiosis.

CUm S. Ephrem sub parabola lecti Evangelii considerasset exactas, quas aliquando omnes homines in agone supremo, præsentibus Custode Angelo, & Dæmone; deinde in valle Josaphat coram universo mundo. Christo supremo Judici reddituri essent rationes, de omni cogitatione, verbo & opere totius anteactæ vitæ, de triginta, sexaginta, octoginta vitæ annis; cùm inquam vir Sanctus hæc perpendisset,

 ex la-

exclamavit Ser. de extr. jud. *Corde tremo ob exactam discussionem, quæ tunc fiet!* Fore exactam patet ex v.14. cap 12. Ecclesiast. *In quod* (judicium) *cuncta quæ fiunt adducet Dominus, sive bonum, sive malum illud sit.* Ex cap 1. v. 12. Sophoniæ. *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Ex S. Bern. ser. 35. *Quid in Babylone tutum, si Jerusalem manet scrutinium?* & præcipuè ex verbis Salvatoris, Matt. 12. v. 36. *Dico vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.*

§. 2. *Quid fiet de peccatis gravibus? hoc pii timent & tempestivè se præparant.*

O mortales! rationem exiget supremus judex de verbis otiosis, quid fiet de blasphemiis, imprecationibus, juramentis, detractionibus, contumeliis, verbis obscœnis, & aliis peccatis linguæ? Hoc quisquis seriò considerat, non potest non omnibus artubus contremiscere. Prudentes, & amantes salutis suæ, sequuntur consilium S. Gregorii M. l. 8. Mor. cap. 13. *Justorum mens semper sollicita venturo examini intendit; Omne enim quod agunt, metuunt, dum cautè considerant, ante quem Judicem stabunt.*

Sed quid fiet, si liber conscientiæ nostræ sit plenus notis gravissimorum scelerum, quibus Deum offendimus? quid si dæmon ob præterita delicta jam commissa, coram illo Judice nos accusare possit? quid si jam meruimus fatalem æternæ damnationis sententiam? imitemur prudentiam villici, qui antequam Patrifamilias sisteretur, sibi providit, ut deinde ab illo non pœnam, sed laudem, ac præmium fuerit consecutus. Adeamus, tempestivè tribunal misericordiæ, ibi nos accusemus, ut subsistamus deinde coram Justitia. Qua ratione hoc fieri possit, hac vobis concione, siquidem benevolè me pro consuetudine vestra audieritis, in animarum vestrarum salutem exponam.

§. 3. *Modum docet nos Christus D. in monte Oliveti.*

Quâ ratione tam tremendum judicium prævenire possimus, docuit nos Christus D. sanctissimo suo exemplo in sua agonia in monte Oliveti. Nam Cap. 22. v. 44. ait Sanctus Lucas. *Factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* In explicatione passionis sine dubio sæpius audivistis, quàm terribilis fuerit timor, metus tremor, angustia, quæ sanctissimam Christi Domini animã adeò afflixerũt, ut in has voces erumpere coactus sit. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Causæ tristitiæ, & timoris assignantur variæ: præsenti materiæ congruam dat Sanctus Gregorius l. 4. moral. cap. 77. quod in transitu per torrentem Cedron, & vallem Josaphat, inque colle Oliveti Pater cœlestis, vel Justitia divina, illi posuerit ob oculos (quibus universa clarissimè intuebatur) omnia peccata totius mũdi, pro quibus illi vel respondendum fuit, vel certè promittenda Patri pro omnibus satisfactio. Hinc ille timor, ille metus, illæ angustiæ in adflictissimo corde tristissimi filii DEI.

§ 4. *Expavit ob peccata aliena: quis erit pavor ob propria?*

Verùm, O superi! Christus Dominus est innocentissimus, purissimus, impeccabilis! peccata, pro quibus respondere debuit, fuerunt aliena; suscepit ultrò illa in se ex amore infinito; & in cõspectu Patris ita timet, pallet,

pallet, trepidat? O miser peccator quid fiet, cum tibi de propriis sceleribus, non alienis, coram illo tribunali exactissima erit ratio reddenda? & de tam multis, tam variis, tam enormibus? Sic ait cit. Sanctus Gregorius: *Unde Redemptor noster solutioni carnis appropinquans, factus in agonia, appropinquante morte, nostra in se mortis certamen expressit, qui vim quandam terroris, ac formidinis patimur, cùm æterno appropinquamus judicio, nec enim tunc cujuslibet anima, cum rationem reddere debebit, immeritò terretur.* Verùm cum hunc agonem, hoc judicium, hoc terribile tribunal nemo possit evadere, quid faciemus? faciamus quod à Salvatore nostro factum accepimus.

§ 5. *Offert Patri sanguinem & orationem.* Dum totius mundi peccata in conspectu Patris, velut in speculo intueretur, projectus in genua, imò si antiquis credere volumus picturis, toto corpore in terram provolutus, ut plenam rubore, & confusione faciem aliquo saltem modò contegeret; probabile est corde dixisse; *Ita Pater*, hæc peccata in me suscepi, horum omnium sum reus, sed parce Pater, sanguine & morte satisfaciam! & in signum promptæ voluntatis, potissimus Christi sanguis adeo fuit commotus, ut apertis poris corporis, qua data porta, foras vi eruperit, quem humi jacens amarissimis miscens lachrymis divinæ Justitiæ, in satisfactionem pro peccatis obtulit. Atque hæc fecit in prolixa, humili, & fervente oratione, placatusq; est Pater cœlestis.

§ 6. *Hæc imi-* Hæc faciamus si in ultimis rationibus, in terribili illi agone causa cadere non volumus. 1. Humiliemus nos in conspectu Judicis. 2. Ponamus nobis ob oculos omnia peccata nostra. 3. Abjiciamus nos humi, dicamus cum Davide Ps. 50. v. 4. vel filio prodigo Luc. 15. v. 21. *Peccavimus.* 4. Nec desint doloris nostri indices lacrymæ; fluant illæ, ut gratia in nos fluat divina. 5. In satisfactionem offeramus sanguinem, & merita Christi. Sed præparatio optima ad futuras rationes est vita bona, & sancta, & fervens inprimis oratio. Hæc sanctissimo suo exemplo docere nos voluit Salvator. *temur in Christo D.*

Piissimus Job extremum judicium comparat turbini c. 9. v. 17. *In turbine conteret me.* Nam 1. turbo repente exsurgit; Filius hominis judex noster aderit hora, qua minimè putamus. 2. Turbo oritur ex conflictu variorum ventorum. Illum describit eleganter Virgilius:

Una Eurusq; Notusq; ruunt, crebrisque procellis,
Et conjurati veniunt ad prælia venti.

In agone hominis solet esse conflictus tristissimarum cogitationum, tragicarum imaginationum, variarum tentationum; conspirant dæmones, furit propria conscientia, insurgunt accusantia peccata &c. Talis agonizans comparente insuper Judice, & rationes exigente, non immeritò cum Jobo dicere poterit, *In turbine conterit me.* Paulò aliis verbis in eadem materia usus est David, Psal 49. v. 3. *In circuitu ejus* (id est circa fatalem lectum morientis impii) *tempestas valida.* §. 7. *Cur Iob diem judicii comparaverit turbini?*

Verùm eadem nos metaphora instruit, qua ratione hunc turbinem, vel §. 8. *Quomodo*

possimus evadere, fugiendo ad turrim, sive ad Vulnera Christi Salvatoris.

tempestatem prævenire debeamus: viator, qui à longè tales turbines, ventos, & tempestatē prævidet, tempestivè fugit ad aliquam turrim, vel ad densam aliquam arborem se recipit, sub cujus umbra tantisper à tempestate securus delitescat. Turris fortissima est nomen Domini: & dulcissimum nomen Iesus! turres tutissimæ, latebræ securissimæ sunt in Sanctissimis Vulneribus Salvatoris; arbor securissima est sacrosanctæ crucis arbor. Amate, Auditores, colite, diligite, invocate nomen Iesu, sit vobis in ore, sit in corde; habitate in ejusdem SS. vulneribus, estote amatores crucis: & securitatem in turbine, & tempestate agonis securitatem polliceor.

§. 9. *Alium modum præveniendi suggerit S. Paulus.*

Alium modum præveniendi has rationes, & judicium, suggerit S. Paulus 1. Cor. 11. v. 31. *Si nosipsos judicaremus, non utiq; judicaremur.* S. Bern. Ser. 8. in. Ps. 90. *Iudicemur interim fratres, & terribilem illam exspectationem præsenti studeamus declinare judicio, non enim judicabit Dominus bis in idipsum.* & S. August. lib. 3. de symbolo. Ille judex (dum ad judicandum adest) *nec satisfactione, vel pœnitentia mitigatur; hic dum tempus est, agat anima pro se, quam diu locus est misericordia, quia ibi erit locus Iustitiæ.* Qui rigidas Justitiæ manus vult evadere, modo dum tempus est, conjiciat se in brachia misericordiæ.

§. 10. *Descriptio Iudicis.*

Certum hoc est; cùm sit Iudex potentissimus, manus ejus nemo potest effugere cùm sit sapientissimus, oculos eius nihil potest latere, cùm sit justissimus, nemo eum potest corrumpere; oculi ejus erunt sicut flammæ ignis, vestitus erit ex veste aspersa sanguine ex ore ejus procedit gladius ex utraq; parte acutus, labia ejus repleta erunt indignatione, & lingua ejus quasi ignis devorans. Sed talis erit, cùm ad judicandum venerit Dominus, & nisi ante nos ipsos judicemus: modò pius est & misericors; modò antequam in judicium trahamur, de satisfactione cogitemus Ps. 118. v. 39. Regius Psaltes, vocat judicia Domini *jucūda*; quomodo? illane judicia *jucunda*, in quibus tam terribilis fertur sententia? illane *jucunda*, quibus tot animarum milliones flammis addicuntur æternis? Sic est; impiis sunt terribilia, tremenda, horrenda! Sed *jucunda* piis atq; insontibus, & illis qui ambularunt in lege Domini, & illis quorum *amputatum est opprobrium*, id est, illis, qui tempore gratiæ pro peccatis suis satisfecerunt, & se ipsos judicaverunt. S. Ambros. in hunc locum: *Quid vereor, opprobrii mei* (sive peccatorum meorum) *mentionem facere apud eum, cujus judicia dulcia sunt? quod severum in aliis, in Christo dulce est quia ipse suavis est.* Sed ut dixi, modo tempestivè peccata commissa hic defleamus. Bene ille: *Qui hic non planxerit, ibi, sed serò lugebit.*

§. 11. *Allocutio pia ad peccatores*

O peccatores! desideratis judicia Dei supremi Judicis non tristia, sed læta, jucunda, amabilia? in vestra manu est, dum læti vegetiq; vivitis, ferre vestram ipsi sententiam, bene vivite, & quod desideratis, obtinebitis. Optatis die illo fatali, jucundam ocu'orum aciem in vos à judice vestro reflecti? jam in pietatē convertite lumina, jam clementes in afflictam inopum turbā oculos

los conjicite. Vultis vocem illam jucundissimam, Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei*, auribus vestris id temporis, insonare? assequemini, si jam vestras à contritis cordibus voces, suspiria, ac gemitus, crebro cœlum cœliq; cives Angeli inaudiant. Amatis illorum beatissimis adjungi partibus, quos nullus unquam memor mœror, nulla in omne ævum calamitas perstringet amplius? jam dolorem, quo tum temporis carere velletis, omnem pœnitentiæ aggrediamini; jam, dum vita manet mortalis, immortalem cum Sanctis statum, immortalem virtutis cursum incipite.

§. 12. *Prosopopœia loquentis S. Augustini de die judicii.* Fecit id pulchris verbis S. August. l. medit c. 39. *Va mihi misero cum venerit Dies judicii, & aperti fuerint libri conscientiarum cùm dicetur de me, Ecce homo, & opera ejus.* Domine Deus meus, cùm iniquitatem meam ipsi cœli, luculenti sanè testes accusabunt; cùm radiis suis deficiens sol meam mihi ingratitudinem exprobrabit, cùm cadentes de cœlo stellæ suam in me indignationem exponent; cùm confusa inter se se elementa divini iram Iudicis, conceptiq; in me furoris indicia facient? cùm adversum me suis convulsa sedibus, mater omnium tellus consurget; cùm cõjurabunt in caput meum creaturæ universæ, cùm undiq; mihi divinæ fulmina vindictæ incumbent; cùm intus insolitis memet laniabit morsibus ac stimulis conscientia; heu mihi! quò fugiam miser? quem me in locum recipiam? ad cujus me patrocinium convertam? in cujus fidem confugiam? stabo miser, tremore plenus, ac confusione; stabo mentis inops, ignarus consilii, deplorata fortuna, amissa beatitudine! stabo, heu me miserum! sed quo devolvor? non sic stabo mi Iesu, alteri viæ, viteq; insistam: Clamabo ad te Domine Deus meus, jam ex hac hora, ex hoc momento, tuam imploro gratiam, amorem, clementiam: Jesu, ne me perdas illa die tremenda; si quem exigis de commissis hactenus peccatis dolorem, en, inspice cordis mei latebras, gemit cor meum, suspirat, contabescit dolore, atque utinam! sic contabescendo exspiret; ut à te quondam, ut spero, recreatum vivat in cœlis!

§. 13. *Casus Tragicus vel horribilis visio.* Has esse nostras cogitationes, hæc studia, hæc cum Deo nostro colloquia, oporteret Auditores! quis enim scit, quam propè adsit hora, qua in judicium vocabimur. Vocantur multi nimis improviso. Tragicum casum narrat Ribadineira in vita S. Sidonii 23. Augusti. Duo impii Sacerdotes sanctum hunc Episcopum graviter fuerant persecuti; sed alter fluxu ventris subitò interiit, iturus ad templum ut Episcopo ingressum præcluderet. Alter Sidonio mortuo occupavit Sedem, gaudioque plenus solenne instituit convivium, in quo dum omnibus invitatis vellet propinare, famulus porrigens vitrum dixit. *Domine si veniam dederis, somnium quod hac nocte habui, narrabo.* Annuit Dominus. & ille,

§ 14. *Prosecutio.* *Vidi*, inquit, *domum pellucidam in qua in throno sedebat Iudex, multis dicturus sententiam. Inter confertam turbam agnovi Sidonium Episcopum, una cum amico tuo, qui his diebus decessit, videbaturque altercari cum Sidonio; sed causa sua*

sua cecidit, & jussu Iudicis in profundissimum quendam carcerem est conjectus. Illo sublato, Sidonius etiam te coram Iudice acerrimè accusavit, tanquam scelerum alterius complicem.


Iudex itaque severè mihi injunxit, ut tibi suo nomine significarem, ut quamprimum coram eo compareres; mortem mihi interminatus, nisi fecero. Scito ergò te vocari ad judicium.

§. 15. *Caveamus, ne præveniamur.* O horrenda Dei judicia! ad inopinatum, & horrendum nuntium miser adeò cohorruit, ut subito corruerit exanimis. Quid si tali modo, fortè hodiè, fortè cras aut perendie, in judicium rapiamur? fieri potest Auditores. Itaque præveniamus, tempori reconciliemus nos Judici, ut judicium obtineamus jucundum.

Post ferventem Concionem S. Joannis Baptistæ, teste S. Luca cap. 3. v. 10. interrogarunt eum turbæ, dicentes: *quid ergo faciemus?* si fortassis his quæ dixi auditis, in hac concione idem ex me percontemini; respondebo verbis Christi Domini Luc. 21. v. 34. *Attendite vobis ne fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: ut veniat super vos repentina dies illa; tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ea omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.*

§. 16. *Montum Christi Domini.* En ipsum Salvatoris oraculum! cui quod de meo adjungam, non habeo Auditores; nisi quod jam vos coronidis loco, iterum iterumque per quidquid charum est, orem atque obsecrem, ut hanc divini effati Regulam longè certissimam omnibus in rebus sequamini, atque huic vitam vestrã, & actiones conformare studeatis.

Væ illi, super quem veniet dies illa repentina! *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Averti à se quisquis seriò hoc malum desiderat, attendat, ne fortè gravetur cor suum in crapula, & ebrietate, aut alio quovis peccato mortali; det operam, ne curis fluxæ hujus, ac mortalis vitæ obruatur. Excubias agat pro æternitate, quam potest diligentissimè; preces hunc in finem sæpe effundat, sæpe sublatis in cœlum oculis, & verso in Deum corde, felicem vitæ periodum roget, oret, obsecret, obtestetur, *ut dignus habeatur fugere omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis*, coram tremenda facie Judicis! Amen.



CON-

CONCIO XXXIX.

DOMINICA X. POST SS. TRINITATEM.

Videns civitatem flevit super illam.
Lucæ. 19. verſ. 41.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Concio hæc proponit Lachrymas Chriſti D. velut ſpeculum, ut in illo intueamur cauſas, ob quas tam amare flevit.

§. 1. *Encomia lachrymarum Chriſti D.*
§. 2. *Chriſtus D. fuit plenus compaſſione.*
§. 3. *Lachrymæ ſunt teſtes amoris, & doloris.*
§. 4. *Ubi amor, ibi lachrymæ.*
§. 5. *Ex S. Gregorio & aliis.*
§. 6. *Tria genera lachrymarum.*
§. 7. *Symbolum.*
§. 8. *Applicatio ad Chriſtum.*
§. 9. *Ex amore, & dolore flevit.*
§. 10. *Cum lachrymis ex oculis Chriſti fluxit pars doloris.*
§. 11. *Primus fons lachrymarum Chriſti.*
§. 14. *Alter fons.*
§. 12. *Tertius fons.*
§. 14. *Chryſtus D. lachrymis ſuis conatur reſtinguere ignes D. Juſtitiæ.*
§. 15. *Flevit ſuper Jeruſalem: quia non cognovit tempus viſitationis.*
§. 16. *Chriſtus ipſe venit, tamen noluerunt agnoſcere.*
§. 17. *Cum magna obſtinatione & excæcatione.*
§. 18. *Hodierna quoque cæcitas multarum fuit cauſa lachrymarum Chriſti.*
§. 19. *Invectiva in illos, qui lachrymis Chriſti non moventur.*
§. 20. *Cauſa præcipua peccatum mortale.*
§. 21. *Adhortatio ad pœnitentiam.*

§. 1. **Encomia lachrymarum Chriſti D.**

De lachrymis, quibus ſua deploravit ſcelera, ait Pſ. 55. v. 9. David; *Deus meus vitam meam annuntiavi tibi, poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.* Idem nos hodierno in Evangelio faciamus Auditores. Lachrymas, quibus Chriſtus filius Dei deflevit ingratitudinem Ieroſolymæ, ponamꝰ in conſpectu noſtro. Lachrymæ hæ, 1. ſunt pulchræ, quia fluunt ex pulcherrimis oculis ſpecioſi præ filiis hominũ, ideo merentur ut ponamus illas in conſpectu noſtro. 2. Lachrymæ hæ ſunt ſuaves, & dulces, quia fluunt ex melleis fonticulis in ſuaviſſimis oculis Chriſti, dignæ ſunt, quæ ponantur in conſpectu noſtro. 3. Lachrymæ hæ miſericordes ſunt, quia

amor, & misericordissima Jesu bonitas ex thesauro benignissimi cordis illas extrahit; ideo merentur aspectui nostro exhiberi. 4. Lachrymæ hæ sanctæ sunt, quia à Sancto Sanctorum funduntur; sanctæ quia valent ad abluendas criminum sordes, atq; animas nostras sanctificandas, ut nos sanctos faciant. Cùm enim lachrymæ sint depuratus sanguis, aut potius vapor sanguinis, qui dum ex corde, vel læto, vel tristi, evaporat, ascendit in oculos, ibique in aquam concrescit & fluit, necessario sequitur lachrymas Christi, uti sanguinē emundare nos à peccatis, & sanctificare; ideo merentur nostro repræsentari conspectui. 5. Sunt lachrymæ pretiosæ; omnibus balsami lachrymis, guttis, & stillicidiis quarumcumq; arborum in Indiis, pretiosiores. Lachrymæ enim Christi, guttæ sunt cordis Christi, & quid nisi pretiosum, odoriferum, dulce, sanctum, pulchrum, ex illo pulcherrimo, sanctissimo, dulcissimo, pretiosissimo corde potuit promanare? 6. Fuerunt hæ lachrymæ Christi calentes, quia fluxerunt ex fonte ardentissimo, & calidissimo præ vehementia amoris. Quæso amoris has lachrymas ponamus in conspectu nostro. 7. Denique lachrymæ, quas benignissimus Iesus effudit super civitatem, pars fuerunt illius sanctissimæ aquæ, quæ deinde in cruce ex aperto ejus latere, imò Sanguineis oculis, mixta sanguini fluxit de cruce in redemptionem generis humani. Amabo vos iterum Auditores, ponamus hac concione has lachrymas, hanc aquam, hunc pretiosum liquorem in conspectu nostro, ut in illis veluti speculo videamus causas, ob quas Christus Dominus oculis suis benedictis; tam uberem lachrymarum copiam effudit. Quod ut assequar facilius, dividam dictionem in tres partes: In prima ostendam hujus fletus rationes, quæ personam Christi concernunt. Exponam in secunda causas, quas ingrata Ierosolyma lachrymis Christi præbuit. In tertia breviter movebo, ut nos similes lachrymarum Christi causas removeamus imposterum.

§. 2. *Christus D. fuit plenus compassione.*

Ea fuit misericordia Christi Salvatoris nostri, ut miseros aspicere non potuerit, quin moverentur viscera ejus ad tenerrimam compassionem. Videns turbam languidam misertus est, & sanavit multos. Videns turbam famelicam ait, *Misereor super turbam.* Videns viduam flentem, misertus est. Ad sepulchrum Lazari dum vidit Sorores flentes, & ipse flevit. In hodierno Evangelio flevit, prævidens miserabilem stragem impiæ urbis.

§. 3. *Lachrymæ sunt testes amoris & doloris.*

Unam causam ex parte Christi paucis verbis exposuit S Bernardus ser. 10. in Cant. *Lachrymæ testes sunt amoris: frequenter etiam doloris.* Lachrymas esse testes amoris, adverto ex illa ardenti oratione S. Augus. in medit. c. 35. *Da mihi evidens signum amoris tui, irriguum lachrymarum fontem, jugiter manantem, ut ipsa quoq; lachrymæ meum in te testentur amorē.* q. d. hoc desidero, ut qui in posterum me flentem videbunt, cogitent me amare Deum. O S. Angeli cum videritis irriguos lachrymarum fontes stillare ex oculis meis, numerate guttas; quot erunt, tot erunt

testes

testes mei in Deum meum amoris. Et quis unquam tenerè amavit, qui non fleverit? Sed frequenter lachrymæ, doloris sunt testes. Gilbertus Abbas ser. 30. in Cant. *Vulnerati cordis lachrymæ sunt signa.* Quis enim unquam acriter doluit, & non flevit? Cum itaque Amor cor humanum vulnerat, lachrymæ ascendunt in oculos, & sunt testes latentis amoris, qui cor vulneravit. Cùm illud lancinat dolor, eædem sunt signa & testes doloris: cum dolor, & amor cor calefaciunt, necessario cogunt lachrymas, juxta illud Poëtæ.

Rorant lachrymis lumina fervida,

fervor verò oculorum oritur ex fervore cordis. Dionysius Carthus. explicat hoc simili in Lucam: Veluti caldaria seu lebes, quidam magno igni superimpositus fortiter bullire videtur: eodem modo cor hominis calore nimio effervescit in lachrymas: & si ignem supponat Amor, lachrymæ evaporantes sunt testes amoris; Si verò id faciat Dolor; lachrymæ, doloris signa ex oculis evaporant. Hinc illud symbolum: Vas eliquatorium in fornace accensa cum hoc versu:

Ecquid adhuc dubitas? testis sit lachryma flamma,

Semper ut occluso stillat ab igne liquor.

§. 4. *Ubi amor ibi lachrymæ.* Itaque amans facilè lachrymatur. Richardus à S. Laur. l. 4. de laud. B. Mariæ. *Ubi amor, ibi oculi,* dicam & ego, *Ubi amor, ibi lachrymæ.* Experientia docet. Cor v. g. Sancti Ignatii erat in cœlis; ibi quoque ejus oculi, &. amare flentes, præsertim noctibus cum cœlum intueretur. Et Magdalena, jacens ad pedes Christi (ut fere loquar cum Sancto Bernardino) crebris suspensa suspiriis, & dolorem suum, & amorem cum lachrymis excitabat neque ignem abscondere poterat, qui in corde ejus ardebat. Erat in corde ejus amor, & dolor: & lachrymæ in oculis, tanta copia & ubertate, ut illis pedes Christi irrigare, & lavare potuerit. Cum illas Origenes consideravit, dixit, *Dolor ejus erat super dolorem, quem mitigare lachrymis voluit.* Nam ut bene Ovidius l. 4. de tristibus.

--- *Est quædam flere voluptas;*

Expletur lachrymis, egeriturq; dolor.

Et Sanctus Ambrosius de obitu Valentiniani, *Est piis affectibus quædam flere voluptas, & plerumque graves lachrymæ evaporant dolorem;* & frequenter amorem, sic lachrymæ mitigant incendia & flammas tùm doloris tùm amoris.

Phœnix inter flammas dum exspirat, & inter cineres dum reviviscit, pascitur rore. Cor vel dolore, vel amore flagrans pascitur lachrymis. Aquæ cordis inest quædam dulcedo, aliquod nectar, quod mitigat amaritudinem, quæ cordis latebras perrupit. Sanctus Greg. M lib. 5. moral. cap. 7. *luctu suo anima pascitur.* Expertus fuit David cum cecinit Ps. 41 v. 4. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* S. Bernardinus ser. 43. art. 1. c. 1. p. 1. sic explicat: *Dilectio est actus suavissimus, & ita cor amantis quadam indicibili delectatione respergit, quod animam* (sive cor) *facit liquescere in se ipsa.* Similiter dicamus de dolore; Est actus quidam tristissimus, est quædam tristitia, & af- §. 5. *Ex S. Gregorio & aliis.*

& afflictio cordis, quæ cor amantis quodam felle, vel absynthio respergit, & flammas admovet doloris, ut cor liquefiat, sicque particulæ calidiores, & subtiliores ascendant in altum & effluant per oculos, qui portæ sunt cordis calefacti & liquefacti, per quas vel doloris, vel amoris resolutus calor evaporat.

§ 6. *Tria genera lachrymarum.* Coronidem mox imponam huic discursui, & ad lachrymas Christi in hodierno Evangelio profusas me convertam, ubi prius ad diversitatem harum lachrymarum, quæ vel ex amore, vel dolore, vel utroque proficiscuntur, traxero dictum historiæ Lombardicæ de Sancto Ambrosio: *Habuit tria genera lachrymarum, lachrymas compunctionis pro aliorum culpis; lachrymas devotionis pro æternis desideriis: lachrymas compassionis pro aliorum injuriis.* Ecce novos fontes lachrymarum! Unus fons sunt peccata, & propria, & aliena. Alius fons sunt ferventissima desideria; alius, Compassio erga miseros. Equidem existimabo jam vos animadvertere, quam pulchras, habita hactenus oratio subministratura sit rationes, ob quas conspecta voluit Jerosolyma dissolvi in lachrymas Salvator.

§. 7. *Symbolū.* Antequam tamen lachrymas Christi ponam in oculis vestris, juvat eos prius elegantissimo quodam symbolo, quod dicta omnia dilucidat, oblectare. Pictor eximius depinxit elegantissimum fontem, qui Bruxellis in regio horto pro miraculo eximiæ artis habetur: In eleganti columna super aquas stat castus Cupido, dextera tenet sagittas & faces, sinistra arcum & pharetram, verùm non ignes & scintillas, non faces, ut alias solent ardentia tela cupidinis, sed limpidissimas aquas ejaculatur, quot tela, quot foramina in arcu, pharetra & sagittis, quot radii facum, tot canales & scyphuli sunt, per quos salit & ludit aqua. Huic fonti ingeniosus Poëta in laudem pudicitiæ Serenissimæ Isabellæ Eugeniæ hos versus inscripsit.

Non face, non jaculis, non sævus ignibus urit,
Pro jaculis frigus, pro face mittit aquas

§. 8. *Applicatio ad Christum.* Jam tandem lachrymas Christi flentis super Ierosolymam in conspectu vestro pono. Effundit has lachrymas, ut sint amoris divini symbola, quo dilectam, licet ingratam urbem prosequitur. Irrigui lachrymarum fonticuli, qui ex benignissimis ejus oculis scaturiunt, immensum ejus testantur amorem, erga electum sed rebellem populum. Amori huic immensus fuit dolor; se amore, bonitate, beneficiis, sua præsentia nihil proficere conquestus. Versum illum 12. ex Threnis cap. 1. *Attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus*; non solum intelligere debemus de dolore externo sanctissimi corporis Christi, sed multò magis de interno dulcissimi cordis propter scelera ingrati populi: hunc dolorem lachrymis testatur. Sunt signa vulnerati cordis. Quia amor in corde Christi ardens fuit, quia simul ardens dolor! ardenter flevit! Aquei illi globuli ex oculis Christi in terram devoluti, ardentes simul, & flammei

mei fuerunt, quia originem traxerunt ex corde, quod urebatur hinc amore, hinc dolore; ex corde; quod veluti lebes vel vas liquefactorium positum erat super prunas amoris,& doloris: ex hoc corde in oculos ascenderunt lachrymæ, & quia fervebat cor, fervescunt & oculi; ideo plorant, *Rorant lachrymis lumina fervida.*

§.9. *Ex amore & dolore flevit.* Ecquid dubitatis, an Christus amet Jerosolymam?

--- Testis sit lachryma flamma,

Semper ut occulto stillet ab igne liquor, ab igne amoris, quo Christus urbem prosequitur,ab igne doloris, quo de ejusdem dolet ingratitudine & interitu, stillant hæ lachrymæ ex oculis Christi. Crebris suspensus suspiriis, & gemitibus excitatus, dolorem suum dissimulare non potuit, nec ignem abscondere,qui in corde ejus ardebat. Nimirum optimè dixit Richardus à S. Laur. *Ubi amor, ubi dolor, ibi oculi & lachryma.* Objectum amoris Christi fuit impia synagoga; eadem fuit objectum & causa lachymarum Christi. Tantus amor deflet, & deplorat ingratum, & sceleratum populum.

§ 10. *Cum lachrymis ex oculis Christi fluxit pars doloris.* Permittite mihi ut cum Ovidio quoque dicam,

--- Est quædam flere voluptas;

Expletur lachrymis, egeriturq; dolor. Ille dolor quo premitur Cor Christi,evaporat per dulces,& tristes lacrymas; lachrymis imanē pectoris dolorē nonnihil mitigare voluit. Cogitate Christum D. fuisse ardentem Phœnicem. Lachrymæ ex oculis stillantes, sunt roris cœlestis guttæ,sunt leni cum influxu labentes ab alto pluviæ,quibus flamma & amoris, & doloris nonnihil refrigeratur. Fateor,amarum fuit cor JEsu; amarum hoc reddidit absynthium, reddidit & fel draconum, & aspidum, quod propinavit Synagoga. Melle & lacte dulcium lachrymarum amaritudo illa in suavissimo corde nonnihil temperatur.

§.11. *Primus fons lachrymarum Christi.* Dilectio JEsu erga Jerosolymam actus quidam fuit, qui sua vehementia, & ardore animam & cor ejus ita liquefecit,ut guttulæ,ut particulæ liquefacti cordis,ut vel guttæ, vel particulæ effervescentis sanguinis circa benignissimum Cor JEsu per oculos sint derivatæ. Portæ fuerunt ejusdem oculi, fuerunt meatus, per quos amor, & dolor evaporarunt. Cogitate præterea,quod ante dixisse me memini, lachrymarum Christi super Jerosolymam triplicem ferè fontem existere. Unus in corde ebulliit, amor,dolore mixtus. Lachrymæ scilicet,illæ Christi,fuerunt lachrymæ compunctionis pro sceleribus urbis. O infelix civitas! tu tu mœrorem attulisti cordi divino! tu eum,qui gaudium est Patris, atque Angelorum lætitia, scelerum tuorum magnitudine mirum quantum contristasti! Tu provocasti lachrymas ex illis oculis, qui tanquam gemina in cœlo sidera serenissima prius luce radiabant! quàm vereor, ne hic Dei-Hominis dolor tuas portendat quoque calamitates, tuum excidium, internecionem civium, flammâ ferroque hostili devastationem, & quod his omnibus longè erit acerbius, extremum tot animarum, quas cœlo, non stygi sacras esse optaret,interitum.

§.12. *Alter fons.* Alter fons fuerunt desideria Christi. Hæc sunt Sponsi tui piissimi desideria!

ki affectus, hæc vota! *Revertere, revertere Sunamitis*; tandem aliquando pone modum libidini tuæ, tuæ superbiæ, tuæ avaritiæ, tuis sexcentis aliis sceleribus, polluta civitas! jam non sancta amplius urbs, sed profana! non pietatis, sed injustitiæ, metropolis! &c. revertere; vel his meis lachrymis movere! hac admonitione tam paterna, sed ultima! hoc meo tam lachrymabili aspectu! *Ierusalem*! *Ierusalem*! subeat animum tuum: *Quoties te volui congregare, quemadmodum gallina congregat pullos suos, sub alis, & noluisti?* Et respuisti vocantē? Et ludibrio habuisti Prophetas? Et contempsisti oracula? nunc tandem, si sapis, revertere! frustra hæc omnia: ideò plorat Salvator.

§. 13. *Tertius fons.* Tertius fons fuit compassio, ob ingentium malorum iliadem, quam videbat imminere ingratæ urbi. q. d. Christus D. Versantur jam mihi ob oculos bella illa atrocia, quibus tui te inimici persequentur. Jam intueor Romani potentiam exercitus, quo, heu infelix civitas! tantorum ignara malorū propediem es debellanda. Jam illos funestos video dies, quo circumvallabūt te vallo hostes tui, & coangustabunt undiq;, quo compita, & vicos tuos replebit mulierum ejulatus, parvulorū comploratio, virorum consternatio, Sacerdotum planctus! Jam oculis haurio mœniorum ruinam, domorum expilationes, profanationes templi, hominū cædes! Jam cerno, ut barbarus miles in tuis sæviens visceribus, ad terram te prosternat, & non relinquat lapidem super lapidem. Hæc scilicet & talia amaros Christo lachrymarum fontes elicuerunt. Ingenti commiseratione cor Christi non solùm tactum fuit, sed ferè fractum. Ideo effluent lachrymæ.

§. 14. *Christus D. lachrymis conatur restinguere ignes D. Iustitiæ.* Denique, dum JESUM super urbem plorantem cernitis, mementote fontis, quem superius depinxi. Arma, tela, sagittas; arma ignea, sagittas piceas, & sulphureas habuit Filius DEI, quibus rebellem urbem momento, ut Gen. 19. v. 24. Sodomam & Gomorrham comburere potuisset, sed, non face, non jaculis, non ignibus usus est; sed aquis, sed lachrymis, ut probet, an illis obdurata civitas emolliri possit, antequam gladiis, & ignibus Romanorum exscindatur. Audivistis ergo hac prima Concionis parte aptas ni fallor causas ex parte Christi, cur fleverit. *Flevit*, quia amavit Jerosolymam. *Flevit*, quia sensit & doluit ejus interitum; *Flevit*, quia misericors fuit. Amor, dolor, misericordia illas lachrymas ex oculis Christi Domini expresserunt. Jam ad dictionis meæ partem alteram accedo.

§. 15. *Flevit super Ierosolymam quia non cognovit tempus visitationis.* Causas illa complectitur ex parte urbis, super quam flevit. Et verò præcipuam ipse nobis insinuare videtur Salvator, illis verbis; *quia si cognovisses & tu.* Felicissima civitas fuit Jerosolyma, à DEO singulariter electa, ut esset nomen ejus ibi, & illa nominaretur in cunctis gentibus. Fuit à Deo singulariter dilecta, unde in Scriptura vocatur, *filia DEI.* Fuit elegantissima, & amœnissima, ideo in Scriptura vocatur *vinea & hortus Domini.* Fuit populosissima, à Jeremia dicta *civitas plena populo.* Fuit fortissima & optimè custodita Isaiæ cap. 26.

v. 2.

v. 1. *Urbs fortitudinis.* De muris, vallis, turribus, quibus munita fuit, mira narrat Josephus; ita ut Titus Vespasianus obstupuerit capi potuisse, urbem tam egregiè munitam, tam rebus omnibus ad sui defensionem per quàm accommodis instructam. Fuit præterea civitas doctissima, erat enim sedes Prophetarum, & Doctorum legis. Fuit honoratissima, tanquam sedes Regum Juda. Et tam nobilem, tam insignem, tam omnibus ornatam fortunis, tam amplam, tam honoratam, civitatem, lachrymis suis prosequi dignatus est optimus JEsus, propterea quod agnoscere noluit eum, à quo salus ejus pendebat, scilicet Christum Messiam. Habuit urbs illa Scripturas legis, habuit oracula Prophetarum, Psalmorum vaticinia; de quibus Christus dixit, Luc. 24 v. 27. *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysis, & Prophetis, & Psalmis de eo.* Has scripturas Judæi legerunt, ac relegerunt; Sed noluerunt intelligere, hoc deflevit Christus D. *O si cognovisses & tu.*

§. 16. *Christus ipse venit, tamen noluerunt agnoscere.* Venit ad illos Christus D. in templum, interpretatus est illis scripturas, Joannis 15. v. 22. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Hoc deflevit Christus D. Viderunt Judæi suis oculis, & audiverunt miracula à Christo perpetrata, quæ ejus divinitatem & doctrinæ veritatem satis testabantur; nihilominus nec Christum, nec Christi voluerunt audire doctrinam, contumaces animæ. Queritur de hoc Christus; *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt, & me & Patrem meum.* Hanc animarum cœcitatem, hanc cordium duritiem, hanc superbiam Judæorum arrogantiam amaris lachrymis deploravit Salvator. *O si cognovisses & tu!*

§. 17. *Cum magna obstinatione & excæcatione.* Audiverat obdurata in malis gens clamantes parvulos; & recenter quidem audierat, *Osianna Filio David*, audierant Judæi sat numerosam populi sui partem divino raptam Spiritu accinentem ex tempore, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, Matth. 21 v. 9. Intellexerant non semel à cœcis, quis & quantus esset, quantis clarus miraculis, quot beneficiis optimè meritus de patria: non tamen hæc sufficere poterant universa, ut Regem illum, ut suũ Salvatorem, ut mundi Messiam agnoscerent. O dura, O reproba gens Judæorum! audivistis sæpissimè, oculis usurpastis, palpare potuistis manibus veritatem; repudiastis tamen; ejecistis, eliminastis! non credidistis, imò ne quisquã vestrum impunè possit credere, inaudita simul nequitia conjurastis! quid mirum quod benignissimus JEsus fleverit?

§ 18. *Hodierna quoque cœcitas multorum fuit causa lachrymarũ Christi.* Venio ad tertiam dictionis partem. In Jerosolymâ veluti speculo prævidit Christus D. cœcitatem, quæ & hodie regnat inter Christianos, in filiis tenebrarum. Omnia gravia scelera, quibus Deus offenditur, cœcitatem quandam animæ secum trahũt, quàm Christus D. prævidit in hod. Evangelio, & deflevit. Cœcitas hæc causa est, ut plurimi, ut superbi, ut avari, ut luxuriosi &c. filiũ Dei sibimetipsis rursũ crucifigerent, hoc deflevit jam tũ Christus Dominus. Propter talia scelera plurimi hodie infelices afflant animas, æter-

æternæ damnationis addicendi suppliciis, illi, quos piissimus Salvator ita amavit, illi pro quibus Crucifixus Sanguinem tam copiosè fudit. Hoc prævidit, hoc doluit, hoc cor ejus divinissimum ceu spongiam expressit, & ex oculis primùm crystallinas, paulò post toto ex corpore, atque omnibus membris liquorem expressit purpureum & sanguineum!

§ 19. *Invectiva in illos qui lachrymis Christi, non moventur.* Quid facitis amabò? an lachrymas Christi divinas ita contemnitis? *tam speciosas?* indigni divina pulchritudine mortales! Lachrymas *tam clementes?* nulla vos unquam, si hoc porrò facitis, respicit clementia. *Tam Sanctas?* frustrà igitur, frustra ad beatæ domicilia sanctitatis aspiratis. *Tam pretiosas:* nullũ igitur pretium animas vestras à dirissimo dæmonum mancipatu vindicabit. *Tam amaras lachrymas contemnitis?* amaros vobis olim imbres ex oculis damnatis excutient.

§. 20. *Causa præcipua, peccatum mortale.* Abiit præfinitum dictioni meæ tempus; sed quando prolixius non possum; unicum peccatum mortale ex parte nostra fuisse causam lachrymarum Christi perpendite; ideoque hoc mihi reliquum est, ut per pretiosas & dulcissimas Salvatoris nostri lachrymas vos obtester, ut ingens odium contra peccatum mortale concipiatis; sicque lachrymarum causam removeatis. Nolite obsecro, nolite porrò tam bonum JEsum contristare; nolite lachrymas ejus provocare; eadem enim vox, quam S. Paulus ad Hebr. 12. attribuit Sanguini Christi, melius loquentem quam vocem loquentem occisi Abelis; eadem inquam vox inest ejus lachrymis, veluti sanguini purissimo, qui clamat & veniam atque misericordiam super justos; & vindictam atque justitiam super impios.

Si fortassis provocastis hactenus lachrymas Christi, ite confestim, & arrepta pœnitentiæ spongia, contrito corde pretiosissimas has guttas excipite, & lachrymis vestris Christi mitigate dolorem, temperate lachrymas, abstergite fletum ab oculis ejus, ad seriam vos pœnitentiam convertite. In satisfactionem dignissimam, & solutionem adæquatam pro vestro debito in conspectu Justitiæ, ante oculos Patris æterni ponite lachrymas Christi. Hoc quod à vobis etiam atque etiam rogo, potissimum est Auditores; alterum verò, ut post hàc operam detis, ne sceleribus vestris illud efficiatis, ut propter vos effusas Christi lachrymas aliquando audiatis, per easdem vos Christi pretiosissimas lachrymas obtestor. Si verò flere etiam libeat, vel ob peccata vestra, vel aliena, vel ex compunctione, vel ex dolore de offensa summi boni, *§. 21. Adhortatio ad pœnitentiã.*

DEum & Salvatorem vestrum amate. *Ubi amor est, ibi sunt & lachrymæ!*

CON.



CONCIO XL.

DOMINICA XI. POST SS. TRINITATEM.

DEus propitius esto mihi peccatori.
Lucæ. 18, v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

LAudat hæc concio hanc oratiunculam, *DEus propitius esto mihi peccatori.*

§. 1. *Humilitas Publicani, ut peccator imitetur.*
§. 2. *Pœnæ in rebelles, & proditores.*
§. 3. *Humilitas Davidis, pii Latronis, & filii prodigi.*
§. 4. *Peccatores graves plerumque miseriam suam non agnoscunt.*
§. 5. *Invectiva in illos.*
§. 6. *Colloquium de hac quæstione.* Quid sit humilitas.
§. 7. *Encomia dictæ oratiunculæ.*
§. 8. *Viri sancti illa oratiuncula sunt usi.*
§. 9. *Facillimè obtinet veniam peccatorum.*
§. 10. *Modus hic orandi usitatus fuit Israëlitis.*
§. 11. *Humilitas mendicorum.*
§. 12. *Sic oravit filius prodigus.*
§. 13. *Verba Petri Cellensis Abbatis.*
§. 14. *Apostrophe ad peccatores ut procidant ad pedes Christi.*
§. 15. *Odor nardi est gratissimus CHRISTO Domino. De fasciculo myrrhæ.*

§. 1. Humilitas Publicani, ut peccator imitetur.

BEne sibi consuluit Publicanus, quod cum timore, tremore & confusione, in angulo templi, percutiens pectus, dixerit: *DEus propitius esto mihi peccatori*, nam ea est indoles eorum, qui rei sunt læsæ Majestatis, ut in conspectu Regum adversus quos conspirarunt, soleant sese demittere, & delicti veniam petere. Rebellem voco Publicanum, quia peccator fuit. Rebellis dicitur, qui fidem Regi juratam violat, qui cum proditoribus Regiæ dignitati, vel vitæ perniciem machinatur. Hoc facitis impii, quoties Divinam Majestatem lethali scelere offenditis.

Nimirum est peccatum mortale aliud nihil, quàm proditio, est rebellio, est læsæ crimen Majestatis divinæ. Ideo discite à Publicano, quales vos coram divino conspectu apparere oporteat; ruite in genua, percutite pectora, dicite cum singultibus, *DEus propitius esto mihi peccatori!*

§. 2. *Pœna in rebelles & proditores.* Non desunt, quæ ad hoc nos impellant, rationum momenta gravissima. Omnium nationum, regnorumq; usu, rebelles & proditores Regum gravissimis afficiuntur suppliciis; plectuntur capite, aguntur in malam crucem, dividuntur in partes, uruntur ignibus. Expertus est Phocas, ab Heraclio mutilatus. Sensit Basiliscus jussu Zenonis enectus fame; Martinus Falerius à Venetis suspensus fuit. Andronicus ab Isaacio fuit excæcatus. Maslæus à Casimiro Cruci affixus. Diocletianus denique, qui Imperator creatus rebellem sua manu confodit dicens: *Hic est auctor necis Numeriani.* Vos impii, auctores estis necis Filii DEI. Enses, sagittas, fulmina vibrat divina Nemesis, ne percutiat in furore, ruite in genua, percutite pectora, dicite, *DEus propitius esto, &c.*

§. 3. *Humilitas Davidis pii latronis, Filii prodigi.* Oratiuncula hac paulò aliis verbis, sed eodem sensu usus est David, 2. Reg. 12. v. 13. *Peccavi Domino.* Ps. 50. v. 4. 1. *Tibi soli peccavi. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Et latro in Cruce Lucæ 23. v. 42. *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Lucæ 15. v. 21. Filius pro-prodigus, *Pater peccavi in cælum & coram te.* Horum exemplo deinde alii peccatores; Thais præcipuè, celebris illa pœnitens, toto trienio in suo antro vix aliud oravit, quàm hæc verba, *Qui plasmasti me, miserere mei.* Qui modus orandi mihi adeo placet; ut quàm necessaria, quàm utilis sit hæc oratio, & & quibus debeat esse ornata virtutibus hac Concione latiùs ostendere decreverim.

§. 4. *Peccatores graves plerumq; miseriam suam non agnoscunt.* Plerumque graves peccatores scelerum suorum gravitatẽ non agnoscunt. *Talis est,* inquit Salomon Prov. 30. cap. v. 20. *Via mulieris adulteræ, quæ tergens os suum dicit; non sum operata malum.* Talis fuit impia synagoga, ad quam Deus per Jeremiam ait: c. 2. v. 23. *Quomodo dicis, non sum polluta, post Baalim non ambulavi: vide vias tuas in convalle, scito quid feceris.* Talis fuit Saul 1. Reg. 15. v. 20. *Imò audivi vocem Domini, & ambulavi in via, per quam misit me Dominus.* Raró convertuntur ejusmodi, sed obstinati in malo, sicut Saul, sicut Synagoga, sive impudens aliqua adultera, perseverant. Orig. Hom. 2. in Levit. *Nunquam se emendat, qui peccasse se non putat.* Ideò primus gradus conversionis est, peccati gravitatem & vulnus agnoscere. D. Cyprianus l. 1. Ep. 3. *Primus felicitatis gradus est, non delinquere; secundus, delicta agnoscere.* Seneca Epist. 6. *Signum est meliorati animi, cùm vitia sua cognoscis.* Divus Ambrosius in Apol. 1. de David cap. 9. *Bonæ mentis est, vulnus sentire peccati: nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem, quod est immedicabilis ægritudinis.*

§. 5. *Invectiva in illos.* Væ vobis, qui animos geritis ita peccatorum sordibus obrutos, ut nullum amplius doloris sensum admittatis. Parum profectò, etiam à morte sempiterna abesse vos judicat cœlestis medicus.

Notant

Notant alii in vobis certas mortis indices notas: exposita sunt omnium, quà hominum, quà Angelorum oculis, vulnera vestra, ad restim res abiit: vos nihil interim sentitis adversi, vos quasi lethargo oppressi, jucunda quæq; somniatis, vos nulla, ad imploranda medicorum subsidia, vulnerum movet acerbitas; animam agitis miseri, & non animadvertitis, non ingemiscitis, nihil de morte, nihil de periculi magnitudine, nihil de instantis alea æternitatis cogitatis! Certum est istud imminentis fati indicium! sicutècontra ubi doloris, ibi etiam est vitæ sensus. Sic telam conversionis texere incipit humilis agnitio peccati, quam Publicanus in hodierno Evangelio his verbis declaravit, *DEus propitius esto mihi peccatori.*

§.6. *Colloquium de hac quæstione: Quid sit humilitas.*

Narrat Climachus in conventu piissimorum Anachoretarum hanc quæstionem fuisse propositam. *Quid sit Humilitas?* varii variè responderunt. 1. Humilitas est rectè factorum oblivio. 2. Magnum opus est, & divinum. 3. Via humilitatis est hæc, ut quis se omnibus subjiciat. 4. Est janua cœli, & patres nostri per multas contumelias acti, gaudentes per hanc januam intraverunt in civitatem DEI. 5. Hominis perfectio est humilitas. 6. Maximus Diaboli hostis. 7. Fundamentum virtutum. 8. Via rectissima ad cœlum. Nonus ad meam materiam elegantissimè; Humilitas, ajebat est animi contriti sensus, quo quis aliena peccata non attendit, sed sua semper aspicit, & pro iis sine intermissione deprecatur.

Patet ex his, quæ & quanta fuerit illius, cujus hodierno in Evangelio facta est mentio, Pharisæi superbia; quantus inflati animi tumor; quanta arrogantia: cùm & in alienis videndis vitiis, perstringendisq;, ipso fuerit Argo oculatior, & ipso dicacior Aristarcho. Sibi interim non displicebat ipse, suam superbiæ fascino excæcatus non perspiciebat turpitudinem.

O quàm longè tua fuit felicior humilitas, Publicane, dum non alienos, sed proprios inspiciendo defectus promptissimam Numinis in te clementiam, scelerum, quam supplex rogabas, remissionem gratissimam es adeptus. Ut ergo oratiuncula hæc Deo grata sit, debet procedere ex corde, quod agnoscit se peccasse. Ex humili hac cognitione oritur pudor & confusio; ex hac, peccati odium, & detestatio, ex hac dolor, ex dolore amor DEI super omnia, ex his fortè propositum emendationis, & ingens desiderium atq; spes obtinendæ veniæ per ferventes preces, per Vulnera, mortem & sanguinem Christi. Ecce, quot nobilissimarum virtutum actus in se continet brevissima hæc oratiuncula, *Deus propitius esto mihi peccatori*, ut his virtutibus & actibus ornata atque animata sine dubio, Deo longè gratissima evadat.

§.7. *Encomia dicta oratiunculæ.*

Placet qui illud suspirium vocavit clavem cordis, misericordiæ, thesaurorum & viscerum Christi Domini. Hâc clavi ejus cor aperuit Magdalena, thesauros justificationis Publicanus; thesauros misericordiæ David, & latro in cruce, viscerum Patris filius prodigus. Huic clavi multùm fidit David; quas non gratias audet petere, Psal. 50. v. 2. *misericordiam*, & *magnam* quidem. *De-*

le iniquitatem meam: amplius lava me; cor mundum Spiritum rectum, Spiritum principalem, lætitiam salutaris, &c. Binas allegat causas, ob quas talia postulare non timet, altera est, *quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Altera *Cor contritum & humiliatum DEus non despicies.* Quod iniquitatem suam cognoverit, ex eo licet colligere quod peccatum suum, jam plagā nuncupet, jam fœtorem, jam captivitatem appellet; jam cœcitatem, jam onus dicat; jam maculam, jam ignominiam, jam summum malum indigitet; ex horum cognitione motæs exclamavit, *Miserere mei Deus.* Coram illo scelera sua ipse accusat, & magna à Deo beneficia petere non dubitat.

§ 8. *Viri Sancti illa orantiuncula sunt usi.*

Quoties viri Sancti talia à Deo rogare voluerūt, hoc modo orandi sunt usi, Daniel postulaturus beneficiū omnium maximū, nimirum accelerationem Incarnationis, sive adventum Messiæ, c.9. ait v.4. *Oravi ad Dominum Deum meum, & confessus sum & dixi: Obsecro Domine DEus magne, peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, recessimus & declinavimus à mādatis tuis, &c.* 1. Esdræ c.9.v.5. summus Sacerdos petiturus liberationem populi è captivitate, sic perorare cœpit: *Deus meus confundor, & erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creverunt usq; ad cœlum.* Pijssima Esther in gravissimis populi angustiis DEI misericordiam implorans ait c.14.v.3.6. *Domine mi, qui Rex noster es solus, peccavimus in conspectu tuo, & ideo tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum.* Manasses sic oravit. *Peccavi super numerum arenæ maris, & non sum dignus videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatis meæ.* Nec frustra tales, tali modo orarunt; exauditus est Manasses, exauditæ sunt præces Estheris, voti compos factus est Esdras, impetravit quod petiit Daniel, obtinuit David, quod tot infinitis suspiriis ac lachrymis à Deo flagitavit, prout ipsa Sacra scriptura commemorat. S. Ambrosius serm.89. *Nihil,* inquit, *potentius ad impetrandum à DEO quod desideras, humili oratione; quam in suæ indignitatis, & exiguorum meritorum confessione homo construit.*

§ 9. *Facillimè obtinet veniam peccatorum.*

Humilis oratio peccatorum veniam obtinet facillimè. Patet id in hodierno Publicano. Obiter sacer textꝰ insinuat stetisse hominem in angulo, demissis oculis, frōte depressa, afflicto corde; stetisse tanquā reum in conspectu Judicis, tanquam filium degenerē coram Patre amantissimo, tanquā inutilem servum coram Domino, tanquam mancipium coram Rege: & statim subdit, *descendit justificatus,* id est, omnia ei peccata fuerunt dimissa. Lotus fuit, super nivem dealbatus est, &c. Prov.28.v.13. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Dico ego quisquis humili & corde contrito sæpius dixerit, *Deus,* vel, *mi JEsu, propitius esto mihi peccatori,* misericordiā consequetur, Esa.43 v.26. *Narra si quid habes, ut justificeris.* Septuaginta sic legunt. *Dic tu iniquitates tuas primus, ut justificeris,* accusa te, pete veniam, & DEUS erit propitius. D. Chrysost. in. Psalm.

Psalm 135. *Quid potest enim hac conferri clementia? Dic inquit, & nihil quaero amplius; confitere, & mihi sufficit.* Simili sensu ait de Davide, hom. de Saule & Dav. *Agnovit peccata, & deposuit peccata: criminum accusatio, facta est illi criminum remissio simplici verbo, deposuit omnem iniquitatem. Peccavi!*

§. 10. *Modus hic orandi fuit usitatus Israelitis.* Idem modus orandi utilis fuit Israëlitis Iudicum 10, c. v. 10. *Dixeruntq́; filii Israel ad Dominum, peccavimus*: & pepercit illis Dominus; cùm tamen murmurassent, cum fuissent inobedientes, cùm adorassent Deos alienos. Theodoretus hic. *Ubi suas iniquitates confessi sunt, alienosque Deos abstulerunt è medio, servientes Domino, beneficentiam ejus persenserunt.* Promisit idem Dominus per Isaiam cap. 43. v. 26. *Reduc in memoriam scilicet*, iniquitates tuas. Septuaginta legunt, *tu autē memento, & peccatorum tuorum non recordabor.* Finio hunc paragraphum verbis Cassiodori in Ps. 6. *Summum genus Defensionis offert, qui se ipsum condemnat.* Cum itaque oratiuncula hæc, *Deus propitius esto mihi peccatori*, hæc faciat, Dei misericordiam necessariò consequitur. Nam etiam hominum corda, supplicis demissio movet ad cōpassionem, unde moris fuit apud Assyrios, ut rei coram Judicibus se humi prosternerent. Cogitate vos videre reum aliquem, qui audita capitis sententia misericordiam inclamat, ut supplices tendit in sidera palmas! ut in genua se confestim abjicit! ut jam conjunctas in crucis formam manus reo pectori admovet! ut luctuosos, & suo quasi in funere jam jam natantes oculos huc illuc, jam in Judicis vultum attollat, jam in terram dejicit, jam ad tribunal convertit! ut interruptis sæpe suspiriis astantes commovet, ad commiserationem! ut lachrymabili planctu sæpe pectus tundit! ut omnia doloris acerbissimi signa, fronte, oculis, vultu, manibus, humeris, pectore, pedibusque trepidando præ se fert! ita ut subinde vix Judex ipsemet ad tam triste spectaculum temperare sibi possit à lachrymis, non tamen mutare sententiam, non ad clementiam descendere, ne contra certas justitiæ leges peccasse arguatur. O peccatores! O rei læsæ divinę Majestatis, & ęternę damnationis! Judex vester est Christus D. vindictam urget Justitia, ut decernatur in vos decretoria sententia; discite à reo, quem vobis descripsi, quomodo procumbere debeatis ad pedes Crucifixi, qua ratione implorare clementiam &c. (potest repeti tota descriptio) sic dispositi dicite millies, *Deus, O Iesu esto propitius*! bonus est, parcet, miserebitur, dum tempus est gratiæ.

Pauperes, ob corporis defectum aliquem miserabiles, ut divitum animos moveant ad compassionem, viles induunt vestes, & partes malè affectas nudas exponunt. Hoc modo frequenter, efficaciter perorant. Fecit hoc hodie, & seriò fecit Publicanus: non ait scriptura illum perorasse multis, sed paucissimis verbis, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Intus verò cor suum ostendit sordidum, fœtidum, plenum tabo, ac vulneribus, & misericordiam obtinuit. Hoc imitare! §. 11. *Humilitas mendicorum.*

Hac humili oratione filius prodigus

obtinuit à Patre, quem graviter offenderat, osculum pacis. Unum ex præcipuis paterni amoris, & affectus indiciis, fuit hoc osculum, & quidem ori filii impressum, ut putat S. Chrysost. & causam dat: *Osculabatur os, per quod emissa è corde confessio pœnitentis exierat, quam Pater lætus excepit.* Pari ratione labia contriti peccatoris, quæ scelus accusant, & veniam petunt, præsertim si purpurea sint à purpura sanguinis Salvatoris, dum per sanguinem, & vulnera Jesu misericordiam implorant, merentur osculum pacis à Jesu crucifixo. Hac enim ratione peccator quasi sanguinem pro sanguine offert. Id quod subtiliter advertit Petrus Abbas Cellensis, dum agit de gratitudine, quam debemus Christo Domino pro amarissima ejus passione. Compendium longi discursus est hoc. Christus D. ex infinita charitate, & amore pro nobis suum fudit sanguinem; nec semel tantùm, sed iteratis, terq; quaterq: & sæpius etiam vicibus ita effudit copiosè, ut quasi roseum nobis pretiosissimi cruoris sui balneum in animarum nostrarum salutem ac refocillationem præpararit. *Testis* est corona illa spinea purpureo Salvatoris liquore è divinissimo vertice expresso undique, & undiq; imbuta. *Testes* qui nati sunt in horto Gethsemani, imbuti sanguineo colore flores. *Testis* illa feralis columna, quam eadem sacratissima purpura coloravit. *Testis* mons Golgothæ luculentus: quæ omnia divini in nos amoris, benevolentissimæque charitatis haud sanè exigua sunt argumenta. Quid verò nos rependimus vicissim? quis noster mutuus in tantum amicum animus ac studium? Certè par esset, sanguinem sanguini reponere, quemadmodum innumeram Sanctissimorum Martyrum cohortem illud fecisse cognovimus. Sed nimis hoc, inquis, durum est, alio ergo modo Christo Domino sanguinem reddere possumus.

Quomodo Christo D. peccator Sanguinē pro Sanguine offerre possit

§. 13. Sic ait citatus Abb. *Carnem pro carne repone, sanguinem pro sanguine. Pro in ara crucis fuso, repone fusum in rubore Confessionis.* Ut hoc intelligamus, sciendum est, in homine, dum rubore suffunditur, naturaliter moveri sanguinē, cogiq; in faciem, ut illam tegat. Experientia docet, præcipuè in juvenibus, & virginibus. Hic cruor in genis peccatoris contriti, gratissimus est Christo Domino, maximè si alter accedat, quē vis Contritionis, & amoris divini adeo calefaciat in corde, ut vertatur in calidas lachrymas, quæ quidem per oculos ut guttæ aquæ distillantur; & revera sūt delicatissim⁹ sanguis cordis, quem contritio facit fervere, bullire, evaporare, ut ante octiduum ostendi.

Verba Petri Cellensis.

§. 14. Eja peccatores, procumbite coram Christo in genua, in aliquo angulo coram Sanctissimo Sacramento altaris; procumbite ad pedes Sacerdotis, dum rubor ascendit in genas, & labia, offerte illum Jesu vestro, & dicite, *Jesu, propitius esto!* movebitur his verbis Judex; mox suavissimum porriget osculum pacis. Rapitur, recreatur sponsus odore hujus oratiunculæ.

Apostrophe ad peccatores ut procidant ad pedes Christi.

Cant 1. v. 11. gloriatur sponsa de præsentia Sponsi, in corde suo, *Dum esset Rex in accubitu suo* q. d. Cor meum est quasi lectulus, vel pulvinar, vel sedes, in qua

Odor nardi est gratissimus Christo D.

de fasciculo myrrha. qua sponsus meus quiescit; sed simul insinuat, quando hoc fecerit Sponsus, nimirum dum, *nardus mea dedit odorem suavitatis.* Nardus, parva, humilis, sed odoratissima est herba, ideoq; symbolum humilitatis, de qua S. Bern. hic. *Bonus humilitatis odor, qui de hac valle plorationis ascendens, ipsum quoque regium accubitum grata suavitate respergit.* Hic odor Christum D. trahit ad cor peccatoris. Sponsum in accubitu suo præsentem id est quiescentē in corde, sponsa paulō post tanquam fasciculum myrrhæ proponit v.12. *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Scio per hunc fasciculum intelligi varia, sed præcipuè crucem Christi cum instrumentis passionis, sive Christum crucifixum. O nos felices, cum bonus Jesus corda nostra pungit spinis contritionis, cum illud flagellat actibus detestationis, cum clavis illud secum affigit cruci; cum lancea vulnerat mille vulneribus amoris. Quot ejusmodi senties puncturas, tot ex corde tuo evolent ad cœlum suspiria, *Deus propitius esto,* Quot in te, O anima pœnitens, sævient flagrorum ictus, tot intensissimæ Contritionis actus expriment, quot immissi malleis clavi renovabunt in tuo corde dolores, tot planctibus insonabit, *Iesus amor mi, doleo, esto propitius.* Hunc fasciculum, sive Iesum crucifixum, cupio imponere cordibus vestris Auditores, sed ut sit, & maneat libenter, quærite nardum, invenietis hodie in corde Publicani, in cordibus verò vestris plantetur brevis, sed humilis, sed aurea hæc oraticucula, *Deus propitius esto mihi peccatori!*

AMEN.



CONCIO XLI.

DOMINICA XII. POST SS. TRINITATEM.

Apprehendens eum de turba seorsum.

Marci. 7. vers. 33.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Vitandæ sunt occasiones peccandi.

§. 1. *Vir probus inter improbos est miraculum.*

§. 2. *Occasiones peccati sunt fugiendæ.*

§. 3. *In viis lubricis, & inter pericula incedendum est cautè.*

§. 4. *Heroica fuga Iosephi.*

§. 5. *Funambuli facilè labuntur.*

§. 6. *Pru-*

§.1. *Vir probus inter improbos est miraculum.*

ARistippus interrogat, quid esset admirandum in mundo? respondit, *Vir probus inter improbos, qui non pervertatur.* Idem sensit Xenophon cùm cecinit;

Justa decent justos, pravis convixeris, ante
Quæ fuerat probitas protinus aufugiet.

Ideò utiliter suadet Seneca ep. 105. *Si velis vitiis exui, longè à vitiorum exemplis recedendum est. Avarus corruptor, sævus, fraudulentus, multum nocituri, si prope te fuerint, si intra te sunt.* Et l. 3. de ira cap. 7. & 8. *sumuntur à conversationibus mores, & ut quædam ad contactus corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus in amorem vini convictores trahit, impudicorum cœtus, fortem quemque & saxeum virum emollit; in proximos virus suum transfert avaritia.* Lib. 5. de tranquill. cap. 7. *serpunt vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent.* Itaque ut tempore pestis cavendum summopere, ne corruptis jam corporibus assideamus, quia pericula trahemus; ita in amicorum eligendis ingeniis dabimus operam, ut quam minimè inquinatos in nostrorum numerum sodalium adsciscamus. Fuge igitur malos. Experientia docet, hæc omnia esse verissima.

§.2. *Occasiones peccati sunt fugiendæ.*

Quæ de malorum Societate dicta sunt, dici debent de quavis alia occasione peccati; hominem in illa constitutum, & in præceps non ruentem, portentum dixero. Committe te ejusmodi occasionibus, videbis ut tua probitas sit discessura. Longè ab illis recedendum, siquidem vitiis immunem te optas. Et nescio an non hanc ipsam ob causam Salvator noster in hodierno Evangelio miserum hominem apprehendit de turba seorsum; quo facto voluisse nobis ostendere visus est, illi qui sanari vult, fugiendam esse turbam, sive novas peccandi occasiones. Adeste animis Auditores, hoc ipsum in animarum vestrarum commodum paulò prolixius tractare constitui argumentum.

§.3. *In viis lubricis &*

Cautè figendum lubrica in via gradum, nemo est qui nesciat. Hic verò orbis terrarum, sive mundus, quid est nisi

nisi anceps, & lubrica semita ad æternitatem, verissimum certè est illud, quod aureè dixit Paulinus ep. 2. *Tota mundi hujus figura quæ præterit, & per oculos corda delectat, diabolicis prætensa est retibus* (talem aliquando vidit Sanctus Antonius) *credamus Propheta, quia in medio muscipularum ambulamus, & inter opertos lethalibus dolis gladios vita transigitur.* Excipit nos mundus ille variis voluptatibus florens, & fallentibus venenatus illecebris: excipit nos innumeris anguis insidiis, cui mille nomina, mille nocendi artes. Id quod probè quondam perspectum habuit Sanctus Bernardus Serm. sexto in quadrag. *Heu mihi Domine, quia undique mihi bella, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta, quocunque me vertam; nulla unquam securitas est.* Metaphora à bello sumpta etiam placuit Sancto Chrysostomo Hom. 22. ad pop. *In bello sumus in mundo, in circuitu nostro impii ambulant, peccatores intendunt arcum, hic aures sagittat ut jucundè audiamus detractiones; hic autem oculum excitat ad lasciviam, ille linguam in convitia, ille manum in avaritiam & rapinam &c.*

§. 12. *Thesaurum portamus in vasibus fictilibus.* De quibus tamen omnibus periculis Tertullianus ait l. de idol. c. 24. (loquitur ille de Ecclesia, loquar ego de anima quæ cavet ne incidat in periculum peccati) *Inter hos scopulos & sinus, inter hæc vada & freta, velificata Dei Spiritu fides* (vel Ecclesia) *navigat; tuta, si acuta, secura, si attonita.* Sic avis, quæ cauta est, quæ attonita & sollicita, quæ statim avolat, tuta est. Proverb. 1, capite, vers. 16. *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* In Hebræo; *Compotis alæ sive Domina, sive Magistri alarum.* Ut avis evadat laqueos aucupis, indiget oculis, ut periculum avertat; & alis opus habet, ut quamprimum fuga sibi consulat. Pari ratione qui peccatorum, & Diaboli laqueos vult evitare, hunc & oculis, & alis instructum esse oportet. B. Salonius hic. *Pennati, inquit, isti sunt sancti, & electi viri, qui habent spirituales oculos, quibus & insidias hostis prævident, & peccata præcavent. Frustra ante illorum oculos jacitur rete.*

§. 4. *Heroica fuga Iosephi.* Frustra oculatum ejusmodi Iosephum libidinum tenebris involvere tentas lasciva Venus; frustra aureum explicas rete, dum opes objicis perituras insane Pluto. Centoculos Argos, id est, amantes suæ salutis, ac futurorum providos mortales non implicabis. Frustra honorum nebulis aciem obfuscare laboras sollicita Vanitas. Nam quibus est aperta oculorum acies, qui vult ex specula miserandum superbię finem atq; epilogum prędevident, non possunt non, nisi planè amentes haberi velint, tuas illas versutias deprehendere, vitare, execrari.

§. 5. *Funambuli facilè labuntur.* Nimium verò sibi fidentes, qui ambulant ut cœci in locis lubricis, labuntur facillimè. Id quod in simili, ceu speculo elucebit. Tertulliano lib. 1. de pudic. cap. 10. hoc simile placuit. *Age tu funambule pudicitiæ, & castitatis tenuissimum filum pendente vestigio ingrederis, carnem Spiritu librans, etiam fide moderans, oculum mente temperans. Perge si potueris, dum tam securus es, &* quasi

æternæ damnationis addicendi suppliciis, illi, quos piissimus Salvator ita amavit, illi pro quibus Crucifixus Sanguinem tam copiosè fudit. Hoc prævidit, hoc doluit, hoc cor ejus divinissimum ceu spongiam expressit, & ex oculis primùm crystallinas, paulò post toto ex corpore, atque omnibus membris liquorem expressit purpureum & sanguineum!

§. 19. *Invectiva in illos qui lachrymis Christi, non moventur.* Quid facitis amabò? an lachrymas Christi divinas ita contemnitis? *tam speciosas*? indigni divina pulchritudine mortales! Lachrymas *tam clementes?* nulla vos unquam, si hoc porrò facitis, respicit clementia. *Tam Sanctas?* frustrà igitur, frustra ad beatæ domicilia sanctitatis aspiratis. *Tam pretiosas:* nullū igitur pretium animas vestras à dirissimo dæmonum mancipatu vindicabit. *Tam amaras lachrymas contemnitis*? amaros vobis olim imbres ex oculis damnatis excutient.

§. 20. *Causa præcipua, peccatum mortale.* Abiit præfinitum dictioni meæ tempus; sed quando prolixius non possum; unicum peccatum mortale ex parte nostra fuisse causam lachrymarum Christi perpendite; ideoque hoc mihi reliquum est, ut per pretiosas & dulcissimas Salvatoris nostri lachrymas vos obtester, ut ingens odium contra peccatum mortale concipiatis; sicque lachrymarum causam removeatis. Nolite obsecro, nolite porrò tam bonum JEsum contristare; nolite lachrymas ejus provocare; eadem enim vox, quam S. Paulus ad Hebr. 12. attribuit Sanguini Christi, melius loquentem quam vocem loquentem occisi Abelis; eadem inquam vox inest ejus lachrymis, veluti sanguini purissimo, qui clamat & veniam atque misericordiam super justos; & vindictam atque justitiam super impios.

Si fortassis provocastis hactenus lachrymas Christi, ite confestim, & arrepta pœnitentiæ spongia, contrito corde pretiosissimas has guttas excipite, & lachrymis vestris Christi mitigate dolorem, temperate lachrymas, abstergite fletum ab oculis ejus, ad seriam vos pœnitentiam convertite. In satisfactionem dignissimam, & solutionem adæquatam pro vestro debito in conspectu Justitiæ, ante oculos Patris æterni ponite lachrymas Christi. Hoc quod à vobis etiam atque etiam rogo, potissimum est Auditores; alterum verò, ut post hàc operam detis, ne sceleribus vestris illud efficiatis, ut propter vos effusas Christi lachrymas aliquando audiatis, per easdem vos Christi pretiosissimas lachrymas obtestor. Si verò flere etiam libeat, vel ob peccata vestra, vel aliena, vel ex compunctione, vel ex dolore de offensa summi boni, — §. 21. *Adhortatio ad pœnitentiā.*

DEum & Salvatorem vestrum amate. *Ubi amor est, ibi sunt & lachrymæ!*

CON.



CONCIO XL.

DOMINICA XI. POST SS. TRINITATEM.

DEus propitius esto mihi peccatori.
Lucæ. 18, v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Laudat hæc concio hanc oratiunculam, *DEus propitius esto mihi peccatori.*

§. 1. *Humilitas Publicani, ut peccator imitetur.*
§. 2. *Pœnæ in rebelles, & proditores.*
§. 3. *Humilitas Davidis, pii Latronis, & filii prodigi.*
§. 4. *Peccatores graves plerumque miseriam suam non agnoscunt.*
§. 5. *Invectiva in illos.*
§. 6. *Colloquium de hac quæstione.* Quid sit humilitas.
§. 7. *Encomia dictæ oratiunculæ.*
§. 8. *Viri sancti illa oratiuncula sunt usi.*
§. 9. *Facillimè obtinet veniam peccatorum.*
§. 10. *Modus hic orandi usitatus fuit Israëlitis.*
§. 11. *Humilitas mendicorum.*
§. 12. *Sic oravit filius prodigus.*
§. 13. *Verba Petri Cellensis Abbatis.*
§. 14. *Apostrophe ad peccatores ut procidant ad pedes Christi.*
§. 15. *Odor nardi est gratissimus CHRISTO Domino. De fasciculo myrrhæ.*

§. 1. *Humilitas Publicani, ut peccator imitetur.*

BEne sibi consuluit Publicanus, quod cum timore, tremore & confusione, in angulo templi, percutiens pectus, dixerit: *DEus propitius esto mihi peccatori*, nam ea est indoles eorum, qui rei sunt læsæ Majestatis, ut in conspectu Regum adversus quos conspirarunt, soleant sese demittere, & delicti veniam petere. Rebellem voco Publicanum, quia peccator fuit. Rebellis dicitur, qui fidem Regi juratam violat, qui cum proditoribus Regiæ dignitati, vel vitæ perniciem machinatur. Hoc facitis impii, quoties Divinam Majestatem lethali scelere offenditis.

Nimirum est peccatum mortale aliud nihil, quàm proditio, est rebellio, est læsæ crimen Majestatis divinæ. Ideo discite à Publicano, quales vos coram divino conspectu apparere oporteat; ruite in genua, percutite pectora, dicite cum singultibus, *DEus propitius esto mihi peccatori!*

§. 2. *Pœna in rebelles & proditores.* Non desunt, quæ ad hoc nos impellant, rationum momenta gravissima. Omnium nationum, regnorumq; usu, rebelles & proditores Regum gravissimis afficiuntur suppliciis; plectuntur capite, aguntur in malam crucem, dividuntur in partes, uruntur ignibus. Expertus est Phocas, ab Heraclio mutilatus. Sensit Basiliscus jussu Zenonis enectus fame; Martinus Falerius à Venetis suspensus luit. Andronicus ab Isaacio fuit excæcatus. Maslæus à Casimiro Cruci affixus. Diocletianus denique, qui Imperator creatus rebellem sua manu confodit dicens: *Hic est auctor necis Numeriani.* Vos impii, auctores estis necis Filii DEI. Enses, sagittas, fulmina vibrat divina Nemesis, ne percutiat in furore, ruite in genua, percutite pectora, dicite, *DEus propitius esto, &c.*

§. 3. *Humilitas Davidis pii latronis, Filii prodigi.* Oratiuncula hac paulò aliis verbis, sed eodem sensu usus est David, 2. Reg. 12. v. 13. *Peccavi Domino.* Ps. 50. v. 4. 1. *Tibi soli peccavi. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Et latro in Cruce Lucæ 23. v. 42. *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Lucæ 15. v. 21. Filius prodigus, *Pater peccavi in cælum & coram te.* Horum exemplo deinde alii peccatores; Thais præcipuè, celebris illa pœnitens, toto triennio in suo antro vix aliud oravit, quàm hæc verba, *Qui plasmasti me, miserere mei.* Qui modus orandi mihi adeo placet; ut quàm necessaria, quàm utilis sit hæc oratio, & & quibus debeat esse ornata virtutibus hac Concione latiùs ostendere decreverim.

§. 4. *Peccatores graves plerumq; miseriam suam non agnoscunt.* Plerumque graves peccatores scelerum suorum gravitatē non agnoscunt. *Talis est*, inquit Salomon Prov. 30. cap. v. 20. *Via mulieris adulteræ, quæ tergens os suum dicit; non sum operata malum.* Talis fuit impia synagoga, ad quam Deus per Jeremiam ait: c. 2. v. 23. *Quomodo dicis, non sum polluta, post Baalim non ambulavi: vide vias tuas in convalle, scito quid feceris.* Talis fuit Saul 1. Reg. 15. v. 20. *Imò audivi vocem Domini, & ambulavi in via, per quam misit me Dominus.* Rarò convertuntur ejusmodi, sed obstinati in malo, sicut Saul, sicut Synagoga, sive impudens aliqua adultera, perseverant. Orig. Hom. 2. in Levit. *Nunquam se emendat, qui peccasse se non putat.* Ideò primus gradus conversionis est, peccati gravitatem & vulnus agnoscere. D. Cyprianus l. 1. Ep. 3. *Primus felicitatis gradus est, non delinquere; secundus, delicta agnoscere.* Seneca Epist. 6. *Signum est meliorati animi, cùm vitia sua cognoscit.* Divus Ambrosius in Apol. 1. de David cap. 9. *Bonæ mentis est, vulnus sentire peccati; nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem, quod est immedicabilis ægritudinis.*

§. 5. *Invectiva in illos.* Væ vobis, qui animos geritis ita peccatorum sordibus obrutos, ut nullum amplius doloris sensum admittatis. Parum profectò, etiam à morte sempiterna abesse vos judicat cœlestis medicus.

Notant

Notant alii in vobis certas mortis indices notas: exposita sunt omnium, quà hominum, quà Angelorum oculis, vulnera vestra, ad restim res abiit: vos nihil interim sentitis adversi, vos quasi lethargo oppressi, jucunda quæq; somniatis, vos nulla, ad imploranda medicorum subsidia, vulnerum movet acerbitas; animam agitis miseri, & non animadvertitis, non ingemiscitis, nihil de morte, nihil de periculi magnitudine, nihil de instantis alea æternitatis cogitatis! Certum est istud imminentis fati indicium! sicut ècontra ubi doloris, ibi etiam est vitæ sensus. Sic telam conversionis texere incipit humilis agnitio peccati, quam Publicanus in hodierno Evangelio his verbis declaravit, *DEus propitius esto mihi peccatori*.

§. 6. *Colloquium de hac quæstione: Quid sit humilitas.*

Narrat Climachus in conventu piissimorum Anachoretarum hanc quæstionem fuisse propositam. *Quid sit Humilitas?* varii variè responderunt. 1. Humilitas est rectè factorum oblivio. 2. Magnum opus est, & divinum. 3. Via humilitatis est hæc, ut quis se omnibus subjiciat. 4. Est janua cœli, & patres nostri per multas contumelias acti, gaudentes per hanc januam intraverunt in civitatem DEI. 5. Hominis perfectio est humilitas. 6. Maximus Diaboli hostis. 7. Fundamentum virtutum. 8. Via rectissima ad cœlum. Nonus ad meam materiam elegantissimè; Humilitas, ajebat est animi contriti sensus, quo quis aliena peccata non attendit, sed sua semper aspicit, & pro iis sine intermissione deprecatur.

Patet ex his, quæ & quanta fuerit illius, cujus hodierno in Evangelio facta est mentio, Pharisæi superbia; quantus inflati animi tumor; quanta arrogantia: cùm & in alienis videndis vitiis, perstringendisq;, ipso fuerit Argo oculatior, & ipso dicacior Aristarcho. Sibi interim non displicebat ipse, suam superbiæ fascino excæcatus non perspiciebat turpitudinem.

O quàm longè tua fuit felicior humilitas, Publicane, dum non alienos, sed proprios inspiciendo defectus promptissimam Numinis in te clementiam, scelerum, quam supplex rogabas, remissionem gratissimam es adeptus. Ut ergo oratiuncula hæc Deo grata sit, debet procedere ex corde, quod agnoscit se peccasse. Ex humili hac cognitione oritur pudor & confusio; ex hac, peccati odium, & detestatio, ex hac dolor, ex dolore amor DEI super omnia, ex his fortè propositum emendationis, & ingens desiderium atq; spes obtinendæ veniæ per ferventes preces, per Vulnera, mortem & sanguinem Christi. Ecce, quot nobilissimarum virtutum actus in se continet brevissima hæc oratiuncula, *Deus propitius esto mihi peccatori*, ut his virtutibus & actibus ornata atque animata sine dubio, Deo longè gratissima evadat.

§. 7. *Encomia dictæ oratiunculæ.*

Placet qui illud suspirium vocavit clavem cordis, misericordiæ, thesaurorum & viscerum Christi Domini. Hâc clavi ejus cor aperuit Magdalena, thesauros justificationis Publicanus; thesauros misericordiæ David, & latro in cruce, viscerum Patris filius prodigus. Huic clavi multùm fidit David; quas non gratias audet petere, Psal. 50. v. 2. *misericordiam, & magnam* quidem. *De-*

le iniquitatem meam: amplius lava me; cor mundum Spiritum rectum, Spiritum principalem, lætitiam salutaris, &c. Binas allegat causas, ob quas talia postulare non timet, altera est, *quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Altera *Cor contritum & humiliatum DEus non despicies.* Quod iniquitatem suam cognoverit, ex eo licet colligere quod peccatum suum, jam plagā nuncupet, jam fœtorem, jam captivitatem appellet; jam cœcitatem, jam onus dicat; jam maculam, jam ignominiam, jam summum malum indigitet; ex horum cognitione motus exclamavit, *Miserere mei Deus.* Coram illo scelera sua ipse accusat, & magna à Deo beneficia petere non dubitat.

§ 8. *Viri Sancti illa oratiuncula sunt usi.*

Quoties viri Sancti talia à Deo rogare voluerūt, hoc modo orandi sunt usi. Daniel postulaturus beneficiū omnium maximū, nimirum accelerationem Incarnationis, sive adventum Messiæ, c.9. ait v.4. *Oravi ad Dominum Deum meum, & confessus sum & dixi: Obsecro Domine DEus magne, peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, recessimus & declinavimus à mādatis tuis, &c.* 1. Esdræ c.9.v.5. summus Sacerdos petiturus liberationem populi è captivitate, sic perorare cœpit: *Deus meus confundor, & erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creverunt usq; ad cœlum.* Pijssima Esther in gravissimis populi angustiis DEI misericordiam implorans ait c.14.v.3.6. *Domine mi, qui Rex noster es solus, peccavimus in conspectu tuo, & ideo tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum.* Manasses sic oravit: *Peccavi super numerum arenæ maris, & non sum dignus videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatis meæ.* Nec frustra tales, tali modo orarunt; exauditus est Manasses, exauditæ sunt præces Estheris, voti compos factus est Esdras, impetravit quod petiit Daniel, obtinuit David, quod tot infinitis suspiriis ac lachrymis à Deo flagitavit, prout ipsa Sacra scriptura commemorat. S. Ambrosius serm.89. *Nihil,* inquit, *potentius ad impetrandum à DEO quod desideras, humili oratione; quam in suæ indignitatis, & exiguorum meritorum confessione homo construit.*

§ 9. *Facillimè obtinet veniam peccatorum.*

Humilis oratio peccatorum veniam obtinet facillimè. Patet id in hodierno Publicano. Obiter sacer textꝰ insinuat stetisse hominem in angulo, demissis oculis, frōte depressa, afflicto corde; stetisse tanquā reum in conspectu Judicis, tanquam filium degenerē coram Patre amantissimo, tanquā inutilem servum coram Domino, tanquam mancipium coram Rege: & statim subdit, *descendit justificatus,* id est, omnia ei peccata fuerunt dimissa. Lotus fuit, super nivem dealbatus est, &c. Prov.28.v.13. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Dico ego quisquis humili & corde contrito sæpius dixerit, *Deus,* vel, *mi JEsu, propitius esto mihi peccatori,* misericordiā consequetur, Esa.43.v.26. *Narra si quid habes, ut justificeris.* Septuaginta sic legunt. *Dic tu iniquitates tuas primus, ut justificeris,* accusa te, pete veniam, & DEUS erit propitius. D. Chrysost. in. Psalm.

Psalm 135. *Quid potest cum hac conferri clementia? Dic inquit, & nihil quaero amplius; confitere, & mihi sufficit.* Simili sensu ait de Davide, hom. de Saule & Dav. *Agnovit peccata, & deposuit peccata: criminum accusatio, facta est illi criminum remissio simplici verbo, deposuit omnem iniquitatem. Peccavi!*

§. 10. *Modus hic orandi fuit usitatus Israelitis.* Idem modus orandi utilis fuit Israëlitis Iudicum 10. c. v. 10. *Dixeruntq; filii Israel ad Dominum, peccavimus*: & pepercit illis Dominus; cùm tamen murmurassent, cum fuissent inobedientes, cùm adorassent Deos alienos. Theodoretus hic. *Ubi suas iniquitates confessi sunt, alienosque Deos abstulerunt è medio, servientes Domino, beneficentiam ejus persenserunt.* Promisit idem Dominus per Isaiam cap. 43. v. 26. *Reduc in memoriam scilicet*, iniquitates tuas. Septuaginta legunt, *tu autẽ memento, & peccatorum tuorum non recordabor.* Finio hunc paragraphum verbis Cassiodori in Ps. 6. *Summum genus Defensionis offert, qui se ipsum condemnat.* Cum itaque oratiuncula haec, *Deus propitius esto mihi peccatori*, haec faciat, Dei misericordiam necessariò consequitur. Nam etiam hominum corda, supplicis demissio movet ad cōpassionem, unde moris fuit apud Assyrios, ut rei coram Judicibus se humi prosternerent. Cogitate vos videre reum aliquem, qui audita capitis sententia misericordiam inclamat, ut supplices tendit in sidera palmas! ut in genua se confestim abjicit! ut jam conjunctas in crucis formam manus reo pectori admovet! ut luctuosos, & suo quasi in funere jam jam natantes oculos huc illuc, jam in Judicis vultum attollat, jam in terram dejicit, jam ad tribunal convertit! ut interruptis saepe suspiriis astantes commovet, ad commiserationem! ut lachrymabili planctu saepe pectus tundit! ut omnia doloris acerbissimi signa, fronte, oculis, vultu, manibus, humeris, pectore, pedibusque trepidando prae se fert! ita ut subinde vix Judex ipsemet ad tam triste spectaculum temperare sibi possit à lachrymis, non tamen mutare sententiam, non ad clementiam descendere, ne contra certas justitiae leges peccasse arguatur. O peccatores! O rei laesae divinę Majestatis, & ęternę damnationis! Judex vester est Christus D. vindictam urget Justitia, ut decernatur in vos decretoria sententia; discite à reo, quem vobis descripsi, quomodo procumbere debeatis ad pedes Crucifixi, qua ratione implorare clementiam &c. (potest repeti tota descriptio) sic dispositi dicite millies, *Deus, O Iesu esto propitius*! bonus est, parcet, miserebitur, dum tempus est gratiae.

Pauperes, ob corporis defectum aliquem miserabiles, ut divitum animos moveant ad compassionem, viles induunt vestes, & partes malè affectas nudas exponunt. Hoc modo frequenter, efficaciter perorant. Fecit hoc hodie, & seriò fecit Publicanus: non ait scriptura illum perorasse multis, sed paucissimis verbis, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Intus verò cor suum ostendit sordidum, foetidum, plenum tabo, ac vulneribus, & misericordiam obtinuit. Hoc imitare! §. 11. *Humilitas mendicorum.*

Hac humili oratione filius prodigus

obtinuit à Patre, quem graviter offenderat, osculum pacis. Unum ex præcipuis paterni amoris, & affectus indiciis, fuit hoc osculum, & quidem ori filii impressum, ut putat S. Chrysost. & causam dat: *Osculabatur os, per quod emissa è corde confessio pœnitentis exierat, quam Pater lætus excepit.* Pari ratione labia contriti peccatoris, quæ scelus accusant, & veniam petunt, præsertim si purpurea sint à purpura sanguinis Salvatoris, dum per sanguinem, & vulnera Jesu misericordiam implorant, merentur osculum pacis à Jesu crucifixo. Hac enim ratione peccator quasi sanguinem pro sanguine offert. Id quod subtiliter advertit Petrus Abbas Cellensis, dum agit de gratitudine, quam debemus Christo Domino pro amarissima ejus passione. Compendium longi discursus est hoc. Christus D. ex infinita charitate, & amore pro nobis suum fudit sanguinem; nec semel tantùm, sed iteratis, terq; quaterq; & sæpius etiam vicibus ita effudit copiosè, ut quasi roseum nobis pretiosissimi cruoris sui balneum in animarum nostrarum salutem ac refocillationem præpararit. *Testis* est corona illa spinea purpureo Salvatoris liquore è divinissimo vertice expresso undique, & undiq; imbuta. *Testes*, qui nati sunt in horto Gethsemani, imbuti sanguineo colore flores. *Testis* illa feralis columna, quam eadem sacratissima purpura coloravit *Testis* mons Golgothæ luculentus: quæ omnia divini in nos amoris, benevolentissimæque charitatis haud sanè exigua sunt argumenta. Quid verò nos rependimus vicissim? quis noster mutuus in tantum amicum animus ac studium? Certè par esset, sanguinem sanguini reponere, quemadmodum innumeram Sanctissimorum Martyrum cohortem illud fecisse cognovimus. Sed nimis hoc, inquis, durum est, alio ergo modo Christo Domino sanguinem reddere possumus.

Quomodo Christo D. peccator Sanguinē pro Sanguine offerre possit

§. 13. Sic ait citatus Abb. *Carnem pro carne repone, sanguinem pro sanguine. Pro in ara crucis fuso, repone fusum in rubore Confessionis.* Ut hoc intelligamus, sciendum est, in homine, dum rubore suffunditur, naturaliter moveri sanguinē, cogiq; in faciem, ut illam tegat. Experientia docet, præcipuè in juvenibus, & virginibus. Hic cruor in genis peccatoris contriti, gratissimus est Christo Domino, maximè si alter accedat, quē vis Contritionis, & amoris divini adeo calefaciat in corde, ut vertatur in calidas lachrymas, quæ quidem per oculos ut guttæ aquæ distillantur; & revera sūt delicatissim⁹ sanguis cordis, quem contritio facit fervere, bullire, evaporare, ut ante octiduum ostendi.

Verba Petri Cellensis.

§. 14. Eja peccatores, procumbite coram Christo in genua, in aliquo angulo coram Sanctissimo Sacramento altaris; procumbite ad pedes Sacerdotis, dum rubor ascendit in genas, & labia, offerte illum Jesu vestro, & dicite, *Iesu, propitius esto!* movebitur his verbis Judex; mox suavissimum porriget osculum pacis. Rapitur, recreatur sponsus odore hujus oratiunculæ.


Apostrophe ad peccatores ut procidant ad pedes Christi.

Cant 1. v. 11. gloriatur sponsa de præsentia Sponsi, in corde suo, *Dum esset Rex in accubitu suo* q. d. Cor meum est quasi lectulus, vel pulvinar, vel sedes, in qua

Odor narai est gratissimus Christo D.

de fasciculo myrrha. qua sponsus meus quiescit; sed simul insinuat, quando hoc fecerit Sponsus, nimirum dum, *nardus mea dedit odorem suavitatis.* Nardus, parva, humilis, sed odoratissima est herba, ideoq; symbolum humilitatis, de qua S. Bern. hic. *Bonus humilitatis odor, qui de hac valle plorationis ascendens, ipsum quoque regium accubitum grata suavitate respergit.* Hic odor Christum D. trahit ad cor peccatoris. Sponsum in accubitu suo præsentem id est quiescentē in corde, sponsa paulō post tanquam fasciculum myrrhæ proponit v. 12. *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Scio per hunc fasciculum intelligi varia, sed præcipuè crucem Christi cum instrumentis passionis, sive Christum crucifixum. O nos felices, cum bonus Jesus corda nostra pungit spinis contritionis, cum illud flagellat actibus detestationis, cum clavis illud secum affigit cruci; cum lancea vulnerat mille vulneribus amoris. Quot ejusmodi senties puncturas, tot ex corde tuo evolent ad cœlum suspiria, *Deus propitius esto.* Quot in te, O anima pœnitens, sævient flagrorum ictus, tot intensissimæ Contritionis actus exprriment, quot immissi malleis clavi renovabunt in tuo corde dolores, tot planctibus insonabit, *Iesus amor mi, doleo, esto propitius.* Hunc fasciculum, sive Iesum crucifixum, cupio imponere cordibus vestris Auditores, sed ut sit, & maneat libenter, quærite nardum, invenietis hodie in corde Publicani, in cordibus verò vestris plantetur brevis, sed humilis, sed aurea hæc oraticucula, *Deus propitius esto mihi peccatori!*

AMEN.



CONCIO XLI.

DOMINICA XII. POST SS. TRINITATEM.

Apprehendens eum de turba seorsum.

Marci. 7. vers. 33.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Vitandæ sunt occasiones peccandi.

§. 1. *Vir probus inter improbos est miraculum.*

§. 2. *Occasiones peccati sunt fugienda.*

§. 3. *In viis lubricis, & inter pericula incedendum est cautè.*

§. 4. *Heroica fuga Iosephi.*

§. 5. *Funambuli facilè labuntur.*

§. 6. *Pru-*

§.1. *Vir probus inter improbos est miraculũ.*

ARistippus interrogat', quid esset admirandum in mundo? respondit, *Vir probus inter improbos, qui non pervertatur.* Idem sensit Xenophon cùm cecinit;

Justa decent justos, pravis convixeris, ante
Quæ fuerat probitas protinus aufugiet.

Ideò utiliter suadet Seneca ep. 105. *Si velis vitiis exui, longè à vitiorum exemplis recedendum est. Avarus corruptor, sævus, fraudulentus, multum nocituri, si prope te fuerint, si intra te sunt.* Et l.3. de ira cap.7. & 8. *sumuntur à conversationibus mores, & ut quædam ad contactus corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus in amorem vini convictores trahit, impudicorum cœtus, fortem quemque & saxeum virum emollit; in proximos virus suum transfert avaritia.* Lib.5. de tranquill. cap.7. *serpunt vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent.* Itaque ut tempore pestis cavendum summopere, ne corruptis jam corporibus assideamus, quia pericula trahemus; ita in amicorum eligendis ingeniis dabimus operam, ut quam minimè inquinatos in nostrorum numerum sodalium adsciscamus. Fuge igitur malos. Experientia docet, hæc omnia esse verissima.

§.2. *Occasiones peccati sunt fugiendæ.*

Quæ de malorum Societate dicta sunt, dici debent de quavis alia occasione peccati; hominem in illa constitutum, & in præceps non ruentem, portentum dixero. Committe te ejusmodi occasionibus, videbis ut tua probitas sit discessura. Longè ab illis recedendum, siquidem vitiis immunem te optas. Et nescio an non hanc ipsam ob causam Salvator noster in hodierno Evangelio miserum hominem apprehendit de turba seorsum; quo facto voluisse nobis ostendere visus est, illi qui sanari vult, fugiendam esse turbam, sive novas peccandi occasiones. Adeste animis Auditores, hoc ipsum in animarum vestrarum commodum paulò prolixius tractare constitui argumentum.

§.3. *In viis lubricis &*

Cautè figendum lubrica in via gradum, nemo est qui nesciat. Hic verò orbis terrarum, sive mundus, quid est nisi

nisi anceps, & lubrica semita ad æternitatem, verissimum certè est illud, quod aureè dixit Paulinus ep. 2. *Tota mundi hujus figura quæ præterit, & per oculos corda delectat, diabolicis prætensa est retibus* (talem aliquando vidit Sanctus Antonius) *credamus Prophetæ, quia in medio muscipularum ambulamus, & inter opertos lethalibus dolis gladios vita transigitur.* Excipit nos mundus ille variis voluptatibus florens, & fallentibus venenatus illecebris: excipit nos innumeris anguis insidiis, cui mille nomina, mille nocendi artes. Id quod probè quondam perspectum habuit Sanctus Bernardus Serm. sexto in quadrag. *Heu mihi Domine, quia undique mihi bella, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta, quocunque me vertam; nulla unquam securitas est.* Metaphora à bello sumpta etiam placuit Sancto Chrysostomo Hom. 22. ad pop. *In bello sumus in mundo, in circuitu nostro impii ambulant, peccatores intendunt arcum, hic aures sagittat ut jucundè audiamus detractiones; hic autem oculum excitat ad lasciviam, ille linguam in convitia, ille manum in avaritiam & rapinam &c.*

§. 12. *Thesaurum portamus in vasibus fictilibus.* De quibus tamen omnibus periculis Tertullianus ait l. de idol. c. 24. (loquitur ille de Ecclesia, loquar ego de anima quæ cavet ne incidat in periculum peccati) *Inter hos scopulos & sinus, inter hæc vada & freta, velificata Dei Spiritu fides* (vel Ecclesia) *navigat; tuta, si acuta, secura, si attonita.* Sic avis, quæ cauta est, quæ attonita & sollicita, quæ statim avolat, tuta est. Proverb. 1, capite, vers. 16. *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* In Hebræo; *Compotis alæ sive Domina, sive Magistri alarum.* Ut avis evadat laqueos aucupis, indiget oculis, ut periculum avertat; & alis opus habet, ut quamprimum fuga sibi consulat. Pari ratione qui peccatorum, & Diaboli laqueos vult evitare, hunc & oculis, & alis instructum esse oportet. B. Salonius hic. *Pennati*, inquit, *isti sunt sancti, & electi viri, qui habent spirituales oculos, quibus & insidias hostis prævident, & peccata præcavent. Frustra ante illorum oculos jacitur rete.*

Frustra oculatum ejusmodi Iosephum libidinum tenebris involvere tentas lasciva Venus; frustra aureum explicas rete, dum opes objicis perituras insane Pluto. Centoculos Argos, id est, amantes suæ salutis, ac futurorum providos mortales non implicabis. Frustra honorum nebulis aciem obfuscare laboras sollicita Vanitas. Nam quibus est aperta oculorum acies, qui vult ex specula miserandum superbiæ finem atq; epilogum prævident, non possunt non, nisi plane amentes haberi velint, tuas illas versutias deprehendere, vitare, execrari. §. 4. *Heroica fuga Iosephi.*

Nimium verò sibi fidentes, qui ambulant ut cœci in locis lubricis, labuntur facillimè. Id quod in simili, ceu speculo elucebit. Tertulliano lib. 1. de pudic. cap. 10. hoc simile placuit. *Age tu funambule pudicitiæ, & castitatis tenuissimum filum pendente vestigio ingrederis, carnem Spiritu librans, etiam fide moderans, oculum mente temperans. Perge si potueris, dum tam securus es, & quasi* §. 5. *Funambuli facilè labuntur.*

quasi in solido. Voluit dicere, quisquis à peccandi occasione cùm potest, subducere se non laborat, lapsui est proximus. Facilè fallit vestigium, quod fundatur in lubrico. Si è filo pendet castitas; pendet & beatitudo. Nos miseri! summis versamur in periculis, ita ad perniciem nostram ultrò appropinquamus, ut levi tantùm opus sit impulsu, aut contactu, quo in horrendam damnatæ æternitatis abyssum protu bemur: funambuli sumus; nec metuimus tamen, nec aliquam mentis sollicitudinem præferimus, nec cautè judicamus ponenda vestigia, imò rerum omnium securi, nullum salutis nostræ discrimen apprehendimus.

§. 6. *Prudens belli dux pro loco pugna non eligit locū lubricum.* Loco lubrico quam facilis est lapsus! Gen. 14. v. 10. initum est prælium inter novem Reges, quatuor ex una parte, quinque ex alia. Hi pro prælio elegerunt locum lubricum, sive vallem lubrico bitumine obsessam, ideo ab aliis devicti sunt; prolabebantur enim in via lutosa milites, & pugnare non poterant. Hæc est versutia hostis nostri Diaboli. Spirituali prælio nos aggreditur in locis lubricis, in occasionibus, in vallibus lutosis, in quibus facillimum est cadere. De Israëlitis dixerunt Syri: *Dii montium sunt dii eorum* (sive, castra posuerunt in locis arduis) *ideo superaverunt nos; sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus & obtinebimus eos.* Eadem est intentio Satanæ, ut in lutosis pratis voluptatum, in lubrico superbiæ culmine, nos aggrediatur, & vincat.

Videamus quo simili hanc veritatem D. Cyprianus & cum eo Seneca exposuerit. Ille ait, l. de singul. Cleric. *Lubrica est spes, qua inter fomenta peccati salvare se sperat.* Vult dicere, sicut qui in lubrico stat præcipitio, v. g. in mōte Ætnę, facillimè labitur in igneas & sulphureas foveas, & sicut qui non cautè & circumspectè in mari navigat, nec sibi cavet, ne à blandis Sirenum cantibus seducatur, facillime ad scopulos & syrtes allidit, & sic miser & incautus in profundum maris demergitur. Ita qui peccandi occasiones Societatesq; vitare non studet, ruinę est proximus. Seneca Ep. 116. *Quantum possumus nos à lubrico discedamus; in sicco quoque parum firmiter stamus.* §. 7. *Præcipitia sunt periculosa.*

Pari fere modo via dubia, maximè in silvis est periculosa. Facilis in illis est error. Advertit id David Ps. 118. v. 101. *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.* S. Ambros. legit, *Ab omni via maligna.* Alii, *A via lubrica.* Alii, *ab omni via vallis,* i. e. declivi & præcipiti. Vel, à via ob insidias latronum vel ferarum periculosa, juxta illud Proverb. 1 v. 15. *Fili mi, ne ambules cum eis, pone pedem tuum à semitis eorum.* Semita secundum Rabbi Salomon, propriè significat viam, quam in silvis exterunt feræ, in qua venatores observatis vestigiis, ponunt laqueos. Hæ sunt feris fugiendæ viæ, nisi laqueis se velint inducere. Tales semitæ, lubricæ, dubię, declives in lapsum sunt occasiones; proindeq; qui labi non vult cohibeat pedes. S. Augustinus. *Qui familiaritatem non vult vitare suspectam citò labitur in ruinam.* §. 8. *Et via dubia in sylvis.*

Hic ego mihi temperare non possum,

§. 9. *Invecti-va in in-cautos.* sum, quin vestram arguam temeritatem, & nimiam in re tanti momenti audaciam. Nostis excubare dies noctesq; in semita libidinis, atq; impudicitiæ turpissimum Asmodæum; nostis inquam, in prędam castitatis vestræ has protrahi Satanæ vigilias; non tamen, O cœcitas! ab hac tamen semita non deflectitis! sed fronte serena, salacibus oculis, procaci lingua, ridenti vultu, jucundo pectore, pergitis, curritis, peritis. *Perditio vestra ex vobis*; vestra hæc est temeritas, dementia! sed ad alia festino.

§ 10. *Ignis in sinu non absconditur sine periculo.* Tertium itaque simile suggerit mihi proverbiorum auctor cap. 6. v. 27. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?* S. Cyprianus hic. *Impossibilis liberatio est, flammis circumdari, nec ardere.* Sed ignis, sed prunæ, sed flammæ sunt occasiones proximę peccati, malæ Sociæ, suspectę amicitiæ &c. Has prunas vis abscondere in sinu tuo, & non ardere? impossibilis est liberatio. Facilius mihi crede, involutas ignibus vestes evolves, quam animam peccati periculis, atq; occasionibus manifestis expositam ab interitu tuearis. Evasit Sodomiticum incendium Lothus, sed evasit fugiendo. In occasione peccati cum filiabus, non fugiendo turpissimè lapsus est. Flammæ sunt proximæ peccandi occasiones; maturè de fuga tibi consule, ni malis perire. Excute dum potes, feralem à sinu tuo favillam, ne, cum volueris postea excrescentem sopiri flammam, non possis. Favilla est, curiosus oculorum obtutus, excutite eam, quæ minatur libidinis incendium, favillam adolescentes. Ignis est, obscœnus multorum sermo, fugite, fugite, ne quis se fortè in candidas animas vestras infernalis ardor insinuet. Sola hic fuga reportetur victoria. Sic castissimus Ioseph vicit, nam (S. Ambrosi. de vita Iosephi) *contagium judicavit, si diutius moraretur, ne per manus adulteræ, libidinis incendia transirent.* Et iterum. *Fortasse lapsa sit adolescentula occasionibus, quæ delictorum fomites sunt.* O Virgines fugite. S. Hieronymus. *Remove paleas, nec dum extinctus est ignis.*

§. 11 *Nemo sine periculo ludit cum leonibus vel serpentibus.* Quartum simile ex theatris idem desumpsit S. Cyprianus: nam postquam multis egit contra curiosos spectatores comœdiarum, concludit: *Cum tantæ sint corruptelæ, tanta præcipitia, quomodo possum tibi credere, quod à talibus bestiis non sit vulneratus.* Ambulare, nugari, ludere inter ferocientes leones, & ursos, impossibilis est liberatio; æquè difficile est, ut in proximis verseris occasionibus inter viperas, inter bufones, & veneno non inficiaris! *Nunquid lapideus es & ferreus?*

§ 12. *Thesaurum portamus in vasis fictilibus.* Quintum desumo ex 2. Cor. 4. c. v. 7. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Viegas. *Mirum est*, inquit, *fictile vas de altissima turri dejici, & non frangi.* Magis ego miror, adolescentem vel virginem cum fictili vase non cadere in præcipitio proximæ alicujus occasionis. Fugite, recedite à turba. Sextum simile iterum ex S. Cypriano est pulcherrimum. *Mentior, si non videmus exinde interitu plurimorũ.*

Quanti & quales Episcopi (quales prælati, quales viri) *& clerici simul & laici post victoriam calcata certamina, post magnalia noscuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare.* Sensu morali, Navi fragili navigavit David, cum conjecit oculos in Betsabee: ideo naufragium fecit. Navi fragili [illegible]gavit ille Martyr, de quo Sanctus Macarius, qui in carcere, in vinculis pro Christo, cum fœmina ob nimiam familiaritatem turpissimè lapsus est. Miserandæ illum syrtes & charybdes absorbuerunt. Navi fragili navigarunt illi Eremicolæ, qui in desertis, tales occasiones non evitarunt, & naufragium fecere. Sanctus Hieron. in regimine monarchico: *Occasiones sunt illecebra, quibus etiam & rigidissimi emolliuntur, & Sireneo cantu ad naufragia pertrahuntur.*

§. 13. Fugiendum est cum Davide. Qui stare, qui leones hos vincere, qui naufragia evitare desiderat; fugiat, recedat seorsum à turba, fugiat malam societatem. De hac, sive fuga, sive fortitudine gloriatur David Ps. 17. v. 33. *Deus, qui præcinxit me virtute,* (ex Græco, *fortitudine*) *& posuit immaculatam viam meam.* v. 35. *qui docet manus meas ad prælium, & posuisti ut arcũ æreum brachia mea.* Sed unde illa fortitudo? unde adamantina brachia? Subdit statim, [illegible] *perf. cit pedes meos tanquam cervo.* [illegible] quasi dicat, qui celeres habet pedes, is valida poterit brachia, & robustos lacertos jactare in prælio scilicet spirituali, & pugna contra mundum, carnem & diabolum. Quod mysterium quoq; latet in v. 24. c. 33. Deut. *Benedictus in filiis Aser, tingat in oleo pedem suum* (ut scilicet in cursu sit celer) *ferrum & æs calceamentum ejus.* Tales pedes habuit celerrimus cervus, castissimus Ioseph Gen. 39 v. 12. fugit & vicit S Basil. Sel. orat. 8. de Joseph. *Tenacibus manibus retentam permittens vestem, libidinis effugit ansam, fugã usus pro armis, tradit vestem ut temperantiam teneat.*

Observate hoc, quod à manibus provenit tenacibus periculum, Auditores. §. 14. Occasiones sunt manus illita pice. Tenaces profectò sunt malarum Societatum & occasionum manus. Væ, qui illis fuerit apprehensus, & non fugerit. Experientia loquitur. Decipiuntur complures, qui cùm semel tantùm dexteram mundo, ac vanitati porrigunt, mox eam ut arbitrantur, retracturi pro libitu, tenaces tandem manus experiuntur, quas ægrè & summa cum difficultate subinde post multorum prius annorum intervalla reducant. Offerunt alii dexteram Baccho, Societatem Thyrsigeram ac vinolentam semel atque iterum comitantur, & ecce quasi glutino illitæ aut visco manus stupescunt, & adhærent tenacissimè! Suspecta cum aliis invisitur domus; non nisi semel; seu heu! jam tenaci manus porrigitur Veneri; tam facile non retrahes, quàm porrexisti audacem dexteram.

§. 15. In fuga consistit fortitudo. In hac fuga consistit illa fortitudo, quam in spirituali prælio Regius Psaltes asscribit oculis sponsæ Ps. 44. v. 14. Dum eam partim à pulchritudine, partim à viribus roboreque commendat, de quo alias prolixius. Inter alia ait: *Omnis gloria in fimbriis aureis,* S. Hieronymus legit, *in Scutulatis, vel aureis.*

aureis Scutis, sub quibus Sponsa vel Regina tuta erat. Biblia regia sic legunt, *In ocellaturis*, q. d. Psaltes, Regina formosissimos habuit oculos & ob illos, non formosa tantùm fuit, sed fortis. Ergone oculi fortem faciunt? quærite ex digladiatoribus, illi respondebunt: gladiatorem illum ego dixerim fortissimum, qui oculis suis norit omnes adversarii ictus illudere.

§. 16. *Athleta Christi apertos, & vigiles debet habere oculos.* Pari ratione, non es mi homo, non es athleta Christi dicendus eximius, non es in palæstra Christi apprimè versatus, nisi ita vigiles tibi. Sint atque industrii oculi mentis, ut eos omnem in partem, qua te forsan aggredi posset hostis, non sine cura studioque convertas. Nimirum *tela prævisa minus feriunt*, eludenda sunt adversarii Cacodæmonis machinamenta; occasionibus, quas nobis ceu lapides scandali objicit, fortiter occurrendum; fugienda, quæ nos in præcipitia abducunt, consortia. *Hoc est*, inquit S. Zeno Episcopus Veronensis in t 3 Bibl. PP. in cap. 4. Epist. 2. ad Tim. *Attende tibi*; *hoc est, pervigiles gere animæ oculos ad custodiam animæ tuæ, ut sicut Damula laqueos fugias.* Damula perspicacissimum habet visum, clarissimos oculos; hinc à longè videt laqueos, & fugit. *Attende tibi, &c.* Sanctus Paulus qualis heros? Sanctus Chrysostomus homil. 2. in Epist. ad Romanos. *Ferro & petra firmior, & spiritualis adamas despiciebat universa, tyrannos & populos spirantes furorem, velut quosdam culices æstimabat, mortem vero & cruciatus, & mille supplicia quasi ludum putabat esse puerorum.* Addit, *Vellem videre leonem illum Spiritualem, scilicet Paulum.* Præter hos hostes S. Paulus hostem habuit intestinum, carnem nimirum suam de qua ipse; *datus est*, inquit, *mihi stimulus carnis meæ, &c.* Observate modum quo cum hostibus hisce conflixit. Prioribus adeò ivit obviam, ut omnes provocare fuerit ausus in arenam ad Rom 8 cap. v. 35. *Quis me separabit à charitate Christi? &c.*

§. 18. *Et tentationibus. In libidine fugit.* Eja si lubet, congredere cum Apostolo tuis armata furoribus ira! jam te is in arenâ expectat, habebis cum quo confligas heroem. Prodito in medium luxus pomparumque genitrix superbia, mille stipata cohortibus; non tuum metuit splendorem Paulus, non tuam expavescit potentiam. Et tu pigrorum Regina ventrium gula, exere si quas habes vires, in arenam descende, ultro siquidem arma tua Doctoris gentium generositas ad certamen lacessit. Conjurate simul armis animisque universi, in auxilium vocate inferorum portas & furias, & immites Parcas; campo non cedit Apostolus, docti sunt digiti ejus ad prælia Domini. Verùm sola, cum qua fugiendo certavit, certandoq; fugit, fuit libido. Hic juvat corripuisse fugam, sola salus pedibus; fugite cum Paulo, qui cum eodem cupitis heroe triumphare.

§. 19. *Fugientes, protegit DEus.* Fugientes protegit Deus. Ps. 138. v. 9. *Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Id est, si fugero, proteget me DEUS. Sanctus Ambrosius hic: *Qui vult manu Christi levari, ante ipse evolet, habet pennas suas.* Sanctus Cyprianus.

le iniquitatem meam: amplius lava me; cor mundum Spiritum rectum, Spiritum principalem, lætitiam salutaris, &c. Binas allegat causas, ob quas talia postulare non timet, altera est, *quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Altera *Cor contritum & humiliatum DEus non despicies.* Quod iniquitatem suam cognoverit, ex eo licet colligere quod peccatum suum, jam plagá nuncupet, jam fœtorem, jam captivitatem appellet; jam cœcitatem, jam onus dicat; jam maculam, jam ignominiam, jam summum malum indigitet; ex horum cognitione motus exclamavit, *Miserere mei Deus.* Coram illo scelera sua ipse accusat, & magna à Deo beneficia petere non dubitat.

§ 8. *Viri Sancti illa oratiuncula sunt usi.* Quoties viri Sancti talia à Deo rogare voluerũt, hoc modo orandi sunt usi. Daniel postulaturus beneficiũ omnium maximũ, nimirum accelerationem Incarnationis, sive adventum Messiæ, c.9. ait v.4. *Oravi ad Dominum Deum meum, & confessus sum & dixi: Obsecro Domine DEus magne, peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, recessimus & declinavimus à mãdatis tuis, &c.* 1. Esdræ c.9.v.5. summus Sacerdos petiturus liberationem populi è captivitate, sic perorare cœpit: *Deus meus confundor, & erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creverunt usq; ad cœlum.* Pientissima Esther in gravissimis populi angustiis DEI misericordiam implorans ait c.14.v.3.6. *Domine mi, qui Rex noster es solus, peccavimus in conspectu tuo, & ideo tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum.* Manasses sic oravit: *Peccavi super numerum arenæ maris, & non sum dignus videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatis meæ.* Nec frustra tales, tali modo orarunt; exauditus est Manasses, exauditæ sunt preces Estheris, voti compos factus est Esdras, impetravit quod petiit Daniel, obtinuit David, quod tot infinitis suspiriis ac lachrymis à Deo flagitavit, prout ipsa Sacra scriptura commemorat. S. Ambrosius serm.89. *Nihil,* inquit, *potentius ad impetrandum à DEO quod desideras, humili oratione; quam in sua indignitatis, & exiguorum meritorum confessione homo construit.*

Humilis oratio peccatorum veniam obtinet facillimè. Patet id in hodierno Publicano. Obiter sacer textus insinuat stetisse hominem in angulo, demissis oculis, frõte depressa, afflicto corde; stetisse tanquã reum in conspectu Judicis, tanquam filium degenerẽ coram Patre amantissimo, tanquã inutilem servum coram Domino, tanquam mancipium coram Rege: & statim subdit, *descendit justificatus*, id est, omnia ei peccata fuerunt dimissa. Lotus fuit, super nivem dealbatus est, &c. Prov.28.v.13. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Dico ego quisquis humili & corde contrito sæpius dixerit, *Deus*, vel, *mi JEsu, propitius esto mihi peccatori*, misericordiã consequetur, Esa.43 v.26. *Narra si quid habes, ut justificeris.* Septuaginta sic legunt. *Dic tu iniquitates tuas primus, ut justificeris*, accusa te, pete veniam, & DEUS erit propitius. D. Chrysost. in Psalm. § 9. *Facillimè obtinet veniam peccatorum.*

Psalm 135. *Quid potest cum hac conferri clementia? Dic inquit, & nihil quaero amplius; confitere, & mihi sufficit.* Simili sensu ait de Davide, hom. de Saule & Dav. *Agnovit peccata, & deposuit peccata: criminum accusatio, facta est illi criminum remissio simplici verbo, deposuit omnem iniquitatem. Peccavi!*

§.10. *Modus hic orandi fuit usitatus Israelitis.* Idem modus orandi utilis fuit Israëlitis Iudicum 10. c. v. 10. *Dixeruntq; filii Israel ad Dominum, peccavimus*: & pepercit illis Dominus; cùm tamen murmurassent, cum fuissent inobedientes, cùm adorassent Deos alienos. Theodoretus hic. *Ubi suas iniquitates confessi sunt, alienosque Deos abstulerunt è medio, servientes Domino, beneficentiam ejus persenserunt.* Promisit idem Dominus per Isaiam cap. 43. v. 26. *Reduc in memoriam scilicet*, iniquitates tuas. Septuaginta legunt, *tu autē memento, & peccatorum tuorum non recordabor.* Finio hunc paragraphum verbis Cassiodori in Ps. 6. *Summum genus Defensionis offert, qui se ipsum condemnat.* Cum itaque oratiuncula hæc, *Deus propitius esto mihi peccatori*, hæc faciat, Dei misericordiam necessariò consequitur. Nam etiam hominum corda, supplicis demissio movet ad cōpassionem, unde moris fuit apud Assyrios, ut rei coram Judicibus se humi prosternerent. Cogitate vos videre reum aliquem, qui audita capitis sententia misericordiam inclamat, ut supplices tendit in sidera palmas! ut in genua se confestim abjicit! ut jam conjunctas in crucis formam manus reo pectori admovet! ut luctuosos, & suo quasi in funere jam jam natantes oculos huc illuc, jam in Judicis vultum attollat, jam in terram dejicit, jam ad tribunal convertit! ut interruptis sæpe suspiriis astantes commovet, ad commiserationem! ut lachrymabili planctu sæpe pectus tundit! ut omnia doloris acerbissimi signa, fronte, oculis, vultu, manibus, humeris, pectore, pedibusque trepidando præ se fert! ita ut subinde vix Judex ipsemet ad tam triste spectaculum temperare sibi possit à lachrymis, non tamen mutare sententiam, non ad clementiam descendere, ne contra certas justitiæ leges peccasse arguatur. O peccatores! O rei læsæ divinę Majestatis, & ęternę damnationis! Judex vester est Christus D. vindictam urget Justitia, ut decernatur in vos decretoria sententia; discite à reo, quem vobis descripsi, quomodo procumbere debeatis ad pedes Crucifixi, qua ratione implorare clementiam &c. (potest repeti tota descriptio) sic dispositi dicite millies, *Deus, O Iesu esto propitius!* bonus est, parcet, miserebitur, dum tempus est gratiæ.

Pauperes, ob corporis defectum aliquem miserabiles, ut divitum animos moveant ad compassionem, viles induunt vestes, & partes malè affectas nudas exponunt. Hoc modo frequenter, efficaciter perorant Fecit hoc hodie, & seriò fecit Publicanus: non ait scriptura illum perorasse multis, sed paucissimis verbis, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Intus verò cor suum ostendit sordidum, fœtidum, plenum tabo, ac vulneribus, & misericordjam obtinuit. Hoc imitare! §. 11. *Humilitas mendicorum.*

Hac humili oratione filius prodigus

obtinuit à Patre, quem graviter offenderat, osculum pacis. Unum ex præcipuis paterni amoris, & affectus indiciis, fuit hoc osculum, & quidem ori filii impressum, ut putat S. Chrysost. & causam dat: *Osculabatur os, per quod emissa è corde confessio pœnitentis exierat, quam Pater lætus excepit.* Pari ratione labia contriti peccatoris, quæ scelus accusant, & veniam petunt, pręsertim si purpurea sint à purpura sanguinis Salvatoris, dum per sanguinem, & vulnera Jesu misericordiam implorant, merentur osculum pacis à Jesu crucifixo. Hac enim ratione peccator quasi sanguinem pro sanguine offert. Id quod subtiliter advertit Petrus Abbas Cellensis, dum agit de gratitudine, quam debemus Christo Domino pro amarissima ejus passione. Compendium longi discursus est hoc. Christus D. ex infinita charitate, & amore pro nobis suum fudit sanguinem; nec semel tantùm, sed iteratis, terq; quaterq; & sæpius etiam vicibus ita effudit copiosè, ut quasi roseum nobis pretiosissimi cruoris sui balneum in animarum nostrarum salutem ac refocillationem præpararit. *Testis* est corona illa spinea purpureo Salvatoris liquore è divinissimo vertice expresso undique, & undiq; imbuta. *Testes*, qui nati sunt in horto Gethsemani, imbuti sanguineo colore flores. *Testis* illa feralis columna, quam eadem sacratissima purpura coloravit *Testis* mons Golgothæ luculentus: quæ omnia divini in nos amoris, benevolentissimæque charitatis haud sanè exigua sunt argumenta. Quid verò nos rependimus vicissim? quis noster mutuus in tantum amicum animus ac studium? Certè par esset, sanguinem sanguini reponere, quemadmodum innumeram Sanctissimorum Martyrum cohortem illud fecisse cognovimus. Sed nimis hoc, inquis, durum est, alio ergo modo Christo Domino sanguinem reddere possumus.

Quomodo Christo D. peccator Sanguinē pro Sanguine offerre possit

Sic ait citatus Abb. *Carnem pro carne repone, sanguinem pro sanguine. Pro in ara crucis fuso, repone fusum in rubore Confessionis.* Ut hoc intelligamus, sciendum est, in homine, dum rubore suffunditur, naturaliter moveri sanguinē, cogiq; in faciem, ut illam tegat. Experientia docet, pręcipuè in juvenibus, & virginibus. Hic cruor in genis peccatoris contriti, gratissimus est Christo Domino, maximè si alter accedat, quē vis Contritionis, & amoris divini adeo calefaciat in corde, ut vertatur in calidas lachrymas, quæ quidem per oculos ut guttæ aquæ distillantur; & revera sūt delicatissim⁹ sanguis cordis, quem contritio facit fervere, bullire, evaporare, ut ante octiduum ostendi. §.13.

Verba Petri Cellensis.

Eja peccatores, procumbite coram Christo in genua, in aliquo angulo coram Sanctissimo Sacramento altaris; procumbite ad pedes Sacerdotis, dum rubor ascendit in genas, & labia, offerte illum Jesu vestro, & dicite, *Iesu, propitius esto!* movebitur his verbis Judex; mox suavissimum porriget osculum pacis. Rapitur, recreatur sponsus odore hujus oratiunculæ. §.14.

Apostrophe ad peccatores ut procidant ad pedes Christi.

Cant 1. v. 11. gloriatur sponsa de pręsentia Sponsi, in corde suo, *Dum esset Rex in accubitu suo* q. d. Cor meum est quasi lectulus, vel pulvinar, vel sedes, in qua

Odor nardi est gratissimus Christo D.

de fasciculo myrrha. qua sponsus meus quiescit; sed simul insinuat, quando hoc fecerit Sponsus, nimirum dum, *nardus mea dedit odorem suavitatis.* Nardus, parva, humilis, sed odoratissima est herba, ideoq; symbolum humilitatis, de qua S. Bern. hic. *Bonus humilitatis odor, qui de hac valle plorationis ascendens, ipsum quoque regium accubitum grata suavitate respergit.* Hic odor Christum D. trahit ad cor peccatoris. Sponsum in accubitu suo præsentem id est quiescentē in corde, sponsa paulō post tanquam fasciculum myrrhæ proponit v. 12. *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Scio per hunc fasciculum intelligi varia, sed præcipuè crucem Christi cum instrumentis passionis, sive Christum crucifixum. O nos felices, cum bonus Jesus corda nostra pungit spinis contritionis, cum illud flagellat actibus detestationis, cum clavis illud secum affigit cruci; cum lancea vulnerat mille vulneribus amoris. Quot ejusmodi senties puncturas, tot ex corde tuo evolent ad cœlum suspiria, *Deus propitius esto.* Quot in te, O anima pœnitens, sævient flagrorum ictus; tot intensissimæ Contritionis actus exprimen, quot immissi malleis clavi renovabunt in tuo corde dolores, tot planctibus insonabit, *Iesu amor mi, doleo, esto propitius.* Hunc fasciculum, sive Iesum crucifixum, cupio imponere cordibus vestris Auditores, sed ut sit, & maneat libenter, quærite nardum, invenietis hodie in corde Publicani, in cordibus verò vestris plantetur brevis, sed humilis, sed aurea hæc oraticucula, *Deus propitius esto mihi peccatori!*

AMEN.

CONCIO XLI.

DOMINICA XII. POST SS. TRINITATEM.

Apprehendens eum de turba seorsum.

Marci. 7. vers. 33.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Vitandæ sunt occasiones peccandi.

§. 1. *Vir probus inter improbos est miraculum.*

§. 2. *Occasiones peccati sunt fugiendæ.*

§. 3. *In viis lubricis, & inter pericula incedendum est cautè.*

§. 4. *Heroica fuga Iosephi.*

§. 5. *Funambuli facilè labuntur.*

§. 6. *Pru-*

§.1. *Vir probus inter improbos est miraculũ.* ARistippus interrogat', quid esset admirandum in mundo? respondit, *Vir probus inter improbos, qui non pervertatur.* Idem sensit Xenophon cùm cecinit;

Iusta decent justos, pravis convixeris, ante
Quæ fuerat probitas protinus aufugiet.

Ideò utiliter suadet Seneca ep. 105. *Si velis vitiis exui, longè à vitiorum exemplis recedendum est. Avarus corruptor, sævus, fraudulentus, multum nocituri, si prope te fuerint, si intra te sunt.* Et l.3. de ira cap.7. & 8. *sumuntur à conversationibus mores, & ut quædam ad contactus corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus in amorem vini convictores trahit, impudicorum cœtus, fortem quemque & saxeum virum emollit; in proximos virus suum transfert avaritia.* Lib.5. de tranquill. cap.7. *serpunt vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent.* Itaque ut tempore pestis cavendum summopere, ne corruptis jam corporibus assideamus, quia pericula trahemus; ita in amicorum eligendis ingeniis dabimus operam, ut quam minimè inquinatos in nostrorum numerum sodalium adsciscamus. Fuge igitur malos. Experientia docet, hæc omnia esse verissima.

Quæ de malorum Societate dicta sunt, dici debent de quavis alia occasione peccati; hominem in illa constitutum, & in præceps non ruentem, portentum dixero. Committe te ejusmodi occasionibus, videbis ut tua probitas sit discessura. Longè ab illis recedendum, siquidem vitiis immunem te optas. Et nescio an non hanc ipsam ob causam Salvator noster in hodierno Evangelio miserum hominem apprehendit de turba seorsum; quo facto voluisse nobis ostendere visus est, illi qui sanari vult, fugiendam esse turbam, sive novas peccandi occasiones. Adeste animis Auditores, hoc ipsum in animarum vestrarum commodum paulò prolixius tractare constitui argumentum. §.2. *Occasiones peccati sunt fugienda.*

Cautè figendum lubrica in via gradum, nemo est qui nesciat. Hic verò orbis terrarum, sive mundus, quid est nisi §.3. *In viis lubricis &*

nisi anceps, & lubrica semita ad æternitatem, verissimum certè est illud, quod aureè dixit Paulinus ep. 2. *Tota mundi hujus figura quæ præterit, & per oculos corda delectat, diabolicis prætensa est retibus* (talem aliquando vidit Sanctus Antonius) *credamus Prophetæ, quia in medio muscipularum ambulamus, & inter opertos lethalibus dolis gladios vita transigitur.* Excipit nos mundus ille variis voluptatibus florens, & fallentibus venenatus illecebris: excipit nos innumeris anguis insidiis, cui mille nomina, mille nocendi artes. Id quod probè quondam perspectum habuit Sanctus Bernardus Serm. sexto in quadrag. *Heu mihi Domine, quia undique mihi bella, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta, quocunque me vertam; nulla unquam securitas est.* Metaphora à bello sumpta etiam placuit Sancto Chrysostomo Hom. 22. ad pop. *In bello sumus in mundo, in circuitu nostro impii ambulant, peccatores intendunt arcum, hic aures sagittat ut jucundè audiamus detractiones; hic autem oculum excitat ad lasciviam, ille linguam in convitia, ille manum in avaritiam & rapinam &c.*

§. 12. *Thesaurum portamus in vasibus fictilibus.* De quibus tamen omnibus periculis Tertullianus ait l. de idol. c. 24. (loquitur ille de Ecclesia, loquar ego de anima quæ cavet ne incidat in periculum peccati) *Inter hos scopulos & sinus, inter hæc vada & freta, velificata Dei Spiritu fides* (vel Ecclesia) *navigat; tuta, si acuta, secura, si attonita.* Sic avis, quæ cauta est, quæ attonita & sollicita, quæ statim avolat, tuta est. Proverb. 1. capite, vers. 16. *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* In Hebræo; *Compotis alæ sive Domina, sive Magistri alarum.* Ut avis evadat laqueos aucupis, indiget oculis, ut periculum avertat; & alis opus habet, ut quamprimum fuga sibi consulat. Pari ratione qui peccatorum, & Diaboli laqueos vult evitare, hunc & oculis, & alis instructum esse oportet. B. Salonius hic. *Pennati*, inquit, *isti sunt sancti, & electi viri, qui habent spirituales oculos, quibus & insidias hostis prævident, & peccata præcavent. Frustra ante illorum oculos jacitur rete.*

§. 4. *Heroica fuga Iosephi.* Frustra oculatum ejusmodi Iosephum libidinum tenebris involvere tentas lasciva Venus; frustra aureum explicas rete, dum opes objicis perituras insane Pluto. Centoculos Argos, id est, amantes suæ salutis, ac futurorum providos mortales non implicabis. Frustra honorum nebulis aciem obfuscare laboras sollicita Vanitas. Nam quibus est aperta oculorum acies, qui vult ex specula miserandum superbię finem atq; epilogum prævident, non possunt non, nisi plane amentes haberi velint, tuas illas versutias deprehendere, vitare, execrari.

§. 5. *Funambuli facilè labuntur.* Nimium verò sibi fidentes, qui ambulant ut cœci in locis lubricis, labuntur facillimè. Id quod in simili, ceu speculo elucebit. Tertulliano lib. 1. de pudic. cap. 10. hoc simile placuit. *Age tu funambule pudicitiæ, & castitatis tenuissimum filum pendente vestigio ingrederis, carnem Spiritu librans, etiam fide moderans, oculum mente temperans. Perge si potueris, dum tam securus ei, & quasi*

quasi in solidò. Voluit dicere, quisquis à peccandi occasione cùm potest, subducere se non laborat, lapsui est proximus. Facilè fallit vestigium, quod fundatur in lubrico. Si è filo pendet castitas; pendet & beatitudo. Nos miseri! summis versamur in periculis, ita ad perniciem nostram ultrò appropinquamus, ut levi tantùm opus sit impulsu, aut contactu, quo in horrendam damnatæ æternitatis abyssum protuibemur: funambuli sumus; nec metuimus tamen, nec aliquam mentis sollicitudinem præferimus, nec cautè judicamus ponenda vestigia, imò rerum omnium securi, nullum salutis nostræ discrimen apprehendimus.

§. 6. *Prudens belli dux pro loco pugnæ non eligit locū lubricum.* Loco lubrico quam facilis est lapsus! Gen. 14. v. 10. initum est prælium inter novem Reges, quatuor ex una parte, quinque ex alia. Hi pro prælio elegerunt locum lubricum, sive vallem lubrico bitumine obsessam, ideo ab aliis devicti sunt; prolabebantur enim in via lutosa milites, & pugnare non poterant. Hæc est versutia hostis nostri Diaboli. Spirituali prælio nos aggreditur in locis lubricis, in occasionibus, in vallibus lutosis, in quibus facillimum est cadere. De Israëlitis dixerunt Syri: *Dii montium sunt dii eorum* (sive, castra posuerunt in locis arduis) *ideo superaverunt nos; sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus & obtinebimus eos.* Eadem est intentio Satanæ, ut in lutosis pratis voluptatum, in lubrico superbiæ culmine, nos aggrediatur, & vincat.

Videamus quo simili hanc veritatem D. Cyprianus & cum eo Seneca exposuerit. Ille ait, l. de singul. Cleric. *Lubrica est spes, quæ inter fomenta peccati salvare se sperat.* Vult dicere, sicut qui in lubrico stat præcipitio, v. g. in mōte Ætnę, facillimè labitur in igneas & sulphureas foveas, & sicut qui non cautè & circumspectè in mari navigat, nec sibi cavet, ne à blandis Sirenum cantibus seducatur, facillime ad scopulos & syrtes allidit, & sic miser & incautus in profundum maris demergitur. Ita qui peccandi occasiones Societatesq; vitare non studet, ruinę est proximus. Seneca Ep. 116. *Quantum possumus nos à lubrico discedamus; in sicco quoque parum firmiter stamus.* §. 7. *Præcipitia sunt periculosa.*

Pari fere modo via dubia, maximè in silvis est periculosa. Facilis in illis est error. Advertit id David Ps. 118. v. 101. *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.* S. Ambros. legit, *Ab omni via maligna.* Alii, *A via lubrica.* Alii, *ab omni via vallis,* i. e. declivi & præcipiti. Vel, à via ob insidias latronum vel ferarum periculosa, juxta illud Proverb. 1 v. 15. *Fili mi, ne ambules cum eis, pone pedem tuum à semitis eorum.* Semita secundum Rabbi Salomon, propriè significat viam, quam in silvis exterunt feræ, in qua venatores observatis vestigiis, ponunt laqueos. Hæ sunt feris fugiendæ viæ, nisi laqueis se velint inducere. Tales semitæ, lubricæ, dubię, declives in lapsum sunt occasiones; proinde qui labi non vult cohibeat pedes. S. Augustinus. *Qui familiaritatem non vult vitare suspectam citò labitur in ruinam.* §. 8. *Et via dubia in sylvis.*

Hic ego mihi temperare non pos- sum,

§.9. *Invectiva in incautos.* sum, quin vestram arguam temeritatem, & nimiam in re tanti momenti audaciam. Nostis excubare dies noctesq; in semita libidinis, atq; impudicitiæ turpissimum Asmodæum; nostis inquam, in prędam castitatis vestræ has protrahi Satanæ vigilias; non tamen, O cœcitas! ab hac tamen semita non deflectitis! sed fronte serena, salacibus oculis, procaci lingua, ridenti vultu, jucundo pectore, pergitis, curritis, peritis. *Perditio vestra ex vobis*; vestra hæc est temeritas, dementia! sed ad alia festino.

§ 10. *Ignis in sinu non absconditur sine periculo.* Tertium itaque simile suggerit mihi proverbiorum auctor cap. 6. v. 27. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?* S. Cyprianus hic. *Impossibilis liberatio est, flammis circumdari, nec ardere.* Sed ignis, sed prunæ, sed flammæ sunt occasiones proximę peccati, malæ Sociæ, suspectę amicitiæ &c. Has prunas vis abscondere in sinu tuo, & non ardere? impossibilis est liberatio. Facilius mihi crede, involutas ignibus vestes evolves, quam animam peccati periculis, atq; occasionibus manifestis expositam ab interitu tuearis. Evasit Sodomiticum incendium Lothus, sed evasit fugiendo. In occasione peccati cum filiabus, non fugiendo turpissimè lapsus est. Flammæ sunt proximæ peccandi occasiones; maturè de fuga tibi consule, ni malis perire. Excute dum potes, feralem à sinu tuo favillam, ne, cum volueris postea excrescentem sopiri flammam, non possis. Favilla est, curiosus oculorum obtutus, excutite eam, quæ minatur libidinis incendium, favillam adolescentes. Ignis est, obscœnus multorum sermo, fugite, fugite, ne quis se fortè in candidas animas vestras infernalis ardor insinuet. Sola hic fuga reportetur victoria. Sic castissimus Ioseph vicit, nam (S. Ambrosi. de vita Iosephi) *contagium judicavit, si diutius moraretur, ne per manus adultera, libidinis incendia transirent.* Et iterum. *Fortasse lapsa sit adolescentula occasionibus, quæ delictorum fomites sunt.* O Virgines fugite. S. Hieronymus. *Remove paleas, necdum extinctus est ignis.*

Quartum simile ex theatris idem desumpsit S. Cyprianus: nam postquam multis egit contra curiosos spectatores comœdiarum, concludit: *Cum tantæ sint corruptelæ, tanta præcipitia, quomodo possum tibi credere, quod à talibus bestiis non sit vulneratus.* Ambulare, nugari, ludere inter ferocientes leones, & ursos, impossibilis est liberatio; æquè difficile est, ut in proximis verseris occasionibus inter viperas, inter bufones, & veneno non inficiaris! *Nunquid lapideus es & ferreus?* §.11. *Nemo sine periculo ludit cum leonibus vel serpentibus.*

Quintum desumo ex 2. Cor. 4. c. v. 7. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Viegas, *Mirum est*, inquit, *fictile vas de altissima turri dejici, & non frangi.* Magis ego miror, adolescentem vel virginem cum fictili vase non cadere in præcipitio proximæ alicujus occasionis. Fugite, recedite à turba. Sextum simile iterum ex S. Cypriano est pulcherrimum. *Mentior, si non videmus exinde interitu plurimorū.* § 12. *Thesaurum portamus in vasis fictilibus.*

Quanti & quales Episcopi(quales prælati, quales viri) *& clerici simul & laici post victoriam calcata certamina, post magnalia noscuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare.* Sensu morali, Navi fragili navigavit David, cum conjecit oculos in Betsabee; ideo naufragium fecit. Navi fragili navigavit ille Martyr, de quo Sanctus Macarius, qui in carcere, in vinculis pro Christo, cum fœmina ob nimiam familiaritatem turpissimè lapsus est. Miserandæ illum syrtes & charybdes absorbuerunt. Navi fragili navigarunt illi Eremicolæ, qui in desertis, tales occasiones non evitarunt, & naufragium fecere. Sanctus Hieron. in regimine monarchico: *Occasiones sunt illecebra, quibus etiam & rigidissimi emolliuntur, & Sireneo cantu ad naufragia pertrahuntur.*

§. 13. *Fugiendum est cum Davide.* Qui stare, qui leones hos vincere, qui naufragia evitare desiderat; fugiat, recedat seorsum à turba, fugiat malam societatem. De hac, sive fuga, sive fortitudine gloriatur David Ps. 17. v. 33. *Deus, qui præcinxit me virtute,* (ex Græco, *fortitudine*) *& posuit immaculatam viam meam.* v. 35. *qui docet manus meas ad prælium, & posuisti ut arcũ æreum brachia mea.* Sed unde illa fortitudo? unde adamantina brachia? Subdit statim, *Qui perf. cit pedes meos tanquam cervorum.* quasi dicat, qui celeres habet pedes, is valida poterit brachia, & robustos lacertos jactare in prælio scilicet spirituali, & pugna contra mundum, carnem & diabolum. Quod mysterium quoq; latet in v. 24. c. 33. Deut. *Benedictus in filiis Aser, tingat in oleo pedem suum* (ut scilicet in cursu sit celer) *ferrum & æs calceamentum ejus.* Tales pedes habuit celerrimus cervus, castissimus Ioseph Gen. 39 v. 12. fugit & vicit S. Basil. Sel. orat. 8. de Joseph. *Tenacibus manibus retentam permittens vestem, libidinis effugit ansam, fugã usus pro armis, tradit vestem ut temperantiam teneat.*

Observate hoc, quod à manibus provenit tenacibus periculum, Auditores. Tenaces profectò sunt malarum Societatum & occasionum manus. Væ, qui illis fuerit apprehensus, & non fugerit. Experientia loquitur. Decipiuntur complures, qui cùm semel tantùm dexteram mundo, ac vanitati porrigunt, mox eam ut arbitrantur, retracturi pro libitu, tenaces tandem manus experiuntur, quas ægrè & summa cum difficultate subinde post multorum prius annorum intervalla reducant. Offerunt alii dexteram Baccho, Societatem Thyrsigeram ac vinolentam semel atque iterum comitantur, & ecce quasi glutino illitæ aut visco manus stupescunt, & adhærent tenacissimè! Suspecta cum aliis invisitur domus; non nisi semel; seu heu! jam tenaci manus porrigitur Veneri; tam facile non retrahes, quàm porrexisti audacem dexteram. §. 14. *Occasiones sunt manus illita pice.*

In hac fuga consistit illa fortitudo, quam in spirituali prælio Regius Psaltes asscribit oculis sponsæ Ps. 44. v. 14. Dum eam partim à pulchritudine, partim à viribus roboreque commendat, de quo alias prolixius. Inter alia ait: *Omnis gloria in fimbriis aureis,* S. Hieronymus legit, *in Scutulatis, vel aureis.* §. 15. *In fuga consistit fortitudo.*

aureis Scutis, sub quibus Sponsa vel Regina tuta erat. Biblia regia sic legunt, *In ocellaturis*, q. d. Psaltes, Regina formosissimos habuit oculos & ob illos, non formosa tantùm fuit, sed fortis. Ergone oculi fortem faciunt? quærite ex digladiatoribus, illi respondebunt: gladiatorem illum ego dixerim fortissimum, qui oculis suis norit omnes adversarii ictus illudere.

§. 16. *Athleta Christi apertos. & vigiles debet habere oculos.* Pari ratione, non es mi homo, non es athleta Christi dicendus eximius, non es in palæstra Christi apprimè versatus, nisi ita vigiles tibi. Sint atque industrii oculi mentis, ut eos omnem in partem, qua te forsan aggredi posset hostis, non sine cura studioque convertas. Nimirum *tela prævisa minus feriunt*, eludenda sunt adversarii Cacodæmonis machinamenta; occasionibus, quas nobis ceu lapides scandali objicit, fortiter occurrendum; fugienda, quæ nos in præcipitia abducunt, consortia. *Hoc est*, inquit S. Zeno Episcopus Veronensis in t 3 Bibl. PP. in cap. 4. Epist. 2. ad Tim. *Attende tibi; hoc est, pervigiles gere animæ oculos ad custodiam animæ tuæ, ut sicut Damula laqueos fugias.* Damula perspicacissimum habet visum, clarissimos oculos; hinc à longè videt laqueos, & fugit. *Attende tibi, &c.* Sanctus Paulus qualis heros? Sanctus Chrysostomus homil. 2. in Epist. ad Romanos. *Ferro & petra firmior, & spiritualis adamas despiciebat universa, tyrannos & populos spirantes furorem, velut quosdam culices æstimabat, mortem vero & cruciatus, & mille supplicia quasi ludum putabat esse puerorum.* Addit, *Vellem videre leonem illum Spiritualem, scilicet Paulum.* Præter hos hostes S. Paulus hostem habuit intestinum, carnem nimirum suam de qua ipse; *datus est*, inquit, *mihi stimulus carnis meæ, &c.* Observate modum quo cum hostibus hisce conflixit. Prioribus adeò ivit obviam, ut omnes provocare fuerit ausus in arenam ad Rom 8 cap. v. 35. *Quis me separabit à charitate Christi? &c.*

Eja si lubet, congredere cum Apostolo tuis armata furoribus ira! jam te is in arenâ expectat, habebis cum quo confligas heroem. Prodito in medium luxus pomparumque genitrix superbia, mille stipata cohortibus; non tuum metuit splendorem Paulus, non tuam expavescit potentiam. Et tu pigrorum Regina ventrium gula, exere si quas habes vires, in arenam descende, ultro siquidem arma tua Doctoris gentium generositas ad certamen lacessit. Conjurate simul armis animisque universi, in auxilium vocate inferorum portas & furias, & immites Parcas; campo non cedit Apostolus, docti sunt digiti ejus ad prælia Domini. Verùm sola, cum qua fugiendo certavit, certandoq; fugit, fuit libido. Hic juvat corripuisse fugam, sola salus pedibus; fugite cum Paulo, qui cum eodem cupitis heroe triumphare. §. 18. *Et tentationibus. In libidine fugit.*

§. 19. *Fugientes, protegit DEus.* Fugientes protegit Deus. Ps. 138. v. 9. *Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Id est, si fugero, proteget me DEUS. Sanctus Ambrosius hic: *Qui vult manu Christi levari, ante ipse evolet, habes pennas suas.* Sanctus Cy-

prianus.

prianus. *Nam quicunq; perniciosis conatibus audet exerere virtutem, juvamen non habet Spiritus Sancti.* Sanctus Nyssenus dixit or. de fuga fœm. *O justam, quam Deus Josephi curã gessit.* Scilicet, quia fugit, quasi Deus teneatur ex justitia illos protegere, qui fugiunt.

§. 20. *Quomodo Sponsa lilium inter spinas.* Cant. 2. v. 1. Sponsus Sponsam vocat lilium inter spinas, in quæ verba Hugo Cardin. *In hoc maximè designantur, Dei scilicet clementia, qua teneritudo lilii inter spinas illæsa servatur; & timor sponsæ suam agnoscentis teneritudinem, sic enim timere debet malorum cohabitationem, sicut lilium spinarum circumvallationem.* Et vos lilia estis, quibus adhuc integer vernat flos pudicitiæ, Juvenes ac Virgines. Sed ô nolite vitam vivere sine cura, ac sollicitudine inertem, metuite semper: nam lilia estis inter spinas, undique obvallant vos occasiones peccandi, spinarum instar pungunt florem castitatis vestræ pravorum exempla, perpendite teneritudinem vestram, nolite obsecro concedere, ut propius crescant spinosi frutices quorum attactu facillimè puritatis vestræ candor, configitur, & contaminatur.

Finio, cum hoc, quod coronidis loco subjungam, vestra dignum consideratione, epiphonemate. Tantum quis appropinquat inferno, quantum malis occasionibus sociisve accedit. Felix ille est, qui cœlo indies quàm tartaro; beatitudini, quam damnationi; beatis quàm reprobis, Angelis quàm damnatis, Deo quam cacodæmoni vicinior fieri laborat. § 21. *Aureum monitum.*



CONCIO XLII.

DOMINICA XIII. POST SS. TRINITATEM.

Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde tuo.

Lucæ. 10. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUid sit DEum diligere ex toto corde; sive qua ratione homo cor suum debeat offerre DEO, & simul diligere proximum.

§. 1. Cor

§. 1. *Cor gemmeum oblatum Lud. XI. Regi Galliarum.*

LUdovico hujus nominis XI. Galliarum Regi, nobilissimam Belgii urbem Tornacum triumphali pompâ, inter applausum procerum ac Magistratus invecto, in ipso urbis ingressu occurrisse feruntvenustissimam Virginem, cujus non pulchritudo duntaxat, sed & donum, quo erat instructa, Regiis Ludovici oculis cumprimis arrisit. Nimirum proferebat illa, semoto nonnihil pectorali, Cor aureum, quo aperto gemmeum lilium prominuit: utrumque, & cor & lilium Regi obtulit, munus longè gratissimum.

§. 2. *Tale donum à nobis exigit Deus, per dilectionem erga Deum & proximum.*

Simile donum in hodierno Evangelio à nobis exigit Salvator noster, Rex Regum, & Dominus dominantium; Cor non aureum quidem, vel gemmeum; sed carneum, sive humanum, quo munere vel præstantius aliquid, vel gratius ipsi offerre non possumus. Hoc donum à Salomone, petiit sapientia vel Spiritus Sanctus, Proverb. 23. v. 26. *Præbe fili mi cor tuum mihi*, id est, non mundo, non voluptatibus, non vanitati, sed *mihi*. Christus Dominus idem munus petit à nobis citato meo themate ex hodierno Evangelio, *Diliges Dominum Deum tuum ex corde tuo.* Deum enim diligere, nihil aliud est, quam Cor Deo offerre; præcipuè si ornatum sit liliis, id est, si sit cor purum, castum & immaculatum. Ut verò dilectio DEI sit perfecta, ad proximum quoq; se debet extendere, ideò Christus Dominus addit alterum præceptum priori simile, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ad duo itaque in hac concione collimo. 1. ut quid sit, DEUM diligere ex toto corde, exponam: alterum est, quis præcipuè sit ille proximus, quem & in quo illum diligere oporteat.

Sup-

§. 3. *Cor humanum parvum est, & cupit magna.*

Suppono verissimum esse illud Hugonis Victoris lib. 3. de anima. *Cor parvum est, & magna cupit, vix ad unius milvi refectionem sufficere potest, & totus mundus ei non sufficit.* Et paulò post: *Plura machinatur cor meum uno momento, quàm omnes homines perficere possent, uno anno*; ut proinde etiam à nulla creatura satiari possit, desiderat v.g. cor avari, milliones auri, neq; tamen satiatur. Cor arrogantis alicujus Alexandri machinatur, & desiderat alterum mundum; satiari non potest, non est quies cordi; inquietum manet. Cor alicujus vani Salomonis desiderat mille genera voluptatum, nec tamen satiatur oculus visu, nec auris auditu, nec cor illarum modica possessione, sed manet inquietum, velut acus magnetica quam diu polum non respicit.

§. 4. *Quare sit triangulare.*

Fecit DEUS cor hominis triangulare, quod nulla figura vel rotunda, vel quadrata implere potest, sed sola triangularis, id est, Sanctissima Trinitas, quæ cor hominis ad sui imaginem creavit. Sanctus Bernardus Ser. in dedic. *Ad imaginem DEI facta est anima rationalis; cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest, capacem enim DEI, quidquid minus Deo est, non implebit.* Subinde, v g. avarus totus est immersus pecuniæ, totus dies noctesq; nummis inhiat ac lucris; sed cor ejus simile est ollæ ferventi, quæ superfluere videtur: at ubi calor resedit & deferbuit, vix ad dimidium plena est. Causam dedit citatus Hugo Victorinus; *In omni namque creatura, quæ sub sole vanitatibus mundanis occupatur, nihil sublimius, nihil nobilius, nihilque DEO similius reperitur; quapropter nihil aliud quærit à te, nisi cor tuum.* Neque nos dignius aliud offerre possumus. Nemo est, qui non meritò dicere possit cum Psal. 115. v. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* quasi diceret; evexit me DEI bonitas è paupere pastorum casa, ad opulentissimum solium Israelis; *quid retribuam?* ipse vires addidit ac robur, quibus auderem congredi cùm leone, & vincere; fortitudinem ipse subministravit, ut cum urso confligerem & superarem: Audaciam injecit, ut Goliathum singulari prælio lacesserem, & dejicerem; *quid retribuam Domino?* ipse me periculis undiq; cinctum & hostium quasi sæpe circumdatum, salvum semper & incolumen servavit, *O DEUS quid retribuam?* ipse mihi in bello fuit auxilium, in mœroribus solatium, in arduis robur, in votis subsidium; *quid retribuam?* Digna profectò consideratione quæstio, digna Rege, atque imitanda meditatio. Tandem in quæ eruperit verba, percipite. v. 16.

§. 5. *Quomodo David obtulerit Deo.*

O Domine quia ego servus tuus &c. Sacrificabo tibi hostiam, & quam hostiam obtulit? Scio obtulisse victimas, scio immolasse sacrificia laudis, & gratiarum actionis. Sed victima præcipua fuit Cor Regis, Psal. 107. v. 1. *Paratũ cor meum DEus.* Ps. 50. v. 26. *Cor contritũ & humiliatum Deus non despicies.* Et cor suum adeo ex corde obtulit ut Ps. 72. v. 26. suavissimè dixerit, *Deus cordis mei*, aliquorũ cordium Deus, est Plutus; aliorum Beelzebub &c. Sed sunt tyrañi, legitimus Dominus cordis humani solus est DEUS, solus JEsus.

Aliud

§. 6. *Hoc dono Deum oblectamus. Donum Philippi II. Regis Hispaniarum.*

Aliud donum Deus à nobis non desiderat; hoc unico dono illum oblectare possumus; Salvatorem præcipuè nostrum, qui pretio sanguinis sui illud redimere non dubitavit. Anno 1599. Philippus II. Rex Hispaniarum Imperatori Japonum in pignus amoris & amicitiæ misit cor aureum. Quod adeo acceptum illi barbaro fuit, ut cor illud cordi suo apprimens bis exclamarit, *O quàm gaudeo, O quam gaudeo!* Aureo corde Philippus Regem barbarum totum sibi devinxit: meliori modo nos Deum nobis devincere non possumus, nec oblectare magis, quàm offerendo ei cor. O quam gaudet! quàm gaudet bonus DEus, cùm corda nostra illi dedicamus, in quibus suas ille numerat delicias. Ita dixit S. Brigittæ l. 5. Revel. *ideo dedi homini cor, ut in eo me Deum suum, qui ubique sum, & incomprehensibilis, concluderet, ut sit arca ingentis thesauri; ut in cogitando in me esset delectatio sua.* Vicissim autem Deo & Christo Salvatori est gaudium, quies, delectatio, & deliciæ in cordibus nostris. Itaque *dilige Dominum DEum tuum ex toto corde tuo*; alio modo quietum esse non potest; & sine hoc nullum aliud donum tuũ Deo erit gratum. Sed inquis, quid sibi vult, Deo cor offerre, donare, dedicare? sive, quod idem est, quid est, Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus?

§. 7. *Desiderium B Henrici Susonis.*

B. Henricus Suso Ord. Prædicat. inter alia ferventia amoris divini desideria exclamare solebat; *O DEus ego toto corde, sensibus, & animo te inexhaustam omnium desiderabilium abyssum, ardentis cordis mei sinu complector.* q. d. O DEUS, quocunque demum, seu animi mei, seu corporis rapiantur affectus, tu tu semper scopus eris ac meta: Si quem in locum animæ meæ vires evolent licentiùs, tu illis occurres: si ad præterita se recipiat reminiscendi facultas, te primum ac præcipuum quæret objectum: Si quid intellectus maturâ dignum ponderatione perpendet, in eo te admirabitur. Si quid in amoribus est voluntati; tu eam suaviter afficies, tu illius ad amorem fræna laxabis. Si requiro aurium oblectamenta; tu mihi percipienda adducas, si oculis lenocinia desidero, eos non nisi in amorem tuum, in vultum divinissimum, dein in paternum amoris pectus defigam. Si sitis faucibus æstuat; amor, quinque vulnerum fontes, à te dilecto meo, in ardentia labia mea derivabit, & apparatissimas gustui delicias exhibebit. Hoc est Audit. hoc inquam est, cum B. Henrico Susone Deum ex toto corde diligere.

§. 8. *Christus D. revelavit S. Mechtildi cor hominis justi esse arrham; monile aureum &c.*

B. Melchtildis cum in Psal. 67. legeret illum versum 30. *Reges munera offerent*: ad sponsum suum dixit: *Ecquid est O dilecte cordis mei, quod tibi munus offeram, cum nihil habeam Majestate tuâ dignum?* Respondit Sponsus, *filia præbe mihi cor tuum, his quinque modis. 1. offer illud mihi velut arrham desponsationis cum omni fidelitate cordis tui, incessanter me deprecans ut igne charitatis mea consumam, quidquid in te displicet mihi.* DEUS scilicet vel Christus D. vult à nobis amari velut sponsus à fideli sponsa.

2. *Offer illud mihi velut aureum monile cum abnegatione omnium terrenarum*

rum voluptatum, quæ cor tuum occupare possunt. Hoc est, vult Deus vel Christus D. amari à nobis magis, quàm amemus divitias, quam rapiamur in argentum, in aurum, in gemmas, in thesauros, verbo, in quamcunque creaturam.

3. *Offeres illud mihi veluti regium diadema, cum abnegatione honorum, dignitatum, propriæ æstimationis*, id est, non debemus DEum offendere, ut ad honores promoveamur.

§. 9. *Quænam ament Deum.* 4. *Offeres mihi cor tuum instar phialæ. 5 ut vas electum in quo omne meum sit oblectamentum.* Quæ omnia piissima Virgo tanto fervore præstitit, ut deinde in corde ipsius hæc verba inventa fuerint, *Mallem mori, quam minima noxa à te, O bone JESU, separari!* Hæc iterum vera est diligendi ex toto corde DEUM methodus, Auditores; Nimirum desponsatæ sunt cœlesti sponso animæ nostræ, cùm nos salutares baptismi undæ abluerent; nunc porrò ne quid nostræ desimus fidelitati, videamus. Non deerit certè, qui non contentus donasse semel, indies hoc tam amabile DEO munus renovet; quisquis quotidie hanc desponsationis suæ arrham in corde JESU non abscondit, non amat. Non amat, qui non quotidie monile hoc aureum, cor inquam suum, à se ita abdicat, ut illius Dominus esse incipiat Salvator. Non est in JESUM pius, nisi qui illi cor suum ut phialam bonorum operum, & virtutum, & affectuum fructibus, & quasi cornu Copiæ, instructam indies exhibet, atque offert. Denique non est dicenda Christi sponsa anima illa, quæ non in singulas horas ardenti cordis affectu exclamat, *Mallem mori, quàm minima noxa à te, O bone JEsu separari.*

§. 10. *Quomodo S. Gertrudis cor suum Deo obtulerit.* Discamus hoc porro à S. Gertrude Virgine piissima, quæ cœlestem cordis sui sponsum in hunc modum alloqui solebat; *Ecce cor meum, Domine, abstractum ab omni creatura, integra voluntate tibi offero, ut abluas illud aqua sacratissima lateris tui, & exornes illud purpura sanguinis* (sic sic lavari debent corda nostra, quoties ea DEO offerre gestimus) *dulcissimi cordis tui, ac tibi per amorem coaptes & unum tecum efficias ut sim tecum Cor unum, & anima una, uti cera liquescens una sit cum alia cera liquefacta, ut cum Propheta dicere possim*, Psal. 21. v. 15. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens.* vel ex Psal. 107. v. 1. *Paratum cor meum Deus.* Hoc est, nihil aliud velle, quàm quod vult Deus: est, Deum diligere ex toto corde. Hoc modo desiderant animæ Sanctæ liquefieri per incendium charitatis (sunt ferè verba Richardi à S. Laurentio l. 4.) paratæ videlicet instar metalli liquefacti decurrere in omnes modulos divinæ voluntatis. Quisquis ita affectus est ex corde, ex toto corde diligit DEum.

§. 11. *Ubi thesaurus ibi Cor.* Nimirum bene dixit Eusebius Emyssenus, *Cor, quod amat, in eo se figere solet.* Matth. 6. v. 21. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*, ideo S. Hieronymus. *Gulosus cor habet in ventre, lascivus in lumbis, superbus in capite, avarus in pecunia*, & S. Gregor. M. l. 2. in cap. 2. l. 1. Reg. *Reprobi corda sua non habent, quia*

quia ea Diabolus possidet. Quotiescunque ergo graviter delinquimus, cor nostrum nos non habemus. Quare & Jeremias populo Iudaico graviter delinquenti improperans ait: audi popule stulte, & non habens cor. Oseæ 7. v. 11. *Sicut columba seducta non habens cor.* Columba sine corde fuit David, cùm abiit post concupiscentiam suam, unde ait, Psal. 39. v. 13: *Cor meum dereliquit me,* S. Greg. M. l. 4. in c. 9. l. 1. Reg. *Cor nostrum derelinquit nos, quando sic à concupiscentiis carnalibus v nc imur, ut intentionem cordis in terrenis ponamus.* Ex quibus omnibus facilè advertere poteritis, Auditores, an diligatis Deum ex toto corde. In quo figitis corda? in quo cogitationes? si in Deo, si in Salvatore vestro, si sic est thesaurus vester; certū habetis signum dilectionis divinæ; & eò quidem amplius ex toto corde diligitis, quò frequentius de Deo cogitatis.

§. 12. *Cor Abrahami Deo fidelissimum.* Huc facit locus scripturæ sacræ non inelegans, quem reperio l. 2. Esdræ c 9. v. 7. & dixit Esdras; *tu ipse Dominus DEUS qui elegisti Abraham, & eduxisti eum de igne Chaldæorum, & invenisti cor eius fidele coram te, & percussisti cum eo fœdus, ut dares ei terrā Cananæi.* Quærit Lyranus, quando vel cur Deus invenerit cor Abrahami tam fidele? respondet, *Quia* (vel quando) *pro amore eius paratus fuit etiam filium suum dilectissimum immolare.*

Tum nimirum Abraham ostendit se diligere DEUM ex toto corde, & magis, teneriùs, ardentiùs, quàm ipsum Isaacum, cùm hunc dilectissimum filium, suis manibus, Pater voluit imolare, Gen. 22 & sic addit auctor citatus, *DEUS cor Abrahami invenisse dicitur. Quærebat enim illud DEUS, quasi humani erga se amoris thesaurum, quo invento se divitem reputavit, quodque libenter divinis sui erga Abrahamum amoris pretio comparavit.* Amat enim Deus illos à quibus amatur; Tener fuit amor Abrahami in Isaacum, quo in unicam prolem flagravit Patriarcha sanctissimus præcipuè cum spem familiæ suæ, & quasi columnam, qua nitebatur domus sua, unicam in Isaaco filio fundatam animadverteret; at longè fuit amor ille tenerior; longè & fortior & gloriosior, quo DEum est complexus.

§ 13. *Ostēdit in immolatione Isaaci.* Cùm pergerent simul in montem; obstupuere non semel pedes Abrahami, veluti gradum mallent relegere: *fecit hoc amor in Isaacum.* Mox tamen alacrius itum, & quasi præcipiti gressu confecta est via: *fecit hoc amor in Deum!* Cùm de victima interrogaret filius, sensit altum paterno in pectore vulnus Abraham! *facit hoc amor in filium,* ne tamen affectus hac plaga corrueret in terram exanimis, *fecit amor in DEUM.* Cùm ferrum stringit fatale, stupefactus est brachio, venisque sanguis recessit, ad cor confluens, amoris sedem paterni: *fecit hoc amor in filium.* Ne tamen à concepta animo sententia desisceret; *fecit hoc amor in DEUM.* Hic, hic inventus est, nobilis ille thesaurus, Cor Abrahami! Ita inveniet corda nostra DEus, si ita DEum cùm Abrahamo diligimus!

§ 14. *applicatio ad nos.* Verùm non tantum à vobis DEUS exigit Auditores; ut filios immoletis; hoc tamen subinde petit, ut in re quâpiam arduâ & vobis difficili, vestrum in

DEUM amorem exhibeatis. Suum quisque, etsi Abraham non sit, habet tamen suum quisque quem diligit Isaacum. Sunt quibus in deliciis est superbus vestium luxus, atq; ornatus corporis immoderatus; hi videant an non Isaacum plus diligant suum, quam DEum. Alios juvat indulgere genio, vitam vivere Sardanapali, helluando diem comburere; horum Isaac est voluptas. Aliis nunquam non versatur ob oculos honor ac dignitas: hi eminere præ aliis gestiunt, solus eos capit honorum affectus; & hic est ipsorum, quem tenerè amant, Isaacus. Opibus alii inhiant, quibus sola est in auro atque thesauro beatitudo, sola in divitiis voluptas; amant aureum Isaacum. Sed jubet hunc quoque, & illum, sibi offerri Isaacum DEus *Hic Rhodus, hic salta*, hic lydius esto lapis amoris nostri; hic, an veri simus Abrahami, id est, an veri Numinis cultores atque amici, an qui DEum ex toto corde diligimus, & ex omnibus viribus, & præ aliis omnibus creaturis, omnium optimè licebit perspicere.

§. 15. *Adversitates Abrahamo fuerunt leves.* De eodem Abrahamo dicitur Gen. 25. c. v. 7. *Fuerunt dies vitæ Abrahæ centum septuaginta quinq; anni.* Subtiliter hic quærit Abulensis. *Cùm Abrahamus per tot annos vixerit, cur per dies, vita ejus supputatur? præsertim cùm vita ejus plena fuerit laboribus atq; adversitatibus?* & respondet; *Certè quia tantus erat Abrahæ erga DEUM amor, quo propter ipsum Deum omnia adversa sustinebat, ut præ amore, annos adversitatis, non longos annos, sed dies esse breves reputaret.* In hoc Abraham ostendit, se DEum diligere ex toto corde.

§. 16. *Amanti nihil durum.* Amanti enim nihil durum est atque difficile, nullum intempestivum tempus, nulla mora nimis morosa. Parum est amanti animæ, quod reliquis nimium esse atque intolerabile videtur. Fuerunt è sanctis complures, qui annos vitæ suæ quadraginta aut quinquaginta, non nisi in doloribus atque ærumnis, amore Christi exantlatis traduxerunt! nunquam tamen ideo conqueri, nunquam submurmurare, aut querula voce in DEUM insurgere auditi sunt. Cur obsecro? breves fuerunt anni amantibus. Ipsos triginta annos continuos lectulo hæsit affixa Lydwina nobilis Virgo. An ideo mente fracta à Christo deficere cogitavit? minimè: *brevis est dolor, qui torquet amantem.* Ah Auditores, si qui sunt inter vos, qui non dicam plures hebdomadas aut menses, sed annos etiam pressi calamitatibus, doloribus confecti vitam trahitis ærumnis plenam, hoc perpendite obsecro, hoc considerate, hoc in animos inducite vestros, in dolorum multitudine, diuturnitate calamitatum gloriosum triumphare amorem.

§. 17. *Quis diligat Deum ex toto corde.* Sed immergo me abysso amplissimæ materiæ: ex hoc primo puncto has velim regulas observetis. DEUM diligit ex toto corde, cujus cor non satiatur divitiis, nec ulla creatura, sed solo Deo. Deū diligit ex toto corde, qui in gratiarū actionē cor suum offert Deo totū. Deum diligit ex toto corde, qui in omnibus quærit ut DEO placeat, ut in omnibus DEI fiat voluntas. Deum diligit ex toto corde, qui mavult mori, quàm DEum offendere; qui

qui potiores cogitationes figit in Deo, quam in falsis mundi gaudiis, in deliciis perituris, in honoribus fictis, in fluxis opibus, potiores denique quam in vitæ hujus mortalis, atque caducæ commodis, & emolumentis.

§. 18. *Requiritur etiam dilectio proximi.* Verùm ut in alterum quoq; dictionis meæ scopum collimare incipiam, hæc, quantumvis nobilis atque excellens dilectio ad vitam æternam non sufficit. Hinc alterum accedit Salvatoris nostri præceptum, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Hujus etiam dilectio requiritur. Exodi 28. v. 15. jussit Deus fieri superhumerale summi Pontificis de auro, & hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto. Divus Greg. in Ezech. l. 2. Quid per coccum nisi charitas designatur, qua semper flamma amoris accenditur? sed coccus bis tingitur, quando non solum ex amore Dei, sed etiam proximi charitas nostra inflammatur. Nam quisquis sic Deum amat, ut commissi sibi proximi curam relinquat, adhuc in eo coccus semel tinctus est: & quisquis sic amat proximum, ut minuat desiderium, quo flagrare debet in Deum, non est adhuc in eo color tincturæ geminatus. Debemus ergo amare eos, cum quibus vivimus, & ad illum totis desideriis anhelare, in quo veraciter vivamus.

§. 19. *Quis sit noster proximus.* Quis verò proximus noster sit, scire possumus ex cap. 3. vers. 27. S. Pauli ad Gal. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis; non est Iudæus, nec Græcus, non est servus nec liber, non est masculus nec fœmina, omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.* In quæ verba ita comentatur S. Hieron. Cùm quis semel Christum indutus fuerit, & missus in flammam, Spiritus S. ardore canduerit, non intelligitur aurum sit, an argentum: unus igneus color est, omnis diversitas generis, conditionis & corporum, aufertur ejusmodi vestimento. Ideo Ecclesia dicitur una, diciturque prodiisse ex aperto latere, & vulnerato corde sponsi, ut rursum diligat ex toto corde, & ut sit una, Joannis 17. v. 11. *Pater sancte serva eos ut omnes unum sint.* Nullum excludit Christus Dominus, neque nos illum excludere debemus. Omnes oportet diligere S. Aug. Concione 8. in Ps. 118. *Proximi facilior videtur esse cognitio; omnis quippe homo homini est proximus, nec ulla est cogitanda longinquitas generis, ubi est natura communis.* S. Leo *proximi nomine non tantùm intelligendi sunt, qui nobis amicitia aut propinquitate junguntur, sed omnes prorsus homines cum quibus nobis natura communis est: unus enim nos conditor finxit.* Quid verò hac de re hodiernum nos edocet Evangelium, certè ex eo satis superque licet colligere: illum potissimum esse proximum nostrum, qui miser est.

Sed clariùs hoc exponamus. Nosti in his vel illis ædibus habitare viduam quandam, cui sit pro dote paupertas, pro pane afflictio, pro potu ærumnæ, & lachrymæ, pro solatio dolor; nemo est qui illius in se causam suscipiat, nemo qui illi vel opem ferat vel consilium, nemo qui consoletur afflictam. Age tu mi Christiane, ad has ædes te recipe, has incolit proximus tuus: (ille enim ex regulis Christi tibi dicendus §. 20. *Ostenditur per inductionē.*

 est

CONCIO XLIII.

DOMINICA XIV. POST SS. TRINITATEM.

Occurrerunt ei decem viri leprosi.

Lucæ 17. verſ. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit de ſpirituali mundatione lepræ peccati, ſive de Juſtificatione.

§. 1. *Varia documenta ex ſenſu litterali Evangelii.*
§. 2. *Proſecutio.*
§. 3. *De leproſis V. Teſtamenti.*
§. 4. *Quodvis peccatum mortale eſt lepra animæ.*
§. 5. *Præcipuè luxuria.*
§. 6. *Mundus hic eſt leproſorium.*
§. 7. *Proſecutio.*
§. 8. *Cur Chriſtus D. leproſos miſerit ad Sacerdotes?*
§. 9. *Differentia inter Sacerdotes* N. *&* *V. Teſtamenti.*
§. 10. *Miniſtri apud catholicos, ſunt ſimiles Sacerdotibus Iudaicis.*
§. 11. *Leproſi mundati non tantùm orarunt.*
§. 12. *Sed debuerunt ſe oſtendere ſacerdotibus.*
§. 13. *Applicatio ad confeſſionem in particulari.*
§. 14. *Nullum grave peccatum debet in illa abſcondi.*
§. 15. *Non debet oſtendi lepra aliena.*
§. 16. *Non ſufficit ad juſtificationem ſola fides.*
§. 17. *An in juſtificatione ſola lepra, vel peccatum tantùm tegatur.*
§. 18. *Hic modus eſt Deo indignus.*
§. 19. *Iuſtificatio eſſet ludificatio.*
§. 20. *Homo juſtificatus eſſet ſepulchrum dealbatum.*
§. 21. *Cælum foret ſedes hypocritarum.*
§. 22. *Peccatum eſt turpis macula, ſed eluitur in juſtificatione.*
§. 23. *Peccatum eſt catena, ſed reverà rumpitur.*
§. 24. *Eſt debitum, ſed dimittitur.*

oppida ejiciebantur, & vestes gestare debebât dissutas, capite operto prodire in publicum & ad occursum hominum clamare, se inquinatos, scilicet ex tam turpi & fœtido morbo, qualem esse lepram accepimus. Nec poterant tales ad communitatem recipi, nisi legitimus quispiam Sacerdos eos mundos judicaret. Tales ergo fuerunt hi decem qui Christo occurerunt. Ideo steterunt à longe, ideo clamarunt, & licet eos Salvator mundare voluerit, tamen ut se confirmaret cæremoniis legis, remisit ad Sacerdotes, ut eorum judicio ad communitatem recipi possent. Omnes mundati sunt, unus solus rediit cœlesti medico acturus gratias. Atque hæc est littera hodierni Evangelii.

§. 4. *Quodvis peccatum mortale est lepra animæ.* In mysterio, quod littera tegitur, turpissimus hic morbus lepræ, in communi significat quodcunq; grave scelus. Sanctus Chrysost. Hom. 21. in S. Matth. *lepra est, peccatum animarum nostrarum.* Homilia tertia in cap. 2. ad Titum. *Nulla lepra deterior, quam peccatum.* Sanctus Augustinus serm. 10. de verb. Ap. *Dominus Iesus laudat gratias agentem, ingratos improbat, mundatos in cute, leprosos in corde.* In particulari lepra hæc animæ est varia, prout varia sunt crimina. Sanctus Augustinus lib. 2. quæst. Evang. q. 40. *Leprosi non absurdè intelligi possunt, qui scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris.* Serm. 10. de verb. Ap. *doctrina inconstans, non habens unum colorem, mentis lepram significat.* verbo S. Aug. insinuat, hæresin quamcunque esse turpissimam lepram varii coloris. lib. 2. Ev. quæst. q. 40. ait, *lepram significare doctrinam hæreticam, quæ vera falsis miscet, sicut lepra corpus variis maculis fœdat, quæ abscondi non possunt; sicut nec hæresis suam varietatem abscondere potest, sed suam imperitiam pro summa peritia profert in lucem, & jactantia sermonis ostentat.* Hæc Sanctus Augustinus.

Sanctus Chrysostomus citatus ait. *Lepra est passio carnalis, id est, luxuria.* Iterum Sanctus Augustinus serm. 128. *Omnes avari, & cupidi intus in anima lepra sunt perfusi.* Pari ratione invidia est lepra, odium est lepra mentis, gula est lepra, immisericordia in pauperes, rerum neglectus Sacrarum, ira effervescens, similia scelera, sunt lepræ spiritualis species. §. 5. *Præcipuè luxuria.*

Ex hac doctrina Sanctorum Patrum certæ sequuntur conclusiones. Si quodvis grave peccatum est lepra cordis vel animæ, certè malignus hic mundus dici potest & debet quoddam leprosorium, in quo Deus Optimus Maximus tam enormibus sceleribus offenditur. Si quævis hæresis, & voluntarius error in fide, est lepra, quid erit in Germania nisi magnum, fœdum & fœtens leprosorium? &c. Si lepra est luxuria, non desunt ædes, quæ dici possunt leprosoria, latibula quidem quærit hæc lepra, sub superbis vestium formis, figuris, ac larvis præcipuè; serico & aureis fimbriis tegitur, & involvitur, animam tamẽ non minus contaminat. §. 6. *Mundus hic est leprosorium*

Ex leprosoriis vestris prodite Euclíones, avari divites, usurarii; omnes estis leprosi, corde saltem. Manus præcipuè vestras pestilens afflavit halitus, §. 7. *Prosecutio.*

tus, hinc eas nunquam vel certè admodum rarò & ægrè, pro pauperum miseriis sublevandis aperire videmini. Sępe sacras, & Ecclesiasticas manus hęc turpis lepra invasit, sub clericali veste quærit latibulum. De invidia nil dico, nil de comessandi, compotandiq; libidine, nihil de leonina furentium rabie: neq; enim apud illos ita tecta est, aut abscondita lepræ hujus abominanda deformitas, ut non in omnium ora atq; oculos propalam incurrat. Verbo malignus hic mundus est quoddam leprosorium.

§. 18. *Cur Christus D. leprosos miserit ad Sacerdotes.* Si qui exire velint, si occurrere Christo, si desiderent mundari, ii advertant, Christum Dominum in hodierno Evangelio non sine causa misisse hos decem leprosos ad sacerdotes, antequam illos emundaret. Causam ad literam jam ante insinuavi; erant excommunicati, & ad communitatem recipi non poterant, nisi prius Sacerdotes, illos à lepra mundatos judicassent. In mysterio verò, æterna Veritas docet, leprosos corde in novo testamento, in lege gratiæ, mundari quidem à lepra per merita Christi, in sanguine Agni immaculati, sed, qui leprosos non mundat, nisi per manus Sacerdotum si fieri possit, ut Sacerdoti per Confessionem se ostendat; in defectu Sacerdotis, mundatur anima leprosi per veram contritionem, & perfectum Dei amorem, quibus modo non inhæreo. Hoc adverto. Sicut leprosi in veteri lege ad communitatem sine judicio & testimonio Sacerdotis legitimi recipi non poterant; ita modo nullus peccator recipi potest ad consortium Justorum, vel Beatorum, ad gratiam vel cœlestem gloriam, nisi per absolutionem Sacramentalem à legitimo Sacerdote impertitam.

In quo alia ulterius observanda sunt. §. 9. *Differentia inter Sacerdotes N. & T. T.* 1. Magna differentia inter potestatem Sacerdotum V. & N. Testamenti. Illi, leprosos non mundabant vel sanabant, sed postquam à Deo, per miraculum, vel per naturalem medicinam mundati erant, eos mundos pronuntiabant. Et hoc quidem sine omni operatione, vel virtute sacerdotum evenire solebat. Sacerdotes autem N. Testamenti verè cooperantur ad emundationem animæ leprosæ, non quidem sua, sed à Christo D. concessa potestate. Ioan. 20. v. 23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, & hæc dixit Christus Dominus insufflando in eos, ut hac cæremonia ostenderet, se illis dare sui Spiritus, & vocis potestatem, ut sicut Christus dicendo ad leprosum, *Volo, mundare*: verè eum mundavit à lepra; ita legitimus Sacerdos dicens, *Absolvo te*, verè solveret à peccato. Hic fuit sensus & doctrina SS. Patrum. S. Chrysostom. l. 3. de Sacerd. *Corporis lepram non quidem purgare, sed purgatam probare, Iudaeorum Sacerdotibus licebat: at verò nostris Sacerdotibus, non corporis lepram, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* Ex hoc, quod certum est.

§. 10. *Ministri apud Acatholicos sunt similes Sacer-* Adverte 2. Sacerdotes vel ministros acatholicos, esse tantùm similes Sacerdotibus Iudaicis (si tamen sacerdotes appellari possunt, cum extra Romanam Ecclesiam nullum sit Sacerdotium) quia

dotibus Iudaicis. quia sicut hi lepram non curabant, sed curatam pronuntiabant; ita illi voce & scriptis profitentur, se non remittere tantùm remissionem, vel remissa pronuntiare. Quid? quod docent; peccata non verè remitti & tolli, sed tantùm tegit; etsi Christus ipse dicat, *quorum remiseritis peccata*, etsi S. Jo. Bap. dixerit Joan. 1. v. 29. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*; etsi David orarit; *lavabis me & super nive dealbabor*. Nos dicimus; sicut Christus in hod. Evangelio curavit lepram, tollendo, ut nec vestigium remanserit, neque enim tecta tantùm fuit, sed mundata, & planè sublata; ita quoque curatur lepra animæ, non tegitur, sed vi cœlestis medicinæ, sive sanguis Christi, planè mundatur, & tollitur.

§. 11. *Leprosi, mundati non tantum orarunt.* Advertite 3. Sicut satis non fuit ad mundationē lepræ, occurrere Christo, credere in Christum, implorare ejus opem, tam ferventi oratione, *Iesu præceptor miserere nostri, &c.* Sed præter hæc omnia necesse fuit, ut irrent, & ostenderēt se sacerdotibus: ita in lege gratiæ non satis est leprosum corde & anima, credere tantùm, & sperare in Christum orare tantùm &c. Sed requiritur, si vult mundari, ut accedat Sacerdotem, & non accedat solùm, verum etiam insuper se ostendat. Ex quo.

§. 12. *Sed debuerunt se ostendere Sacerdotibus.* Advertite. 4. Sicuti in V. T. non sufficiebat ut leprosus tantùm diceret, se leprosum, ut lepram tectam vestibus tantùm ostenderet, sed ipsas partes lepra infectas ostendere debuit; ut vel leprosus, vel à lepra liberatus pronunciaretur; Percurrite si libet Levitici c. 13. & 14. invenietis quid à leprosis factū voluerit Numen; nimirum ut Sacerdoti non corpus tantùm, sed præcipuè eàm corpori partem quæ lepra infecta esset, qualiscunq; demum esset, ostenderent. Et hoc quidem propterea, ut an à reliquorum societate sit separandus leprosus, nec ne, facilius posset judicare Sacerdos: Ita & in lege gratiæ fieri par est.

Quid hic fremitis hæretici? quid caninum invidiæ dentem admordetis? quid adversum exomologesin sacram, quæ ritu catholico fiet, si singula in specie graviora peccata enarrentur, frendetis? aperta est Scripturarum interpretatio, cui quotquot sunt, Sancti Patres, nobiscum constanter insistunt. En quam pulchras fidei nostræ maximas, & articulos, circa confessionem contra adversarios nostros clarissimè nobis proponat hodiernum Evangelium! §. 13. *Applicatio ad Confessionem in particulari.*

Sed & Catholici subinde in hoc hallucinantur. Sunt enim qui postquam inciderunt in peccata, illa Sacerdotibus ostendere verecundantur; interim se ipsos gemitibus, lacrymis, & orationibus fatigant, perinde ac si sine confessione, delicti veniam consequi possent. Sed littus arant. Manet, manebitq; inconcussum Salvatoris oraculum, *Ite, ostendite vos Sacerdoti* Tolle, quamdiu libuerit vocem, adde precibus preces, suspiriis suspiria, nisi divino morem gesseris præcepto, quo adire Christi Vicarium, eiq; animæ tuæ leprā detegere juberis; nulla te sanare poterunt desideria, nullæ preces in pristinum sanctitatis statum restituere. Vacare gemitibus; res equidem est laude digna; cœlum precibus fatigare, virtus est, &c. §. 14. *Nullum grave peccatum debet in illo abscondi.*

 Sed

tasse? ut loquuntur, re ipsâ tamen mansisse leprosos? Nugæ nugarum, & quid circa mundationem spiritualem animarum, ita nugamur?

§. 18. *Hic modus est Deo indignus.* Sic de justificatione sentire, quid est aliud, quam magni DEI, & Salvatoris nostri potentiam minuere, eiq; turpitudinem affingere? videte enim quàm fœda, & DEO indigna, hâc posita opinione cogitare necesse sit. Si enim in justificatione hominis, peccatorum sordes non verè tolluntur, sed tantùm teguntur, sive non imputantur, ergo DEI potentia major est circa corpora, quàm circa animas. Illa enim à morbis verè liberare potest; animas autem à peccatorum maculis mundare non potest. Atque ita Christus D. magis erit Salvator corporum, quàm animarum, quod utique blasphemum est.

§. 19. *Justificatio esset ludificatio.* Si in justificatione peccati macula, & turpitudo non verè tollitur, sed tantum per Justitiam Christi imputatam tegitur, ut non videatur; justificatio erit ludificatio, & deceptio. Peccator hac ratione justificatus erit quasi graculus Æsopicus, qui alienis plumis ornatus referebat pavonem, cygnum, aquilam cùm tamen sub alienis plumis fœdus delitesceret graculus. Peccator hac ratione justificatus erit quasi asinus Æsopicus, qui se induit exuviis leonis; atque ita apparebat esse leo, cum revera esset asinus. Homo superbus justificatus, nil erit nisi idæa quædam hypocrisis; foris nimirum apparens in veste humilitatis Christi, intus autem & in veritate portans fastum Luciferi. Homo gulæ serviens ac ventri, erit talis in justificatione, quales Christus describit Pharisæos Matth. 6. v. 5. exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes; imputativè talis erit sobrius & temperans propter imputatam sobrietatem Christi, sed revera erit gulosus.

§. 20. *Homo justificatus esset sepulchrum dealbatum.* Similiter mulier peccatrix justificata, quid aliud erit, quàm sepulchrum foris dealbatum, intus autem plenum omni spurcitie, & ossibus mortuorum, quales item Christus describit Scribas & Pharisæos, Matth. 23. v. 27. *Similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum.* Sic & vos à foris paretis quidem hominibus justi, intus autem estis pleni iniquitate. Verbo, Peccator justificatus non erit, nisi vivus quidam & perfectissimus Pharisæus, & justificatio non erit nisi quædam hypocritica hominis transfiguratio; quo modo Sanctus Paulus 2. Cor. 11. ipsum Diabolum & ejus Apostolos depingit; *Pseudoapostoli*, ait, *sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi, & non mirum; ipse etenim Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Auditores, hæc haud dubiè sunt absurdissima: sed tamen ex eo necessariò consequuntur, si dicatur; peccata in justificatione non verè tolli, sed tantùm tegi, per imputatam justitiam Christi, ut scilicet peccatoris anima maneat turpis, sicut fuit; sed tantùm turpitudo non appareat, quia est oppansum velum Justitiæ Christi, Et rogo vos, ut non miremini, si homines, qui sic de justificatione sentiunt, sint subdoli, aliter loquantur, &

aliter sentiant, amicos se ostendant, & oderint &c. nam talis est justificatio illorum; & talem agendi modum ipsa eorum justificatio eos docet. Quid miramur mundum plenum hypocrisi, & fallaciâ, si ita de justificatione sentiunt homines.

§. 21. *Cœlum foret sedes hypocritarum.*

Denique si peccati, & lepræ turpitudo in justificatione manet, & tegitur tantùm &c. quæso quid erit cœlum, & vita beatorum nisi quidam cœtus ejusmodi hypocritarum, qui foris apparent Sancti propter imputatam justitiam CHRISTI, intus autem pleni sunt immunditiâ? Erunt nimirum ibi canes & venefici, & impudici; sed tales non apparebunt, ipse DEUS suos quasi oculos decipiet ut ejusmodi filios, castos & sanctos putet. Erunt ibi porci volutati in volutabro luti: Sed tales non apparebunt; ipse DEus suos & aliorum oculos quasi fascinabit, ut tales putentur mundi, quasi Angeli: Certè hæc & similia longè absurdissima consequuntur ex illa opinione.

§. 22. *Peccatum est turpis macula, sed eluitur in justificatione.*

Non est quidem ulla turpitudo, aut fœditas in mundo quæ comparari possit cum turpitudine, & fœditate peccati &c. Sed tamen omnem illam CHRISTI gratia, & virtus, atque sanguis Salvatoris tollit ab anima, quàm verè tenebræ tolluntur à lumine Solis, quàm verè lepra ablata est ab hodiernis leprosis, hinc David fœdissimus peccator dicebat Psalm. 50. v. 9. *Lavabis me. & super nivem dealbabor*, hinc DEUS dixit per Isaiam cap. 1. v. 16. 18. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbantur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana munda erunt.* Hinc Zachar. cap. 13. v. 1. prædixit: *erit fons patens domus David in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Hinc ipse Christus de hac ipsa sua gratia, & virtute, Joannis 13. v. 10. *qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus: & vos mundi estis, sed non omnes.* & Sanctus Paulus postquam 2. Cor. 5. v. 18. dixisset, sibi & aliis Apostolis datum esse ministerium reconciliationis: cap. 7. v. 1. subjungit; *habentes ergo promissiones DEI, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus.*

§. 23. *Peccatum est catena, sed revera rumpitur.*


Peccata nostra sunt vincula plusquàm ferrea, & adamantina, quæ animas nostras gravissimè alligant. Sed tamen verè per gratiam, virtutem & Sanguinem CHRISTI dissolvuntur, quàm verè Apostoli solverunt fascias, & institas Lazari de sepulchro prodeuntis. Joannis 11. v. 44. quàm verè solverunt pullum & asinum Luc. 19. v. 35. quam verè solutæ sunt, & ceciderunt de manibus Petri catenæ in carcere Herodis. Actor. 12. v. 7. hinc David Psal. 117. v. 17. *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

§. 24. *Est debitum sed dimittitur.*

Peccata nostra sunt verissimum debitum, sed in justificatione revera à DEO dimittitur. Hinc ipse CHRISTUS in parabola ad illum decem mille talentorum debitorem servum, sed ingratum dixit, Matth. 18. v. 32. *Serve nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.* Et Mariæ Magdalenæ jacenti ad pedes ejus: *remittuntur tibi peccata*

peccata multa &c. Luc. 7. v. 47. (per similes metaphoras ex S. Scriptura late hic discursus deduci potest.)

Ite nunc, & Maximas has ex hodierno Evangelio, & vobis & vestris, bene inculcate. Sic fiet, ut à perniciosissimâ mentis leprâ, divinæ gratiæ subsidio liberi atque incolumes vitam & in hoc orbe & in altero beatissimæ patriæ gremio tranquillissimam degatis.



CONCIO XLIV.

DOMINICA XV. POST SS. TRINITATEM.

Nolite solliciti esse, scit Pater vester quia his omnibus indigetis.

Matth. 6. v. 31.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Fidamus Divinæ Providentiæ.

§. 1. *Non prohibetur à CHristo omnis sollicitudo: aliqua est laudabilis.*

§. 2. *Nimia reprehenditur.*

§. 3. *Abraham in corde suo efformavit imaginem D. Providentia.*

§. 4. *Alia de eodem ex Philone.*

§. 5. *Similia.*

§. 6. *Gentiles agnoverunt.*

§. 7. *Iterum de Abrahamo.*

§. 8. *Quid sit divina Providentia ex S. Thoma.*

§. 9. *Duo Emblemata.*

§. 10. *Apostrophe ad animam piam ut fidat Deo.*

§. 11. *Pracipuum objectum Divina Providentia est homo.*

§. 12. *Frequenter illam explicat Regius Psaltes.*

§. 13. *Simile.*

§. 14. *Errant qui recedunt ab hac fiducia.*

§. 15. *Quomodo circa Providentiam exercenda nobilissima virtutes Fides, Spes, Charitas.*

§. 16. *Simile.*

§. 17. *Imitemur vitulum marinum.*

§. 18. *Symbolum.*

§. 19. *Aliud.*

§. 20. *Applicatio.*

§. 21. *Digressio ad Sodales Agonia.*

§. 22. *Prosecutio.*

§. 23. *Prosecutio.*

§. 24. *Epilogus.*

Non

operis sui saluti provideat, curator, tutorque partium ejus etiam, quæ divinâ curâ digne sunt. Et l. de Abraham, ob ejus resignationem vocat illum, *Parvulum filiolum, quem pater sinu tolleret, brachiorum vinculis colligatum.* Hæc ego colligo ex hoc discursu Philonis.

§. 5. Similia. Si hæc rerum Universitas currus est; auriga est DEUS. De cujus potentissima bonitate, optimaq; potentia nefas est dubitare. *Si mundus hic navis est,* navis hujus gubernator est Deus; hoc nemo esse potest peritior, nemo felicior. *Si civitas est*; consul illius est Deus; quis eo unquam sapientior, quis ditior? *Si regnum*, Rex est & monarcha, quem nullæ deficiunt opes, nulla hostium lædit potentia. *Si exercitus*; supremus ipse ductor est, cujus in manu sunt omnia bella, bellorumque sortes & exitus. Contraho omnia in suavissimam voculam, *Si mundus hic domus est*; DEus est optimus Paterfamilias.

§. 6. Gentiles agnoverunt. Agnoverunt hoc ipsi gentiles, quos inter Lactantius l. 1. de instit. c. 1. *Nemo est*, inquit, *tam rudis, tam feris moribus, quin oculos suos in cœlum tollens, tametsi nesciat, cujus DEI numine regatur hoc omne, quod cernitur; non aliquam intelligat esse, ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione, &c. Providentiam.* Nos Christiani scimus esse DEUM nostrum, qui omnia regit, hic gubernator, hic auriga est. Pergit Lactantius. *Quis non sentiat hunc mundum tam mirabili ratione perfectum, aliqua providentia gubernari? quandoquidem nihil est, quod sine illo moderatore possit consistere. Sic domus ab habitatore deserta delabitur, navis sine gubernatore abit pessum, & corpus ab anima relictum defluit: nedum putemus, tantam illam molem aut destrui sine artifice, aut stare tam diu sine rectore potuisse.*

§. 7. Iterum de Abrahamo. Cùm hæc agnovit Abraham, adeo fidit Deo, adeo ejus providentiæ se commisit, ut paratus fuerit (dicam paucis multa & sublimia) filium suum unicum immolare Genes. 22. Profectò hoc si quod aliud excelsi animi, & quasi divinum facinus fuit admirandum. Ubi maxima poterat Abrahamum sollicitudo turbare, nihil hærens aut anxius, nihil metuens, aut sollicitus, Deo fretus progreditur. Quid? an non potuisset hæc illi obrepere cogitatio. Itane filium ego meum, & filium unicum, spem familiæ meæ, baculum senectutis, meum gaudium, cor meum, ah! Isaacum! gladio feriendum paterno, immolabo? & quis hoc sublato alium mihi natum substituet? an hæc sunt nuperis conformia promissis mandata? nunquid semini meo benedictionem, quæ cum numero stellarum cœli certare queat, pollicitus est DEus? quæ verò ista succiso hoc ultimo surculo speranda benedictio? Ita quidem cogitare potuisset, si Dei providentiam præ oculis animoq; non habuisset identidem Abrahamus. Nihil minus quàm vanæ ejusmodi sollicitæ curæ morari potuit generosum sanctissimi Patriarchæ propositum; Deo ille commisit omnia, in hujus se, filiumque quem habebat unicum, Providentiam jam pridem, multis aliis doctus experimentis, immerserat.

§. 8. Quid sit divina Providentia ex S. Thoma. *Providentia autem Dei*, inquit Angelicus Doctor l. 3. contra gentes cap. 90. *est actus, sive effectus divini amoris,* quo

quo suas creaturas in suo esse, quod illis dedit, vult conservare, & dirigere ad illum finem, ad quem ab ipso creata, & producta sunt. Ad providentiæ hujus perfectionem alia tria præcipua attributa, sive perfectiones divinæ concurrunt, Omnipotentia, & Sapientia, & Bonitas sive Liberalitas & Misericordia. Per omnipotentiam DEUS potest omnes creaturas in suo esse conservare, prout vult; per illam potest elargiri omnia, quæ ad conservationẽ, & directionem illam sunt necessaria: per Sapientiam novit illa omnia; per bonitatem, & liberalitatem vult illa subministrare.

§. 9. *Duo emblemata.* Ægyptii bino emblemate hæc declararunt. In uno pictum est aureum, & regium Sceptrum, in quo, loco gemmarum lucent lucidissimi oculi cùm hac inscriptione, *His prævide & provide.* In altero, ex centro exporrectæ dexteræ similiter radiat oculus, cum hoc lemmate, *Manus oculata.* Sceptrum, & manus sunt symbolum Regiæ majestatis, & potentiæ, qua Rex suis potest subditis opitulari. Oculi sunt symbolum scientiæ, per quam Regi necessitates subditorum debent innotescere. Expansio manus, Regiam ostendit liberalitatem, qua principes subditis redduntur amabiles. Talem manum in Deo agnovit Regius Psaltes Ps. 144. v. 16. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Liberalissima & munificentissima est DEI manus.* Psal. 117. v. 16. *Dextera DEI fecit virtutem.* Exod. 15. v. 2. *Dextera tua magnificata est.* Manus enim Domini est fortissima & omnipotens. Sed etiam est oculata, hos oculos in manibus sponsi advertit sponsa Cant. 5. v. 14. *Manus ejus aurea, tornatiles plena hyacinthis*, alia lectio habet. *Manus ejus sicut cauda pavonis*, ob pulcherrimos oculos, quibus est irradiata.

§. 10. *Apostrophe ad animam piam, ut fidat Deo.* O sponsæ Christi, O animæ piæ, ponite inutiles curas, abjicite sollicitudinem, anxias mentibus vestris cogitationes excludite. Nam si paupertas vos premit, manus ejus, sponsi nimirum vestri, aureæ sunt. Si terrorem incutit hostium potentia. Dextera illius magnificata est, dextera fortis, valida, omnipotens, si aliæ vos ærumnæ conficiunt, cernit ipse, dum manum vobis porrigit oculatam. Non tot vestræ sunt calamitates, quot illius in vos Amor oculos in dexterâ circumfert.

§. 11. *Præcipuũ objectum D. Providentiæ est homo.* Verùm licet Providentia Dei de omnibus creaturis sit sollicita, & provida, præcipuum tamẽ ejus objectum est homo, quem præcipuo quodam præ reliquis creaturis amore complectitur, quò major enim est amor, eò & maior est providentia. Ex quo illud ego conficio; à providentia DEI peculiariter, & mirabiliter deduci justos, regi, defendi. Agnovit hoc præ omnibus regius psaltes Ps. 144. v. 20. *Dominus custodit omnes diligentes se.* DEum diligite, Auditores, & nolite soliciti esse, quid comedatis &c. Dominus providebit, Psal. 32. v. 18. *Ecce oculi Domini super timentes se, & in eis qui sperant in misericordiâ ejus.* DEum timete, sperate, in misericordia ejus, & nolite esse solliciti; Dominus providebit, oculi Domini super vos vigilant. Ps. 33. v. 11. *Divites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.*

Domi-

Dominum & vos inquirite; & nihil vobis deerit S. Dorotheus: *Ubi providentia Dei est, ibi omne bonum est.* Ps. 85. v. 4. *Ad te clamavi tota die, quia tu Domine suavis ac mitis es, & copiosus in misericordia omnibus invocantibus te.* Hoc agite Aud. ad Deum clamate, invocate nomē sanctum ejus, & ne sitis solliciti, copiosus est in misericordia; ejus providentia mirabiliter vos deducet.

§. 12. *Frequenter illam explicat regius psaltes.* Et certè frequens est, in hac DEI providentia suavissimè explicanda Regius David, nam Psal. 22. sumpta metaphora ab ovicula & pastore, *Dominus*, inquit, *regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascua* v. 1. 2. 3. *ibi me collocavit. Super aquā refectionis educavit me, deduxit me super semitas justitiæ propter nomē suum: Nam & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es, & misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ, & ut inhabitem in domo Domini in longitudinē dierum.* Talis pastor fuit David cum pasceret oviculas suas. Talis pastor Deus est, talis nobis pastor est Christus Salvator; pastor providissimus. Itaq; Auditores quid cogitatis de cibo & potu? nunquid estis oviculæ? ne sitis solliciti, Deus vos pascet & citabit. Quid admodum anxii de necessario vestitu laboratis? pastor hic suis oviculis de lana providebit. Quid estis solliciti de viis, per quas ambulandum? estis oviculæ, ipse deducet, quid timetis lupos? estis oviculæ, pastor vos defendet; & tam diu donec ingrediamini domum Domini *in longitudinem dierum.*

§. 13. *Simile.* Alibi hoc simili Deus ipse suam providentiam declarat: Deuter. 1. v. 1. *In sollicitudine portavit te Dominus DEUS tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum.* Nullus scilicet infanti tutior quiescendi locus est, ac sinus suavissimæ Matris; si vel huic inhæreat, vel etiam à collo matris pendeat dulce pondus; nulla illi de cibis est sollicitudo, mater subministrabit. Non anxiè de potu laborat, habet in prōptu lacteos uberum fontes. Non diu multumve infantilibus indulget lachrymis; mœrorem abstergit materni vultus præsentia. Itaq; & vos Aud. ne nimiis posthac curis onerate; si quietem desideretis internam, estote quasi modo geniti infantes, lac concupiscite quod è fontibus divinæ providentiæ promanat; hæc vobis sit mater, hæc nutrix, quæ à clementiæ suæ sinu excludit neminem. Tentate obsecro, nec puerilis animi notam existimate, si ad hoc maternum gremium manibus pedibusq; contenditis, infantes eritis, sed Dei, non hominum; infantes, sed qui cœlum cum gigantibus expugnent.

§. 14. *Errant qui recedunt ab hac fiducia.* Sed O nos miselli! quàm enim sæpe ab hoc providentiæ sinu recedimus! quam sæpe amantissimam hanc matrem deserimus! revertamur ocyus, revertamur, sine hac dulcissima matre laborandum est fame; sine illius uberibus nulli fluunt consolationum fontes; sine illius sollicitudine nequicquam nostri ejulatus, nequicquam lachrymæ, nequicquam curæ, ac studia, denique nequicquam infantiles poterunt vagitus proficere.

§. 15. *Quomodo circa providētiam* Auream jam planè advertite doctrinam. 1. Circa hanc providentiam elicienda à nobis est vivacissima fides;

exercenda nobilissima Virtutes, fides, spes, Charitas.

des; nihil de hâc veritate debemus dubitare: quod Deus possit, sciat & velit nos conservare. 2. hanc fidem comitari debet firmissima spes, quâ Deo fidimus; 3. Patrem tam providum & sollicitum tanquam filii debemus amare. 4. Cum hac fide, spe & charitate, vos totos divinæ committite voluntati, & providentiæ, & vitam vivetis quietam, jucundam & felicissimam.

§.16. *Simile.* Contingit subinde ut licet de nocte terribilis ingruat tempestas, licet cœlum pluat, fulguret, fulminet, tamen aliqui suavissimè, atque adeo sine omni perturbatione somnum capiant quietissimum. Talis est vita illorum, qui divinæ providentiæ perfectè fidunt; licet ingruant adversitates nihilominus tam vivunt contenti, ut veluti suavissimè dormiant, & quiescant. De hoc somno sibi gratulatur David, Ps. 4. v. 9. *In pace in idipsum dormiam & requiescam* (scilicet inter Saulis persecutiones) *quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* De hoc somno gloriatur sponsa, Cant. 5. v. 2. *ego dormio & cor meum vigilat*, q. d. Non rarò deducit me in agros sponsus meus, ut in iisdem excolendis exercear; ferendum est diei pondus, & æstus: standum in meridie, laborandum fortiter: non tamen acerbam hanc duco vitam, non injucundos labores; quos inter quietem capio longè suavissimam, cum non nesciam quod cor meum, amor meus pro me agat vigilias. Est cùm ex agris me jubeat conscendere montem, montem myrrhæ, ut gustem fructus ejus, quos alii amaros conqueruntur; ego autem gratissimos experior, & quasi papavere fruitus essem, dum gusto, inclinor in somnum, tuta ab hostibus, nam Cor meum, Sponsus meus vigilat. Ita & nos animo simus comparati Auditores, si cor nostrum, JESUS, pro nobis vigilet (ut vigilat:) eja dormiamus in utramq; autē securi ac læti; nullæ somnum nostrū interrumpāt molestiæ, nullæ curæ ac sollicitudines, labores nulli, nulli inanes metus, nulli eventus, nulli hostes, nullæ tenebræ: Sponsꝰ pro nobis vigilat, huic curas, successus, fortunam comittamus universam. Talem somnū suo populo promisit Deus, Levit. 26. v. 3. *Si in præceptis meis ambulaveritis &c. Dabo pacē in finibus vestris, dormietis, & non erit qui perterreat.*

§.17. *Imitemur vitulum marinum.* Vitulus marinus cum advertit turbari mare, cum tempestatem præsagit, naturæ instinctu in aquis quærit scopulum, vel saxum, cujus concavitati se includit, ibiq; ridet fluctus, & procellas, ibi placidissimè dormit. Pingi jussit hunc piscem in suo symbolo Curtius Gonzaga, Marchio Castilionis, & has voculas adjecit, *sic quiesco.* Hoc faciunt qui divinæ providentiæ fidunt; cum sciant vitam hanc mortalem tempestuosum esse pelagus, petrā quærunt, quæ Christus est; in ejus cavernis, & maceriis in sinu divinæ providentiæ se abscondunt, & sic quiescunt. Auditores mei, ne sitis solliciti sicū pisce hoc petram quæritis; sed petram veram, solidam, vivam, fortē, & de qua præsciviestis, latus inquā Salvatoris, nullæ vos posthac perterrefacient procellæ.

§.18. *Symbolum.* Hieronymus Columna pro Symbolo elegit Sirenem inter atroces fluctus ludentē cytharâ, cum hoc titulo; *Contēnit tuta procellas*, tales sirenes sūt, qui Deo fidunt, licet fluctus insurgant, ludunt cytha-

cythara, orant, laudant Deum; & sic procellas contemnunt.

§. 19. *Aliud.* Levemus nunc oculos ex alto in altum, ex Oceano in aërem. Aviculam ibi videte, excavatæ in arboris foramine, vel sub implicitis inter se ramis ac foliis, imò spinis, nidum sibi construentem. Videte ut sollicitis vacat laboribus, ut necessariam nidulo suo supellectilem undiq; comportet, ut hinc straminis stipulas, hinc fœnũ, ac paleas suam in domum studiosè convehat, ut artifice natura suis omnia locis aptet, ut luto conjungat, ut spinis sepiat, ut in orbem disponat, denique ut in eo suaviter quiescat, cantillet, dormiat. Exurgit iterum ventorum rabies! quiescit avicula mea. Cœlum minatur tempestatem ac fulmina! nil movetur his minis mea avicula. Verberat aërem grando! non lædit securam in suo nidulo inquilinam. Densus imber cœlo profluens, ceu cataclysmus, pecudesq; hominesque, si quos ruri deprehendit, in fugam agit; at non meam aviculam, quæ, quo major terræ tempestas incumbit, eò vel quiescit suavius, vel lætius cantillat. O ter felix avicula! dic age, unde hic tibi rebus adeò turbidis animus? *Nidulum*, inquit, *habeo*. Cur, cum gemunt alii, in dulces cantus guttur solvis? *nidulum habeo.* Quid est, quod nihil de cibo sollicita vitam vivis tam jucundam ac hilarem? *Nidulum habeo*, in quo me pascit creator meus. Discite mortales, vel ab avicula discite collocare vos in nidulo divinæ providentiæ, in nidulo dulcissimi cordis Iesu, pastoris, Salvatoris vestri, in quo nunquam non hilares, securi curarumve immunes, conquiescatis.

§. 20. *Applicatio* Tales aviculæ sunt animæ piæ, quæ Deo fidunt; in arbore Sanctissimæ crucis, in vulneribus Salvatoris nidum ponunt & suavissimè cantillant. Sanctissima arbor crucis illis laurus est, cui fulmina nocere non possunt. unde Veneti, huic arbori depictæ inter arbores, & fulgura has voculas inscripserunt, *à fulmine tuta est.*

§. 21. *Digressio ad sodales Agoniæ.* Acus magnetica, qua nautæ in pelago cursum suum dirigunt, licet navis sursum atq; deorsum vertatur à fluctibus, illa tamen ad polum directa manet, in symbolis illius lemma est, *Immobilis ad immobile Numen*, Vel, *Inoccidua sequor.* Tales acus, vel magnetes sunt, qui Deo fidunt; *immobile numen.* Symbolum Regis Clodovæi hoc fuit brachium armati militis, indutum clypeo, in manu sub clypeo ramus Olivæ, cum inscriptione, *sub clypeo.* Voluit sapientissimus Rex ostendere, pacem per arma sub clypeo tutam conservari. Ego per ramum Olivæ intelligo pacem, & serenitatem conscientiæ, sive vitam quietam, & tranquillam: hæc ut tuta & secura perstet, etiam inter hostes, abscondi debet sub clypeo divinæ providentiæ. De quo cecinit Psaltes Ps 5. v. 13. *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti me. Dominus protector vitæ meæ.* In Hebraico, *scutum meum.* Sub hoc clypeo ne sitis solliciti.

§. 22. *Prosecutio.* Non desunt plura similia, & symbola in pulcherrima materia, sed finiam; & quia hodierna dies, est Dominica menstrua Congregationis Christi Domini in cruce Agonizantis, hactenus


dicta ejus sodalibus applicabo. Si quidquam est, quod nos sollicitos reddere possit, & debet, est hora mortis, est ultimus agon Ideo albo hujus sodalitatis nomina vestra voluistis inscribi, ideo sollicitudine non pigri, sed Spiritu ferventes, per ferventes quoq; preces ad Christum suspiratis crucifixum, ut is felicem vitę finem impertiatur. Sic pergite, Deum timete, Deum inquirite per vitam sanctam, instate, clamate, & de felici morte nequicquam dubitate. Christus crucifixus, vobis aderit.

§. 23. *Prosecutio* Terribilis est tempestas hora mortis! hanc quisquis cupit evadere, scopulum quęrat, & petram, petra est Iesus crucifixus, inter sanguineos fluctus patent cavernę, patent maceriæ, patent rosea vulnera. His vos insinuate, includite, immergite. Si in lectulo mortis suaviter quiescetis. Vos dormietis, cor vestrum, cor Iesu crucifixi pro vobis inter fluctus ultimæ agoniæ vigilabit. Estote sirenes, apprehendite cytharam, cythara est oratio fervens, & suavis pro felici morte; sonaț suavissimè in auribus Sponsi crucifixi. Cythara est rosarium quinq; SS. vulnerum Salvatoris; suaviter sonantes chordæ, sunt dulcia, simul ac tristia illa suspiria. *O bone Iesu, per tua vulnera, per tuam mortem, per dolores Matris tuæ, miserere nostri in hora mortis.* Has tangite chordas, hanc pulsate cytharam, & tuti videbitis procellas mortis.

Estote aviculæ, nidum ponite in palma, in arbore sanctissimæ crucis, in monte tutissimo, iterum in vulneribus Salvatoris, hic habitate, hic quiescite, hic cantillate. Hic nec mors, nec Satan, nec infernus vobis nocere poterunt O mi Iesu, avicula esse cupio, aperi mihi valvas pectoris, & cordis tui; ibi in pace in idipsum dormiam, & requiescam, quoniam singulariter, tanquam sodalem sanctissimæ hujus congregationis, in spe constituisti me. Per tuam mortem, per vulnera tua benedicta, spero felicem mortem. Sodales charissimi, estote similes acui magneticæ, in omnibus Jesum crucifixum, veluti polum, veluti centrum vestrum respicite; hic vobis sit in corde, in ore, in opere: hic sit vobis exemplar, & de Sancta morte, ne sitis solliciti. Denique scutum quoque tutissimum est Jesus crucifixus; Scutum roseum est pes dexter, scutum fortè pes sinister; scutum manus dextera, scutum manus sinistra, scutum benedictissimum ejus cor, hoc scuto Jesu crucifixi vos armate. Sub hoc scuto moriemini feliciter! O Jesu! O protector meus! O scutum meum! sub te vivere, sub te cupio mori! ut mortem felicem subsequatur felix æternitas, in qua, per quam, in æternum tibi sit laus, honor, & gloria. — §. 24. *Epilogus.*

AMEN.

CON-



CONCIO XLV.

DOMINICA XVI. POST SS. TRINITATEM.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris suæ.

Lucæ 7. vers. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit de vitæ humanæ brevitate.

§. 1. *Flosculus in flore caducus est symbolum brevitatis vitæ humanæ.*
§. 2. *Multi moriuntur in juventute.*
§. 3. *Prosecutio.*
§. 4. *Variis symbolis id ostenditur ex sacris litteris.*
§. 5. *Transeunt omnia.*
§. 6. *Alia symbola.*
§. 7. *Aliud.*
§. 8. *Pii, & impii fassi sunt brevitatem vitæ.*
§. 9. *Invectiva in luxum vestium.*
§. 10. *Vita vapor est.*
§. 11. *Nullus adolescens fidat ætati, vel tempori vel formæ.*
§. 12. *Etiam adolescentes oportet esse sollicitos, & bene vivere.*
§. 13. *Vita filii prodigi.*
§. 14. *Habet fratres, & imitatores.*
§. 15. *Quia vita brevis est nobile tempus bene debet impendi.*
§. 16. *In ictu oculi clauduntur omnia.*
§. 17. *Post mortem de homine in mundo remanet cadaver, ejus descriptio.*

§. 1. Flosculus in flore caducus est symbolũ brevitatis vitæ humanæ.

EVangelium ante octiduum oculis nostris florem exhibuit venustissimum, lilium scil. de quo ita Salvator: Considerate quomodo crescat, considerate quam sit pulcher hic flos, quomodo surgat in truncum, quomodo se dilatet in folia, quomodo aperiat florẽ, quomodo auream coronam, suum decus ostentet. O florem, dum surgit, tenerum! dum crescit, formosum! dum durat venustum! sed alium nostris oculis proponit flosculum Evangelium hod.; flosculum cadentem, flosculum in flore immiti mortis falce præcisum. *Ecce defunctus efferebatur.* Job c 14. v. 2. usus fuit hoc simili, *qui quasi flos egreditur, & conteritur*, placet mihi pictura mortis, veluti hortu-

hortulani in florido horto, cum hoc lemmate, *Nemini parcit*, expertus id est juvenis, unicus filius matris suæ in hodierno Evangelio; fuit flosculus, sed mors non pepercit, qui flos fuit, momento factus est cadaver, ideo effertur ad sepulchrum. Hunc ego cadentem flosculum dum in hodierno Evangelio considero, occurrit illud Apostoli 1. Cor.c.7.v.29. *Fratres, tempus breve est, reliquum est, ut qui emunt, sint tanquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi.* Monet nempe hoc loco Apostolus id, quod nos ante octiduum monuit veritas Evangelica, *Nolite esse solliciti*, de divitiis, de honoribus &c. causam dat Apostolus, quam insinuat Evangelium hodiernum, fortè brevi moriemur, vita nostra brevis est, vana est, inanis, modica, nulla, cujus speculum esse poterit defunctus adolescens, in hodierno Evangelio. Itaque altera hujus concionis parte de vitæ hujus brevitate, nonnihil, è re tamen vestra, ut spero, differam, tum ad quasdam practicas ex hoc discursu conclusiones, & veluti regulas descendam.

§. 2. *Multi moriuntur in juventute.*

Adolescentem in primo juventutis flore mortuum proponit nobis hodiernum Evangelium, ut hanc mortis circumstantiam bene perpendamus, vitam humanam esse brevissimam, mortem frequenter adesse citissime! sive, plurimos mori, etiam in juventute. Titulus Psalmi noni sic habet. *De florida ætate filii.* Symmachus verò & Theodoretus sic legunt, *de morte filii*: summa in his est concordia, q. d. eadem sæpe res est florida ætas, & mors. In florida ætate erat Abel, sed vocula hæc, *Abel*, in hebræo idem est, quod *luctus, vanitas, anhelitus.* Syriacè, *Vapor*; Ite cum vernanti juventutis vestræ flore Abeles; *Vapor est.* Gratulamini vobis de teneris vitæ annis ac vegetis, vita vestra *anhelitus est.* Fidite formosis membris, venusto vultui, capillis flaventibus, atque aureolis, eburneæ fronti, crystallinis oculis, genis rosarum purpura tinctis: *luctus est.* Recreet vos virium vigor juveniliũ, *Vanitas est.*

§ 3. *Prosecutio*

Hoc loquitur florentissimi quondam juvenis nomen minimè florens, ut vos ille tener annorum atque adolescentiæ vestræ flosculus, non tam in vana gaudia, vitamque ad omnem levitatem, projectam alliciat, quam vanitati ejus fragilitatisq; memoria, ad mortis memoriam amoremq; Dei perducat. Equidem fateor lubens, flos fuit Abel, sed & vanitas. Flores estis vos, sed & luctus, & vapor, & anhelitus. Flores estis, sed *non semper idem floribus est honos vernis*, vel Ethnico teste Horatio l. 2. Oda. 11. *Sedet in corde hujus floris voluptas, sed & vanitas.* Natat in foliis amor, sed & dolor. Ridet in ejus specie gratia, sed risus est, quem vicinus mox mœror animi, squallorque excipiat.

§. 4. *Variis symbolis id ostenditur ex sacris litteris.*

Verùm aliis adhuc non minus variis, pulchrisque loquendi modis hanc vitæ fugacitatem explicat sacra pagina Ps. 55. v. 9. *Deus vitam meam annuntiavi tibi.* in Hebræo. *Deus fugam meam annuntiavi tibi*, adeò nimirum brevis est vita, ut non tam sit vita, quam fuga ad sepulchrum. Isaias ait cap. 11. v. 1. egredie-

egredietur virga de radice Iesse, *& flos &c.* protinus additur; *& erit sepulchrum ejus gloriosum*, quid flori, cum sepulchro? cave juvenis, cave Virguncu'a, cave Domina, flores estis, cras forte videndi in sepulchro. Ps. 89. v. 5. ait David. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*, (licet sint quinquaginta, vel octoginta) Hebræi hunc versum sic legunt; *Velut aqua fluxus aut bulla erunt*. Felix, *Somnus erunt*. Sanctus Hieron. *Vt somnium erunt*.

§. 5. *Transeunt omnia.* Repetite nunc animis vestris, qui majores natu his estis, Auditores, repetite inquam memoriam annorum, quos elapsos numeratis. Deum immortalem! quam multa hoc temporum intervallo, vel à vobis, vel ab aliis facta præclare? quam multa item impiè, & sceleratè gesta! transierunt universa, pro nihilo habentur isti anni, facta esse non ignoratis, sed velut in somnio facta videntur. Abierunt tot dierum millia, tot annorum lustra. Nunquid somniasse vos tantum creditis? ita repentè, ita subitò transierunt universa, somniastis certè, non noctes solùm integras, sed & vitæ vestræ dies somniastis. O vita! O somnium! O vanitas! qui sapit, somniis non credit istis, sed ad veras beatasque vitæ immortalis vigilias, toto corde aspirat.

§. 6. *Alia symbola.* Psalmo 89. v. 9. ait Psaltes, *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*, sic explicat S. Hieron. *Consumpsimus annos nostros quasi sermonem loquentes*. Vel. *Consumpsimus annos nostros sicut cogitationem*. Vel. *anni nostri sicut loquela, vel meditatio transeunt*. Explicat se adhuc clariùs S. Hieron. *Quoniam transivimus citò, & volavimus*, idem ferè sensus est lectionis Chaldaicæ: *quoniam transeunt velociter dies nostri*, *& volant in pulverem*. Sunt quibus unicè cordi est semper volare in excelsis; semper ad ardua niti, semper sectari sublimia; sed O fallaces hominum curæ, volamus in altum quidem, sed relapsuri mox in pulverem. Est cui pennas, quibus se libret in aëra aptavit Minerva, studiorum parens: volat hic, sed ad pulverem. Volat alius mollibus instructus plumis, volat ad blanda, & frequentia castra Veneris; sed heu! nescit miser quod volet in pulverem. Alius ad principum evolat thronos, ad Regum solia, ad Cæsarum diademata, securitatem ibi nacturus ut sperat; sed & hic præcipitium, ex quo eum cœca mors minimè cogitantem, protrudit in pulverem.

Confirmat hæc Iobus cap. 9. v. 25. *Dies mei velociores fuerunt cursore*. Quę verba Sanctus Chrysost. sic legit, *fugerunt & non viderunt bonum*, pertransierunt quasi naves poma portantes, quæ ne corrumpantur, volant. Alii *transferunt, quasi naves piratarum*, quæ expeditissimæ sunt ut fugiant. Alii, *ut naves Ebel*, quod est nomen rapidissimi fluvii. Intelligite juvenes, intelligite senes, quam celeriter volent dies vestri: ut naves, ut fluvii, ut torrentes; & quorsum amabo? in vestram mortis charybdim, in tumulum. §. 7. *Aliud.*

Quod si sacram scripturam ulterius velimus inspicere, inveniemus multos, qui piè; plurimos, qui impiè vixerunt. Audiamus aliquos ex utrisque, cui demum confessi sunt brevita- §. 8. *Pii & impii fassi sunt brevitatem vitæ.*

vitatem vitæ humanæ. Sapientiæ 2.c.v. 8. filii hujus sæculi in ipsa vanitate, inter voluptates constituti illam comparant flori, ut supra insinuavi; sed vel maximè Rosæ, ob causam quam advertit Ausonius, cùm quæsivit; quam longa una dies quam longa rosarum ætas? *Una dies aperit, conficit una dies.* Ioannes Dux Cliviæ juvenis floridissimus pro symbolo florem elegit cum lemmate. *Hoc cras nihil.* Talis flos fuit Fabius Marius uno die factus Imperator, altero regnavit, tertio occisus est. Non de uno Fabio talia cogitate, sed memores estote verborum Ecclesiastici cap. 10. v. 11. *Omnis potentatus vita brevis. Transibit vita nostra, tanquam vestigium nubis*, addunt filii vanitatis cit. cap. 2. v. 8. Sap. in quibus verbis hoc latet simile. Non rarò inter se ventorum impulsibus agitatæ ita coeunt nubes, ut varias easque miras humano conspectui figuras, & quasi emblemata repræsentent. Iam congredientium inter sese militum aciem videre te putes, jam errantes in cœruleo prato oviculas, jam ardua montium culmina intercurrere, jam exurgere leonem rictu terribilem, jam aliam ex alia imagine enasci, subinde in aurum nubes converti, subinde in argentum, mox velut in tumentem Oceanum fluctusque diffundi, ut taceam sexcentas alias ejusmodi nubium metamorphoses, quæ sæpe non exiguam mihi curiosius spectanti recreationem attulere. Verùm quid his immoror? mera sunt hæc oculorum ludibria, subinde momento, vel tempore exiguo dissipantur à sole hæ nubes, & omnis illa figura, tam pulchra, tam grata evanescit ex oculis. Talem esse vitam humanam; præsertim in divitiis, & voluptatibus, ipsi impii fatentur, *Transit vita nostra, &c.*

§. 9. *Invectiva in luxum vestium.* Advertite adolescentes, advertite Virgines, vita vestra aurea est nubes. Hac septimana in nuptiis vanitas juventutis Spirensis in vestitu præcipuè. Aliquæ profectò visæ sunt ut nubes, ita aureæ, ita argenteæ, ita coloratæ, cavete, fortè post paucos dies, vel paucas horas, pestilens aspirabit ventus, forte insinuabit se calor quispiam febrilis in corpus in ornatum; & momento dissipabitur omnis hæc vanitas in cinerem, in putrida cadavera. Dicetur, Ecce hic adolescens defunctus effertur, hæc pulchra, hæc formosa, hæc speciosa, hæc Juno portatur ad sepulchrum. Ecce aliam induit formam hæc decora nubecula; paulò ante, colore nitebat, argenteo, jam luteo. Et ubi multicolor ille arcus? illa vestimentorum ornamenta? quæ iridem repræsentabant? ubi ille Narcissulus? *Ecce defunctus effertur filius unicus Matris suæ.* Ubi illa Helena? ecce dissipata est nubes, defuncta est puella, ludibrium fuit oculorum, transivit ut vestigium nubis.

§. 10. *Vita vapor est.* Ex piis in S. Scriptura, & in Novo Testamento in hac materia sic loquitur S. Jacobus in sua epistola cap. 4. v. 15. *Vita nostra vapor est, ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Jam tempus est, quo nebulæ nasci solent, primo mane aquæ, fluvii terræ paludosæ vaporem emittunt, & nebu-

nebulæ aſcendunt in aërem: cum primum verò Sol oritur, & radios ſuos in nubeculas ejaculatur, cadunt & quaſi momento evaneſcunt, ſubinde ad duas vel tres horas ſoli reſiſtunt, nec rarò eundem planè involvunt, imò ſi duob⁹ vel tribus diebus Sol campo ceſſiſſe videtur, tandem erumpit, & triumphat; nebulæ evaneſcunt. Idem planè eſt curſus vitæ noſtræ, adſcendimus ex aqua & terra veluti vapor; naſcimur de muliere. Aliqui vix egreſſi ex utero cadunt, & moriuntur. Alii ad florem adoleſcentiæ aſcendunt, tum cadunt & moriuntur. *Ecce defunctus efferebatur.* Alii in longum, & latum ſe extendunt, & uſque ad virilem ætatem aſcendunt, ſed accedente aliquo febrilis æſtus radio, vel alterius morbi iniquo ſidere concidunt. Quidam ad ſenium uſque aſcendunt; ſed fruſtra eſt, tandem vita cadere debet, ſicut nebula. Adam vixit 930. annis, Jared, parens Juſti Enoch vixit 962. annis. Mathuſalem 969. annis. Sed & hæ altiſſimæ nubes rurſum deſcendere debuerunt; hinc omnibus illa clauſula apponitur, *Et mortuus eſt.* Itaque veriſſimè dixerunt impii apud Sapientem cap. 5. verſ. 10. *Vita noſtra tranſibit ſicut veſtigium nubis, & tanquam nebula.* (ſecundum S. Jacobum cap. ſupra citato tanquam vapor) *quæ fugatur à radiis ſolis.*

§. 11. *Nullus adoleſcens fidat ætati, vel tempori, vel formæ*

Venio ad alteram partem Concionis. Chriſtus D. in hodierno Evangelio defunctum adoleſcentem nobis proponit, & maximè adoleſcentibus, ut in illius conſideratione cogitent, & ſe in adoleſcentia mori poſſe. Adeſte ad hoc feretrum adoleſcentes, & Virgines, contemplamini benè juvenem jacentem in tumba, ſed cogitate vobis contingere poſſe, quod huic adoleſcenti contigit. Nolite fidere teneræ ætati; eſtis roſę, inter quas, pulcherrimas libentius præſcindunt Parcæ, fabuloſæ Deæ, vitæ & mortis. Matth. 25 cap. v. 10. deſcribuntur decem virgines euntes ad nuptias, ſine dubio fuerint ornatæ ac comptæ: dum abeunt ut emant oleum, adeſt Sponſus, venit mors; nec virginibus pepercit.

§. 12. *Etiam adoleſcentes oportet eſſe ſollicitos & bene vivere.*

Verba illa ſeria Chriſti Domini Matth. 24. v. 44. Marci 13. v. 33. *Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus venturus eſt, eſtote parati, quia qua neſcitis hora filius hominis venturus eſt, videte, vigilate, orate, neſcitis enim quando Dominus Domus veniat, ſerò an media nocte, an galli cantu, an mane, ne cùm venerit repente, inveniat vos dormientes, quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.* Hæc inquam verba Chriſti D. & ſimilia omnibus dicta ſunt. O juvenes, vivitis veſtrum mane, ducitis tempus auroræ, nihilominus vigilate, quia neſcitis, quid ſerus veſper vehat, neſcitis an non hac hora ſit venturus ſponſus.

Ex qua infallibili veritate ſequitur, adoleſcentes etiam in adoleſcentia debere eſſe ſollicitos, ut ſi mori contingat, moriantur bene. Ut moriantur bene, debent bene vivere. Hæc eſt regula S. Auguſt. l. de diſcipl. Chriſtianorum c. 2. *Non poteſt malè mori, qui bene vixit.* Sive naufragium hauriat, ſive

ridetis, quid si improvisa vos fata abripiant hodie? quid fieret vobis? in puncto descendetis in tartara. Similem adolescentem describit Salomon Ecclesiast. 11. cap. v. 9. *Lætare juvenis in adolescentia tuâ, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum; & scito quod pro his omnibus, adducet te DEus in judicum.* O Salomon, quasi tuba exalta vocem tuam, ut te juventus Spirensis audiat, ut intelligat & sapiat. Talia defunctus adolescens, adolescentibus concionatur in hodierno Evangelio.

§. 15. *Quia vita brevis est, nobile tempus bene debet impendi.*

Corollarium omnibus commune hoc sit: quia vita nostra tam brevis est, quia moriemur, & certissimè! cur tam nobile tempus damus mundo, deliciis corporis, & non animæ, cur non Deo? quia fieri potest, ut hac hora mors non obruat, quomodo possibile est ut hæreamus in peccato mortali? qui fieri potest, ut hac hora placare conemur iratum judicem? cur ridemus? cur ludimus? cur nugamur? cur non vivimus sanctè, ut moriamur sanctè? quia omnia vana, atque caduca in hora mortis deserenda sunt, velimus nolimus, cur tam perditè illa deperimus? quia in morte omnia deserere debemus, velimus nolimus, cur ergò imaginamur, imò jactamus nos possidere hæc & illa, quæ momento perdere, & deserere debemus? si omnia mundi bona collegerimus, quid in hora mortis proderunt omnia? quid nobiscum auferimus ex illis omnibus? *nihil.* hoc dicetur: *Ecce defunctus effertur*, iste dives, iste epulo, iste superbus! Ædificant homines domos in terra, sed deserendas in morte, cur non domos in cœlo, quas inveniant post mortem? Colligunt homines thesauros in vita, sed deserendos in morte; cur non parant sibi thesauros in cœlo, quos inveniant post mortem? certè Christus passim seriò monet; facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Et quid aliud monet lectum Evangelium? *Ecce defunctus efferebatur*, tandem cedendum est vita, deserenda sunt omnia! quia in morte omnia nos deserunt: *Ecce defunctus efferebatur*! & quæ res suæ ei adhæserunt? nil nisi linteum, quo more Judaico, cadaver erat involutum! O fideles divitias! O stabilia bona!

§. 16. *In ictu oculi clauduntur omnia.*

Ecce defunctus efferebatur! quid illi mansit? ubi vox? ubi motus, ubi forma, ubi decor, ubi robur, ubi affabilitas? In ictu oculi clauduntur omnia. Ubi sodalium frequentia? ubi voluptatum illecebræ? ubi juvenilis vigor, virorque ætatis? defecerunt omnia, omnia transierunt! solum illi superest sepulchrum; & ah! utinam non lectus etiam ferreus, utinam non exacta coram supremo Judice reddenda ratio! utinam non infernales cruciatus, utinam non pix, & sulphur, & faces ardentes, & rotæ, & tormenta extrema!

§. 17. *Post mortem de homine in mundo remanet cadaver, ejus descriptio.*

Interrogabat Job. 14. v. 10. homo cum mortuus fuerit, & nudatus, atque consumptus, quæso ubi est? post duos aut tres menses inspice tumulum cadaveris sepulti; quid videbis? quid mansit in homine? aperi sepulchra Imperatorum, Regum & Reginarum, quid

quæso superest? ubi majestas, ubi pulchritudo. Inspice te jam, & omnia quæ in te amas, & magni facis? quid fiet his omnibus, cum anima excesserit è corpore? O quàm vani sumus homines, quia tam raro de morte cogitamus. Hæc omnia modò sæpius in animos inducite vestros, Adolescentes, hæc legite, perpendite, scribite, ponderate: Et cogitando mortem, felicem animæ vitam auspicabimini.



CONCIO XLVI.

DOMINICA XVII. POST SS. TRINITATEM.

Si licet Sabbatho curare.

Lucæ. 14. v. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Quid sit sanctificare Sabbathum.

§. 1. *Christus D. multos sanavit in Sabbatho.*
§. 2. *Ob quam causam.*
§. 3. *Modum sanctificandi Deus ipse præscribit.*
§. 4. *Sanctificatur præcipuè auditione missæ & communione.*
§. 5. *Nomina diei dominicæ in primitiva Ecclesia.*
§. 6. *Invectiva in violatores Festorum.*
§. 7. *Unus saltem dies in hebdomade offerendus est Deo.*
§. 8. *In quo sanctificatio illa consistat ex S. Chrysostomo.*
§. 9. *Ex S. Cyrillo.*
§. 10. *Præcipua occupatio die festo sit laudare Deum.*
§. 11. *Pulchra ratio sanctificandi Sabbathum ex Berchorio.*
§. 12. *De eadem sanctificatione.*
§. 13. *De eadem.*
§. 14. *Diebus festis oportet fugere peccatum, præsertim mortale.*
§. 15. *Conversio S. Huberti.*
§. 16. *Invectiva.*
§. 17. *Contra lusores, ac potatores.*
§. 18. *Querela Ezechielis.*
§. 19. *Jeremiæ.*
§. 20. *Terribilis historia contra violatores festorum.*

Sæpius

§. 1. *Christus D. multos sanavit in Sabbatho.*

SÆpius Salvator noster ægros curavit in Sabbatho. Joannis 5. v. 7. in die festo ascendit Jerosolymam; ad probaticam piscinam, quæ quinque habebat porticus, atque ibi offendit hominem triginta octo annos infirmum: ex quo benignissimus Filius Mariæ, & dulcis afflictorum consolator interrogat, num velit salvus fieri? cui respondit æger: *hominem non habeo*, quasi diceret, O Christe, quot annis sub hac porticu jaceo, plenus desideriis intrandi salutares has aquas, motas ab Angelo, sed cùm me movere non possim ut intrem, frustra expecto, ah! quoties, dum alios video sanari, propterea amarè fleo. *Hominem non habeo*, qui misericordiâ motus me salutares illas in aquas deportet. Piæ & justæ quærelæ pauca, sed suavia verba reposuit Christus D. *Surge, tolle grabatum tuum & ambula*. Et eodem momento æger ille factus est sanus, surrexit statim & ambulavit, addit sacer textus, *erat autem Sabbathum die illo*.

§. 2. *Ob quam causam.*

Ex hac circumstantia historiæ, nobilis hujus temporis Concionator pulchram advertit causam, ob quam cœlestis medicus diebus festis varios gravissimis conflictatos morbis infirmos sanarit, præcipuè ad probaticam piscinam. Ut nimirum sciamus Christum Dominum, postquam Sabbathum Judæorum mutatum est in Dominicas, aliosque dies festos peculiariter paratum, & promptum esse ad sanandum his diebus morbos spirituales animarum. Semper sed præcipuè diebus festis patet piscina, vel balneum sanctissimi Sacramenti pœnitentiæ, ut in illo animæ sanentur. Semper, sed præsertim his diebus patent quinque porticus sanctissimi templi, id est, quinque Vulnera Corporis Salvatoris. Semper, sed diebus festis maximè, salutaris est aqua, hujus piscinæ gratiarum, sive, pretiosus Sanguis Christi, ut animæ cœcæ, aridæ, paralyticæ, hydropicæ &c. in illo salutifero balneo, & cœlestibus thermis lotæ sanentur. Angeli nostri Custodes quotidie movent aquas gratiæ, quotidie suos clientes invitant ad fontes Sacramentorum, sed præcipuè diebus festis. Semper, quovis momento bonus JESUS est homo ille suavis, benignus, misericors, qui ægris manum porrigit, & sanitatem offert, præsertim vero dieb9 Dei virtuti, & devotioni ab Ecclesiâ peculiariter dicatis, & consecratis. Nostrum proinde est, ut illos, sicut decet colamus; Atq; hoc mihi animos hac eadem de re apud vos modò paulò prolixius, & ut spero etiam fructuosius verba faciendi, addidit. Quod fecero si vobis modum celebrandi piè festa tradiderim.

§. 3. *Modum sanctificandi Deus ipse præscribit.*

Præscribit illum Deus unico verbo, Exod. 20. v. 8. *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*. Deuteron. 5. v. 12. *Observa diem Sabbathi, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus*. In quo Sanctitas illa consistat, explicet inprimis ipsa scriptura Sacra, deinde Sancti Patres, Num. 28. v. 1. *Dixit Dominus ad Moysen: præcipe filiis Israël, & dices ad eos: Oblationem meã, & panes, & incensum odoris suavissimi offerte per tempora sua*. Orig. hom. 33. in Num. legit, *in dieb9 festis me[illegible]*. Dico itaq; Deus pro sanctificatione

Sabba-

Sabbathi hoc loco requirit oblationem panum, & suavissimum incensum. Apud Christianos ergo hodie diem festum sanctificant, qui Deo optimo maximo pro holocausto, pro sacrificio Eucharistico, & satisfactione, & propitiatorio, offerunt panem cœli & Angelorum, sive pretiosum Corpus & sanguinem JESU CHristi in sanctissimo Sacramento Eucharistiæ, & sacrificio missæ.

§ 4. *Sanctificatur præcipuè, auditione missæ, vel Communione.* Hujus rei, eo quo par est fructu, præstandæ, duplex est methodus, altera per devotam ejusdem sumptionem; altera per piam, & sanctam auditionem missæ, in qua incruento modo Deo eadem offertur victima, idem sacrificium, idem Agnus immaculatus, qui cruento modo semel in ara Crucis, in monte Calvariæ oblatus fuit in odorem Suavitatis. Et hoc ultimum Ecclesia ab omnibus exigit sub præcepto, quod graviter obligat, & sub peccato mortali. Deinde sanctificant diem festum, qui in illo Deo offerunt suavissimum thymiama, vel incensum, nimirum, puras, devotas & ferventes orationes, quæ in conspéctu Domini, coram throno D. Majestatis sunt odor suavissimus.

§ 5. *Nomina diei Dominicæ in primitiva Ecclesia.* Hinc in primitiva Ecclesia à piis Christianis diei Dominicæ imposita fuerunt hæc nomina, *Dies panis*, quod illo vescerentur pane Angelico. *Dies lucis*, quod illa die clarius divina agnoscerent beneficia, & cum gratiarum actione peculiari recolerent. *Dies orationum*, quod illa die in templis, Ecclesiis, Sacellis; cryptis Martyrum, totos se darent orationibus, & sanctis exercitiis pietatis. *Dies misericordiæ*, quia tali die erant liberaliores in distribuendis eleemosynis. *Dies Verbi divini*, ob ejusdem prædicationem, cui primi ferventes Christiani interesse solebant.

§ 6. *Invectiva in violatores festorum.* Ejusmodi illi, sive majores nostri celebrarunt dies festos, hodie, plurimis in locis, pudet referre, dies festi, non dies lucis sunt, sed noctis & caliginis, dies in quibus patrantur opera tenebrarum; dies, in quibus impura tenebrionum observantur conventicula; non dies orationum, sed commessationum, compotationumque, dies luxus & conviviorum, proinde ac si Baccho sacra essent Christianorum festa, aut Veneri, non CHristo aut Virgini ejus Matri. Enimverò non tolerandus hic est plurimorum abusus; transiguntur dies festi in epulis & conviviis, de Deo interim vix, ac ne vix quidem aliquid cogitatur. Hinc ille divinorum neglectus, hinc servorum ancillarumq; impedimenta, quò minus vel sacrum missæ officium audiant, vel Concioni sacræ intersint. Profectò dies tenebrarum hi sunt: imò verò qui sic dies peragunt festos, tenebris digni sunt sempiternis. De aliis verò quid dicam, qui sacros hos dies fabulis terunt, lusibus & obambulationibus? nec sane paucos hujus farinæ homines est reperire; juniones præsertim atque opifices, dignos acri reprehensione, quod suis DEum honoribus, atque animam solatiis tam vili recreatione audeant defraudare. Luditis vos tempore Concionis, luditis quando esset orationi vacandum; luditis cùm lachrymis essent

essent deploranda scelera, luditis cum negotium urget omnium gravissimum, cùm vocat DEus, cum ad vesperas eundum, vel ad concionem sacram; luditis inquam, at mihi credite Superis nequaquam illudetis; DEus quippe non irridetur. Erit tempus quo vestri vos lusus malè pœnitebit: nimirum cùm sentietis quantum cordibus vestris onus tremendi judicii incumbat, ob non sanctificatum Sabbathum.

§. 7. *Unus saltem dies in hebdomade offerendus est Deo.* Venio ad SS. Patres. S. Chrysost. hom. 10. in Gen. ait: *Jam hinc ab initio docet nos DEus in circulo hebdomade unum diem integrum segregandum, & reponendū in spiritualem operationem.* Prima omnium hebdomas fuit pulcherrimus talis circulus, prima die creavit DEus cœlum, terram, lucem, 2. firmamentum, 3. maria, gramina &c. 4. luminaria cœli, 5. bestias cœli, terræ & aquæ. 6. hominem; & requievit die septimo. En sex dies hebdomadæ & nobis sunt veluti circulus, catena, & conglobata series laborū, tàm domi, quàm foris, proponite vobis omnes opifices, vinitores, agricolas, mercatores, servos, famulas, vel Consiliarios, judices, professores, servos, ancillas, omnium statuum personas: an non omnes si officio suo funguntur, & otiosi non sunt, trahūt indies catenam quandam laborum? qui si fiant ab homine in gratia, ad Dei gloriam omnes sunt semina menti, & æternæ gloriæ. Sed ex hebdomade, una ad minimùm dies integra Deo debetur. Quid enim obsecro minus rerum omniū creatori Deo offerre possumus? ideo necesse est, ut illa dies sit sancta, & sancta quidem erit, si spiritualibus impendatur exercitiis; spiritualia autem exercitia sunt, audire missam, interesse Concioni, vacare precibus, operam dare lectioni Psalmorum, librorumq; sacrorū, invisere Congregationes, vel pias supplicationes, si quæ sunt, ritu Christiano comitari. Quisquis ex his sacris negotiis veluti vinculum, vel catenam concinnat & componit, diem Sabbathi sanctificat.

§. 8. *In quo sanctificatio illa cōsistat ex S. Chrysost.* Pergit cit. S. Chrysost. *Nonnulli ex fratrum meorum numero, dilectissimi, festivos se esse dubitant, nisi gula, nisi ventri &c. satisfecerint: sed errant: vultis scire quid sit hominem festivum esse?* (sive diem Sabbathi sanctificare) *imitamini illos, qui primi hac festivitate usi sunt, dico Sanctos Dei, quorum semper fuerunt, ut legimus, dies sobrii, noctes pudica, sancta vigiliæ, sopor castus, actus probi* (in circulum vel catenam conglomerati) *conversatio honesta.* Considerate quæso Audit. an hic Moguntiæ dies festi tali modo sanctificentur; an non potius violentur fabulis, otio, comessationibus &c. & sæpe aliis, quas hic pro cathedra referre, pudor est, levitatibus.

§. 9. *Ex S. Cyril.* Explicatio S Cyrill. l. 4. in Joan. est pulchra, supponit voculam Sabbathum in Hebræo significare requiem, & quidem æternam, unde dies Sabbathi est, velut repræsentatio, & prægustus æternæ felicitatis. Itaque horum verborum, *sanctificate Sabbathum,* hic erit sensus; in Sabbatho vel diebus festis facite, quod faciunt Beati in cœlis. Hi ab omni cessant labore, jugiter aspiciunt DEUM, illum adorant, illum laudant, illum amant, illi agunt gratias, illi dies noctesque (si tamen nox in cœlo nominari potest) acclamant,

mant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, hinc ingens, quies; hinc gaudium, hinc æterna felicitas. Has diebus festis nostras esse oportet spirituales operationes, & inprimis quidem cum Sanctis cessandum est ab omni labore servili, deinde laudandus DEUS, amandus, diligendus, fundendæ preces, canendi Psalmi, DEI laudes, acsi essemus in cœlo, persolvendæ. De S. Maria Magdalena ait Paraphrastes; quotidie sed præcipuè diebus festis ex antro suo ab Angelis tollebatur in Cœlum ad cœlestis felicitatis suavitatem percipiendam, ad audiendam musicam cœli; unde fiebat ut terra ei desiperet, ut se totam daret orationi, & contemplationi: hinc ille jubilus in corde Magdalenæ.

§. 10. *Præcipua occupatio die festo sit laudare Deum.* Si hujus & Beatorum exemplo dies festos sanctificare volumus, Auditores, elevemus corda sursum, neque agamus aliud, quàm quod ad DEI laudes, atque ad divinum spectare officium quoquo modo potest. Par est ut ad DEI gloriam ex septem diebus hebdomadæ unum integrum pro his exercitiis seponamus. Quies animi & solatia de cœlo non deerunt. Promisit illa DEUS per Isaiam cap. 58. v. 14. *Si vocaveris Sabbathum delicatum* (id est, si sanctificaveris) *tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob Patris tui.*

§. 11. *Ratio sanctificandi Sabbathum ex Berchorio.* Berchorius voculam, *sanctifices*, explicat hoc modo. Divites diebus festis plerumque solēt, 1. lautius comedere. Job. 2. v. 4. *cum esset dies festus Domini, factum est prandium bonum in domo Tobiæ*, idem fit hodie. 2. elegantius se vestire: patet experientia. 3. amici se mutuo invisunt, & mutuis sese recreant colloquiis. 4. plerumque diebus festis plus animo genioq; indulgemus quàm profanis. Hæc omnia concernunt corpus; quin & simile quidpiam in animæ gratiam præstamus? certè convenit his diebus illam lautius cibare, pane scilicet cœlesti, de quo ita monemur Deuteronomii, 16. v. 14. *Epulaberis in festivitate tua*, est v. g. festivitas aliqua Salvatoris, vel B. V. epulare, institue pro anima tua prandium bonum, ciba illam corpore, & sanguine Christi. Deinde anima nostræ his diebus ornandæ sunt veste nuptiali gratiæ & amoris Dei. Age, quid hac super re sentiat Oratorum Christianæ Reip. ferè princeps Chrysostomus, audiamus. *An non absurdum*, ait, *tantam habere curā temporalium, ut appetente festo, multis ante diebus vestem è scriniis depromptam diligenter appares, emas calceamenta &c. omnibusq; modis temetipsum ornes, nitidumq; reddas; anima verò neglecta, squalida nullum habere respectum; cum sola maneat impura.*

Juvat rem clariùs in exemplo proponere. Accedit virgo aliqua templum; bene contemplare, vultum considera, observa vestes, examina capitis ornamenta, ut nitet argento; ut seu adulterinis, seu veris superbit unionibus! ut crinibus turget artificiosè compositis! ut oculis micat, ut fulget torquibus, ut holoserica gloriatur in togula, ut tota incedit compta, crispata, elegās! sed heus bone vir! animam hujus inspice puellæ. O si posses! enimverò videres contraria omnia, aspice- §. 12. *De eadem sanctificatione.*

res

res turpitudinum epitomen, atque omnis compendium fœditatis. Mirareris squallidam, pallidam, sordidam, deformem, miserabilem! O virgines, O puellæ, sanctificate Sabbathum, conferte suum DEO honorem; habete majorem animæ curam, quàm corporis; huic ornando ante speculum inter manus ancillarum, famulorum, sartorum, tres, quatuorvè horas impenditis; curæ animæ vix dimidiam.

§. 13. *De eadē.* 3. Amicum nostrum optimum Christum D. diebus festis debemus visitare in templis, eique per orationem suaviter colloqui. 4. decet servire Deo in gaudio cordis. 3. Reg. 8. v. 65. *Fecit Rex Salomon festivitatem magnam, & omnis Israel cum eo lætantes & alacri corde*, hæc juxta mentem Berchorii.

§. 14. *Diebus festis oportet fugere peccatum, præsertim mortale.* Denique vocula *sanctifices* exigit cor purum, ne diebus festis DEUM lethali aliquo crimine offendamus. Exodi 31. v. 14. *Videte ut Sabbathum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos, ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos, qui polluerit illud, morte moriatur*, polluitur autem, si DEUS gravi scelere offendatur, ut fit ab illis, qui sine causa negligunt sacrum, ad quod vi præcepti Ecclesiæ tenentur sub peccato mortali. Hos merito alloquor, verbis S. Chrysost. ser. 3. de Euch. *Centum & sexaginta octo horas habenti in hebdomadâ, unam & solam, horam* (imò mediam sub peccato mortali) *sibi segregavit DEUS, ad tam nobiles fines, ut tremendo missæ sacrificio testemur nos esse creaturas, ipsum verò ut DEUM nostrum adoremus, ut ejusdem missæ oblatione agamus gratias pro tot eximiis beneficiis, ut recolamus memoriam vitæ, & Passionis Christi, ut satisfaciamus pro nostris & aliorum peccatis, ut novas gratias impetremus; & hanc in opera secularia* (addam ego in somnum, in fabulas, nugas, obscœnos oculorum intutus, in verba Venerem redolentia) *& ridicula, & conventicula insumis.* Vellem tales subinde meminisse illius nobilis, qui cum plerumque tempore missæ equitaret foras, obvium habuit dæmonem, qui dixit; *quia missam audire non vis in templo, cum damnatis lamētationes audies in inferno*, quod dicens miserandum hominem ex equo dejecit, atq; unà cervicem confregit.

Sed nimis est illud terribile, felicior certè fuit S. Hubertus, qui antequam converteretur, dies festos totos impendit venationi. Cùm verò aliquando cervum insequeretur, evenit, ut hic cursum sistens, se verteret; & ecce! mirabile dictu! hærentem in ejus cornibus Crucifixum non sine stupore mentis conspicatur Hubertus, subinde allapsæ ad aures ejus hæ voces: *Nisi convertaris ad Dominum DEUM tuum, descendens velocius ad infernum.* Huberte, quam diu ignorabis te ideo conditum esse, ut DEUM laudes, & illo potiaris? Ecquid ergo saluti tuæ concessum tempus ita sine commodo profundis? iisdem planè verbis compello violatores festorum. Quamdiu nescitis miseri institutos esse ab Ecclesia hos dies, pro cultu atque obsequio divino, quamdiu ignorabitis, hoc esse divini Numinis placādi tempus maximè opportunum? §. 15. *Conversio S. Huberti.*

Et vos DEum non placatis, sed magis magisq; irritatis; non exoratis veniam, sed armatis in vindictam, non ad clementiam trahitis, sed ad severitatem ad pœnas compellitis. Nisi conversi fueritis gladium suum vibravit & paravit arcum, sternet vos in furore suo, & descendetis velocius in infernum.

§. 16. *Invectiva.* Et quid hoc est aliud obsecro, quàm uno pede, frequenter totam domum atque familiam in inferni barathrum conjicere? nimirum non sufficit damnatis ejusmodi patribus matribusque familiâs, ut soli ipsi divino cultui se opponant, etiam alios in suas pertrahere partes allaborant, ut & pluribus, & majoribus afficiatur injuriis ille ter Optimus ter Maximus DEUS: cujus sanctissimum nomen iis potissimū diebus sanctificare eos oporteret. Gravis profectò illis olim est reddenda ratio; proinde etiam atq; etiam videant, quibus se laqueis æternæ damnationis involvant.

§. 17. *Contra lusores, potatores.* Polluitur etiam Sabbathum à lusoribus, blasphemis &c. polluitur ab opificibus, qui laborant: polluitur à mercatoribus, pejoribus Judæis, qui emendo, vendendo, discurrendo, exigendo debita, solvendo operarios, dies Deo sacros profanant (*accommodanda est invectiva urbi, in quâ dicis*) unde fit, ut Deus in illis, magis est majoribus sceleribus offendatur, quàm in aliis.

§. 18. *Querela Ezechielis.* De his omnibus conqueritur Deus per Ezech. c. 20. v. 13. *Sabbatha mea violaverunt*, per Isaiam c. 1. v. 14. *Solennitates vestras odivit anima mea*, per Malach. cap. 2. v. 3. *Dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum.* per Sanctum Chrysostomum, *dicendum nobis cum libertate est; non est hoc fratres, festivitatem DEI colere, sed coinquinare, horum lætitia non est placans Dominum, sed exacerbans.*


Per Jeremiam c. 17. v. 21. dicit Dominus. *Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die Sabbathi.* Alibi insinuat de quibus ponderibus loquatur. Isai. 13. v. 19. fit mentio Oneris Babylonici, id est, confusionis, turbatæ conscientiæ. Hoc onus diebus festis per pœnitentiam est excutiendum. cap. 17. v. 1. Oneris Damasci sive sanguinis, vel luxuriæ, vel oppressionis pauperum. cap. 15. v. 1. Oneris Moab & Tyri, id est, mercatorum, usuræ, fraudum, deceptionum, denique cap. 16. v. 4. Oneris Ægypti, sive tenebrarum, per quas quodcunque vitium intelligitur, hæc onera deponenda sunt festis diebus, vel certè non miremur DEUM justissima inflammatum ira in nos animadvertere. §. 19. *Ieremias.*

§. 20. *Terribilis historia contra violatores festorum.* Juvat ad calcem dictionis clarius idipsum exprimere, ut quantópere Deo displiceat, atque illi quasi fulmina subministret festorum dierū violatio, colligatis. Circa annum D. 1021. contigit in monte Calvariæ, ut supra aram S. Simeonis in aëre per tres dies continuos charta quædam vel literæ prodigiosè penderent. Post ferventes populi preces Malachias Patriarcha literas aperuit, prælegitque hoc tenore: *pluet DEUS ferventi aqua, & saxis de cœlo, immittet terribiles bestias, puniet igne Sodomitico.* Ob quam causam cogitatis Auditores? forte

populi superbiā? &c. hęc fuit literarum clausula: si pergerent ita impiè diem Dominicum contaminare. Fundamentum est in Script. Ezech. 20. v. 13. *Sabbatha mea violaverunt vehementer, dixi ergo, ut effunderem furorem meum, & consumerem eos.*

Quare agedum Auditores ne similis nos pœna maneat, sanctificemus Sabbathum Domini, ne violemus festos Christi Sanctorumque dies; ne nos delectet ludorum jucunditas, ut societatem negligamus Angelorum: ne ita nos mensarum trahant illecebrę, ut nos cœlestis convivii atq; Angelici panis dulcedo prætereat, ne ita temporale nos abstrahat lucrum ut jacturam faciamus æterni, ne ita mundo placere studeamus vel carni, ut displiceamus Deo; sed potius ita hic festos dies agamus, ut perennes aliquando obire possimus solennitates in cœlis.

Amen.



CONCIO XLVII.

DOMINICA XVIII. POST SS. TRINITATEM.

Quid vobis videtur de Christo?

Matth. 22. vers. 42.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHristus Dominus est speciosus forma præ filiis hominum; fons gratiæ, & omnis boni: fons lætitiæ, refugium, & solatium peccatorum.

§. 1. *Quis fuerit filius hominis.*
§. 2. *Pius affectus ad Iesum.*
§. 3. *Amans de re amata libenter loquitur.*
§. 4. *Quæstioni*, quid videtur de Christo? *respondet David; esse speciosum præ filiis hominum.*
§. 5. *Pulchritudo creaturarum habet suas imperfectiones: Christus Dominus totus est pulcher.*
§. 6. *Differentia inter pulchritudinem Christi, & creaturarum.*
§. 7. *Pulcher locus de Transfiguratione.*
§. 8. *Item ex c. 23. Ezechielis & cap. 5. Canticorum.*

§. 1. *Quis fuerit Filius hominis.*

HAnc eandem quæstionem aliis verbis Salvator noster proposuit Matth. 16. v. 13. *quem dicunt esse filium hominis*, cum aliis dicerent, Joannem Baptistam; alii Eliam, alii unum ex Prophetis: & Christus D. instaret; quem vos me esse dicitis; S. Petrus audacter respondit, v. 17. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Eadem responsio convenit quæstioni propositæ in hodierno Evangelio; nam continet in se omnes perfectiones Christi, & laudes, titulosque ei debitos. Si enim est filius Dei, est omnipotens, est omniscius, est misericors. Si est filius Dei, est justus, bonus, amabilis, pulcher, suavis, liberalis. Si est filius Dei, est admirabilis, incomprehensibilis, sanctus &c. His responsis, & elogiis hac Concione addam tria alia: sive, quæstioni, quid mihi videatur de Christo, respondebo 1. Est totus pulcer & amabilis. Respondebo 2. Est fons gratiæ, & omnis boni. Respondebo. 3. Est solatium & refugium peccatorum.

§. 2. *Pius affectus ad Iesum.*

Salve JESU pulcherrime & totus amabilis. Salve mea spes, salve salus peccatorum. O quam mihi bene est, quam exultat cor meum! quam gaudeo! quod Christus Dominus meus Salvator sit ille pulcher, ille amabilis, ille formosus, ille dilectus meus, ille fons, ille amator peccatorum, quali jubilo pronuntio, Jesus est pulcherrimus, & amabilis, & fons omnium gratiarum. Si modo sol essem, & radii mei linguæ, oraque centum in meo circulo vel circuitu, nihil aliud mundo & mortalibus vellem inclamare; quam amate, laudate, diligite vestrum Salvatorem, qui totus est pulcher, totus amabilis, fons & origo omnis felicitatis.

§. 3. *Amans de re amata libenter loquitur.*

Nemo miretur, me in uno exordio toties illa dulcissima elogia Salvatoris repetere, nam quod cor amat, os loquitur, non tantum cor, sed lingua quoque est thronus, in quo residet dilectus. Exemplo mihi præit sponsus Cant. 4. vers 7. 10. qui non semel, sed bis, ter, iterumque repetit; *quam pulchra es amica mea, quam pulchra, tota pulchra es*, causam advertit Philippus Abbas l. 2. in Cant. *Habet*, inquit, *quippe sibi hoc familiare vis amoris, ut amantem excitet, ut de eo, quem diligit, loquatur gratiosa, & nisi repe-*

repetantur, *non sibi videantur satis eadem fructuosa*, & rursum: *Videtis, quia loqui semel quod placet amanti, sufficiens non putatur*, *sed affectus tenerior*, *iterare quod dixerat, gratulatur.* Itaque cum ego Jesum meum amem, volupe est iterare millies, mi pulcher Jesu, mi suavis, dulcis, mi bone Jesu! quia eundem amatis & vos, eadem sine dubio libenter audietis, nam & in auribus amor sedem habet. Amori itaque meo laxabo tantisper frœna: vos interim & vestro in sponsum amori, dum me de eo dicentem auditis, liberalius aliquid indulgete.

§. 4. *Quaestioni, Quid videtur de Christo? respondet David, esse speciosum præ filiis hominum.*

Merito hæc quæstio ex hodierno Evangelio frequenter tractatur; clara enim sunt verba æternæ Veritatis Ioannis 17. vers. 3. *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum.* Hanc cognitionem in intellectu vestro, hac concione libenter illustrarem, & perficerem. Attendite. Si cœlo, si terrarum orbi, si in cœlo omnibus Angelis & Beatis, si in terra hominibus & creaturis, quæstionem hanc proponam, *quid videatur de Christo?* omnium nomine respondebit Regius Psaltes ex Ps. 44. v. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum.* Ubique, in cœlis, in terris, in aquis, in aëre, in montibus, in vallibus, in silvis, suavis respondebit echo, *speciosus forma præ filiis hominum.* Respondebit sponsa, quod olim in Cant. c. 5. v. 9. respondit huic quæstioni, *Qualis est dilectus tuus? dilectus meus totus est desiderabilis, pulcher, electus ex millibus*, & totus pulcher; non sine emphasi atque mysterio.

§. 5. *Pulchritudo creaturarum habet suas imperfectiones. Christus D totus est pulcher*

Speciosæ & venustæ sunt aliæ quoque creaturæ, sed non totæ, omnis pulchritudo creaturarum suam habet imperfectionem, sol suas maculas, luna suas umbras, stellæ eclipses, gemmæ suos nævos, aurum impuritatem, metalla suas feces, rosa florum pulcherrimus flos, suas spinas. Inter homines, alius lucidos & gratiosos habet oculos, sed simũ nasum: alius ad eboris invidiam candentes dentes, sed crassa curvave labia. Christus Dei & Mariæ filius totus est pulcher. Est sol, sine macula, luna sine umbra, stella sine eclipsi, gemma sine nævo, aurum sine impuritate, rosa sine spina, homo pulcherrimus sine omni imperfectione.

§. 6. *Differentia inter pulchritudinem Christi & creaturarum.*

Differentiam hanc inter pulchritudinem Christi & aliarum creaturarum, nobilis scripturæ interpres advertit in c. 34. v. 25. Exodi, & c. 17. S. Matthæi; capite citato Exodi dicitur de Moyse cùm rediret ex monte, in quo multis diebus & noctibus hæserat in oratione & conversatione cum Deo, vidit populus quod cornuta esset facies ex consortio sermonis Dei; 70. *gloriosus esset effectus aspectus coloris faciei suæ*; Chaldæus: *Multus esset splendor gloriæ vultus ejus*, hoc loco, sola facies Moysis dicitur fuisse pulchra & splendida, de pectore, de corpore, altum silentium; & cur non manus, pedes, brachia, vestis, cur non totum corpus dicitur fuisse gloriosum, & splendidum.

Antequam respondeam meminisse debetis citati cap. 17. v. 2. S. Matthæi; ibi de Christo Domino pleno gloria & majestate in monte Thabor dicitur; *resplen-*

§.7. Locus de transfiguratione. *resplenduit facies ejus ut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* D. Ephrem hom. de transfig. Iesus totus suo corpore, tanquam sol suis radiis resplenduit, jam differentiam inter pulchritudinem creaturarum, & filii Dei potestis intelligere: Moyses repræsentat venustatem creaturarum, ideo pars tantum, sola facies est pulchra; Christus Dominus est imago pulchritudinis divinæ, & increatæ, ideo totus, omni ex parte, cum omni perfectione, & excellentia est pulcher, facies est pulchra, manus aureæ, pedes argentei, &c. pulcher est corpore, pulchrior anima, pulcherrimus divinitate Pulchritudo creaturarum simul collecta, est quasi gutta; Christus Dominus mare & abyssus omnium elegantiarum.

§.8. Item ex c. 23. Ezech. c. 5. Cant. Eandem differentiam invenio Ezechiel. 23 v.15. Cant. 5. v.11. in Ezechiele de Oolla famosa meretrice dicitur, citato loco: *Cum vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus; tiaras in capite, formam ducum omnium filiorum Babylonis insanivit super eos concupiscentia.* Sensu mystico Oollæ amatrici creaturarum, in his statuis & imaginibus repræsentatur earundem pulchritudo. sed quomodo? in pictura, in coloribus, in cerussa, foris apparet aliqua venustas, intus sunt sordes, intus turpitudo, fœditas, abominatio. Explicari res perquam commodè potest simili desumpto à vetula aliqua, pro deformi fœmina, aut virgine, quæ coloribus pingit genas, frontemque & faciem fuco illinit: colores sunt, sed interim turpis est, & fœda anicula, apparentibus coloribus talis vetula ludit oculos & illudit. Talis est pulchritudo creaturarum, nihil in illa est solidi.

§ 9. Quomodo sponsa describat sponsum. Sponsa verò Cant. 5. v.11. suum sponsum aliter describit, *caput ejus aurum optimum* (non coloris aurei) sed ex auro quod solidum est, labia lilia, crura columnæ marmoreæ, manus gemmeæ. Ecce differentiam! Oolla in suo objecto invenit colores tantum, sponsa aurum, marmor & gemmas. Discursum hunc debeo verbis Ruperti l. 5. in Cant. *Quomodo potuit, descripsit Iesum amabilem, dilectum, desiderabilem! non talis pictura hæc, qualem respexit illa Oolla, æmulamini melius visum illum; sicut illa exhibuit oculos suos videre viros depictos in pariete, ita nunc exhibete oculos vestros, videte ejus caput aureum, oculos nitentes, gratiosa labia, comas sicut elatas palmarum, oculos ut columbæ, genas ut germen mali punici, vel rosas, labia ut lilia, dentes ut ebur, &c. & rectè judicate* utrum scilicet magis amandæ sint creaturæ vel pulcerrimus Iesus. Sed *judicate rectè*, cum cœlo, cum terra, cum omnibus creaturis, cum sponsa præsertim, quæ judicat, nihil esse pulchrius, formosius, amabilius, suo sponso Christo Salvatore nostro.

§.10. Quid quæstioni illi respondeant Patriarchæ Prophetæ Reges. 2. Si sacræ Scripturæ, si in illa Patriarchis, Prophetis Regibus, si denuo Sponsæ, si Salomoni, si Evangelistis quæstionem hanc proponam, quid illis videatur de Christo, unanimi omnes voce & suffragio respondebunt; Christus quia est filius Dei, est fons & origo omnis boni, loco omnium respondebit S. Paulus esse *fontem gratiæ.* Non dubito quin multi ex vobis lege-

legerint ejus epistolas plenas Spiritu S. & altissimis sensibus de Christo D. sed advertitisne, in omnium fere initio & fine, veritatem hanc, sive hoc elogium Christi Salvatoris inculcari?

§. 11. *Confirmatur ex S. Paulo.* Cap 1. Epist. ad Rom. v. 5. *per quem accepimus gratiam:* vers. 7 *Gratia vobis à Domino Iesu Christo.* In fine ejus Ep. c. 16. vers. 24. *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis.* Capite 1. Ep. 1. ad Corinth. vers. 3. *Gratia vobis, quæ data est in Christo Iesu, quod in omnibus divites facti estis in illo.* In fine Ep. cap. 16. v. ultimo. *Gratia Domini nostri IESU Christi vobiscum, Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Iesu.* Hoc modo percurrite omnes Epistolas S. Pauli; illarum initium & finem, pulcherrima invenietis.

§. 12. *Amator Christi invenit gratiam.* Itaque qui beatus, fortunatus, & coram Deo gratiosus esse desiderat, ut omnes desiderare debemus, amet Christum Salvatorem. Amator Iesu dicere potest cum Laban ad Jacobum Genesis 30. vers. 27. *Inveniam gratiam in conspectu tuo; experimento didici, quia benedixit me Dominus propter te.* Jacob figura tantùm fuit Christi Domini quæcunq; benedictones de cœlo unquam descenderunt, descendunt & descendent; descenderunt, descendunt & descendent propter Christum, per Christum, in & cum Christo. Benedicta inter omnes mulieres, & creaturas universas est Mater Dei; sed propter Christum; benedicti fuerunt Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, sed propter Christum; benedicti, beati, fortunati, felices omnes Sancti, omnes Electi in cœlis & in terris, sed propter Christum. Gratia cum omnibus in Christo Iesu, sunt divites in gratia & gloria, sed in illo.

Itaque qua possum voce hoc repeto, beatus est, qui gratiam invenit in conspectu ejus; felix qui invenit Christum, quia cum ipso invenit omne bonum, & omnem felicitatem. Ut bene dixerit S. August. Serm. 43. ad frat. in eremo. *O vos mundi amatores qui terrena sapitis, quorum Deus venter est, & vita in confusione; quid agitis sine Christo, quid concupiscitis, quid speratis? nunquid sine Christo pax vobis esse poterit? nunquid felicitas vel victoria? dignitas vel securitas? prudentia vel scientia? pulchritudo vel fortitudo, olfactus vel tactus, visus vel auditus, sine Christo vobis esse poterit? O fratres mei absit; quærite ergo Christum D. dum inveniri potest, invocate eum dum prope est, in ipso namque sunt omnes virtutes & thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* §. 13. *Et felicitatem.*

Verbo omne bonum! Psal. 4. v. 7. ait David: *quis ostendet nobis bona?* respondet ipse, Spiritu sancto illustratus, *Signatum est super nos lumen vultus tui,* id est agnovi Christum tuum, filium Dei, qui est vultus, facies & imago Patris, in ipsum veluti Messiam spero, & cum ipso omne bonum. Sanctus Ambrosius lib. 3. cap. 11. *Ipse ergo Dominus Iesus est summum bonum, hoc bonum veniat in animas nostras,* hic est thesaurus noster, hic est vita nostra, hic sapientia nostra, justitia nostra, pastor noster, & pastor bonus. *Vides quanta bona in uno bono.* Vocat ideo sponsa Cant. 5. cap. vers. 1. 6. totum desiderabilem. Guilhelmus Abbas apud Delrium, *Solus* §. 14. *Et omne bonum.*

lus & totus desiderabilis, quia plenissimè solus sufficit. Aurea est sententia Sancti Chrysostomi Hom. 77. in Matth. ubi ita loquitur in persona Christi: *Ego ipse sum Pater, ego frater, ego Dominus, ego Sponsus, ego nutritor, ego vestis, ego radix, ego fundamentum, quidquid volueris, ego sum nulla re indigebis; ego minister, ipse amicus sum, membrum, caput, mater, universa ipse sum, dummodo mihi ut decet afficiaris.*

§.15. *Adhortatio ad amorem Christi.* Ecce fontem omnium gratiarum! Ah animæ piæ! amate amate obsecro Salvatorem vestrum; sed amate ut Patrem, amate ut fieri decet à filiis, amate plus quam creaturas alias. Amate ut decet, ex toto corde, ex totis animorũ visceribus. Ut decet, constanter, ad usque ultimum vitæ Spiritum. Ut decet, cum suspiriis atque affectibus, cum votis, & desideriis, cum gaudio, & lætitia. Ut decet, propter seipsum, propter suam pulchritudinem, dignitatem, majestatem, amorem! & quid ex illo nascetur amore? fons omnis boni, origo omnis veri gaudii, cœlestis solatii quietisque principium.

§.16. *Amor Iesu fons lætitiæ.* Sanctus Chrysostomus Hom. 18. ad pop. *Deum enim timens, & in ipso confidens* (addam ego, Iesum amans) *voluptatis radicem lucratus est; & omnem habet lætitiæ fontem.* Colligite ex hoc puncto, quid respondendum sit, si hæc quæstio proponatur, *quid nobis videtur de Christo.* Respondeo linguis, & ore omnium meorum Auditorum, est felicitas nostra, est victoria nostra, est pulchritudo, & fortitudo nostra, est thesaurus noster, est vita nostra; Pater, frater, Dominus, Sponsus, Pastor noster, est radix voluptatis, est quidquid volueris, universa ipse est, respondebo themate secundi puncti meæ concionis; fons est omnis gratiæ. Dummodo ipsi, ut decet afficiamur!

3. Ob peculiarem quendam instinctum, & motionem Spiritus Sancti, quæstionem hanc proponam regio & pœnitenti Davidi, Apostolorum Principibus Petro & Paulo, latroni in cruce, filio prodigo, & pœnitentiæ speculo S. Mariæ Magdalenæ, quid illis videatur de Christo, respondebunt, Est refugium & asylum, est solatium, est advocatus imo Pater peccatorum, verè pœnitentium! 1. Ioannis c. 2. v. 1. *Filioli mei hæc scribo vobis, ut non peccetis, sed & si peccaveritis, advocatum habemus apud Patrem, IESUM Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis.* De infinita charitate Iesu erga peccatores pœnitentes, modo non possum dicere multa; dico breviter. §.17. *Quid quæstioni respondeant David, latro, Magdalena esse refugium & solatium peccatorum.*

§.18. *Benignitas & amor Iosephi erga fratres.* Est benignissimus Ioseph qui flentes fratres & mœstos, ingenti commiseratione suscipit, amplectitur & consolatur, Genesis 45. cap. Saccis plenis frumento, hilares & gaudio pleni, & cum Benjamino, à Iosepho in patriam ad senem parentem remeant fratres, breve gaudium! ab insequentibus insimulantur de furto regii scyphi; aperiuntur & visitantur sacci, invenitur scyphus in sacco Benjamini, ergo suffusus lachrymis puer, & captivus reducitur ad Iosephum; revertuntur una fratres, in genua prostra-

proſtrati coram Ioſepho ſupplices, orant plorantque, obſecrant, obteſtantur, per ſacra omnia, dignetur afflictorum miſereri, ait textus verſ. 4. *Non ſe poterat ultra continere*, piiſſimus Ioſeph; fratribus egreſſis, *elevavit vocem ſuam cum fletu*, & revocatis, dixit: *Ego ſum Ioſeph.* Cum fratres nimio terrore perterriti reſpondere non poſſent, inquit clementer: *Accedite ad me, ego ſum frater veſter Ioſeph quem vendidiſtis, nolite timere*, tandem dulci amplexu ſtringere Benjaminum, atque illi inter lachrymas fraterni amoris oſculum libare; hic prolabi & lachrymæ ex oculis Benjamini, hic collachrymari fratres univerſi, hic ipſa dulcedo & gaudium per omnium ora, cordaque dulciſſimo rapi volatu. O benigniſſimum Ioſeph! quid vobis de illo videtur? nunquid bonus, pius, ſuavis, dulcis, benignus fuit erga fratres, à quibus offenſus fuerat?

§ 19. *Applicatio ad Ieſum, tuum amor infinitus. Deſcriptio Pœnitentis coram crucifixo.*

Talis eſt Ioſephus noſter, Salvator noſter, *Ieſus noſter*, inquit Sanctus Ambroſius epiſt. 43. *frater noſter eſt, ſed heu! pro modica voluptate, pro levitate aliqua, pro vanitate, pro turpi lucro, ipſum vendimus ejus hoſtibus.* Divina tamen miſericordia ſcelus deinde agnoſcimus, apprehendimus, quem offenderimus, quam bonum fratrem; agnoſcimus Ioſephum! O felicem qui ſciſſo corde, lachrymantibus oculis coram Ioſepho, coram Chriſto D. ſe proſternit, & ait filio prodigo, *Pater peccavi*, Luc. 15. verſ. 20. vel cum Davide, *Miſerere mei Deus*; Pſal. 50. verſ. 1. miſerere mei frater, miſerere Ioſeph dulciſſime &c. Et quid vobis videtur de Chriſto? forte ſupplicem repellet? fortaſſis avertet oculos? an in ingratum aſperis invehitur verbis? Minimè! accedite triſtes fratres audacter, audietis verbum bonum, & dulce, Ego ſum Ioſeph, ego frater ſum, ego ſum Ieſus, nolite timere. O ſpectaculum jucundum Deo & Angelis! cum pœnitens anima ruit in amplexus Ioſephi, ſive Chriſti pendentis è cruce; cum ſuper pedes reliquaque Vulnera Salvatoris, & cor ejus benedictum calidas ex corde contrito & humiliato effundit lachrymas! & viciſſim Ioſeph, viciſſim IEſus amplexatur peccatorem, *tunc mollius fulciente Chriſto, cujus tibi gremium lectulus erat, & dextera pulvinar.* ait Divus Paulus epiſt. 2. ad Victricium Martyrem cui inter atrocia flagella, tam fuit bene, ac ſi jaceret in brachiis Chriſti, veluti lectulo. O quam bene eſt peccatori pœnitenti, in ferventi actu contritionis; cum gemitus, ſuſpiria, anhelitus ſunt veluti flagra, ſtimuli, ſpinæ, ſagittæ, quæ cor lancinant, lacerant, vulnerant, cum ex vulneribus amoris, & doloris delicatiſſimus ſanguis, id eſt lachrymæ copioſè fluunt; O quam bene animæ tali ſuſpiranti, qualis ſuavitas in corde, cum viciſſim Ioſephus, bonus Jeſus, dulcis frater, brachia, manus, collum humeros, gremium, pectus, cor ipſum præbet pro lectulo, pro pulvinari, & loco ſuaviſſimæ quietis, inter baſia, oſcula & amplexus Ioſephi. O mi bone IESU hanc nobis concede gratiam,

 utali-

ut aliquando in tali spectaculo coram Deo & Angelis, in tali lectulo exspiremus.

Quantumvis enormis peccator, si pœnitens in amore Iesu exspiret, moritur feliciter & morte pretiosa, experti sunt Aglais & Bonifacius, illa peccatrix, hic peccator, sed utrique Iesus fuit refugium. Finem imponam concioni, ubi aptam & materiæ meæ, & vestro affectui historiam enarrabo.

§.10. *Historia de Aglaide & Bonifacio.* Aglais fœmina fuit Romana, nobilis, juvenis, dives, formosa, gratiosa, nobilissimo juveni Romano desponsata, mortuo intra paucos annos marito, vitam vixit impiissimam, non sine urbis totius scandalo, præcipuè ob impuros amores erga unum ex famulis, nomine Bonifacium. Nolo movere scelerum & turpitudinis cloacam, sufficiat dicere, Aglais fuit Magdalena, Bonifacius filius prodigus, tandem infinita Dei misericordia Aglais alios sensit igniculos, flammas alterius amoris; noctesque diesque inquieta novam cogitabat vitam, non tamen subito se vincere potuit, ut animi sui sensa detegeret Bonifacio. Sed hic easdem prorsus de seria pœnitentia, favente cœlo, fovebat cogitationes, quas pariter celabat, ne Aglaim contristaret. Vicit tandem Victrix gratia, nam minimè cogitantem Bonifacium Aglais his verbis aggreditur: *Proposui rumpere funes, & catenas, quibus Diabolus me & te captivos tenet: stat animo aliter vivere, & quia tu socius fuisti scelerum, si placet, esto socius in pœnitentia. Amavimus mundum & voluptates, inposterum solum Iesum & ferventer amabimus!*

Quis lætior Bonifacio? quæ responderit, quam seria confessione cum efficaci emendationis proposito, scelera expiarint, quomodo se totos dederint devotioni &c. ob angustias temporis narrare non possum. Prima cura fuit, & quod seria pœnitentia ante omnia requirit, tollere occasiones peccandi. Itaque Aglais famulum suum cum magna pecunia misit in Ciliciam ad coëmenda corpora Sanctorum, O providentiā Dei! O benignitatem Numinis! dum Bonifacius civitatem Tharsis ingreditur, obvios habuit viginti Christianos, qui ducebantur ad Martyrium, his se associat, altum inclamans, *& ego Christianus sum, & ego Iesum colo & amo*, ligatur, detrahitur illi cutis, aspergitur vitreis aculeis, sed nulla alia vox audita fuit, quam; *O mi Iesu gratias tibi ago, par est, ut qui te offendi, pro te patiar, ut tibi amorem meum significem, ut tua causa moriar.* Ergo educitur ad rogum, in quem dum injicitur exclamat, *Nullus est ignis, qui me separet à Iesu quem diligo!* & quia ignis illi nocere non potuit, capite plexus nobilissimam martyris palmam est assecutus. O gratiam, O bonitatem; O ingens Iesu beneficium! illene Bonifacius jam gloriosus Christi Martyr? paulò ante mundi assecla & dæmonum? jam cœlitum concivis & socius? paulò ante cacodæmonum captivus, jam gloriæ & lucis hæres æternæ? paulò ante inferni tenebrarumque mancipium? Illene Bonifacius? O bonitas Iesu, O amor! quam subito victor, qui modo victus

§.11. *Prosecutio*

victus erat. Sed mirari desino, quando cogito hanc esse benignissimam indolem Salvatoris, ut pœnitentes animas suscipiat, velut Joseph suos fratres, ut illos donet morte tam sanctâ, tam felici, tam pretiosâ.

§.22. Prosecutio. Corpus gloriosi Martyris à famulis pretiosâ syndone involutum, relatum est Romam ad Aglaim; doleo quod referre non possim, quibus honoribus, odoribus, quo jubilo ad ipsa susceptum fuerit sanctum cadaver; refero tantùm aliquot verba, quæ in genua prolapsa coram pretioso deposito dixit. *Gratulor tibi Bonifaci! de tam gloriosâ laureolâ, gaudeo quod morte tuâ amorem tuum erga JEsum tuum, quem juravimus ambo, fueris testatus. Ego digna non sum, ut sim Martyr, ero tamen quoad vivam, famula & amatrix JEsu!* Quod dixit, fecit, post aliquot annos piissimè transactos, piè obiit. O peccatores; quid jam vobis videtur de Christo? pœnitentiam agite, & dicetis: bonus est JEsus! misericors est! est qui vos ad se reduces paternis misericordiæ brachiis stringit, est cui mitissima nemini non patent viscera Longini cuspide reserata, amate itaque JESUM, amate tam dulcem sponsum, tam benevolum Patrem, solum quærit amorem. O JEsu mi dulcis amor! liceat mihi in amore tuo vivere, in amore mori. His lubens pascar flammis & depascar, in his ignibus novus Phœnix oriar & moriar. O JESU mi dulcis amor, nil diligo præter te, Tu mihi sis sponsus, mens mea Sponsa tibi!



CONCIO XLVIII.

DOMINICA XIX. POST SS. TRINITATEM.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Matth. 9. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN periculoso statu vivunt illi, quibus Misericordia DEI, & bonitas CHRISTI D. est causa peccati.

§. 1. *Varia CHRISTUS D. intendit in suis miraculis 1. ut manifestaret gloriam suam.*

§. 2. *Ut curaret animas.*

§. 1. Varia Christus D. intendit in suis miraculis. 1. ut manifestaret gloriam suam.

HOdierno in miraculo, quo Christus D. paucis verbis sanavit paralyticum, sicut & in aliis, quibus varios ægros sanavit, ex sententia Landulphi Carthusiani cœlestis Medicus tria ferme intendit. 1. ut divinitatem quam hominibus probaret, & se Filium Dei declaret, hinc est quod paulò ante, quàm paralyticum sanaret, dixerit, *Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terrâ*, & statim illam sciverunt, cum viderunt paralyticum multis annis lecto affixum, subitò, paucis verbis, in conspectu urbis, in præsentia tot civium, se movere, surgere, incedere, ambulare, & tollere grabatum suum Matth. 9. v. 28. cum duo cœci peterent visum, dixit illis JEsus; *Creditis quia hoc possum facere vobis?* dicunt ei, *Utique Domine*; tunc tetigit oculos & aperti sunt, pari ratione Joannis c. 11. v. 4. antequam iret ad Lazarum, dixit, *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per illam.* Luc. 4. v. 41. *exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia, quia tu es filius Dei.* Joannis 2. v. 11. post initium signorum JEsu, addit textus, & *manifestavit gloriam suam.*

§. 2. Ut curaret animas.

2. Intentio Christi D. in his miraculis fuit, curare potius animas, quam corpora; paralytico itaque restituit usum motumq; membrorum, sed animæ insuper vitam gratiæ, id quod ex illis Christi verbis facilè colligitur, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, Matt. 9. v. 2. mundato leproso imperavit, *Vade ostende te sacerdoti*, ad emundationem scilicet animæ. Joannis 5. v. 14. homini, quem à triginta octo añorum infirmitate liberavit, dixit, *Ecce sanus factus es; jam noli peccare.* super verba Sancti Lucæ c. 6. v. 20. *Sanabat omnes*, dicunt interpretes id intelligendum esse, non tantum quod ad corpus, sed etiam quoad animas.

3. Intendit gloriam Patris, ut circum-

§.3. *Vt circumstantes glorificarent Deum & in iis excitaret fiduciam.* cumstantes & spectatores excitaret ad laudem Numinis, ideo ad præsens miraculum Capharnaitæ & turbæ, *timentes glorificaverunt DEum.* Matth. 9. v. 8. Sanati cœci, exeuntes diffamaverunt illum in totâ terrâ illa. Matth. 15. v. 31. accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cœcos, claudos, debiles, & alios multos, projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit omnes; tum *turbæ mirantes magnificabant Dominum Israel*, hoc JEsus intendebat, scilicet gloriam Patris His tribus rationibus addunt aliqui quartam; quod sanarit tot ægros ad excitandam peculiarem spem & fiduciam erga talem medicum ideo sanato paralytico cœlestis Magister tam nobilem virtutem commendat illis verbis, *Confide fili.* Fundamentum virtutis, est infinita Christi misericordia erga peccatores, quam frequenter declaro; verum quia temerarii aliqui peccatores illa freti, Salvatorem suum audent offendere, quia tam bonus & longanimis est, quia non statim fulminat ex alto, quia non posse non gratiam sibi obvenire existimant, ideo mecum ipse constitui, hac concione clarius hac eadem de re disserere, ut omnes intelligant, quàm & graviter, & periculosè peccent hujusmodi mortales.

§.4. *Quid sit fiducia peccatoris, David in illa fuit excellens.* Spes sive fiducia, de qua modo loquor, est ille affectus, quo magni peccatores à bono Deo sperant misericordiam, fuit in illa per quàm eximius David; fuit adulter, fuit homicida; tamē postquam pœnituit, ausus fuit dicere Ps. 30. *In te Domine speravi, non confundar in æternum,* unico illo Psalmo quinquies, v. 2. v. 7. v. 15. v. 20. v. 25. hunc affectum repetit. Percurrite omnes Psalmos, inter 150. invenietis 71. in quibus vel spē hanc exercet ipse, vel hortatur alios, ut sperent in Domino, vel laudat illos, & beatos prædicat, qui sperant.

§.5. *Deo & Christo D. est gratissima.* Nobilissima hæc virtus DEO & CHRISTO Salvatori nostro est gratissima. Legi sæpe apud SS. PP. cum admiratione, & magno solatio, quod parodoxum videtur, scilicet peccatorem, gravissimorum & multorum scelerum reum, si corde contritus illa defleat, si pœnitentiam seriam agat, & in bonitate de Christo D. sentiat, (juxta illud Sap. 1. v. 1. *sentire de Domino in bonitate,*) spe plenus, de remissis, vel jam-jam remittendis sibi peccatis; spe plenus, se forte participem passionis, & sanguinis CHRISTI, talem magis CHRISTO D. placere, quàm alium, qui pauciora & minora scelera commiserit, si exigua spe sit instructus, & parva præditus existimatione de bonitate JESU, ob scrupulos, & timores timidæ, & inquietæ conscientiæ. Talem his verbis alloquitur S. Augustinus Ser. 58. de temp. *O homo, quicumque peccatorum multitudinem attendis, cur & omnipotentiam cœlestis medici non attendis? cùm enim Deus velit misereri quia bonus est: & possit quia omnipotens est: ipse contra se divinæ pietatis januam claudit, qui Deum, sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit, cumq; aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit.* Hic plane est sensus verborum Christi in hodierno Evangelio *Confide fili*; vult peccatores de se sentire in bonitate, spem exigit, & fiduciam. Paralytico ait, *Confide*; paulò

paulò post in eodem cap. Mulieri, quæ duodecim annis passa fuerat fluxum sanguinis, *Confide filia*, ut sciamus, neminem licet paralyticus sit, licet fluxum etiam sanguinis patiatur, licet peccata alicujus rubra sint ut coccinum, verbo, etiam sceleratissimus de misericordia Salvatoris, de sanitate animæ desperare non debet, si modò cum spe pœnitentia succedat.

§. 6. *Facile vitiatur, præcipuè si homo peccet, quia Deus bonus est.*

Sed nobilissima hæc virtus, & Salvatori gratissima, variis modis vitiatur. Vitiatur si quis speret rem illicitam, & contra voluntatem DEI. Vitiatur à Lutheranis & Calvinistis, quorum nimia est fiducia, ac proinde propria excludunt merita, solis meritis Christi asscribentes salutem. Vitiatur autem maximè à malis Christianis, qui ultro & data velut opera DEUM peccando lacessunt, eò quod se deinde nullo pene negotio misericordiam obtenturos confidant; de his ait Ecclesiastes c. 8. v. 11. *Quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Verissimum S. Spiritus affectum! Cur odia odiis accumulant inimici mortales? cur scelera sceleribus addunt improbi? cur libidines agglomerant lascivi? cur aurum per fas nefasque, non sine pauperum viduarumque oppressione congerunt Euclionesʔ Cur absque timore ullo filii hominum perpetrant hæc mala? unde illa præsumpta securitas, unde illa peccandi audacia? unde illa in scelera pruritus, & quidam velut impius currentium ad æternam damnationem? *quia non profertur citò contra malos sententia*; quia laneos habent pedes superi, sic est, sed cavete impii, quò tardius, hoc grandius erit fulmen, quod DEI minatur Justitia.

§. 7. *Spes impiorum est abominatio animæ.*

Job cap. 11. v. 20. de tali fiducia ait, *Spes illorum abominatio animæ.* Prov. 10. v. 28. vocatur, *spes impiorum*, id est illorum, qui facile & frequenter in gravia labuntur scelera, in abominationes animarum, ideo quia sperant, nihilominus Deum fore misericordem. Hæc vitiata Spes, & fiducia, in multis se opponit doctrinæ æternæ Sapientiæ & veritatis. CHristus Salvator noster ait Matth. 7. v. 13. *Intrate per angustam portam.* hæc spes integra aperit ostium, quid enim facilius est, quàm peccare gravissimè, & tamen sperare Deum esse bonum, & sic intrare cœlum. Latissima hæc est porta, Salvator ait eodem cap. v. 14. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Si verò hoc sufficit, peccare quidem, sed tamen sperare misericordiam, quia bonus est DEUS, Christus D. non bene dixisse videtur, arctam esse viam, quia lata & spatiosa est via, non pauci, sed multi illam invenire possunt. Matt. 19. v. 23. ait Salvator: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum*; quantò difficilius adulter, blasphemus &c. confirmat Christus D. prius dictum, *Et iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus intrare, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* His verbis se opponit vitiata illa fiducia impiorum, huic facile est, ut non divites tantum, sed etiam adulteri &c. verbo gravissimi peccatores intrent cœlum, quia licet peccarint & peccent, facillimum tamen illis est, sperare

rare veniam, quia bonus est, & sic salvari. Pergit v.25.c.19. S. Matth. *Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes. Quis ergo poterit salvus fieri?* Christus D. respondit, *hominibus esse impossibile, Deo autem nihil esse impossibile*; contrarium respondet vitiata spe; esse plane possibile salvari, illi nimirum qui sperat. Sed quanto periculo talia dicantur mox audietis.

§.8. *Tales exponunt se divinæ Justitiæ.* Nam S. Gregorius M. ait, *Peccare, & de DEI Creatoris clementia præsumere, pelago Justitiæ ejus exponi est.* Hic latet sensus, licet peccator DEUM sceleribus suis offendat, tamen justitia non statim punit, Psal.102.v.8. *Miserator & misericors Dominus, longanimis & multùm misericors.* 4. Esdræ. 7. v. 64. *Longanimis est, quoniam longanimitatem præstat his, qui peccaverunt*, procurante id bonitate & misericordiâ divinâ, quæ justitiæ manus quasi ligat, enses atque fulmina eripit, cùm verò misericordia directè læditur, quod fit cum peccatur, quia DEUS misericors est, periculum est, ne Justitiæ non resistat, imò urgeat, ut puniat. Peccare ob Dei misericordiam, Misericordiæ directè adversatur.

§.9. *Simile.* Periculum cui tales se exponunt D. Ambrosius l. 2. de pœn. cap. 9. explicat pulchro simili: *proposita spe agendæ pœnitentiæ licentiam sibi delinquendi propagatam putant, cùm pœnitentia remedium sit peccati, non peccandi incentivum. Vulneri enim medicamentum necessarium est, non contra.* q. d. quis unquam ad experiendam vim balsami, vel antidoti letale sibi vulnus inflixit, vel venenum hausit? nemo tam stultus est, faciunt tamen illi, qui spe veniæ freti audent peccare. Pœnitentiæ Sacramentum, vel gratia in illo collata, pretiosissimum est balsamum, sanat momento mille letalia vulnera animarum. Vim illam habet à pretioso Sanguine Christi, quo anima in sanctissimo illo Sacram. abluitur, & supra nivem dealbatur. Sed ideo haurire venenum, ideo venenatam sagittam peccati mortalis animæ infligere, ut virtutem illam sacramentalis gratiæ, vel sanguinis Christi probemus; enim verò hoc per quam stolidum est, atque temerarium.

Alio pulchro simili rem declarat S. Hieron. ep. 9. ad Salv. *Nec statim pœnitentiæ subsidia nobis blandiantur*, v. g. quod CHRISTUS pro nobis mortuus sit, quod SS. Sacramenta instituerit &c. (ut ideo liberius peccemus, *aliud est integra nave, & salvis mercibus portum salutis intrare, aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum recursibus ad asperrima saxa collidi.* q. d. duplici ratione nautæ liberantur ex naufragio, vel integra navi, quæ de tempestate triumphat, & salva per fluctus portum ingreditur. Vel si navis rumpatur, natando in aliqua tabula, vel vase, quis autem nauta in tempestuoso oceano videns fluctuantem tabulam, quâ fortassis natando littus attingere possit, ideo navim suam perforat, & in undas se dejicit, ut probet num illa possit tabula evadere periculum? Nemo sanè tam stolidus est, huic tamen periculo, & majori se exponunt, qui peccant, quia DEUS misericors est, quia sperant se pœnitentiam acturos. Navigant in tempestuoso mundi hujus pelago; navis est gratia divina, merces sunt virtutes, bona opera; syrtes §.10. *Aliud.*

tes & Scopuli sunt tentationes, & occasiones peccandi, quia navis his facile illiditur, quia pericula mille occurrunt naufragij, bonus DEUS providit de tabulâ, de SS. Sacramento pœnitentiæ, ut illo peccatores quasi tabula utantur, attingantq; portum salutis. Sed O stulti peccatores quid agitis? certè ut loquar cum Poëta, *Periculosæ plenum opus aleæ*, ideo enim peccare, quia spes est liberationis, quid aliud est, quàm navim perforare, ut fluctibus hauriatur, tabulæ confiditis? forte inter syrtes scopulosque tentationum, inter angustias & timores ultimi agonis non arripietis, forte nimii fluctus illud non permittunt, forte venti & procellæ è manibus eripient, forte frangetur, forte incisis per mortem oculis planè non videbitis; & tanto vos periculo committitis præstat integrâ navi, quàm nudum in fluctuante ligno portum salutis quærere, præstat, ut cum Tertulliano loquar l. de pœn. c.7. plerisque è naufragio liberatis, exinde repudium, & navi, & mari dicere. multò magis incertæ tabulæ. Quis quæso naufragio semel ereptus, iterum redit ad mare, quia semel ereptus est, ideoque cogitat, se denuo eripiendum? hoc vos stolidi peccatores in scelera recidivi committitis!

§.11. *Periculosum est de extrema Confessione præsumere.* Sed audiamus S. Bernardum, qui verbis plane patheticis interrogat Ser. 38. inter parvos. *Quid dissimulant homines in vitâ suâ agere pœnitentiam, & extrema de confessione præsumunt?* liceat hic mihi pauca interfari, neque enim mihi temperare porro possum, quin vestram mentem exquiram mortalium miserrimi? an dissimulatis in vita agere pœnitentiam? dissimulas tua furta dives avare? tuam in pauperes inclementiam? tuam in proximos injustitiam? de pœnitentia nil cogitas? taces? dissimulas? atqui scias velim, non ita DEus dissimulat. Et tu lasciva puella, tu Epicuri de grege sodalis, quàm diu tuis hærebis immersus sordibus? quàm diu tuis te pascis deliciis nefandis? pœnitentiam agere dissimulas? at infelix! at misera! non ita quondam dissimulabit Altissimus. Vos invidi, vos gulæ ventrisq; mancipia, vos divini cultus neglectores, vos in DEUM ac cœlites blasphemi, &c. de pœnitentiâ non cogitatis? nihil hac in parte solliciti? ita vestram dissimulatis salutem? at mihi credite, DEUS justus, scelerum vindex nequaquam dissimulat. Sed audiamus porro S. Bernardum: *Extremâ de confessione præsumunt. Sed unde scis, quod tunc ita tibi subvenire velit, quem tu interim sic repellis? benignus quidem est, sed non libravit maledictum à labiis suis, audi quis ille sit Maledictus, qui peccat in spe.*

§. 12. *Abstrahit DEUS à talibus peculiarem curam.* Doctissimus P. Lessius de perf. d. l. 13. c. 12 postquam pulcherrimo discursu hanc meam veritatem illustrasset, addit in more hoc Deo positum, ut ejusmodi perversos homines hac in vitâ meritis gravibusq; pœnis afficere incipiat, abstrahendo scilicet ab iis peculiarem curam, pias motiones, & auxilia efficacia, quæ peccatori dare non tenetur: permittendo ut in peccatis non tantùm perseverent, sed ea multiplicent; permittendo ut augeantur, tentationes, & occasiones peccandi; ut occur-

occurrant mille difficultates in resurgendo, ut mens tota rebus terrenis immergatur, tandem locum concludit his verbis. *Nisi singularis Dei miseratio praeveniat, necesse est talem semper in pejus ruere*: & quod sequitur, *aeternùm perire*. Sed cur praeveniat Deus singulari miseratione illum, qui peccat, qui in malo perseverat, ideo quia DEus misericors est, haec ipsa gravissima causa est ob quam DEus graviter punire cogitur.

§ 13. *Irrogant tales Christo D. peculiarem injuriam.*

Et hoc advertite atque perpendite; quod tales peculiarem & gravem injuriam irrogent Christo Domino; quàm cùm profundius considerasset S. Greg. Naz. Orat. 31. in justissimam erumpit querelam: *Irâ & mœrore impleor propter meum Christum*, (utinam ipsi quoque doleatis) *cùm eum hac de causa contemni, ac pro nihilo habere conspicio, propter quam eum maximè honorare pararat*. Quid indignius? & quae efficacior ratio voluntatem nostram inclinare & cogere potest ad Christum Dominum amandum, quam infinita ejus bonitas, misericordia? cùm verò haec multis causa sit peccandi, nunquid zelosus Concionator merito cùm S. Greg. dicere potest; *Ira & mœrore, &c. Quae maior namq; iniquitas* (ait S. Bern. tr. de gr. hum. *quàm ut inde creator* (& Redemptor piissimus) *à te contemnatur, unde plus amari merebatur? quae major iniquitas, quàm cum de Dei potentia non dubites, quin te destruere possit, qui condere potuit* (neq; de ejus scientia, qua omnia poterat, neque de praesentiâ per quam intimè tibi praesens est; neq; de justitia, quae impiis praeparavit infernũ, neq; de ejus erga peccatum odio &c.) *Confisus tamen de multa ejus dulcedine, quam speras eum nolle vindicare, cùm possit, & saepe fecerit, mala pro dilectione retribuas.* Gravis omnino & enormis est haec injuria in CHRISTUM Dominum.

2. Reg. 15. v. 1. Rebellis Absolon intercedente Thecuite, dirigente verò Joabo; vix irato Patri fuit reconciliatus, & ait sacer textus, *Post haec fecit sibi Absolõ currus, & equites & quinquaginta viros, qui praecederent eum*; ait Lyra, hoc fecisse Absolonem, in signum rebellionis, quam etiã tum animo fovebat; in signũ quod necdum deposuisset spem dejiciendi Patris solio; verbo, in signum novae tyrañidis, & proditionis, quàm contra mitissimũ Patrem machinabatur. Addit idem citatus auctor fecisse & tentasse talia Absolonem, confisum de Patris benignitate, de familiaritate Joab, de gratia Thecuitis apud Regem; his positis ait Lyra in cit. locum ex l. Reg *O ingratitudinis simulacrum, post tot accepta beneficia à patre coepit de tyrannide cogitare, desiderans Patrem adeo sibi benignum, non solum regno, sed & vita ipsa spoliare.* § 14.

Audacia Absolonis in rebellione, ob nimiã confidentiam de bonitate Patris.

O Absalon peccator! tu enim mi homo ille es rebellis filius; nostine profusum in te DEI tui amorem? insignem clementiam? misericordiam plus quàm paternam? Ita novi, inquis: atque ideo de spe veniae consequendae nullus dubito, ideo tentasse juvat, ideo timore omni metuque expeditus est animus. Itane verò? ah miser! qui sic peccas cum Absolone! O ingratitudinis simulacrum cum Absolone peribis! noli alium tibi vitae finem atq; exitum polliceri, nisi durum, infaustum, terribilem! Grande scelus est, § 15.

Applicatio & apostrophe ad peccatorem.

Ece 2 & veniã

& venia nulla dignum, data opera divinam oppugnare, atque irritare in pœnas clementiam, & DEUM, & Christum, quia bonus est.

§. 16. *Revelatio pijssima facta S. Mechtildi à B. Virgine.* Audite quæso quid clementissima Virgo, mitissima illa Thecuis, & Mater misericordiæ, peccatorum aliàs refugium & consolatrix de his peccatoribus revelarit S. Brigittæ revel. l. 1. c. 37. Est affectuosissimum caput, continetque colloquium inter B. Virginem & S. Brigittam. Antequam illud enarrem, moneo, me non id facere, ut velim vos illa credere velut Evangelium, sed narro fide historica; sunt enim illi libri revelationum apud viros graves, & sanctos in magnâ existimatione. Inter alia DEI Mater conqueritur de gravibus injuriis mortalium, erga Filium suum, præcipuè quod tam variis modis, quantum in ipsis est, benedictam ejus renovent Passionem.

§. 17. *Prosecutio, & quinam renovent mysteria Passionis.* Hic est titulus capitis; *Verba Matris ad Sponsam, qualiter CHRISTUS acrius nunc ab inimicis & malis Christianis crucifigitur, quàm à Iudæis crucifixus fuerat, & per consequens, quod tales acrius & amarius punientur.* Sic deinde B. V. loquitur. *Conqueror quia Filius meus à peccatoribus amarius crucifigitur, quàm cum Iudæi crucifixerunt eum. Nam licet deinde impassibilis sit, & mori non possit, tamen vitiis crucifigunt eum. Sicut enim aliquis homo, imagini alicujus inimici sui, contumeliam & læsionem faciens, licet imago non sentiat illata, tamen propter voluntatem malam lædendi, læsor quasi pro opere argueretur & dijudicaretur. Sic eorum vitia, quibus spiritualiter crucifigunt, Filium meum, abominabiliora & graviora sunt ei, quàm illorum qui crucifixerunt eum in corpore.* Quæ verba ex his l. revel. reverâ fundantur in verbis S. Pauli ad Hebr. 6. c. v. 6. *Prolapsi sunt* (scilicet in gravia peccata) *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* 1. Corint. 2. v. 8. *Si enim agnovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Crucifigit autem peccator Christum, quia novo peccato novam subministrat causam crucis, & mortis CHristi. Facit enim rursum id, propter quod Christus crucifixus est; quare nisi mors Christi tam efficax fuisset, ut ad omnia omninò peccata post quantavis sæcula futura, & iteranda se extendisset, oporteret CHRISTUM rursus toties crucifigi, & mori, quoties lethaliter peccant homines, explicant hoc voculæ subsequentes, ostentui habentes, græcè, παραδειγματίζοντας, id est, exemplum statuentes, quod ab omnibus videatur & rideatur, unde Syrus habet, *netsaarum*, id est, contemnunt, despiciunt, contumeliâ & ignominia afficiunt. Hoc facit quisquis letaliter peccat.


§. 18. *Quinam Crucifigant.* Deinde Beata Virgo occurrit tacitæ quæstioni: *sed forte tu potes quærere, quomodo, crucifigunt eum?* & respondet. *Primò* ponunt eum in crucem, quando de præceptis *Creatoris sui, & Domini non curant, &c. Deinde crucifigunt dexteram, quando peccatum non æstimant, tertio pedes, quando delectantur in faciendo peccatum, nec semel cogitant amaram Passionem Filii mei, nec regratiantur ei semel de intimo corde dicentes, O quàm amara*

amara erat passio tua Deus! laus tibi sit pro morte tua! 4. *Coronant eum corona irrisionis per superbiam.* 5. *dant ei fel bibere, quando gaudent, exultant in peccato, nec ascendit semel in corde eorum quam grave & quam multiplex sit.*

§ 19. *Præcipue manum sinistram.* Adverto Auditores, commovent hæc querula tristissimæ Matris verba corda vestra, revocate in memoriam quo dolore sinistra manus Salvatoris, immani clavo ruptis venis, hiante vulnere, cum rivo sanguinis aliquot ingentis mallei percussionibus, ligno crucis sit affixa. Rursum imaginamini vobis hians & patulum vulnus lateris & cordis Christi, quod lancea inflixit: jam pergit B. Virgo. *Crucifigunt sinistram manum ejus, volentes usq; in finem peccare; dicentes, si dixerimus in fine, semel, Miserere mei Deus; tanta est misericordia Dei, quod habebimus veniã.* Intelligitisne temerarii peccatores, quid agatis, dum Dei misericordia freti peccatis? hoc agitis; quantum potestis, arripitis denuo sinistram Salvatoris vestri manum, denuo clavum & malleum arripitis, denuo cruci affigitis.

§. 20. *Et latus Iesu pungunt.* De benedicto vulnere lateris ait denique B. V. *Pungunt latus ejus, quando voluntatem habent perseverandi in peccato; plerumq; habent, qui de Dei bonitate nimium confidunt.* Concludam fulmine B. Virginis, ad Sanctam Brigittam, *Verè dico tibi, & hoc amicis meis dicere poteris, quod tales sunt ante filium meum injustiores judicantibus eum, immitiores crucifixoribus ejus, impudentiores venditoribus ejus, & major pœna debetur istis, quàm illis.*

§. 21. *Pius affectus ad Iesum.* Verè mi Jesu bonus es, misericors es, longanimis es; sed absit ut propterea te offendam, potius quia bonus es, amabo te, potius mihi ipsi, genioque meo, ac pravæ libidini vim inferam; quia bonus es, neque enim, vel rationi congruum, vel ullo alio pacto consultum existimo, amantem odiis prosequi, & pro beneficiis mactare injuriis. Absit hoc à me, absit amantissime Jesu; tua longanimitas mihi erit ad vitæ emendationem motivum, non ad pejora stimulus; erit incitamentum ad amorem, non ad odium: ad pietatem, virtutumq; actus, non ad malæ vitæ licentiam, periculosamq; audaciam impulsus. S. Augustinus supra cit. *Nemo ergo, nec post centum peccata, nec post mille crimina de misericordia divina desperet; sic tamen non desperet, ut sine ulla mora Deum sibi repropitiari festinet.*



CONCIO XLIX.

DOMINICA XX. POST SS. TRINITATEM.

Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem.

Matth. 22. vers. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit variis modis, Gratiæ sanctificantis excellentiam, naturam, effectus, pulchritudinem, necessitatem, & utilitatem.

§. 1. Vestes sponsa quam pulchra & pretiosa.

AD literam Evangelium vel Christus Salvator noster loquitur de elegantioribus vestibus quibus Sponsa, & Sponsę, vel convivę in nuptiis se solent induere. Sensu mystico sacer textus agit de vestitu, quo anima nostra veluti dilecta supremi Regis Sponsa est exornanda. Ornatum illum eleganter describit Isaias. c. 61. v. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsam decoratam corona, & quasi sponsam*

sponsam ornatam monilibus suis. Meminit & David Ps.44.v.10. *Astitit Regina à dexteris ejus in vestitu deaurato circumdata varietate.* & Apoc.12.v.1. mulierem illam tam formosam reddiderunt & splendidam hæc vestimenta, ut S. Joan fuisse *amictam sole* profiteatur Matt.17.v 4. Toga Christi D. in monte Thabor, dum gloriam suam manifestavit tribus dilectis discipulis, splendida & alba fuit ut nix, S. Angeli plerumque in vestibus candidis apparent. De Sponsa in nuptiis Agni, ait c. 19. v. 7. Apoc. *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei; quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se; & datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti, & candido.*

§. 2. *Pulchrior est vestis nuptialis gratia sanctificantis.* Conveniunt hæc omnia sensu mystico vesti nuptiali, de qua agit hodiernũ Evangelium, nam si per illam significetur charitas; hæc certè est vestimentum salutis, est indumentũ justitiæ, corona est, est monile, est vestis deaurata, splendet ut sol, candicat ut nix; si verò gratiam denotari velimus, qua reddimur sancti, & generamur Filii Dei; hæc quoq est diadema, est monile, est cyclas aurea, est indumentum salutis. Sæpe in concionibus meis ago, de excellentia charitatis divinæ, modo cum viris doctissimis intelligo per vestem nuptialẽ, gratiam nos sanctificantem; ejus excellentiam, naturam, effectus, necessitatem, pulchritudinem, utilitatem, quę omnia in tam eximia qualitate conjuncta sunt, latius explicabo, non Theologicè, quod scholis relinquo, sed per similia, & metaphoras, ut nemo non facile, quod dicturus sum, assequi, & verò etiam ut spero, in suum animæ fructum, modo velit, converte possit.

In lectum Evangelium bene monuit S. Augustinus l. contra Donatistas cap. 20. t. 7. In hoc uno homine non vestito veste nuptiali, grande quoddam corpus (vel congregatio) figuratur, omnium malorum, ante Domini judicium convivio dominico permissorum; à quibus se boni corde interim separant, simul manducantes, & bibentes corpus, & sanguinem Domini; sed cum magna distinctione; qui isti in honorem sponsi induti sunt veste nuptiali, non sua quærentes, sed quæ Iesu Christi: illi autem non habent vestem nuptialem, hoc est, fidelissimam Sponsi charitatem, sua quærentes, non quę Iesu Christi. Ergo S. August per vestem nuptialem intelligit charitatem, quæ opinio in sacris literis certa est, & bene fundata. §. 3. *Quid S. August. intellexerit per vestem nuptialem.*

S Hieronymus per illam vestem intelligit morum honestatem, & integritatem. Origenes & S. Hilarius, ornatum & texturam virtutum; Tertullianus, Vitæ sanctimoniam. D. Irenæus opera Justitiæ. SS. Patres & interpretes plerique, Gratiam sanctificantem. De qua hac concione acturus, Catholicam suppono veritatem, quam alias probabo. Sanctitatem, perfectionem, sive justificationem hominis Christiani, non nisi extrinsecam, ut adhæreat tantum animæ, sed inhærere, sed infundi, & esse perfectionem omnino intrinsecam. Percurrite solas epistolas Sancti Pauli, invenietis, Spiritum gratiæ, propositum gratiæ, abundantiam & dona gratiæ, regnum & dominium gratię, electionem & com- §.4. *Quid alii SS. Patres.*

& communicationem gratiæ, laudem gratiæ, divitias gratiæ, dispensationem gratiæ, spem gratiæ, justificationem & hæreditatem gratiæ, gratiam Dei, gratiam Patris, gratiam Jesu Christi, gratiam Spiritus Sancti &c. quæ omnia loca de solis meritis Jesu Christi intelligi non possunt, cum insinuent esse donum peculiare, animæ inhærens, de quo;

§.5. *Quid sit gratia justificans.* Primò, jure quæritur, quid sit gratia? Respondeo inprimis cum SS. Patribus, nulli rei, ut essentia & dignitas ejus aliquo modo intelligatur, elegantius comparari posse, quam luci. Comparationis causa fundatur in Scriptura; illos enim qui veste nuptiali sunt induti, sive gratia ornati, Sanctus Paulus ad Epheseos 1. c. v. 18. vocat, *filios lucis*, & Angelorum formosissimus in gratia conditus, dictus fuit Lucifer; gratia verò privatus, pater & princeps tenebrarum, ejus asseclæ, tenebrarum filii: de hac luce & tenebris ait Sanctus Petrus ep. 1. cap 2. v. 9. *Vos autem genus electum, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* 2. Cor. 4. v. 6. *Deus, qui dixit in tenebris lucem suam splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem claritatis Dei, in facie Christi Jesu.* Lux est pulcherrima, divina gratia.

§.6. *Elogia lucis applicata gratiæ.* Illa scimus nihil esse pulchrius. Lux est formositas mundi, rerum vita, gratia solis, deliciæ oculi, regina formarum, recreatio Spiritus, paludamentum Creatoris, imago divinitatis, quæ lucem inhabitat inaccessibilem. Lucis pulchritudine omnia sunt pulchra, quę pulchra sunt; pulcher est Sol, ob suam lucem, pulchra sunt cœli sidera, ob radios lucis. Tolle lucem à stellis, & erunt carbones, à sole & luna, in tristi latebunt eclipsi, à floribus, gemmis &c. sub tristi pallio tenebrarum lugebunt. Omnia hæc encomia lucis nobiliori modo conveniunt gratiæ, illa nihil est pulchrius, ejus pulchritudine pulchræ sunt animæ; gratia est formositas, est vita, est deliciæ, est recreatio, est vestis animæ. Imò quæ in cœlis aliquam pulchritudinem obtinent, obtinuerunt à gratia. Nitent formosi stellarum exercitus, Angeli innumeri, à gratia nitent. Radiant cœlestes Spiritus circumamicti stola gloriæ, atque immortalitatis, radiant à gratia. Coruscant alæ flammantium Cherubinorum: gemmas accendit gratia. Ardent Seraphini glorioso pulchritudinis lumine insignes: à gratia profectum est lumen. Emicat chorus Patriarcharum, radiat Prophetarum turma, rubet Martyrum purpura, chorus Virginum candicat, à gratia color, à gratia decor, à gratia candor, à gratia purpura, à gratia omne omnium cœli incolarum ornamentum proficiscitur. Imò ipsum gratiarum vas plenissimum, vas admirabile, vas insigne, Virgo augustissima, quod sit inter omnes benedicta mulieres, quod caput contriverit serpentis, quod sit mulier amicta sole, & bis senis coronata sideribus, quod omnium transcendat cœlitum dignitatem, quod Mater Dei audiat dęmonum terror, cœlorum Regina, mundi Domina, non nisi à gratia profectum est. Tolle à quocunque Angelo, vel anima homi-

hominis gratiam, nihil erit turpius aut fœdius in oculis Dei. Sine gratia, anima est chaos & abyssus tenebrarum atque abominationis.

§.7. *Alii effectus lucis attribuitur gratia* Consequuntur à luce gratiæ alii nobilissimi affectus, lux accendit ignem, in ligno; gratia flammas divini amoris in cordibus nostris. Lux est valde activa, magis gratia, si anima hominis detestatur malum, si amat virtutem & Deum, &c. omnia facit gratia, si appetit cœlestia, si ferventer orat, facit gratia. Non rarò contingit, ut totus quasi homo colliquescat in ceram, ut amore Dei ardeat diffluatque, ut totus sit cor ad amandum Deum; totus lingua ad illum laudandum, totus manus ad agendum fortia pro Dei gloria, facit in gratia, vacua in homine esse non solet, nec solus homo talia agit, sed gratia Dei cum illo. 1. Cor. 15. v. 10. Quod S. Laurentius jacuerit in prunis veluti Rosis, fecit gratia. quod S. Steph. imbrem lapidum habuerit pro gemmis, quod Martyres in gravissimis tormentis tam fuerint fortes, & hilares, tam alacres & generosi fecit gratia, lux momento fugat tenebras, & illuminat aërem; idem in anima præstat gratia, nec tenebras solum pellit, sed animam oculis Domini reddit lucidissimam, vestit pulcherrima veste nuptiali. Sole quid splendidius? gratia in anima est sol in immensum splendidior; ideo quot beati, tot erunt in cœlo soles, ut luceant Creatori suo cum jucunditate, in perpetuas æternitates.

§.8. *Anima cum gratia est lucidissimum speculum.* Quid lucidius cryſtallino speculo, cum adversum excipit, & concipit solem, cum hujus radiis totum est irradiatum. Tale speculum est anima in gratia Dei, in quo longè splendidius radiat Sol Justitiæ Jesus. Sanctæ Theresiæ monstratus fuit globus ingens cryſtallinus, in cujus centro, vel medio sedentem vidit speciosissimum Jesum venustissimos undequaq; spargentem radios, talis globus vel thronus est anima in gratia.

§.9. *Cryſtallina lampas.* Quid amœnius oculis, quam cryſtallina lampas, plena odoratissimo oleo, ardens accenso ligno? vel quid amœni⁹ venustissima aurora cum præambula solis, roseis & purpureis radiis lambit montium juga? vel radiante carbunculo, auro incluso, qui in ipsis etiam tenebris micat ac fulgurat noctemque commutat in diem. Talis lampas, talis aurora, talis carbunculus est anima induta veste nuptiali gratiæ. Primus itaq; gratiæ sanctificantis effectus est quod animas mortalium faciat formosas, lucidas, radiantes, amabiles!

§.10. *Gratia est ornamentum animæ.* Quid est gratia? Respondeo iterum ex SS. Patribus. Est ornamentum, quod animam ita ornat, adeoque venustam reddit, ut illo conspicua, si veluti templum & aula Sanctissimæ Trinitatis. Sanctus Paulus 1. Corinth. 3. v 16. hoc simili utitur; *Nescitis qui templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, v. — Templum Dei sanctum est* (non exstructum ex marmore vel lapide pretioso) *quod estis vos.* 1 Corinth. 6. vers. 19. *An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus S. qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri. Empti enim*

enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corde vestro. Hæc omnia, ut simus templum Dei vivum, sanctum, immaculatum; obtinemus mediante veste nuptiali gratiæ.

§. 11. Cor cum gratia est Sacra Hierotheca.

Cogitate hierothecam sacram, quam vulgari nomine vocamus Monstratiam ex auro, in cujus medio venerabile Sacramentum a binis Angelis in deaurata sustentatur lunula. Vel ex cera virgine, qualem aliquando apes creatori suo in Hostia abscondito construxerunt. Vel ex lucidissima crystallo, aut achate qualem vidi in Monasterio Sancti Laurentii in Hispania. Ob Christi D. præsentiam tales hierothecæ ornantur stellis, rosis, floribus, liliis, uvis, ex argento, ex auro, ex gemmis. Talem hierothecam ex auro charitatis, ex cera virgine puritatis, ex crystallo Christianæ fortitudinis ex gemmis virtutum, cogitate esse animam dotatam gratia, ornatam veste nuptiali. Habitat in illa Deus; est Deo plena. Iohan. 14. v. 23. *Si quis diligit me* (sive quis est in gratia) *& pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Item *in illo die cognoscetis, quia ego in Patre, & vos in me, & ego in vobis.* Pulcherrimus effectus gratiæ. Gloriosissimus titulus B. Virginis est, quod fuerit Mater Dei, quod virgineus ejus uterus fuerit veluti thronus eburneus, vel aureus thalamus, in quo Sapientia Dei Incarnata novem mensibus quievit, eorundem titulorum participes nos facit vestis nuptialis gratiæ divinæ.

§. 12. Gratia est

Sed age videamus porro, quid sit gratia. Respondeo tertio, esse vitam animæ. Ut tituli hujus præstantiam intelligatis, hinc oculis vestris statuam objicite, quam vel Apelles pinxit, vel Phidias sculpsit, sed sine vita, hinc vobis repræsentate formosissimum aliquem juvenem, vel virginem, cujus oculi, frons, genæ, facies vitam & gratiã spirant, proh quanta inter utrũque est differentia! eadem imò major est inter animam ornatam gratia, & alteram illá destitutam, qualis scilicet est inter corpus vivum & mortuum, illud est, vividum, venustum, formosum gratiosum, hoc turpe, fœtidum, plenum vermibus. Nobilissimum quid est vita, ideo minimus vermiculus in altiori & sublimiori inter creaturas est ordine quam sit vel luna, vel sol, vel stellæ, vel lucidissimæ gemmæ, quantò verò altior, dignior & sublimior est vita gratiæ.

vita animæ.

§. 13. Elogia SS. Patrum.

De anima in dicta veste nuptiali gratiæ dixit S. Chrysostomus: *Nulla res in toto orbe cum illa potest comparari.* S. Ambrosius: *Anima jactura* (per jacturam gratiæ) *par nihil est.* S. Bern. Ep. 54. *Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est; gravis animæ casus, qui non nisi Christi cruce potuit reparari.* P. Nurenbergius. *Bene abs se Christus omni cruciatu, qui potest homini infligi, animam redimi putavit.* S. August. in Psal. 102. *Initus est bonæ fidei contractus! nemo fallit redemtorem suum, nemo circumvenit, egit hic commerciũ, jam pretium solvit, sanguinem fudit. Sanguinem, inquam fudit, unicus Filius Dei pro nobis. O anima erigere tanti vales!* Sed in gratia, ab hac omnis hic valor. Gratiam sanctificantem, vestem hanc nuptialem, hanc vitam

tam emit Christus Dominus suo sanguine. Tanti valet gratia, tanto pretio debuit comparari. Ut vita gratiæ viveremus, Filius Dei vitam suam dedit.

§ 14. *Facit nos filios Dei adoptivos.* Sed necdum meæ factum est satis curiositati. Gratia campus est, in quem qui dicendo excurrit, terminum vix reperit. Quid est gratia? Respondeo. 4. Est illa qualitas nobilissima, & perfectissima, quæ nos facit filios Dei adoptivos. Sic hoc meum responsum intelligite. Si Rex Hispaniarum vel Galliarum in defectu hæredis vile aliquod mancipium eligeret, illudque in regni comitiis cum consensu procerum proclamari Regem jubet, si ejus jussu imponeretur corona regia, si abjecto capiti regium imponeretur diadema, si manibus traderetur sceptrum, si purpura, (& si quæ sunt alia regum insignia,) ornaretur; atque hoc ut dixi publicis in comitiis, in omnium ore ac vultu, in consessu virorum principum, sine ulla alia ratione, quam quod ita visum est Regi. Ad hunc honoris apicem, evehere vilissimum caput, & nunquam de regno bene meritum, nullis vel in bello victoriis, vel factis in aula obsequiis commendatum, quid fieret Auditores? an non orbis stuperet universus? an non singuli tam miram, raramque Regis in miserum mancipium benevolentiam, & affectum planè gratuitum obstupesceremus? Ita certè! Sed non ita mihi mirum atque inauditum occurreret, quando jam olim id factitatum à Nerva Romano Imperatore, qui Trajanum quendam Hispanum ita adoptavit, ex veterum Scriptis intelligo. Ex hoc tamen gratiæ excellentiam agnoscatis velim, illa mediante Rex Regum hoc præstat, per peccatum sumus mancipia dæmonis, servi passionum, onerati vinculis cupiditatum. Sed, O bonitatem nostri Regis, amantissimi Jesu! in sacramento baptismatis vel pœnitentiæ, lavat nos sanguine suo, infunditque gratiam, quo momento ex illius communicatione oritur obligatio, qua ex libera promissione tenetur. Rex Regum nos agnoscere, & assumere pro filiis, & cohæredibus æternæ suæ gloriæ, pro consortibus regni cœlestis. Clarè Sanctus Paulus ad Rom. & Gal. *Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, ipse Spiritus testimonium reddidit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei, quod si filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* 1. Joan. 3. v. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.*

§ 15. *Confirmatur ex S. Paulo.* Ad Roman. 8. v. 15. *non enim accepistis Spiritum servitutis in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* v. 23. *gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.* ad Gal. cap. 4. v. 4. *Ubi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionē filiorum reciperemus.* Eph. 1. v. 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum & ejus gratiam.* Hæc cogitatio ad ardua, & sublimia animos nostros excitare debet & excelsa atq; heroica desideria filiorum Dei; ideo S. August. l. 3. de divit. c. 4. refert dictū Varronis, utile esse rebus publi-

publicis & civitatibus, si in illis viri fortes & heroes, licet falso cogitent se esse à Diis progenitos: *Ut eo modo animus humanus veluti divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumeret audacius, ageret vehementius, & ad hoc impleret ipsa securitate felicius.* Nos in similibus cogitationibus decipi, & falli non possumus; inter ingentes enim dolores in cruce mater nostra Iesus crucifixus ex benedicto latere suo nos genuit. Nutrix nostra est Christus homo Deus, sanguine, & carne sua nos nutriens, filii sumus magni herois, & per adoptionem gratiæ cohæredes magni regni, quorum meminisse oportet, ut eo modo animus noster, divinæ stirpis fiduciam gerens res magnas ad Dei gloriam aggrediatur, ut impleat feliciter, sic ajebat Iudas l.1. Mach c.9. v.10. *Absit istam rem facere, ut fugiamus si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ*, quam prædecessores nostri nobis reliquerunt, præcipuè Christus Dominus per gratiam nos adoptando in filios, & cohæredes.

§.16. *Facit nos Dei amicos.* Satis multa hactenus de gratia, sed adhuc restant plura, è quibus cum unum pro coronide seligo; iterum more meo interrogo, Quid est gratia? quidve operatur in nobis. Respondeo. 5 Facit nos amicos Dei, quod constat ex suavissimis verbis, quibus Christus D. discipulos suos, cum eis ante passionem valediceret, est consolatus. *Vos amici mei estis, & jam non dicam vos servos, sed amicos.* Ergo mi bone Iesu, non satis est nos esse servos Dei? quid gloriosius est? nunquid servire Deo, regnare est? gloriatur hoc titulo Apostolus gentium Rom. 1.v.1. *Ego Paulus servus Iesu Christi.* Cherubini, Seraphini, omnes Angelici Spiritus sunt servi divinæ Majestatis, & gaudent, &c. Sufficit ergo, ut & nos ex infinita Dei misericordia simus servi. Sufficeret nobis ad gloriam, ad utilitatem, sed non sufficit infinitæ Christi charitati erga electos, sed gratiam illis communicat, qua ad tam sublimem honoris gradum, ad tantam excellentiam elevamur, ut etiam amici simus Iesu! probè hoc advertit Magnus ille D. Gregorius, hinc ita exclamat!

O quanta est misericordia conditoris nostri! Servi digni non sumus, & amici vocamur. Psalmista ait. Psal. 138.v.17. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.* §.17. *Applicatio ex locis S. Scripturæ* Et cujus per gratiam reddimur amici? illius, de quo cum Ecclesiastico cap. 25.v.12. dicere possumus: *beatus qui invenit amicum verum*, & cap. 6.v.14.15. *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem invenit illum invenit thesaurum! amico fideli nulla est comparatio: non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis.* Amicus talis est solus IESUS! O quoties, quos ut amicos colimus, amamus, veneramur, experimur falsos! mel in ore, fel in corde; in lingua suavitas in pectore acerbitas: in vultu serenitas, in mente tempestas. Eja Auditores, Christum Dominum pro amico diligite hic solus verus est amicus, qui fallere non vult, non potest, apud hunc amicum vera est protectio

tectio & fortis; ideo Sanctissima ejus Vulnera pro asylo nobis patent, imò ipsum Cor.

§. 18. *Amicus noster optimus & fidelissimus est Christus D.* Si thesauros quærimus? en omnes illi sunt thesauri, imò totus ipse est thesaurus, totus argenteus, aureus, gemmeus. Bonitatem desideramus hic solus bonus est, nimirùm per excellentiam ut loquuntur, majorem certè in nullo alio bonitatem reperiemus, hunc eligamus, sed induti veste nuptiali divinæ gratiæ, quæ nos amicos illi facit. Ambimus honorum titulos? ipse, amicus noster, est Rex Regum & Dominus dominantium. Ut servi, ut amici digni simus tanti Regis, compareamus induti veste nuptiali gratiæ. Si sitimus delicias? Christus D. amicus noster, est fons imò torrens liquidissimæ suavissimæque voluptatis, accedamus ad hunc fontem, sed in veste gratiæ & cum gratia. Invisamus nostrum amicum, sed non sine gratia. Bonitatem ejus apprehendamus; cùm gratia tamen; rapiamus hunc thesaurum, sed non nisi cùm gratia; qua sine mera nos premet paupertas, malitia retardabit, à bonitate ab honore Regio repellet vilitas, impuritas denique à purissimo cœlestium deliciarum fonte avertet.

§. 13. *Opposita inter gratiam & peccatum mortale.* Ex quibus universis facillimum est colligere, quanta sit gratiæ dignitas, atque excellentia, & contra quanta peccati mortalis malitia; quod solum, & unicum gratiæ est contrarium, eamque ex corde vel anima hominis expellit, ideo sicut gratia nihil pulchrius, sic peccato mortali nihil fœdius. Gratia est formositas, vita, lux, gaudium, vestis animæ. Peccatum mortale, turpitudo, mors, tormentum, tenebræ, ruina animæ. Gratia, ornamentum & reparatio imaginis DEI, peccatum motrale, destructio. Gratia efficit soles, & lucidissimas stellas, peccatum morte carbones, & nigerrimos Æthiopes. Per gratiam anima est sedes, thronus, aula, thalamus sanctissimæ Trinitatis: per peccatum mortale efficitur sedes, domus, atrium, palatium Diaboli. In animâ ornatâ gratiâ, habitat Deus, sine illa, moratur in illa Satan. Gratia animam vivificat, peccatum mortale occidit. Gratia facit nos participes sanguinis, mortis, & Crucis Christi; peccatum mortale illis privat, imò facit reos sanguinis Christi. Per gratiam efficimur filii adoptivi, quibus debetur æterna possessio, & gloria; peccatum mortale facit nos primogenitos diaboli, quibus paratus est ignis æternus. Per gratiam denique sumus amici Jesu, per peccatum mortale, ejus hostes & inimici. Verbo dicam omnia & finiam; Gratia est vestis nuptialis, in qua vocandi sumus ad nuptias Agni, peccatum mortale vestis mancipii, de quo in agone dicetur à judice, *ligatis manibus & pedibus projicite in tenebras exteriores. Caveamus ergo ne hanc terribilem irati Judicis vocem audire mereamur, simus solliciti de veste nuptiali, ut coram nuptiis Agni in illa appareamus formosi, purissimi, & omnibus peccatorum sordibus immunes.*



CONCIO L.

DOMINICA XXI. POST SS. TRINITATEM.

Domine descende, priusquam moriatur filius meus.

Joannis 4. v. 49.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Parentes filiis præludere debent bono exemplo.

§. 1. *Tribulatio fuit funiculus, qui traxit Regulum ad pedes Christi.*

§. 2. *Multum potest amor parentum, præsertim si filiis præluceant bono exemplo.*

§. 3. *Filii boni sunt honor, & gloria, & gaudium parentum.*

§. 4. *Parentes plerumque sunt causa, quod filios habeant perversos.*

§. 5. *Quales enim sunt parentes in vitiis, tales sunt filii.*

§. 6. *Probatur ex S. Scriptura.*

§. 7. *Locus de Abraham & ejus filiis.*

§. 8. *Corollaria ex dictis.*

§. 9. *Simile de arbore bona, & mala.*

§. 10. *Judai filii pessimorum parentum.*

§. 11. *Cur pueri quinquennes sint blasphematores.*

§. 12. *Filia imitantur mores matrum.*

§. 13. *In virtutibus & vitiis.*

§. 14. *Sunt philomela.*

§. 15. *Vel Corvi.*

§. 16. *Mina Christi D.*

§. 17. *Filii imitantur mores parentum ex S. Chrysost.*

§. 18. *Prosecutio.*

§. 19. *Abraham fuit speculum Isaaci.*

§. 20. *Cur Christus D. fuerit vocatus filius David.*

§. 1. Tribulatio fuit funiculus, qui traxit Regulum ad pedes Christi.

ADverto 1. ex hodierno Evangelio, gloriosum fuisse Salvatori nostro, etiam viros principes coram eo prosterni in genua; sic ait initium Evangelii, *Erat quidem regulus in Capharnaum*, in Græco est, τὶς βασίλικος, id est, quidam regius palatinus, vel primarius aulicus Regis Herodis, vel ita vocatur, quod fuerit, de ejus genere, & san-

& sanguine Alii interpretes legunt, βασιλίσκος, hoc est regulus, quo nomine vocabantur, non tantum parvi Reges, aut Regis filii, vel cognati, sed Regionis & Provinciæ alicujus præsides, gubernatores administratores, & talis fuisse videtur regulus in hod. Evangelio, gubernator urbis Capharnaum nomine Herodis. Sed quiscunque fuerit; cum ante oculos ejus jaceret triste spectaculum, moribundus filius, & audiret mirabilia, quæ Christus D. patrabat, cogitavit & se salutem posse obtinere pro filio, & ideo accurrit ad Christum. Tribulatio fuit funiculus quo tractus est ad JESUM. Psalm. 15. v. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Psalm. 31. v. 9. *In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Si DEus quosdam ad se trahit duris catenis tribulationum; alios verò aureis adducit vinculis charitatis. Mi JESU, trahe nos ad te, modo quo libuerit, dummodo trahamur.

§. 2. *Multum potest amor parentum præsertim si filiis præluceãt bono exemplo.*

Adverto 2. quàm potens sit amor parentum erga filios, l. 2. Reg. cap. 12. v. 16. narrat, quibus lachrymis, quo clamore cordis, tristis David clamarit ad DEum, ut mortem averteret à filio, quem susceperat ex Betsabee. l. 4. Reg. cap. 4. v. 1. 27. legimus, quomodo Sunamitis properarit ad Elisæum, quo pacto se humiliarit, quibus precibus prophetam fatigarit, apprehendens pedes ejus, ut vitam restitueret filio. Matth. 9. v. 18. eadem causa ad Christum adduxit Principem Synagogæ. Amor filialis instigavit Chananæam ut à longè ad Christum ad liberandam & sanandam filiam à fluxu sanguinis celerrimo cursu festinaret Matt. 15. v. 22. Sic omnia parentibus persuadet amor erga filios. Et laudabiles sunt, dum sollicite pro prole vigilant; modò, non tantùm circa filiorum corpora sint solliciti, sed etiam quoad animas, id est, ut piè & Christianè educentur. Hanc materiam sæpius tracto; modò ostendam parentibus laborandum esse, ut in omnibus liberis suis bono studeant exemplo prælucere, nam certissima est hæc maxima; ut plurimum quales sunt parentes, tales & liberi, & quemadmodum, ut vulgò inquiunt, *mali corvi malum ovum*; ita econtra ex probis probi, ex humanis humani, ex devotis devoti filii parentibus, velut ex sanis arboribus sani pariter surculi pronasci solent. Spero equidem fore, ut si hac de re dicentem pro more benevolis auribus acceperitis, nec me dictionis, nec vos habitæ in audiendo curæ ac modestiæ pœniteat.

§. 3. *Filii boni sunt honor & gloria & gaudium parentum.*

Summus honor & gloria, spes & solatium, præcipua Dei benedictio super conjuges pios & sanctos, super parentes cõsistit in prole pia & sancta. Summa verò crux, causa ingentis tristitiæ, gravis Dei pœna, & ingens maledictio, sunt liberi impii. Prov. 10. v. 1. *Filius sapiens lætificat patrem; filius verò stultus mæstitia est matris suæ.* Sunt quidam filii gloriæ, per quos parentes honorantur, alii, vers. 5. cap. 10. *filii confusionis*, per quos parentes confundũtur, pulchrè de Abrahamo dixit D. Chrysostom. Hom. 45. in Gen. *Isaacus Abrahamo*

mo filius à DEO datur, quo quasi diademate pulcherrimo, post tot victorias, qui optimè certaverat, coronatur. Isaacus ille pius, ille obediens filius, fuit corona gloriæ. De Davide verò dixit S. Augustinus in l. 2. Reg. cap. 18. *Se filio, quasi Dei flagello verberatum vidit.* Flagella parentum sunt filii rebelles & reprobi.

§. 3. *Parentes plerumq; sunt causa quod filios habeant perversos.*

Verùm si rem altius considerare velimus, inveniemus parentes plerumq; sibimetipsis tales virgas parare, & colligare. Scilicet illos, qui de bona filiorum educatione, non tantum non sunt solliciti, sed illos insuper malo exemplo ad malum trahunt. Licet enim fiat, ut subinde parentes optimi habeant proles pessimas, plerumq; tamen accidit, & sæpius ut parentes sancti, liberos habeant sanctos, & improbi improbos, unde origenem traxit illa maxima; *quales parentes, tales filii*, præcipuè in malo, ad quod plerique in juventute, procliviores sunt, quàm ad virtutem.

§. 5. *Quales enim sunt parentes in vitiis, tales sunt filii.*

Illa verò maxima; quales sunt parentes in sceleribus, tales plerumque sunt liberi, fundatur in sacris literis, Gen. 9. v. 22. *quod cum vidisset Cham* (scilicet nuditatem dormientis patris) *pater Chanaan*, cum tamen certum sit Chanaan tum necdum fuisse natum, cum Cham tam fuit irreverens erga parentem. Sed sacer textus diu ante insinuare voluit, qualis esset futurus filius Chami; imprudens, qualis erat pater, libidinosus, irreverens, qualis pater. S. Ambrosius: *Pater in filio, & filius in patre redarguitur, habentes stultitiæ, nequitiæ, impietatis quoq; commune commercium, nec poterat fieri ut bonum generaret filium, qui bono patri nequam filius & natura & eruditionis degener extitisset*, mens S. Ambrosii est, impios patres raro educare filios probos; quales ipsi sunt, tales hi evadent.

§. 6. *Probatur ex S. Scriptura.*

3. Reg. 15. v. 3. ait de Abia Rege; *Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum.* Pater Abiæ fuit Roboam, sed qualis pater, talis filius. Roboam (2. Par. c. 12. v. 1.) *dereliquit legem Domini*, hoc fecit filius ejus Abia, Roboam, *fecit malum, & non præparavit cor suum ut quæreret Dominum*; hoc fecit Abia filius. Roboam fuit homo mollis, & effœminatus; talis quoque filius Abia. Roboam deniq; adoravit Deos alienos, hoc fecit Abia ambulavitque in omnibus peccatis patris sui. Causam advertit Abulensis in hunc locum q. 1. *Dum enim filius in patre Rege flagitia inspiciebat, se ad patris imitationem excitabat; neque enim principe indigna esse scelera censebat, quæ non aliena Regi fuisse inspectabat*, & D. Chrysost. hom. 1. in Matth. *Nomen suum Abia adimplevit; Abias enim interpretatur, vel pater veniens, vel, quasi alter nascens; vel patris mei hic, imago; dū namq; similis extitit patri, quasi in eo pater revivisceret, in illius moribus iterum Roboam in vitam venit.* Quot hodie impii parentes reviviscunt in filiis.

§. 7. *Locus de Abrahamo in ejus filiis.*

De filiis Abrahæ ait Hugo Card. in c. 17. Gen. *Quilibet namq; verus Abrahæ filius, ipsum Abraham virtutibus ita in se ipso exprimere debebat, ut quicunq; filium videret, non Abrahæ filium, sed ipsissimum Abraham in eo multiplicatum esse judicaret.* Videres Isaacum? admirareris in eo emi-

eo emicantes dilecti patris virtutes; suspiceres obedientiæ constantiam, fidei soliditatem obstupesceres. Jurares in Isaaco revixisse Abrahamum, atque ex emortuis pientissimi parentis artubus ac membris resurgentem perfectæ virtutis imaginem prodiisse. O si hac quoque tempestate nostra, parentes virtute præditi post fata sua in leris viverent nepotibus! Sed heu! contrarium fere usuvenire consuevit; vivunt plerumque à morte in filiis, ac nepotibus parentes; sed illi impii, turpes, perversi, vitiis addicti; non Abrahami, non Davides pœnitentes, aut Magdalenæ; sed Caini, Pharaones, Nabuchodonosores, filii hujus sæculi, ac vanitatis.

§.8. *Corollaria ex dictis.* Ex quo discursu has propositiones advertite. 1. plerumq; filii ambulant in peccatis parentum, cavete parentes, per vestra Scelera, quæ committitis coram filiis, viam ad eadem crimina illis ostenditis, & sequentur. 2. filii vestri, cum in vobis, in vestris moribus, veluti speculis flagitia vestra inspiciūt, ad imitationem se excitant, judicant non esse se indigna, quæ non aliena vobis inspectant. 3. Scelera parentum in filiis reviviscunt, vocari possunt mali filii, Abiæ, id est, sunt novi mali patres, venientes, sunt iterum nascentes, sunt mali filii malorum parentum, sunt imagines deformatis parentum speculis reflexæ. 4. plerumque filii fiunt pictores, qui in se suos parentes moribus vel bonis, vel malis, ad vivum exprimunt, ut quasi multiplicentur. Certissima est mea maxima: quales parentes, tales filii.

Pulchro simili eandem declarat Christus D. Matth. 12. v. 33. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Siquidem ex fructu arbor cognoscitur.* Patet experientia; quales arbores, tales surculi, tales fructus, in rhamno non crescunt uvæ, ex rubo non progerminant poma. Sensu mystico, Matrimonium horto, conjuges comparantur arboribus, surculi, flores & fructus sunt liberi; flosculi in infantia, in pueritia, in adolescentia, donec ad omnem, ut fas est, pietatem maturescant, fructusque proferant virtutum & honestatis; hinc fit; cum pater v. g. in aliqua familia, fœcundam refert olivam, per virtutem misericordiæ; filii plerumque sunt olivæ novellæ similes patri, id est, misericordes, charitate pleni, compassione. Cum pater est exaltata palma per Christianam fortitudinem, & filii crescunt ut palmæ &c. idem dicere possumus de floribus; ex radice lilii, nova crescunt lilia, de rosis, rosæ. Fundamentum hujus similitudinis ab æterna veritate de arboribus prolatæ observavit Regius Psaltes Psal 51. 10. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini.* Ps. 127. vers. 3. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ; filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum*, ad Rom. 11, 16. *si radix sancta, & rami.* Theophilactus, *necesse est, radici ramos assimilari; sic parentibus filios*, si parentes sancti, & filii. Contra, simili fere ratione, cum rhamnus est pater, verbis in obvios acutus, maledictis, imprecationibus, blasphemiis hor-

§.9. *Simile de arbore bona & mala.*

horridus, rhamnus est filius, & cum patre in aliorum perniciem pestiferæ linguæ stringit aculeos. Si spina est pater, spina est & filius. Si naturam sterilis Sycomori aut ficus fatuæ imitatur impœnitens genitor; imitabitur & filius, si noxias jacit umbras pessimi exempli parens, feralis instar cupressi aut fraxini; arboris hujus ramus est filius à quo mitius nihil sperare queas, vel ad vitæ, morumque incolumitatem salubrius. Pereant tam nefandæ scelerum radices, ne stirpem post se relinquant infaustam, maleq; adeo ominatam.

§. 10. *Judæi filii pessimorum parentum.* Caput 23. S. Matthæi, est acerrima invectiva contra scribas & Pharisæos. 1. vocat illos hypocritas, *omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias, amant primos accubitus, primas cathedras, salutationes, volunt vocari Rabbi.* 2. vocat illos deceptores & seductores, ait enim vers. 13. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* 3. Sanguinarios, & post varia objecta scelera, addit Salvator, *quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt.* q. d. machinamini mihi mortem, quæritis me interficere, sanguinem meum sititis; non est mirum, estis filii impiorum parentum, qui occiderunt prophetas; horum vestigiis insistitis. Estis murmuratores, tales fuerunt parentes vestri ab initio in deserto contra Moysen & Deum. Pergit ideo Christus D. vocans illos, v. 33. *serpentes & genimina viperarum.* q. d. tales fuerunt vestri prædecessores, tales estis & vos.

§. 11. *Cur pueri quinquennes sint blasphematores.* Colligo hinc causam, ob quam hodie in multis ædibus inveniantur parvi serpentes, pueri annorum vix decem aut duodecim, quibus venenum est sub lingua, quibus blasphemare ludus est, jurare, exsecrari, proferre verba, quæ piæ castæque aures exhorrescant, solenne. Causam inquiritis? genimina sunt viperarum, Pater, Mater sunt tales serpentes, ab his sugitur cum lacte venenum.

§. 12. *Filiæ imitantur mores matrum.* Verissima hæc quoque sunt in matribus, & filiabus, ideo Philosophus Polit. 8. *Ordinantē politiam, non modicum attendere oportet ad mulieres; imò valde multùm, quia dimidium filiorum mater est,* imitantur filiæ præcipuè mores matrum. Marc. 6. ait v. 22. *Cum introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi,* non dicitur, cum saltasset aliqua virgo, vel puella, sed cum emphasi additur nomen *matris*, ut sciamus, quare filia illa tam fuerit impudens, quare lasciva, quare saltatrix, quia mater Herodias talis fuit, mater fuit lasciva, ergo & filia; mater fuit adultera, talis & filia.

§. 13. *In virtutibus & vitiis.* O filiæ Herodiadis! O mali corvi malum ovum! nimirum quales matres, tales filiæ, vidistis puellam superbiæ mundiq; vanitatibus addictam magis, quàm cultui divino? perpendite, an non à matre didicerit. Obstupescitis aliquarum in loquendo levitatem, in mentiendo protervium, in decipiendo fallaciam? didicerunt à matribus. Miramini aliquarum in agendo licentiam, libertatemque à virginali statu, ac dignitate alienam? à matribus didicerunt. Indignamini obloquacularum in tem-

in templis, quas tota urbs novit, impudentiam? quid volumus? mali corvi malum ovum, didicerunt à matribus quidquid mali comittere assueverunt, & in vestibus superbiam, & in prodeundo licentiam, & petulantiam in moribus, & libidinem in oculis, & in gestibus rusticitatem, & in lingua impudentiam, & si quæ sunt ejusmodi generis alia; universa hæc mira quadam facilitate, suis à matribus infelices filiæ didicerunt. O malarum arborum umbræ maledictæ! O mali Corvi malum imò pessimum ovum! contra, egredimini quæso unà mecum Auditores, ædium quarundam hac in urbe cubicula; sed nec hoc opus est, ipso tantum in limite state, & videte juvenes quosdam probè à parentibus educatos, ut moribus sint compositis, ut modestiam præ se ferant in fronte, demissionem in oculis, in verbis affabilitatem, ut omnia illorum seu dicta, seu facta, piam spirent indolem, atque animam innocentem. Jam si paulo progrediamur ulterius, & quid ipsis illorum in ædibus, in cubiculis, in hypocaustis, in mensâ, in lecto, visu dignum occurrat, lustremus, mirabimur variam pietatis suppellectilem, hic sanctorum imagines, ibi Christi è Cruce pendentis effigiem, illic iconem magnæ Matris Virginis, alio in loco constructam ad pietatem altare, & alia talia pietatis argumēta, quæ universa genuinæ laudis materia in vos redundat parentes optimi; vestram auget in animo lætitiā, in fortunis felicitatem, in morte solatium, æternam denique in cœlis, quot filii claruerunt virtutibus, illustrat coronam totidem gemmis.

Sed audiamus de hac eadem re loquentem Ambrosium, l. 5. Examer. cap. 22. quærit, quare philomela eo tantum tempore moduletur tam suaviter, quo incubat ovis, ut excludat pullos: durat cantus matris, donec pulli volare & cantillare sciant, respondet sanctus Doctor; lusciniam veluti reginam, & præsidem avium in cantu, à principio statim pullis præcinere, ut discant suaviter canere; cantum matris imitantur pulli, accipite ipsa verba S. Ambros. *Quid autem de luscinia dicam, quæ pervigil custos, cum ova quodam sinu corporis fovet, & gremio, insomnem longæ noctis laborem cantilenæ suavitate solatur, ut mihi videatur hæc summa esse ejus intentio, quo possit non minus dulcibus modulis, quàm sinu corporis animare in vitam ova, &c.* Discite matres à lusciniis, quales erga prolem esse debeatis. 1. ut sitis ejus vigiles custodes, ut alis vestris tegatis contra eos, qui nocere possunt. 2. ut foveatis calore magni amoris, 3. ut ab infantia suaviter illis præcinatis. O suaves modulos, cum in aliqua familia, parvulorum & parvularum, trium aut quatuor annorum, prima vox mane est, *IEsus Maria*, cum prima expergefactorum è somno tessera est, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Novi tales luscinias, non novissem, nisi præcentores habuissent parētes optimos optimi liberi. O suaves modulos, dū parvuli quotidie recitant rosarium, dum vesperi cantillant litanias, dum corā altari domestico abjecti in genua priusquam lectulo se credunt, cōsuetas Deo, divisq; cœlitibus preces, ac comendationes matutinas, æquè ac

§. 14. *Suus philomela.*

vespertinas persolvunt, novi ædes, in quibus sunt tales philomelæ, non novissem nisi parentes talia præcinerent.

§.15. *Nidi Corvi.* Contra verò aliæ sunt ædes, atque utinam paucissimæ, quas non mites incolunt columbulæ, non agnelli, non oves, non philomelæ; sed crocitantes corvorum pulli; illorum è nidis seu domibus nil nisi invisus seu crocitantium, seu rixantium resonat stridor; vix linguam in bene articulatum sermonē norunt solvere, & audias confestim convitia, juramenta, execrationes, perjuria, blasphemias! apud illos bene manè tonat Jupiter, bene manè fulminat, usq; adeo, ut cum prima infantiæ aurora, quam placidissimam esse oporteret, tam turbulenta surgat malorum, vitiorumq; tempestas. Sed unde quæso hæc tam matutina tempestas? unde hic crocitantium pullorum stridor? ah, ne percontare amplius, mali corvi, malum ovum, quales sunt parentes, tales & filii, quales matres, tales filiæ!

§.16. *Mina Christi D.* Hic parentibus meritò obtrudimus seria illa verba CHristi D. Matth. 18, v. 6. *Væ mundo* (multo magis parentibus) *à scandalis, væ homini, per quem scandalum venit qui scandalizaverit unum è pusillis &c.* & illud S. Pauli ad Rom. 14. v. 15. *noli cibo perdere illum, pro quo Christus mortuus est, noli propter escam destruere opus Dei, peccantes in fratres,* (quanto magis in vestros filios) *& percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis.*

§.17. *Filii imitantur mores parentū ex S. Chrysost.* Sed redeo ad propositam materiam, filii ut plurimum imitantur mores parentum, in vitiis & virtutibus. S. Chrys. Hom. de Josepho dum agit, quàm gloriosè gloriosus Joseph restiterit blanditiis heræ, inducit Josephum sic alloquentem infame scortum: *Ne fallaris; virtutem meam non vinces, Joseph filium Jacob non vinces, illius Jacob, qui in ventre cum esset, supplantavit, ac deinde cum Angelo quoq; luctatus est, ne fallaris; non minus validè, quàm pater luctor,* ecce Josephum castū, quia castitatis amans erat pater, ecce Josephum magnanimum, quia magnanimus fuit pater. Novi ædes hac in urbe, in quibus vivunt Josephi, vel potius Angeli incarnati, qui audent resistere infamibus ancillis, & nefandæ Veneris mancipiis, qui luctantur adversus carnem, & concupiscentias ejus, in precibus, jejuniis, ciliciis, &c.

In promptu est causa; parentes sunt Jacobi, Josephos generant atque educant. Sunt virtutum amantes, sunt patientes laborum, sunt fortitudinis exempla; raro admodum degeneres post se trahit famulos virtus illustris. Sed heus, cur aliis in ædibus tam sunt procaces puellæ, cur tam effrenes pueri ac dissoluti; cur filiæ tam audaces, liberæ atque in omnem turpitudinem projectæ? nolo camarinam movere amplius, dictum est satis; piget rem toties memorare eandem, perstringenda est tamen malorum parentum vita pessima; sæpe adhæret potius ancillæ maritus, quàm conjugi, conjux famulo quā hero; notant hoc pueri, animadvertunt puellæ, hinc scandalum, hinc malorum fomes, hinc libidinis incentivum, hinc rectissima filiis ad perditionem semita monstratur. §.18. *Prosecutio.*

Gen. 20. c. v. 1 describuntur peregrinationes Abraham in Cades, in Sur, in Geraris, §.19. *Abraham.*

fuit speculum Isaaci. Geraris, immensos labores tulit animo constantissimo. Divus Chrysostomus Homilia 45. in Genesi. *Ut postea Isaacus filius Abrahami inibi peregrinus, facilius patris sui exemplo commotus, peregrinationis laborem sustineret.* Genesis 14. vers. 20. pro gratiarum actione Abraham dedit decimas ex omnibus. Divus Chrysostomus Homilia 35. in Genes. *Primus Abraham DEO decimas dedisse refertur, quia tunc de conferendis decimis praeceptum extaret, ut postea fidelis quisque Abrahae filius, tanti patris exemplo excitatus, praeceptum de solvendis decimis imponendum, facilius observaret*: tantum possunt exempla parentum. Sanctus Chrysologus sermone tertio: *Parentis vitium est filiorum exitium.*

§. 20. *Cur Christus D. fuerit vocatus fili us David.* Finem imponam suavissimis verbis, quibus frequenter suavissimum nostrum IESUM compellamus, *Iesu, fili David miserere nostri.* Matthaei 9. vers. 27. *transeunte Iesu, secuti sunt eum duo caeci, clamantes & dicentes, Miserere nostri fili David*, eundem titulum plures alii, praecipuè in necessitatibus constituti Christo Domino dederunt, causam ingeniosè advertit Sanctus Augustinus hic; fecisse id non tantum honoris causa, sed voluisse suavissimo hoc titulo misericordiam extorquere, quasi dicerent: O JESU, tuus Pater, quam fuit mitis, mitissimus ille David! quam fuit suavis suavissimus ille David! quam fuit misericors erga suos, misericordissimus ille David! Si ille est pater tuus, quaeso & tu, tanquam filius, esto mitis, suavis, misericors, miserere nostri. Et revera talis fuit dulcissimus ille Filius David. Sanctus Augustinus. *Et continuo misericordiae ejus lumen receperunt, quia verum erat, quod clamaverant.* Si lubet, subinde dicite, JESU fili Mariae miserere nostri. Mitis, suavis, dulcis, misericors, mitissima, suavissima, dulcissima, misericordissima Mater fuit Maria. JESUS mitis, suavis, dulcis, misericors; mitissimus, suavissimus, dulcissimus, misericordissimus filius fuit JESUS; quales parentes, tales filii, hoc volui hac Concione demonstrare.

Amen.



CONCIO LI.

DOMINICA XX[illegible] POST SS. TRINITATEM.

Sic faciet vobis Pater meus cœlestis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Matth. 18. verſ. 53.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUam ſit glorioſum ignoſcere inimicis, & quomodo debeamus ignoſcere.

§. 1. *Mites ab omnibus diliguntur.*

§. 2 *Pretium amoris eſt amor, & ideo amantur, qui amant inimicos.*

§. 3. *Regium eſt condonare injurias.*

§. 4. *Pugna* [illegible]*vidis, & victoria contra Goliath fuit illi glorioſa.*

§. 5. 1. *Reg.* 24. *Glorioſior fuit qua pepercit Sauli in ſpelunca.*

§. 6. *Altera de Saule Victoria.*

§. 8. *Quam extollit D. Greg Nyſſenus.*

§. 8. *Tertia victoria de filio Abſolone.*

§. 9. *David lugens ejus mortem.*

§. 10. *Ethnici agnoverunt eſſe hoc glorioſum.*

§. 11. *Proſopopœia loquentis imperatricis ad Auguſtum, ut parcat Lucio.*

§. 12. *Proſecutio.*

§. 13. *Proſecutio.*

§. 14. *Auguſtus ignovit Lucio, & habuit amicum.*

§. 15. *Per dilectionem inimicorum proximè accedimus ad ſimilitudinem DEI.*

§. 16. *Quare aliqui ſub Cruce clamarint,* hic erat filius Dei.

§. 17. *Locus ex ſancto Gregorio Nyſſeno.*

§. 18. *Aurea regula ex ſancto Paulo, ſecundum quam debemus ignoſcere.*

§. 19. *Affixit illud Cruci.*

§. 20. *Suſtulit, caſſavit, abolevit, laceravit &c.*

§. 21. *Si illum librum in quo Deus juſtitia noſtra debita notavit, velimus comburi.*

§. 22 *Pia deſcriptio ignoſcentis inimico.*

§. 23. *Ignoſcat, cui Deus toties ignoſcit.*

§. 24. *Heroicum dictum Ducis Guiſii.*

§. 25. *Aliud Sultani.*

§. 26. *Apoſtrophe ad illos, qui nolunt ignoſcere.*

§. 27. *Apoſtrophe ad IESU M Crucifixum.*

Eximi-

§.1. *Mites ab omnibus diliguntur*

EXimium est Christiani hominis elogium, si de illo dici possit, quod Ecclesiasticus dixit de Moyse c.45. v.1. *Dilectus Deo & hominibus.* Syrus, *Dilectus coram Deo, & etiam in oculis hominum.* Nimirum causa, cur Moyses Deo, & hominibus fuit dilectus, fuit eximia ejus virtus, mansuetudo præsertim, de qua Siracides v.19. c.3. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.* Moyses autem *erat vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Numer 12. v.3. potissimum verò erga æmulos atque adversarios. Dilectum Deo fecit illum Dei amor, perfecit obedientia, confirmavit oratio, contemplatio juvit, denique divini honoris, & gloriæ zelus conservavit. Dilectum proximo fecit amor proximi, cura, & beneficentia, præsertim erga hostes, qua quis illis in necessitate constitutis succurrit, pressis opitulatur, succumbentibus amicam porrigit dexteram.

§.2. *Precium amoris est amor & ideo amantur, qui amāt inimicos*

Et quidni merito talis diligeretur ab aliis, cum, ut ait Lyra in lib Reg. *Æquale pretium amoris sit amor.* Abulensis ibi de Absolone, *Amore suo omnibus manifestatio, quasi justo pretio omnium emerat affectionem.* Quod si nos à Deo & proximo diligi volumus, diligamus Deum; eodem deinde feramur amore in proximum, inimicum perinde atq; amicum. Dilectionis erga inimicum objectum est, condonatio, & remissio injuriarum, quam Christus D. in hodierno Evangelio pulchra parabola nos docet, ut scilicet, quemadmodum Pater cœlestis nobis, (qui debitores sumus) multorum talentorum debita, id est, grandes injurias dimittit, idem & nos debitoribus nostris, faciamus: verbo, ut exemplo Patris cœlestis inimicis nostris, de cordibus nostris ignoscamus. Hoc regium, hoc gloriosum, hoc divinum est opus; id ubi prima parte concionis ostendero, altera ex Gentium Doctore auream præscribam regulam, ex cujus norma juxta exemplar Christi directa, nos proximo omnem injuram condonare oporteat. Si quidem id ipsum nobis à Patre illo cœlesti fieri exoptamus.

Primam propositionis meæ partem Divo debeo Chrysostomo sic inquienti Homilia 5. de David & Saul. *Regium est condonare injurias, hic est enim solidus honor.* Et S. Isidoro lib. 6. solil. *Magna est virtus, si non lædis eum, à quo læsus es: magna est gloria, si, cui potuisti nocere, parcas* §.3. *Regium est condonare injurias.*

Conspirant hi SS. Patres, regium juvenem Davidem majorem gloriam fuisse assecutum, dum l.1.Reg. 24.v.5 in antro pepercit Sauli, quem regia hasta trucidare poterat, quam cum in valle therebynthina de Goliatho triumphavit. Hæc sunt verba S. Chrysost. *Hæc est gloriosa victoria: egregius est enim magis exultans, quam cum Goliath dejecisset, & barbari caput amputasset. Siquidem hac illa magnificentior erat victoria, hoc gloriosius trophæum.* Idem omninò arbitror.

Fuerit quondam non exigua oculorum recreatio, ut fuit, spectare pastorculum Davidem, adversus carneum Philistinorum propugnaculū, Goliathum, audaces promoventem gressus, jam- §.4. *Pugna Davidis & victoria.*

contra Goliath fuit illi gloriosa. jamque funda & lapidibus instructum congredientem, certantem, triumphantem. Fuerit non minus volupe, in ejusdem dextera conspicari victorem gladium, inimico sanguine tinctum: fuerit gratissimum spectaculum videre ejusdem triumphalem in Ierosolymitanam civitatem ingressum, audire festos populi applausus, intelligere lætissimas filiarum Ierusalem acclamationes, *Percussit Saul mille, David decem millia*, intueri congratulantium, summorum juxta, ac infimorum turbam, ipsum etiam Davidem præ se ferentem in apice felicis lanceæ, infixum & adhuc manans sanguine barbari caput; fuerint hæc inquam, non minus visu perquam illustria, quam auditu jucunda: verum aliud superest in Davide spectaculum, superioribus, ausim dicere, longè illustrius & pulchrius.

§ 5. Nimirum spectare illum egredientem, non ex ovium caula vel Saulis aula, sed antro in deserto Engaddi, & pro symbolo partæ victoriæ Saulis fimbriam manu gestantem; in signum quod hosti, quem id temporis facili negotio, nec animadvertente regiorum satellitum quoquam, delere potuisset, liberè & citra damnum aliquod, abeundi copiam fecisset. O nobilem palmam! O regiam victoriam! O gloriosum facinus! ardentissimum hostem, ardentissimè amantis Davidis! O David! O excelse juvenis! O victor post homines natos longè celeberrime; merito tibi ob hanc ab hoste partam victoriam, tam insolitam, tamque inusitatam, non minus acutè, quam eleganter accinit doctus vates, Age, adverte animum ad tuas laudes, quas ille sic cecinit:

1. Reg. 24. Gloriosior fuit qua pepercit Sauli in spelunca.

Emanuel Thesaurus tit. David.

Dum spoliandum te tradit hosti Saul Rex
Ipse sibi venit in spolium:
Tametsi partem tantum abstulisti vestis,
Vt exueres eum feritate, non vita,
Purpuream scidisti chlamydem ferro,
Muricis contentus cruore, non hostis:
Ideo dignus visus, qui regiam indueres purpuram.

Verùm quando unam Davidis in dilectione hostis audivistis victoriam, Auditores, intelligite & alteram; non una tantum palma contentus, fuit generosi juvenis excelsus & regius animus Enimverò lib. 1. Reg. cap. 26. v. 7. 8. cum Abisai venit *nocte in castra, & invenerunt Saul jacentem & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput ejus, Abner autem & populum dormientes in circuitu ejus* Potuisset David momento occidere hostē, id suasit Abisai, *Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas, nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, semel, & secundo opus non erit.* Quid David? accipite egregiam regii animi vocem: *Ne interficias eum*, ajebat, *vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut in prælium descendens perierit, propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini; Tolle hastam, quæ est ad caput ejus, & abeamus.* § 6.

Altera de Saule victoria.

Hoc regium facinus miratur, & deprædicat D. Greg. Nyss. in expos. Psal 58. *Ingreditur tentorium hostis sui, quem cum somno sopitum in lecto deprehendisset, non solum continuit propriam manum, properantem fortassis ut ira indulgeret,* § 7.

Quam extollit D. Greg. Nyssenus.

geret, & obsequeretur: sed & armigerum jam jam trucidandam Saulem festinantem, Perfodiam eum &c. abducit ab illo impetu, adjecta insigni illa, & ubique decantata voce, ne disperdas eum, qui nos disperdere tanto conatu molitur: & licet sciret, se aliter regiæ potestatis, pro qua unctus erat, compotem fieri non posse, nisi Saul è medio tolleretur, tamen vitam illi condonavit. In signum regiæ victoriæ, hostis lanceam ex tentorio secum detulit in triumphum, quod ante palam affirmare non dubitavi, hanc fuisse gloriosissimam herois nostri victoriam, hoc palmare factum, hoc verè regium monumentum!

§. 8. *Tertia victoria de filio Absolone.* Sed jam ad tertiam quoque palmam evocatus prodeat denuo in theatrum gloriæ mitissimus erga hostes & gloriosissimus David. Scitis ex libro 2. Reg. c. 18. v. 5. quod ducibus ultimo prælio contra Absolonem conflicturis dixerit: *Servate mihi puerum Absolon.* Eleganter iterum de hoc S. Chrysost. l. 3. de provid. *Quid est, quod tibi servari jubes eum, qui, ut te perderet, in te universum Israelem concitavit, & ab eo acclamatus Rex, adversus te Regem, & patrem suum impudentissimè pariter, & impiissime rebellavit: an tibi servari imperas à te ipso jugulandum eum, qui te desiderat jugulare?* Absit hoc à mitissimo pectore mitissimi Regis & amantissimi Patris. *Puerum sibi asservandum jubebat, ut illum sibi quasi amoris sui trophæum, unicum ex victoria sibi charum spolium conservaret, & hoc modo de furore filii adversus se Pater mitissimus triumpharet.*

O regium animum! O iterum nobilem palmam! Absolonem filium rebellem, ingratum, perfidum, impium, sceleratum Deo, Divisque invisum juvenem, in turpem fugam, prout meruerat, compelli, ejus exercitum profligari, cædi hostes, nequaquam suum esse triumphum duxit triumphans David: hinc nec illius infortunio lætari, nec hostilium gaudere internecione castrorum, nec tragico felix ex arbore suspendio delectari, quin potius illum jam in sua fata ruentem deplorare, lugere exitio proximum, jamque per miserabilem in arbore catastrophen pendulo atq; infelicem animam agenti parentare, ingeminatis illis suavissimis paterni pectoris vocibus, *Absolon fili mi, fili mi Absolon, quis mihi det, ut moriar pro te.* Hoc regium Davidis erat studium, vitam reddere illi, à quo non nisi mortem expectasset. Hæc excelsa illius vota, acerba omnia, necemque subire pro eo, à quo sibi hæc eadem parabantur: hæc desideria, suam pro adversarii incolumitate salutem, fortunas, coronam, sceptrum, denique sanguinem, & vitam exponere. Hoc regium, hoc excelsum, hoc gloriosum fuit opus! §. 9. *David luget ejus mortem.*

Etiam Ethnici agnoverunt. Refert Quintus Curtius libro quarto. Cæsarem post obtentam victoriam, hostesque cæsos, postridie in castris jussisse proclamari, illum esse diem condonationis, & veniæ, etiam pro hostibus & rebellibus; moxq; è militibus nobiliorem quendam ad Cæsaris pedes abjectum in hæc verba erupisse: *O Cæsar, semper equidem nobilissima te novi* §. 10. *Ethnici agnoverunt esse hoc gloriosum.*

novi natura, sed hodie plane attonitus obstupesco; dum enim omnium injuriarum oblivisceris, & inimicos in amicorum recipis numerum absque comparatione hesterna efficeris gloriosior victoria. Sapienter hæc Ethnicus miles, sed Christianè Sanctus Chrysostomus citatus, *qui læsus inimicis parcit, jam gloriæ coronam habet in capite.* Hac virtute Reges etiam hostium rapiunt animos. Conspirarat Lucius Cinna in caput Augusti Imperatoris; hic certior de proditione factus, rem aperuit soli Imperatrici, in ancipiti negotio ab illa petens consilium. Fœmina sapientissima paucis sic peroravit.

§. 11. *Prosopopœia loquentis imperatricis ad Augustū ut parcat Lucio.*

Miraris Auguste, quid sit, quod hactenus tot undique procellis, & fluctibus jactata sit imperii tui navis, quod in tot impacta periculorum syrtes & charybdes, tot, sive hostium ludificantium sibilis, sive adversis conjurantium veluti ventis exposita, in quam modo violento planè impetu insurgat rebellium tempestas militum, modo iratorum turbo belli ducum atque imperatorum incumbit, & velut exalto in subjectas palatii tui sedes terrificum quoddam fulmen minatur, universa tecum aula attonita & obstupescente, unde tanti hi motus, ac fluctus, tanta rerum omnium perturbatio, tanta, tamque diuturna imperii tempestas exorta fuerit; cui vel omnino componendæ, vel etiam infringendæ duntaxat, nulla Cæsaris sufficere queat majestas, nulla par esse potentia.

§. 12. *Prosecutio.*

Si lubet, me tantisper ausculta, Auguste, fundum malorum despicio; & causam aperio, quam hactenus nescivisse, tibi, tuisque fortunis vix non fuit periisse. Mali tibi fuere consultores quos ab intimis delegisti concilii: horum parum sanus hactenus acquievisti, consiliis contra tuos hostes & æmulos. Quid enim, (obliti clementiæ, severitatis plus æquo amantes) aliud urserunt, nisi hostium internecionem? quid spirarunt, nisi vel amara verba, vel verbera? quid nisi catenas & compedes, carceres, ergastula, equuleos, gladios & bipennes? quid nisi rotas & carnificinas? cruciatus & tormenta? quid nisi funera & neces, & mille modos artesque necandi? perinde ac si omnis in ejusmodi sæviendi libidine potestas aut victoria, & non potius in clementia, animique moderatione versaretur.

§. 13. *Prosecutio.*

Hinc Auguste, hinc illi plusquam decumani calamitatum fluctus, hinc illa seditionum procella, hinc illæ proditiones, quæ in posterum, mihi crede, non à furoris impetu, sed amoris afflatu, non ab instrumentis crudelitatis, sed gratiæ blandimentis, non ab austero tyrannidis vulturno, sed mitiore amabilitatis Favonio dissipabuntur. Proinde, Augustissime Cæsar, conjugem audi, Ignosce Lucio, non odio persequere, sed prosequere clementia. sic illa.

§. 14. *Augustus ignovit Lucio, & habuit amicum.*

Fecit Augustus, & sic teste Seneca, *Amicissimum, fidelissimumque imposterum habuit Lucium.* sic hosti parcere, regium est, sic inimicis ignoscere, gloriosum est, imo ut in themate dixisse me memini, divinum est opus. Vultis hoc paucis clarius exponam?

§. 15. *Per dilectionem*

Ea est virtus inimicorum dilectio, qua proxime ad ipsius DEI Optimi Maximi similitudinem accedimus, quod

inimicorū proximè accedi ad similitudinem Dei. quod verba Salvatoris hodierno in Evangelio pollicentur. *Ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est.* quæ verba Sanctus Chrysostomus ita legit: *Ut situ similes Patri vestro* additque. *Nihil facit hominem ita similem DEO, sicut inimicis esse placabilem.* Hæc aurei oris & facundiæ orator. Quid verò Cyprianus? ille lib. 3. de zelo & fervore. *Divina,* inquit, *est generositas condonare iniurias*; quin etiam adjunxit: *Nunquam mundi Salvator,* (etiam cum cæcis visum restituit, cum aures aperuit surdis, cum mutorum solvit linguas, cum claudis potentiam fecit ambulandi, cum diversos languidos & ægros sanavit; ausim dicere, cum defunctos è tumulo revocavit ad vitam) *sic indicia divinitatis expressit, nunquam ita manifestis signis se filium Dei ostendit, nunquam ita aptè natura sua indolem repræsentavit; quam cum eos, à quibus gravissimis petebatur offensis, pro suppliciis, beneficiis, pro ultione; benedictione est prosecutus, & potissimum cum in Cruce pro persecutoribus oravit dicens: Pater ignosce illis quia nesciunt, quid faciunt.*

§. 16. *Quare aliqui sub cruce clamarint, hic erat filius Dei.* Sanctus Bernardus serm. 4. hebd S. *Videte nunc opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: flagellis cæsus est, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, & omnium tamen dolorum immemor ait, Pater ignosce illis.* Ideò cum hanc orationem Christi circumstantes audiverunt multi percutientes pectora sua exclamarunt; *Verè filius Dei erat iste*

§. 17. *Locus ex Sancto Gregorio Nysseno.* Et nos per gratiam filii Dei sumus, si inimicis ignoscamus. S. Greg. Nyss. lib. de or. Dom. or. 5. *Propemodum non amplius intra naturæ humanæ terminos conspicitur, sed ipsi Deo per virtutem hanc assimilatur, qui inimico ignoscit; dum facit ea, quæ solius Dei est facere.* Contra, filii diaboli sunt, qui odia fovent. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Iræ, odia, discordia, contentiones, dissensiones, exacerbati sunt animi reliquiæ, & diaboli divitię. Sed modo satis arbitror patet, quam verè regium sit, quam gloriosum, imò divinum opus, ignoscere inimico. Quare ad alteram concionis meæ partem progredior.

§. 18. *Aurea regula ex S. Paulo, secundum quam debemus ignoscere. Christus D. delevit chirographum peccatorum nostrorū.* Ad Coloss. 2. Sanctus Paulus pulchris verbis declarat auream regulam, secundum quam exemplo Christi injuriarum nos oblivisci oporteat. *Delens, quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Nimirum Apostolus perfectissimum prædicat modum, quo Christus Dominus ex infinitæ charitatis visceribus nobis peccata atque universa debita dimittit. De chirographo enim sic habet Origenes Hom. 13. in Gen. *Illud quidem quod dicit chirographum, peccatorum nostrorum cautio est: unusquisque etenim nostrum in his, quæ delinquit, efficitur debitor, & peccati sui literas scribit.* Sive peccata nostra obligatio sunt reatus ad debitum pœnæ æternæ, ita certa ac liquida, ac si chirographo, & manu nostra consignata extarent. Et hoc chirographum coram tribunali Divinæ Justitiæ est nobis contrarium. Deum immortalem! quæ tum nobis mens erit, quis animus Auditores! verùm macti animis!

Salvator siquidem noster Christus

§.19. *Affixit illud cruci* Jesus tulit ipsum de medio, & affixit cruci. S. Ambr. in Ps. 118. locum hunc sic legit: *Ascendens illud patibulum Dominus noster Iesus Christus, peccatorum nostrorum chirographum crucifixit, & totius orbis peccatum suo sanguine mundavit.* Sanctus Augustinus de verb. Dom. serm. 28. *Cautionem tuam tenebat inimicus, sed eam Dominus crucifixit, & suo cruore delevit.* Alii: *Combussit illud igne charitatis, & amoris*; veluti Adrianus Imperator, qui, Spartiano teste, ad colligendam populi Romani gratiam, ingentis debiti, viginti septem millionum, quos fisco debebat, syngraphas in foro Trajano combussit.

§.20. *Sustulit, cassavit, abolevit, laceravit &c. Sic tractemus libellum, in quo injurias nobis illatas notavimus.* Interpretes in explicatione citati versus his verbis utuntur: sustulit, cassavit, abolevit, laceravit, cruce induxit, concerpsit, confixit, clavis perforavit. Universa quid hæc innuunt aliud, quam quod perfectè Christus Dominus nostras nobis injurias, ac debita dimittat. Quo posito, ita lubet disserere: Age mi homo, estne fortassis tua tibi memoria veluti libellus, in quo descripsisti nomina tuorum inimicorum, imò notasti injurias, quibus es appetitus, subscripsisti facta, verba consignasti, addidisti numerum, diem aut horam infixisti, atque hæc vel stylo ferreo, vel ungue adamantino, ut ne aliquam tui vindicandi occasionem prætermittas? Age porro, permitto hunc tibi libellum, non eripio violenter, quod ita tibi curæ esse dictitas.

§ 21. *Si illum, in quo D. Iustitia nostra de-bita notavit, velimus comburi.* Sed alium scias, alium habet divina Nemesis librum, in quo te damnat conscientia propria, quæ & gravissima quæque scelera notavit, & injurias, ob quas reus es læsæ Majestatis divinæ. Liber est ille veluti syngrapha, & chirographum, cui subscripsisti, vi cujus tu reus es æternæ damnationis. Verùm, O bone Iesu! quanta tui est amoris magnitudo! quanta dulcedinis copia, suavissime Redemptor! si modo desideras mi homo, si de peccatis tantummodo doleas, si quam contriti pectoris significationem, vel voce, vel corde pręte feras; en vel ipso hoc momento paratus est tuus Salvator hunc libellum affigere Cruci, inducere Cruce, perforare clavis, & spinis, mundare suo cruore, delere suo sanguine, comburere igne charitatis, tollere, auferre, cassare, abolere, annihilare, lacerare, discerpere. Verbo paratissimus est tua tibi debita dimittere.

§.22. *Pia descriptio ignoscentis inimico.* Sed vade tu quoque ad altare Crucis, ut offeras munus tuum, vade audacter, & prius reconciliare fratri tuo. O pulchrum spectaculum! si libellum injuriarum, quibus læsus es, affigas Cruci, si clavis Christi crucifixi illum perfores, si cruce inducas. O jucundum Angelis spectaculum! si ex roseis crucifixi vulneribus aliquot guttulas pretiosi sanguinis accipias, & ex animo tuo veluti tabula omnes deleas injurias. O jucundum spectaculum! si injicias igni charitatis Christi, & amori Iesu crucifixi tantum concedas, ut inimicis de corde tuo ignoscas. Hæc est regia, hæc gloriosa, hæc divina illa virtus, qua & Christum perfectissimè imitamur, & similes reddimur Patri cœlesti.

§.23. *Ignoscat.* Atque huc collimat gravis illa Sancti Bernardi sententia, qui dum pugno quon-

cui DEus toties ignoscit. quondam percuteretur, ita fertur dixisse: *Oportet eum aliis ignoscere, cui toties ignoscitur à Deo.* & S. August. serm. 5. de S. Steph. *Sed dicet aliquis, non possum diligere inimicũ meum, quem quotidie velut hostem patior crudelissimum.* Cujus mihi acerbus animus, amarulenta dicta, invisus vultus, morte ipsâ videtur acerbior, Heus tu! quis ne es, quod ista inconsideratius effutias, & non potius tecũ ipse perpendas, quàm sæpe, quàm graviter, quàm acerbè tuũ Creatorem, ac Redemptorem, tuum suavissimum Patrem offenderis. Quid ad hoc mi homo, quid? veniat tibi obsecro in mentem oratio, qua obsecras quotidie. *Dimitte nobis debita nostra*, atqui non dimittetur, nisi & tu dimittas.


§. 24. *Heroicum dictum ducis Guisii.* Hoc Pater cœlestis, hoc CHristus Salvator, hoc leges Christianæ à te exigunt. Galliarum heros Guisius ex hoste, qui vitæ ejus insidias struxerat, odii & aversionis causam percontatus, hoc responsi accepit; Movit me ad hoc facinus zelus, & fervor pro mea religione (erat Calvini assecla) quam Guisius persequitur. Reposuit generosissimus Princeps, verba Christiano Duce digna, & cedro inscribenda: *Itane, tua te religio docet, ut me occidas. Mea me docet, ut tibi ignoscã, Vade in pace.* Hoc regiũ, hoc gloriosum, hoc divinum est opus.

§. 25. *Aliud Sultani.* Ad annum Christi 1071. refert Baronius, Sultanum ex captivo Duce Christiano interrogasse, quid Sultano faceret, si captivum teneret; cui ille, *multis plagis & vulneribus cruentatum trucidarem. At ego*, inquiebat Sultanus, *tuam crudelitatem nequaquam imitabor; audio vestrum vobis Christum pacem & oblivionem malorum suasisse, vade, dono tibi vitam, & condono.*

§. 26. *Apostrophe ad illos qui nolunt ignoscere.* O Christiani! O pudor! hæccine Turca? hæccine barbarus? & vestras vos linguas quotidie, in maledicentias, in iras, in rixas, in furias, in flammas fulminatis ignibus contra adversarios vestros inflammatis? aliud, aliud, iterum iterumq; cum CHristo D. ex hod. Evangelio oro atq; obsecro. Mementote, per vestram ego vos salutem rogo, dicti S. Christophori, dum alapâ percuteretur: *parco tibi, & hanc remitto injuriam, quia sum Christianus*, & S. Chrys. Hom. 13. in Matth. *Agnus Dei mihi dexteram & linguam cohibet, ne ulciscar*, id est, Agnus occisus in altari S. Crucis, sive JEsus Crucifixus. O quicunq; foves odia, dic tandem hodie cum S. Chrys. *Sentio has injurias, sed vulnera Crucifixi movent me ut ignoscam.* Pretiosissimus ejus sanguis cor meum hactenus durum emollit, sentio, O Agne, O mi JESU, ignosco. Ebullit sanguis, fervet animus, manus in vindictam prosilit, dextera ardet, spirant ultionem omnia, sed! cohibeor, cohibeor inquam, invitum quamvis vis me remoratur amica, nempe, ne lædam inimicum.

O mi JESU, tu es ille amicus, tu in Cruce pendens sanguinem ebullientem mihi sistis, dum tuum propinas defluentem; tu mentem tranquillas, sedas fluctus, furorem elidis, mi JESU, ignosco. Ignosco hostibus, sed propter te,

Tu cohibes animum JEsu, tu tela retundis,
Hostibus hinc parco, tu quoque parce mihi.



CONCIO LII.

DOMINICA XXIII. POST SS. TRINITATEM.

Cujus est hæc imago, & superscriptio.

Matth. 22. v. 21.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Explicatur per similia, quid sit imitari Christum.

§. 1. *Excellentia imaginis divinæ in homine.*

§. 2. *Encomia hominis. Omnium radix est hæc imago, cujus perfectio consistit in imitatione Christi.*

§. 3. *Imitatio hæc est penicillus.*

§. 4. *Imago hominis terreni & cœlestis.*

§. 5. *Quinam portent imaginem dæmonis.*

§. 6. *Opposita inter imagines virtutum, & vitiorum.*

§. 7. *Quomodo CHRIstus in nobis formandus sit.*

§. 8. *Christus D. pulcherrimum est prototypon.*

§. 9. *Imitandus est Zeuxis.*

§. 10. *Imitatio conciliat, & accendit amorem.*

§. 11. *Præsertim imitatio Christi.*

§. 12. *S. Ignatius aliique Sancti quales pictores.*

§. 13. *Historia & applicatio ad Christum D.*

§. 14. *Testamentum Senecæ.*

§. 15. *Imitari Christum, est induere illius vestes.*

§. 16. *Quid significet verbum induere.*

§. 17. *Imitatio Christi quàm sit vestis pulchra & pretiosa.*

§. 18. *Placat iram Numinis.*

§. 19. *De togâ Christi D. inconsutili.*

§. 20. *Stratagema militare Henrici IV. Regis Galliarum.*

§. 21. *Prosecutio, & applicatio ad CHRISTUM.*

§. 2. *Imitatio Christi est signaculum similitudinis.*

§. 23. *JEsus cor suum cordi S. Gertrudis impressit veluti sigillum.*

§. 24. *Apostrophe triplex ad S. Gertrudem, ad animas pias, ad JEsum.*

Hodier-

§ 1. *Excellentia imaginis divinæ in homine.*

HOdiernum Evangelium, si literam spectes, de imagine agit, quæ numismati, quo servi Pharisæorum CHRISTUM D. in sermone capere voluerunt, fuit impressa. Mysticus verò sensus in mentem nobis revocat, illam de qua v. 26. c. 1 Gen. ait, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, & v. 27. *Et creavit DEus hominem ad imaginem suam.* Excellentissima hac imagine potest solus homo præ aliis creaturis gloriari. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, extendit firmamentum, in hoc duo condidit luminaria magna, dein & stellas, ut suis noctem radiis accenderent, innumeras alias ex nihilo suo eduxit creaturas; sed de nulla, nec de luce, de cœlo, nec de sole & luna, neque de stellis, ejusmodi voluit verba, *faciamus ad imaginem nostram*, pronuntiare, solus homo hac similitudine, veluti pretiosissimus nummus fuit insignitus.

§. 2. *Encomia hominis. Omnium radix est hæc imago, cujus perfectio consistit in imitatione Christi.*

Ob imaginis hujus excellentiam dicere possumus, vel cum Philosopho 6. Eth. c. 7. *Hominem, rerum quæ in mundo sunt, unam omnium præstantissimam*, vel cum sapientissimo Platone, *divinum vocare oraculum*, vel cum Tertulliano, *ipsam Dei umbram* appellare. Ob similitudinis hujus pulchritudinẽ exclamare possumus de homine cum Adimante apud Socratem. *O speciosissimam, nobilissimamq́; picturam!* vel cum S. Greg. Nyss. *O pulchrum & præclarum Dei opus!* Vel cum S. Petr. Epist. 1. c. 2. v. 9. *Vos genus electum, gens sancta, populus acquisitionis.* Omnium horum encomiorũ in homine radix est Imago Dei, & similitudo hæc in quo tam physicè quàm moraliter consistat, vel in quantum naturam concernit, & gratiam, alias ostendo, modo aliud nihil vobis Auditores, vel proponere cogito, vel exponere, quàm imaginem hanc in animâ hominis Christiani, tum esse pulcherrimam, cum per viam imitationem simillima apparet imagini, quæ est Christus Salvator noster.

Nimirum hæc imitatio est elegans penicillus, quo vivis coloribus imaginem Christi in nobis depingimus: est pretiosa vestis, qua imago illa in nobis ornatur; deniq; sigillum est, quo cordibus nostris speciosissima imprimitur effigies. In tribus hisce titulis nonnihil accuratius enodandis hujus meæ concionis labor atq; opera, ad DEI gloriam, animarumq; nostrarum salutem, ut spero, desudabit.

§. 3. *Imitatio hæc est penicillus.*

Jam similitudinem à penicillo desumptam mihi suggerit etymon nominis, nam teste Divo Thoma, imago ab imitando dicitur, quasi imago, vel aliquid ago ad imitationem alterius. Clarè Sanctus Basilius Epist. 1. *Quemadmodum pictores, cum imaginem ex imagine depingunt, exemplar identidem respectantes, lineamenta eius magno studio, ad suum, quem præ manibus laborem transferre conantur, ita qui sese omnibus virtutum numeris absolutum reddere meditatur, continuo oculos defigit in eam, quæ ad imitationem nobis proposita est, imaginem.* Ita movetur nonnemo Exod. 25. v 40. *Inspice & fac secundum exemplar quod tibi monstratum est in monte* & S. Paul. ad Hebr. 12. v. 2. *Aspicientes in auctorẽ fidei, & consummatorẽ Iesum*, quo sensu de B. V. dixit S. Isid. or. 4. *Efformabat*

mabat se ipsam, & effigiabat, uti pictor peritus, intuens in imaginem opificis & Filii sui. Pergit S. Basil. *Servator noster in omnibus virtutis exemplar, ac pictura veluti proba, expressam quandam effigiem in se proposuit, unde cunctis lineamentis illius inspectis simile pro se quisque in vitam suam exemplum transferat.*

§. 4. *Imago hominis terreni & cœlestis.* Sed clarius Apostolus 1. Corinth. 15. v. 49. his verbis hoc nobis simile declarat. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* q. d. sicut aliquando viximus peccatorum sordibus inquinati, quasi homines terreni, ex luto prodeuntes, & animales, similes imagini Adami terreni & peccatoris; ita etiam renati in CHRISTO, & vocati ab eo in societatem immortalis vitæ, & gloriæ, totis viribus ad illam aspiremus, atque etiam portemus imaginem CHRISTI cœlestis, ut cœlestem hic vitam ineamus. 1. simus ut ille, impassibiles, id est, prospera inter & adversa stemus veluti marpesia rupes, immoti, constantes, solidi, nullo ventorum molestiarumque turbine dejecti. 2. Simus clari instar CHRISTI, ut luceant coram omnibus opera nostra bona. 3. Simus agiles, ut CHRISTUS, ad opera charitatis, obedientiæ, & aliarum virtutum. 4. Simus subtiles sicut Christus fuit, id est, penetremus cœlos per orationem, ut mente à terra in DEUM & cœlestia elevati jungamur Sanctis, associemur Angelis, ipsi etiam DEO uniamur.

§. 5. *Quinam portent i-* Juvat magis enucleare sensum verborum Apostoli. Sunt enim fortassis, ah timeo, ex vobis sunt aliqui Audit. quorum animæ insignitæ sunt, vah pudor! imagine spurcissimi cacodæmonis! O execrandam effigiem! & tamen illa tanto studio quæritur, desideratur, imprimitur, hinc illa ambitionum studia, hinc illi superbiæ fastus, ille vestium luxus, illa morum arrogantia, illa intoleranda animorum el.tio. *maginem dæmonis.* Sunt aliæ, quæ vel curiosæ Dinæ, vel lascivæ Veneris, vel meretricis Babylonicæ faciem facemque circumgestant in pectore, ore, & oculis. O iterum execrandas icones, & illis dignas ignibus, in quibus modo ardet, ardebitque æternum Babylonica, venustæ scilicet veneris confusio.

Sunt alii quorum DEUS venter est, gulæ ventrique dediti, qui pictura cujusdam è tribu Marci Crassi, vel doliaris Bacchi, vel divitis Epulonis gloriantur! Miseri mortales! quousque vos etiam ludet & illudet infernalis ille Apelles suis tam fraudulentis coloribus? quousque pergetis infandas illius imagines ita intueri fixis oculis, ita animis occultare depravatis, ita perditissimis moribus exprimere? abolete, obsecro, abolete hanc futuram olim flammarum materiem; & si absque imaginibus corda vestra spirare non posse putetis, non abnuo, proponite illis imagines. per me licet, ostendite icones, repræsentate picturas, sed formosas, sed elegantes, sed cœlestes. Etiam Virginis concedo imaginem, sed Virginis Mariæ. Apagite cum infanda Venere, formosior est Maria, apagite cum divite Epulone, JEsus est locupletior, cum infelici Jezabele, fortunatior est Maria, cum vinoso Libero, JESUS est liberior.

berior. Sed speciocissimam pulcherrimæ Virginis imaginem alias inspiciendam offero, nunc id tantùm ago, ut ipsius dilectus filius JEsus sua eleganti forma, formosaq; elegantia oculos vestros atque animos perstringat. O verè pulchram, verè speciosam, verè cœlestem, verè divinam effigiem! quod si mihi fidem non habetis, attendite quæso, quid ex hujus imaginis aspectu S. Bonaventura, egregium Franciscanæ familiæ decus in ser. Novit. p. 1. c. 32. faciendum judicarit.

§. 7. Quomodo Christus in nobis formandus sit. *In omnibus factis, & verbis tuis semper ad hunc, quasi exemplar respicias, incedens, stans, sedens & comedens, tacens & loquens, solus & cum aliis: hæc sit sapientia tua, & meditatio, & studium, semper aliquid de ipso cogitare, unde vel provoceris ad imitandum eum, vel afficiaris ad eum amandum, donec formetur Christus in nobis.* De hac forma loquitur S. Leo ser. 1. de jejunio. *Si creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ad imaginem DEI conditum, ut imitator sui esset auctoris: & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in speculo divinæ bonitatis forma resplendeat.* Itaque illa anima hominis Christiani in oculis DEI est pulcherrima, est divinum miraculum, est præclarum conditoris opus, est nobilissima pictura, quæ ita Redemptorem JESUM imitatur, ut in ipsa, veluti pulcherrimo speculo resplendeant imagines virtutum Christi.

§ 8. Christus D. pulcherrimum est prototypū. En ego tibi varium, elegantissimumque monstro prototypon. Vides abjectum in præsepe DEUM infantulum? Humilitas est, vade & hanc exprime animi demissionis effigiem. Aspicis in circumcisione cruentum? Patientia est, ito & omni animi contentione hoc prototypon imitare. Observas illum in templo Hierosolymitano medium inter Doctores de divinis rebus disserentem? Religio est, vade & hanc in corde tuo imaginem depinge. Invenis illum in domo Matris suæ servilibus occupatum ministeriis, parētibus subditum, & ad nutus morigerum? Obedientia est, Ito & similem fac, picturam æmuleris. Admiraris jejunantem in deserto? Abstinentia est, hanc tibi imitandam reliquit imaginem. Cernis animarum lucro intentū nihil non moliri pro æterno mortalium emolumento. Charitas est, & zelus animarum. Vade, & arrepto penicillo, illud in moribus tuis exprime exemplar. Vides anxium in horto, despectum apud Herodem, apud Pilatum cruentū, in monte Calvariæ fatiscentem, projectum in terram, extensum in Cruce, erectum in altum, in patibulo morientem? Meræ sunt istæ imagines divinæ, cœlestes effigies & picturæ, tu vade, inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est; & si omnia exprimere te posse desperas, unam saltem aut alteram imaginem, si Christianus es, conare depingere.

Atq; hoc est, quod D. monet Bernardus, *Cœleste decus quod sibi originaliter inest, homo studeat, dignis quibusdam morum affectuumq; venustare coloribus.* I- §. 9. Imitandus est Zeuxis. mitetur Zeuxem celeberrimum illum pictorem, qui cum Helenam coloribus scitè cogitaret exprimere, formosissimas Crotoniatarum virgines convoca-

vit, ex hac in suam tabulam artifici penicillo transtulit oculos, ex altera genas, ex tertia labia, ex aliis, alia: atq; ita illud pulchritudinis prodigium, Helenam expressit. Formosissimæ Virgines sunt, fides, spes, charitas, religio, temperantia, fortitudo, justitia, quarum lineamenta si in animos nostros transferamus, DEI imago exprimitur. Et cum virtutes illæ velut infinitus thesaurus excellentissimo modo sint in capite nostro Christo JESU, conniti debemus, ut seduli pictores in delineatione nostræ imaginis, hoc prototypon in omnibus respiciamus. Hæc cœlestis est sapientia, hoc divinum est studium, hæc suavissima meditatio, si semper de Christo aliquid cogitemus, unde vel provocemur ad imitandum, vel ad amandum saltem afficiamur.

§. 10. *Imitatio conciliat & accendit amorem.* Non sine causa Seraphicus Bonaventura hæc conjunxit, nam morum imitatio, & similitudo amorem conciliare solet. Cum Apelles Alexandro M. venustissimam puellam vellet depingere, forte inusitatæ pulchritudinis formam, sagaci visu prælibabat, cum ita venusta species ejus oculos ferire, ita animum percellere, ita absorbere manum, & penicillum, adeo potenter captivos oculos, animumque in se convertere, sibique cœpit mancipare, ut in ejus amorem totus exarserit.

§. 11. *Præsertim imitatio Christi.* Apage cum his flammis! alios ignes, scilicet castos, pudicos, cœlestes in pectoribus nostris suscitat pulcherrima imago CHRISTI, dum ejus imitatores, velut pictores illam curiosius inspicimus. Ejusmodi pictor fuit Seraphicus ille Franciscus, dum ad effigiem JESU, paupertatis imaginem efformavit; sed in quàm Seraphicos simul exarsit ardores? pulchritudo tam divinæ imaginis; O quos, & quot in cordis fornacula concitavit motus caloris & amoris, & quid imago amoris, præter amoris incendium excitaret?

§. 12. *S. Ignatius aliiq; Sancti quales pictores.* Ejusmodi pictor fuit S. Ignatius de Lojola, qui cum oculos suos animumque sacris CHRISTI, & Sanctorum imaginibus satis pascere non posset, suo amori finxit ideas, novas sibi icones descripsit, novas repræsentationes, novas Dilecti sui imagines, novas rerum cœlestium formas & simulacra. Videbat forte eminentem in horto flosculum? flosculus ille sui erat imago pulcherrimi JESU. Aspiciebat rubentem rosam. Rosa charitatem Christi describebat. Pallentem violam? viola funestam in cruce mortem loquebatur. Lilium candore argenteum? lilium depingebat Ignatio illum, quem jam alias didicerat esse florem campi, & lilium convallium. Mobile heliotropium? in heliotropio depingebat obedientissimam Salvatoris sui voluntatem. O eximium pictorem peritissimum Apellem, cujus instructor fuit solus Amor, penicillus Amor, regula Amor, color Amor, facies Amor, oculi Amor, os Amor, tota imago, tota denique corporis compositio Amor. Quin nos quoque tales pictores esse incipiamus; eja pingamus charissimi imagines divini amoris, pingemus autem, si Christum moribus nostris ac vita exprimere studeamus, ardentes Christi JEsu amatores.

Jucunda historia rem confirmat P. Binet,

§. 13. *Hiſtoria & applicatio ad Chriſtum D.* Binet in ſchola ægr. c. 12. Auguſto Cæſare mirificè lugente mortuum filiolum, quem velut alterum ſe deperibat, uxor ejus juſſit parvum Cupidinem ex argento confici, vita functi phyſiognomiâ perfectiſſimè repræſentantem, & in mariti cubiculo baſi impoſitum erexit, non vivebat puſio, dici tamen poterat, quod deinde dixit S. Greg. Nyſſ. or. de S. Theod. *ſolet enim pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodeſſe.* Cæſar ſummopere ejus aſpectu recreabatur, nec ingrediebatur unquam, quin duodena baſia figeret in ſuo cupidine, eiq; velut cuipiam Soli omnem melancholiæ nubem diſſipandam litaret. O mortales, quid agimus? quo noſtrorum nos oculorum, quò animorum aciem convertimus? quid? Cæſarem illum Auguſtum ex aſpectu ſui Cupidinis mille ſolatia voluptateſq. hauſiſſe ſciamus? & non ſimile aliquid à noſtro JESU expectemus? illius noſtri Cariſſimi fratris in cruce noſtra cauſa mortui memoriam nulla renovemus imagine? vel non credimus forte aliquam conſolationis partem ex illius aſpectu nobis poſſe accedere? jam verò, & voluptas ſumma eſt, & utilitas, in hujus imagine hærere defixum, illi mille amoris ſuavia oſcula dare, illum mille amplexibus ſtringere, mille complecti affectibus imo totum, quantus, quantus eſt, cordibus noſtris infigere. Eja exprimamus hanc in nobiſmetipſis imaginem; ſimus imitatores ejus, cujus & nomine gloriamur; exprimamus moribus CHriſtum JEſum, ut ſi quæratur à nobis aliquando, cujus eſt hæc imago, liberè atq; audacter reſpondere poſſimus, Principis eſt, Regis eſt, Cæſaris eſt, illius nempe, cui totam hanc mundi machinam ſubjectam eſſe neceſſe eſt.

§. 14. *Teſtamentum Senecæ.* De ſapientiſſimo Seneca refert Tacitus, quod in carcere rebus omnibus ſpoliatus, morti proximus, aſtantibus amicis dixerit; *aurum argentum & fluxas opes vobis non relinquo, ſed conſigno vobis imaginē vitæ meæ.* q. d. prout vixi, ſic & vos vivite. Longè liberalior erga totum genus humanum in ligno Crucis fuit liberaliſſimus JEſus, dum Patri cœleſti ſpiritum, crucifixoribus peccatorum veniam, latroni paradiſum, Matri diſcipulum, diſcipulo Matrem, omnibus pretioſiſſimi ſui ſanguinis & infinitorum meritorum theſaurum legavit, præter hæc omnia, imaginem vitæ nobis conſignavit, ut ſcilicet, ſicut ipſe vixit in obedientia, humilitate, patientia, paupertate, ſic & nos vivamus.

§. 14. *Imitari Chriſtum, eſt induere illius veſtes.* Venio ad alteram imitationis hujus rationem, quam ad Rom 13. v. 14. hunc in modum explicat Apoſtolus; *Induimini noſt[illegible] Jeſum Chriſtum*, ut ſcilicet JEſus, id eſt, Spiritus JESU, gratia, virtus, vita in nobis eluceant. Induimini ergo & ornate vos Chriſti virtutibus, maximè ut externa vita & profeſſione, quaſi veſte agnoſcant omnes, vos eſſe ſervos Chriſti. S. Cyr. l. 9. in Gen. cenſet S. Paulum hic alludere ad illud Iſa. 61. v. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento juſtitiæ circumdedit me.* Vel ut Septuaginta vertunt, *Induit me veſtimentum ſalutis, & tunicam lætitiæ.* Vel ut alii, *Induit mihi veſtimentum IESVM.*

§.16. *Quid ſignificet verbum induere.*

Verbum hoc induere, multa innuit, nam 1. CHRIſtum induere eſt CHriſti virtutes in ſe exprimere, idque copioſè, & perfectè. 2. CHRISTUM induit ait D. Thomas, qui CHRIſtum imitatur, quia ſicut homo continetur veſtimento, & ſub ejus colore videtur, ita in eo, qui CHriſtum imitatur, ſolus CHRISTUS ejuſque indumenti color, id eſt Sanctitas apparet. Unde & Sanctus Chryſoſtomus: *Induere*, ait, *CHRISTUM, eſt undique in nobis per ſanctimoniam, & manſuetudinem Chriſtum conſpicuum eſſe*; homo enim indutus id eſſe videtur, quod indutus eſt. Appareat itaque in nobis CHRISTUS. 3. Sicut veſtes totum corpus contegunt, ita CHRISTI virtutes ad omnes noſtras actiones, pertingere, eaſque ornare & formare debent; ut CHRISTUM in omni opere, & ſermone referamus. 4. Uti veſtis pretioſa corpus non tantum tegit, ſed etiam ornat, ita CHRISTI virtutes præcipuam imaginem DEI in cordibus noſtris impreſ[illegible]xornant. Ideo S. Ignat. reg. 11. Summarii filios ſuos monet, ut exoptent aſſimilari ac imitari Creatorem, ac D. N. JeſumChriſtum, ejuſque veſtibus & inſignibus indui.

§.17. *Imitatio Chriſti quam ſit veſtu pulchra & pretioſa.*

De hac veſte tyranno dixit S. Agnes, *Inæſtimabilibus margaritis, & cyclade auro contexta induit me ſponſus meus.* Prô! quantis clara ornamentis incedit anima, cui obtingit hujus aureæ cycladis decus. Hæc illa veſtis eſt, qua Spiritus ille diviniſſimam ſuam imaginem in nobis exornat, & quæ putatis fila ſunt, ex quibus contextus eſt tantus cycladis fulgor? Dicetis fortaſſis holoſericum? ego verò dicam filum patientiæ, cujus uſus longe omni apparatu ſerico exiſtit pretioſior. Dicetis eſſe argenteum, Ego vero dicam filum humilitatis, cujus obſcuritas omni illuſtrior eſt argento. Dicetis aureum, ergo verò dicam charitatis, quæ ſola aurum eſt illud divinum, quo cœlum, & quidquid cœlis abditum latet, comparatur. Quod ſi jam hiſce filis intertexatur non Tyrius murex, ſed nobiliſſima divini Sanguinis purpura, ſi & candida puritatis Angelicæ byſſus accedat, Deum immortalem, quam illa erit veſtis ſplendida, quam nobilis, quam decora, quam magnifica! ſimillima indumento Jeſu Salvatoris. O veſtem divinam! veſtem Jacobi, cujus odor, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

§.18. *Placat iram Numinis.*

In hac veſte facillime placare poſſumus iram cœleſtis Patris. Fabulam eſſe puto, quod nobiles referunt Concionatores. Vega in pſ. pœn. Pelbarta in f. S. Andreæ. P. Engelgrave, Pilatum ſub aureâ veſte, indutum toga Chriſti inconſutili, conciliaſſe ſibi iratum Tiberium Cæſarem, Vos O impii, qui cum Pilato rei eſtis parricidii erga Filium DEI, vos, quos ob ſcelera veſtra juſta Nemeſis vocat ad tribunal Judicis, ſi juſtam ejus iram placare vultis, ſtatim, *Ejicite* (Ambr. l. 1. off. c. 49.) *de numiſmate animæ veſtræ imaginem diaboli, & attollite imaginem CHRIſti*, ſive exuite veterem hominem, & induimini D. N. JESUM CHRISTUM, per perfectam virtutum ejus imitationem, induite vos indumento ſalutis, induite vos cum pœnitente Magdalena, cum triſti Eſthere, cum flente David ſacco pœnitentiæ.

Quod

§. 19. De toga Christi D. inconsutilis. Quod si toga Christi inconsutilis iram Cæsaris sedare potuit, quid non faciet coram tribunali Justitiæ vestis SSæ. Humanitatis Christi, tot scissa vulneribus, tum regio tincta sanguine, tot virtutum ornata gemmis, vestis illa nivea, & candida, quam Virginalis fœcunditas produxit, lucis æternæ candor afflavit, amantis & morientis Dei pallor infecit; vestis illa ocellata, quam in horto Gethsemani sanguineis lotam lachrymis, oculatam prodigiosus fecit dolor. Vestis illa hyacinthina, sed in qua cœlestis hyacinthi color, in corpore flagellis cæso, livor est. Illa vestis, quam non acus Turcica, sed doloris & amoris aculei, non phrygio, sed divino opere distinxerunt & illustrarunt, pinxerunt cruore omni ostro augustiore. Hac veste per participationem meritorum Christi; per perfectam ejus imitationem, vos induite & securi accedite ad thronum misericordiæ; cœlestis Pater motus ad compassionem juxta viscera miserationum suarum dicet cum Iacobo Gen. 37. v. 33. *Hæc est tunica filii mei Ioseph*, sive Iesu.

§. 20. Stratagema militare Henrici IV. Regis Galliarũ. Induite Christum, veluti vestem, seu loricam Justitiæ, & infernali hosti, atq; potestatibus tenebrarũ eritis terribiles. Pulchro stratagemate usus aliquando fuit Henricus IV. Gall. rex, gallicus ille Hercules contra Hispanici exercitus ducem & Achillem Alex. Farnesium. Nam ingruente acri prælio, Rex suos anteibat, militari augustus in sago & chlamyde, candida liliorum textura florente, in regiis & liliatis armis. Inaurata illi erat lorica, galea, scutum, lancea; omnia argenteis aspersa & coronata liliis Iam dato classico regium vexillum moveri jubebat Imperator, cum à fidissimo procerum monetur per hoc militare vestimentum prodendum hosti regem.

§. 21. Prosecutio & applicatio ad Christum. Quid faciat Rex, providus tali in re ac tempore? audite. Prompto consilio solus ingreditur tentorium, & cum evocato è grege fortissimo milite, cujus virtus Regi dudum cognita erat, loricam, galeã, scutum & reliqua Regis insignia commutat; quo facto redeunt ambo ex tentorio, gregarius miles regiis in armis, Rex in vilioribus, uterque reliquo exercitui incognitus. Iamque personatus Rex copias anteire, in hostem leonis instar impetum facere, pugnare ardenter, edere regii specimen animi, sic ut totus exercitus Regis, ut putabat, exemplo commotus fortissime pugnaret. Dici non potest, quos animos regia vestis gregario militi, atque omnibus copiis addiderit. Peracto prælio, detracta galea in vili habitu Regis, in regis verò lorica fortissimi militis facies non sine ingenti totius exercitus applausu, comparuit.

Sic miles in regia veste fortiter pugnavit, præclarè vicit, triumphavit gloriosè. Quid verò nos Aud. fortè, non æquè, subdoli sunt aut potentes, à quibus diu noctuque impugnamur, sæpe etiam expugnamur hostes? scilicet experimur malo nostro, pugnat caro, mundus struit insidias, Diabolus circumit ut leo rugiens; contra hos, ut decet milites Christianos, confligere debemus. Et ecce Rex noster, de militari curru SSæ Crucis, in regio montis

Calvariæ tentorio, regias offert vestes, porrigit loricam Justitiæ, salutis donat galeam, objicit scutum fidei, continentiæ baltheum explicat, pro gladiis offert clavos, pro sarissa lanceam, spinas pro telis. His armis instructi pugnate, his induti vestibus in arenam prosilite, in his, sive ornamentis corporis, sive animi heroici argumentis conspicui audacter cōfligite, spondeo, de hoste triumphabitis. *Hunc scilicet Iesum indutus*, ait Sanctus Chrysostomus *omnem habet virtutem*. Nempe vestis est imitatio Christi, quæ non corpora tantùm ornat, sed & fortes reddit animos atque invictos.

§. 22. *Imitatio Christi est signaculum similitudinis.* Restat ultimus exprimendæ hujus imaginis modus, quem Spiritus S. per Ezechielem cap. 28. v. 12. explicat, *per signaculum similitudinis*, sive sigilli in cera expressionem. Rupertus lib. 2. in Gen. *Tanquam cera sigilli testatoris imagine signata, sic imagine Dei signatus est homo.* Quodnam verò sigillum, ad imaginem & similitudinē Dei cœlestis sponsus nobis velut ceræ velit imprimi, innuit sponsa Cant. 8 v. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Petrus Dam. opusc. 50. cap. 3. *Ut sancta anima Christi caractere utrobique signetur*, cum, scilicet Christum D. in corde suo signaculum ponat, ut amoris ejus facibus inardescat: ponat etiam in brachio, ut piis operibus valenter insistat. Cum itaque sigillum sit ipse Christus D. bene suadet Sanctus Ambros. in cap. 8. Cant. *Si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis, ipse enim est signaculum nostrum.* Tota ejus species, id est suavissimi ejus oculi, labia, genæ, doloris lingua, ut totum etiam hóminem externum ad hanc ideam componamus.

§. 23. *Iesus cor suum cordi S. Gertrudis impressit veluti sigillum.* Opto præcipuè, ut dulcissimum Cor sponsi pulcherrimam sui imaginem nobis imprimat. Obtigit illa felicitas S. Gertrudi, quæ cum in ferventi communione sanctissimam deglutiret hostiam, sensit ex imo veluti pectore erui sibi cor, & pro corde carneo reponi mollissimum ex cera virgine, cui bonus Jesus aperto pectore suum cor impressit, veluti sigillum.

§. 24. *Apostrophe triplex ad S. Gertrudem, ad animas pias, ad Iesum.* O pulchram imaginem! O divinum signaculū! O virginem felicissimam! & quis te affecit liquidissimæ voluptatis sensus? in quibus natasti gaudiis, dum tibi Cor Iesu hanc sui impressit amabilem formam, & imaginem? quis explicet, quam suavis amoris flammam hæc ardentis cordis impressio cordi tuo injecerit! O animæ sanctæ, quæ jam Christum in cordibus vestris depinxistis, quæ Christum induistis, ocyus lavate corda vestra in sanguine Agni, liquefacite flammis contritionis & amoris, ut cum regio Psaltē dicere possitis, corda nostra tanquam cera liquescens, tum erumpite in suspiria: O sponse, mi Iesu, O dilecte aperi suavissimum latus tuum, & tuo corde, mi Iesu, dulcissimo illo corde, suavissimo illo corde, tot amoris vulneribus saucio, mi Iesu, corde tuo purissimo, veluti gemmeo signaculo, nostris cordibus quasi ceræ, pulcherrimam tuam imprime imaginem, ut jugiter in vita nostra illam intueamur, ut tuas virtutes imitemur, qui-

bus

bus imago animabus noſtris impreſſa ornetur. Finio cum Theodoreto in c 8. Cant. *Pro ſignaculo in actionibus noſtris habemus notam ipſius, crucis ſcil. ac vulnerum, hanc notam omnibus tum dictis, tum factis imprimamus. Sic enim erunt, ut numiſmata regia, non adulterina, ſed imaginem regiam præferentia.*



CONCIO LIII.

DOMINICA XXIV. POST SS. TRINITATEM.

Domine, filia mea modo defuncta eſt.

Matthæi. 9. verſ. 18.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Hæc Concio iterum agit de humanæ vitæ brevitate.

§. 1. *Puella in flore ætatis defuncta.*

§. 2. *Varia ſymbola. Vita enim noſtra brevis eſt, cum fragile ejus ſit fundamentum.*

§. 3. *Fuit filia Principis, tamen debuit mori.*

§. 4. *Imago Nabuchodonoſoris; baſis ejus lutei pedes.*

§. 5. *Varii ſenſus de illa ſtatua.*

§. 6 *Fuit ſymbolum ipſius Nabuchodonoſoris ob luteos hominis pedes.*

§. 7. *Quos mors facillimè franget.*

§. 8. *Similes pedes habuit Regina, uxor Ieroboam.*

§. 9. *Apoſtrophe ad reginas, & filias vanitatis.*

§. 10. *Quomodo ſcientiæ definiverint hominem.*

§. 11. *Pulcherrimè id fecit Mathematica.*

§. 12. *Mundi bona nullo fundamento ſubſiſtunt.*

§. 13. *Elegans ſimile de ludo puerorum in arena.*

§. 14. *Proſecutio.*

§. 15. *Dives Evangelicus qualis Architectus.*

§. 16. *De alio ludo puerorum.*

§. 17. *Emblema.*

§. 18. *Dictum Valerii Maximi.*

§. 19. *Elegantia navis de Tyro.*

§. 20. *Apoſtrophe ad naviculam.*

§. 21. *Ta-*

§. 21. *Talis navis est vita humana, Navis sine anchora.*
§. 22. *Aureum monitum Sancti Chrysostomi.*
§. 23. *Historia de Crœso.*
§. 24. *Prosopopœia loquentis ad Regem Cyrum.*
§. 25. *Ejusdem epiphonema.*
§. 26. *Apostrophe ad filios Vanitatis.*

§. 1. *Puella in flore ætatis defuncta.*

DEfuncta filia Principis in floridissima ætate, in hodierno Evangelio docet nos vitæ brevitatem humanæ, meritò hæc conqueri potuit cum Isaia c.38. 12. *Præcisa est velut à texente, vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me,* vix enim vitæ suæ telam inchoavit, & immitis Parca tenerum ejus stamen abrupit. Nempe florida fuit arbuscula defuncta puella, in regio horto, ab Hortulano præcisa, antequam ferret flores & fructus; Florida pomus initio æstatis, post amœnos flores plurima promittit poma, sed quam multa roduntur à vermibus, quam multa decutiuntur à ventis, alia ustulantur pruina, alia sponte sua decidunt, & sic ad maturitatem perveniunt paucissima. Ejusmodi arbor est vita humana, O Virgines! O floridi adolescentes! O Helenę! O Adonides! poma estis hujus arboris; sed nolite confidere pulchritudini & succo, latitant in vobis vermes, minantur venti ruinam, mors, qua hora, non putamus, ad radicem ponit securim, procumbit arbor, & poma vel pedibus calcantur, vel consumuntur à vermibus. Talis arbuscula, tale pomum fuit defuncta Principis filia in hodierno Evangelio. Vel,

§. 2. *Varia symbola. Vita enim nostra brevis est.*

Cum afflicto Jobo c. 14. v. 1. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore & quasi flos egreditur ut conteritur &c.* Nam fuit mane egressa, sed vesperi contrita: herba fuit quæ mane transiit, mane floruit, vespere decidit, vespere exaruit. Flos fuit, & ex illo genere florum, quos recreat Aurora, sed luna extinguit, uno die durant, & quid mille anni vitæ humanæ ante oculos Domini, nisi dies una hesterna, quæ præteriit. Nihilominus anni nostri sicut aranea meditantur, hoc meditatur aranea, ut summo studio, assiduè è visceribus fila deducat, quæ aliis & aliis ita dexterè innectat, ut telam pertexat, vix rete suum contexuit, & mox uno scoporum impulsu rescinditur. Quid aliud vita existit humana? scilicet vana araneæ meditatio, vanus labor, vana est vita nostra, longam meditationem, sive S. Greg. hom. 32. in Evangelio loquitur, *longa nostra desideria, increpat vita brevis.* Nec mirum, cum fundamentum rerum humanarum omnium sit terra, & arena fundamentum fragile, quod morti facillimum est diruere, usque adeo ut cum ruina fundamenti omnia parem trahantur in lapsum, & subita confusione convoluta susque deque misceant. Hic præsentis erit concionis scopus, hæc dictionis meæ meta, hic terminus.

cum fragile ejus sit fundamentum.

§. 3. *Fuit filia Principis tamen debuit mori.*

Textus Evangelii ait, defunctam puellam, & à Christo Domino à mortuis excitatam, filiam fuisse Principis, *Ecce Princeps unus accessit,* proinde in divitiis, & deliciis enutritam parentum delicium & solatium, nihilominus *defuncta est.* mors ab illa non abstinuit inclementes manus. Ita etiam Prin-

Principum & regum opes, pompa, gloria, præcipuè vita debili innituntur fundamento, mors illud diruit, momento quo diruto vertuntur omnia in cineres, omnia abeunt in nihilum.

§. 4. *Imago Nabuchodonosoris, basis ejus lutei pedes.* Dan. c. 2. v 33. Rex Nabuchodonosor dum insomnem trahit noctem, in strato suo cœpit secum ipse cogitare, *quid esset futurum post hac:* in qua tristiori cogitatione obdormiscens, videt in somnio statuam, cujus caput erat ex auro optimo, pectus autem & brachia de argento, porro venter & fœmora ex ære, tibię autem ferreę, pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis, textus ait quod statua fuerit *grandis, magna, sublimis*, Chaldæus. *splendor ejus præstans.* Pagninus. *Gloria ejus sublimis.* Lectio hebraica. *Forma ejus eximia*, sed qualis basis, cui statua tamen eximia innitur? fortassis dici potuit ex Cant. 5. v. 13. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Tali basi pedes cœlestis sponsi innituntur. Basis hujus statuę, fuit lutea, terrea, testacea. Dum Rex in somno pulcherrimam statuam cum voluptate intuetur, ecce tibi, devolvitur de monte lapis, & in statuam impingens, pedes ejus fictiles corripit, dejicit comminuit, quo facto corruit simul universa machina, tanto impetu & ruina, ut textus dicat v. 35. *Tunc contrita sunt pariter, testa, æs, argētum, aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt à vento, & conterritus est Spiritus Regis, & somnium fugit ab eo.* Hoc somnium, quę verò interpretatio?

§. 5. *Varii sen-* Non ignoro per hoc somnium Regi fuisse repręsentata regna, descripta imperia, monarchias hujus mundi propositas, Aptè! quid enim illa sunt, nisi somnia dormientium, vel ut Philo loquitur, *ludus somniorum.* *sus de illa statua.*

Non me fugit, quid varii sentiant interpretes, cur per aurum imperiū Chaldęorum, per argentum Persarum magnificentia, per æs Gręcorum per ferrum Romanorum potentia designetur. Memini item, quas ex hac visione Danielis, gentiles commenti sint fabulas, de primo sæculo aureo, altero argenteo, tertio æneo, quarto ferreo. Deniq; nec illud nescio, miranda sub illo lapillo latere mysteria. atque ipsius etiam Christi Salvatoris futurum quondam dominatum, dum instar fortis petræ, non Regum tantum, sed mundi & Diaboli regnum conteret, & funditus evertet; verùm quantumvis ista digna sint scitu, & non parum curiosa, prætereo tamen omnia, & accommodatè ad sensum moralem, Nabuchodonosorem cum Daniele sic alloquor vers. 29. ejusd. cap 2.

Sit nomen Domini benedictum à seculo, & usq; in seculum, qui revelat profunda & abscondita. O Rex cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hac; & qui revelat mysteria ostēdit tibi quæ ventura sunt. Tu O Rex, tu es grandis, magna & sublimis illa statua! aurea quidem, argentea ob regias opes, ænea verò ac ferrea ob imperii potentiam, tu ille es toto terrarum orbe magnus Nabuchodonosor. Verùm & hoc advertas velim, illius te crebro cupiam meminisse, O Rex, quod eadem hæc statua luteis insistat pedibus. Unde ejusmodi fundamentum quam sit futurum stabile, quā diuturnū, facilè tibi poteris persuadere *§ 6. Fuit symbolum ipsius Nabuchodonosoris ob luteos hominis pedes.*

§7. *Quos mors facillimè frangit.* Nimirum exiguo opus est lapillo, ut illo mors te attingat, & aurum, argentum, æs, ferrum, opes, divitiæ, pompa, potentia, gloria, miscebuntur universa, conterentur in cineres, in favillam abibunt. Ita quidem Nabuchodonosorem alloqui possem. Sed non minus ex hod. Evang. defunctam principis filiam. Enim verò statua fuit hæc argentea, imò aurea, ex ætate, deliciis, opibus, honoribus, sed pedes habuit fictiles, eheu! contrivit illos mors, & ipsa est pulvis & cinis. Longissima illius desideria, magnas spes increpavit vita brevis. Aliud de illa dici nihil potest, quam ex hodierno Evangelio, *defuncta est*. Ex luteis pedibus colligere possumus, quid sit homo.

§8. *Similes pedes habuit Regina, uxor Jeroboam.* 3 Reg. 14. v. 4. 5. Uxor Jeroboam sollicita de morbo filii Abia, consulere voluit Prophetam Ahiam, quid esset futurum, sed incognita illi loqui voluit, atque ita regias vestes cum vilibus commutans venit ad domum Prophetæ in Silo, qui non poterat videre, *quia caligaverant oculi ejus præ senectute*. Sed dixit illi Dominus, *Ecce uxor Ieroboam*, admirabile signum, ex quo Ahias illam novit, addit textus v. 6. *audivit Ahias sonitum pedum ejus introeuntis per ostium*. Et quinam illi pedes, quorum sonitus prodit reginas? non alii, quam fictiles statuæ ex luto, è terra, ex pulvere, hos ut prosternat implacabilis Parca, non alia utitur opera, quam unius calculi, unius ardentioris febriculæ, unius catarrhi, & ecce corruunt statuæ, evanescit pulchritudo, perit gratia, miscentur omnia. Ita est, aureæ statuæ sunt Reginæ hujus mundi, induuntur bysso & purpura, ornantur gemmis, adorantur ut Deæ in terris, sed luteos habent pedes, horum sonitus prodit, quod sint mortales, post paucos fortassis annos, de reginarum in terris potentissima, nihil aliud dici poterit, quam *defuncta est*, nimirum minitantur in singula pœne momenta lapsum illæ statuæ, quarum pedes sunt fictiles. Conterit illos mors, & momento vertuntur omnia in cineres.

§9. *Apostrophe ad reginas, & filias vanitatis.* O Reginæ! O Cynthiæ! O Helenæ! quid purpura gloriamini? purpura quidem licebit tegere pedes, sed luteos. Si lubeat pavonum more specula circumferre in vestibus, lubeat etiam pavonum more oculos subinde reflectere ad pedes, aspicite superbiæ vestræ finem, perpendite instantem vitæ, viæque metam! fugacissimum vitę humanæ cursum considerate. Veniat vobis crebro in mentem, nihil esse hominem aliud, quam auream illam Regis superbissimi statuam, cujus pedes propediem fœdissimum desinent in pulverem.

§10. *Quomodo scientiæ definiverint hominem.* Poëtarum est commentum, convocatas olim ex præscripto Minervæ scientias, jussasque hominem definire, aliam ex alia sic loqui cœpisse. Dialectica primas sibi vendicans in respondendo, ajebat: *Homo est breve enthymema, pro antecedente habet ortum, pro conseqēnte, Interitum.* Cui mox subjunxit Astrologia, *homo est quasi luna mutabilis, quia nunquam in eodem statu permanet, sed semper ad corruptionem festinat.* *Physica verò, Homo, ajebat, animal est rationale, mortale.* Quid autem Mathematica? *Homo est veluti figura*

figura sphærica, ab eodem quo incipit puncto in idem terminatur. O belle profecto dictum, scilicet de puncto in punctum, hoc est de terra in terram, de pulvere in pulverem revertitur. Una adhuc ex omnibus restabat Rhetorica; hæc & ipsa sui explicans hac super re animi sensum, ajebat: *Homo est oratio, cujus exordium est, nasci. Narratio, dolere, Epilogus, Mori.* Orationis hujus figuræ sunt gemitus & fletus, vel gaudium fletu deterius.

§. 11. *Pulcherrimè id fecit Mathematica.* Quid existimatis Auditores? An non omnes hæ scientię rem acu tetigerunt? Ita sanè. In rem tamen meam optime dixisse arbitror Mathematicam, nam quantumvis aureæ sint statuæ, Reges, Reginę, Monarchę, Duces, Principes, Comites, pręnobiles, nobiles, gratiosi, Reverendi, Eximii, Clarissimi, Consultissimi &c. ab eodem tamen quo incepimus puncto, i.e. à pulvere vel luto, in eodem prorsus ipso terminamur. Sic omnes luteos habent pedes, hæc vitæ brevitas humanę! hoc tandem restat ex auro, ex argento, ex opibus, ex pulchritudine, ex forma, mortis & temporis deforme ludibrium.

§. 12. *Mundi bona nullo fundamento subsistunt.* Hinc verissimè Theophylactus sic de bonis hujus mundi, & præcipuè vita humana pronuntiat. *Mundi bona solo terminantur aspectu, & apparentia sunt, & nullo fundamento subsistunt.* Priorem partem aureæ hujus maximæ alibi expono, modo scrutor fundamentum, & invenio esse aquam quæ fluxa est, rotã, quæ nunquam subsistit, vitrum, quod facile frangitur, arenam, in qua nihil stabile ędificari potest. Commodè hujus arenæ facta est mentio, quæ in memoriam revocat mihi illud S. Greg. Naz. dictum in Cant. *Hæc est humana vita, puerorum ludus in arena.*

Hoc latet simile: vidistis aliquando ludentes pueros ad ripam Rheni in arena: prô Deum, quales architecti! extruunt ex arena molem similem alicui munitioni, & arbitrantur se ædificasse castrum inexpugnabile, circum in sabulo effodiunt fossas, & profundos ducunt sulcos, quos sibi persuadent à nullo unquam posse transiliri. In vallis, quæ arena extruxerunt, pulchro ordine collocant lapides, parvos, minores, minimos, parvos vocant bombardas, majores tormenta bellica, quibus putant se mœnia Wormatiensia posse quatere & succutere. Molem totam novis cuniculis suffodiunt, ut ne quid pulvis fortassis supponendus cuiquam afferat detrimenti. Ad aliquam loci distantiam educunt arenosos colles, quibus imponunt turriculas, & his ligneos masculos, ut illic agant vigiliarum pręfectos. Præterea ad elegantiam & oblectationem in arenam formant hortos ingeniosi hortulani, delineant areolas, plantant arbusculas, circumducunt sepes, portis includunt. §. 13. *Elegans simile de ludo puerorum in arena.*

Hic puerorum ludus ad duas circiter, tresve horas protrahitur, cum omnium applausu & recreatione, & ecce unus ex petulantioribus momento universa turbat gaudia, & dum petulanti in exstructas machinas insilit pede, momento subvertit omnia, atque hic tandem finis existit fabricæ in arena puerilis. Talis ludus S. Gregorio fuit, & etiamnum est, vita humana, tales sumus architecti, ædificamus §. 14. *Prosecutio.*

ædes magnificas, sed in arena, extruimus fortalitia, sed in arena, colligimus opes, aurum & argentum, dilatamus horrea, vivimus jucundè & hilariter, genio indulgemus nostro, protrahimus spes & desideria in annos plurimos, sed momento adest mors, & subvertit omnia, fundamentum est debile, hinc S. Greg. *Arena est ambitio, arena est potentia, arena divitiæ, arena quidquid est.*

§.15. *Dives Evangelicus qualis Architectus.*

Talis architectus fuit Evangelicus ille dives Luc. 12. v. 18. nam cum ejus ager uberes proferret fructus, placuit misero ejusmodi se pascere cogitationibus. *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? & dixit, hoc faciam, destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, & dicam animæ meæ, Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* An non hic fuit divitis ludus in arena? dixit autem illi Deus, *Stulte, hac nocte repetènt animam tuam à te, quæ autem parasti, cujus erunt?* Illa nocte supervenit mors, lapillum injicit in fortalitium ex pulvere, in machinam & fabricas ex arena, diruit omnia. Ita dives lusit in arena, illa quippe nocte defunctus est.

§.16. *De alio ludo puerorum.*

Placuit hoc simile Sancto Chrysostomo, qui simili fere ratione, aliis tamen verbis, vitam humanam, præcipuè divitum comparavit alteri ludo puerorum. Non vidistis, quando ludentes instruxerint aciem & ordinarînt milites, quos præcedunt lictores & præcones, denique gravi & quasi augusto passu major quispiam è numero procedit in medio, belli ducem diceres atque Alexandrum; *quàm sint ea, quæ fiunt, puerilia, quàm brevi tempore durent.* Tales sunt res humanę, *ut quæ sunt hodie, cras non sint.* Idem fit in aliqua comœdia, in qua ad spatium unius ut alterius horæ imperant personati Reges, & dominantur ficti Cæsares, coronati, sed per horam, induti purpura, sed per horam, cum inaurato sceptro in manibus, sed per horam. Ejusmodi comœdia vita est humana. Personam filiæ Principis in hodierno Evangelio sustinet dives puella, sed defuncta est, repræsentavit Helenam aliquam, sed defuncta est, lusit ludum, qui non diu duravit, ita fieri amat, ita comœdiam mors semper finit, tristi epilogo, defuncta est.

§.17. *Emblema*

Non abs re erit, si hoc loco doctum recentioris cujusdam Poetæ emblema repræsentem. Is enim, ut idipsum, quod nos hac concione astruimus, suo quoque ingenio confirmaret, arborem pinxit, sed aridam funditus, nudam flore, fronte, fructu. Sedebat in hujus prominente quodam ramo, vel stipite potius infrondi, molesto clamore, obstrepens cuculus, & suum illud importunum *Cuccuc*, continuo ingeminans. Infra hanc arborem, vel cadaver potius arboris respiciebat vulpecula, præ admiratione in duas hasce voces erumpens, *Pulchra fuit*, ipse denique auctor, ut quid sibi hæc vellet pictura, clarius exponeret, hoc verissimum lemma subscripsit. *Tacitis cunctis exarescimus annis.* Sic est mortales! non arbores solũ annosę, sed etiam arbusculę, etiã plantę teneriores, etiam humiles myricæ. O adolescentia improvi-

provida! O juvenis! O Virgo! de te forsitan cras cantabitur, Pulchra fuit, defuncta est, tua ætas tenera, sed fuit, non est amplius. Mors abstulit atra decorem, clamat interea cuculus, monet ut inspicias aridam vitæ humanæ arborem; denuntiat idem tibi eventurum propediem conscientia; tibi interim blanditur ætas, divitiæ placent, placent voluptates, amores delectant: & heu nescis, quod ad hæc omnia rideat tartarea vulpes, derideatq; deplorandam stultitiam.

§. 18. Dictum Valerii Maximi. Eleganter Valerius Max. l. 9. cap. 9. *Caduca nimirum hæc & fragilia puerilibusque consentanea sunt crepundiis, affluunt subito, repente dilabuntur; nullo in loco, nulla in persona, stabilibus nixa radicibus consistunt, sed incertissimo flatu fortunæ, huc ac illuc acta, quos in sublime extulerũt, improviso cursu destitutos, profundo cladium miserabiliter immergunt.* Inter omnia vana vita humana, etiam juvenum est instabilis, nec habet quo contra mortem se possit confirmare.

§. 19. Elegantia navis de Tyro. Perpendite hoc obsecro incauti nimium adolescentes, considerate & vos leviores pullæ; nimirum blanditur vobis florida ætas, ridet, arridetque, allicit, adducit; sed heu miseros, seducit quoque; quid multis? universa vita humana navis est, sub cujus typo Ezechiel cap. 27. describit floridissimam civitatem Tyro. O navim formosissimam! de tabulis & lignis ait vers. 5. *Abietibus Sani exstruxerunt te*, de malo, eodem v. *Cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum*, de remis vers. 6. *Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos.* de velis vers. 7. *byssus varia de Ægypto, texta est tibi in velum.* De navis operimento, *Hyacinthus & purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum,* de sedilibus v. 6. *transtra tua fecerunt tibi de ebore Indico*, ad elegantiam (vers. 10.) *clypeum & galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo.* Ob hæc omnia navis tam pulchra applaudit sibi, *Perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita.* O navicula! decora es, fatebor equidem, elegans, venusta, visu digna, digna laude, digna es demum amoribus. Sed quid si oriatur tempestas, insurgant venti, bacchentur fluctus, intumescant undæ, tollantur procellæ, minitetur exitium aër, minitetur & pontus?

§. 20. Apostrophe ad naviculam. O Navicula, quid tum tibi conferet pulchritudo, venustas quid proderit? quid juvabit elegantia? O Navicula! nam ubi tua est anchora, qua te possis adversum impetuosi furias elementi defendere. Age, ostende si habes: nisi forte existimes sine anchora, salvam te posse atq; incolumem consistere. Ah navicula! anchoram non habes! unde ejus mentionem non faciunt sacræ literæ; quid porro restat, nisi ut cum tua hac pulchritudine fias ludibrium ventis, rapacissimique cibus Oceani, hæc de navicula.

§. 21. Talis navis est vita humana. Navis sine anchora. Dicite nunc Audit. an non talis quoq; sit vita humana; speciosa navis est vita filiæ Principis, sed quæ volat navis decora, sed sine anchora, inter fluctus, quæ à morte facillime demergitur in profundum æternitatis. S. Greg. M. in l. 1. Reg. c. 12. *Nec stare in his floribus suis mundus blandiens cernitur, repentina fortuna turbatur, aut festina & omnia*

& omnia deturbante morte concluditur. Duo mortis epitheta bene notanda, festinat & omnia interturbat, ob arenosum fundamentum & luteum, id quod hâc concione volui declaratum.

§. 22. *Aureum monitum S. Chrysostomi.* Memores proinde simus moniti S. Chrysost. Hom. 3. *Ne insolentes & superbi tibi sint Spiritus, O homo, fluxa & caduca est hominum natura, juventus properat ad senectutem, pulchritudo ad deformitatem, honor ad contemptum, sanitas ruit ad morbũ, gloria ad vilitatem, divitiæ ad paupertatem, res nostræ sunt similes fluento, quod nunquam vult consistere, sed fertur festinans ad declive.* & S. Basilii: *Fluxa est divitiarum natura, suos possessores torrente prærapido ocyus prætercurrit.* Idem dicendum de honoribus, de voluptatibus, idem & præcipuè de vita nostra hac mortali.


§. 23. *Historia de Crœso.* Itaque ob juventutis florem, ob vires corporis, ob bona caduca hujus mundi, ne tibi blandiaris ipse, ne felicem te arbitreris, ne erra & decipere cum Rege Crœso. In captivum Cyrus sententiam tulit, qua vivum igni comburendum addicebat. Urbs tota confluxerat, jam feralis ardere rogus, jam Crœsus spectare funestas flammas, in quibus mox esset absumendus. Ergo elevatis in cœlum oculis, ter altum ingemuit exclamans, *O Solon, O Solon, O Solon!* erat hic unus è septem Græciæ sapientum numero, hic Cyrus lugubri ejulatu, & profundo captivi gemitu commoveri, dein causam sciscitari, ob quam Solonẽ inclamasset, cui Crœsus:

§. 24. *Prosopopæia loquentis ad Regem Cyrum.* *O Cyre Rex potentissime, noveris me prospera afflante fortuna, interrogasse aliquando sapientissimum Solonem, quem judicaret mortaliũ omnium felicissimum, nec dubitabam infelix, quin mihi prærelìquis, oraculo niveum felicitatis calculum tribueret, verùm ille præter spem & opinionem meam nominavit primùm, civem quendam ex plebe Athenensi, tum duos de rustica turba fratres, quo responso commotus subjeci, non ergo Crœsus tibi videtur fortunatior? & ille: nequaquam, neque verò convenit, ut vel tu, vel tui similes se felices arbitrentur. Multi ex illis hodie divitiis, regnis, imperiis eminent, sed præ foribus & in procinctu est, ut luce crastina egestate & captivitate, ad ima deprimantur.* Hæc ille.

§. 25. *Ejusdem epiphonema.* *Ridebam ego tunc quidẽ, neq; dictis eius fidẽ ullam habendã judicabã, nunc, eheu! experior Reges esse mortaliũ omnium infelicissimos. Hæc flammis injiciendus cogitans, ingemui, O Solon! [illegible]lon! O Solon!*

§. 26. *Apostrophe ad filios Vanitatis.* Quod Solon sensit, quod Crœsus expertus est, hoc defuncta filia in hodierno Evangelio nobis concionatur. O vani filii hominum! O Virgines! O Adolescentes! O Reges, O Principes! dum prospera fortuna favet in juventute, dum florida ætas floridos, imo aureos promittit montes, putatis vos felicissimos, sed veniet hora, qua in agone, coram tremendo Judice aperitur Infernus; illa hora, qua tremenda Nemesis, ob vestra scelera in apertos ignes vos deturbabit, tum oculi aperientur, tum vestram agnoscetis infelicitatem. Sed sero nimis; Itaq; *rebus caducis* (S. Chrysost.) *non est adhibendus animus, sed considerandæ, quàm sint ea fluxa, desiderandæ sunt res æternæ, immortales, immobiles, & in quas nulla cadit mutatio.*

CONCIO



CONCIO LIV.

DOMINICA ULTIMA POST SS. TRINITATEM.

Cùm videritis abominationem desolationis.
Matth. 24, v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Dulcis, & rectus, sive bonus & justus est Dominus.

§. 1. *CHRISTUS D. in uno Evangelio mitis & iratus.*
§. 2. *Vultus Christi Domini terribilis.*
§. 3. *Mox placidus & benignus. Bonus enim est, & justus est.*
§. 4. *Dulcis & rectus Dominus ex S. August.*
§. 5. *Bonitas Christi D. erga adulteram.*
§. 6. *Rectitudo & Iustitia erga eandem.*
§. 7. *Verba Hugonis de Follieto de hoc discursu.*
§. 8. *Allocutio ad animas pias, ut ament IEsum.*
§. 9. *Et simul timeant.*
§. 10. *De duplici ficu ex Evangelio.*
§. 11. *Fuerunt figura diversorum peccatorum. Erga quosdam IESUS bonus est, erga alios justus.*
§. 12. *Differentia inter Iudam & Magdalenam.*
§. 13. *Prosecutio.*
§. 14. *Imitemur Magdalenam.*
§. 15. *Vel pium latronem.*
§. 16. *Erga hunc Christus Dominus fuit bonus, erga alterum justus.*
§. 17. *Confirmatur ex Psal. 44. Sponsus est, sed armatus.*
§. 18. *Nemo peccet, quia Deus bonus est.*
§. 19. *Omnes Apostoli lapsi, resipuerunt præter Iudam.*
§. 20. *Quia hic peccavit ex fiducia quod IEsus bonus esset; quod ostendit proditorio osculo.*
§. 21. *Non peccemus cum osculo Christi, quid hoc sit.*
§. 22. *Cur Pharao tam obstinatus.*
§. 23. *Cogitur tandem DEUS, ut puniat.*
§. 24. *Quia peccamus; quia bonus est.*
§. 25. *Præcipuè erga Crucifixum.*
§. 26. *Alia figura, quod bonus sit & justus.*

Horre-

§ 1. Christus D. in uno Evangelio mitis & iratus.

HOrreo tonitrua Aud. expavesco fulmina, tempestatem reformido, quam nostris capitibus imminere hodierno in Evangelio perspicuè satis exponit mundi Salvator. Et quid hoc amantissime JEsu? Nunquid (si te licet affari Prophetæ tui verbis) Ps. 59. v. 3. *Iratus es?* Ita sane, tantos dedit ira furores! verum quæ nostra est felicitas; non iratus es solùm sed & misertus es nobis. Conclamatum fuerit nobiscum, nisi iræ tuæ ardentis incendium extinxissent flumina misericordiæ. Et ira quidē, quàm horrendis flagrabat ignibus? *Væ pugnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Væ! Væ! quid, ab illa dulcissima dulcissimi Salvatoris lingua? Ita: ab illane lingua, sub qua manant apum deliciæ, mel & favus? Ita: iratus est Dominus. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit, nec erit*, heu mihi! tantane tribulatio indicitur ab illo ore, quod vel mañæ & sacchari superat dulcedinem? Ita, iratus est Dominus. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usq; in Occidentem, ita erit adventus Filii hominis.* Quomodo? Itane ardent, ita notant, ita fulgurant illa labia, quæ sunt sedes gratiarum? Iratus est Dominus.

§. 2. Vultus Christi D. terribilis.

Probabile est CHRISTUM Dominum protulisse has minas scintillantibus oculis, vultu terribili, ad majestatem quandam composito, ut iis, qui præsentes aderant, universis ingentem trepidationis motum, metumque incusserit, Iratus fuit Dominus.

§. 3. Mox placidus & benignus.

Sed & misertus est. Subita, sed jucunda scenæ variatio, misertus est inquam, Dominus, ex aspero mitis, ex commoto placidus, mansuetus ex severo, ex irato affabilis, dum impiæ urbis istius incolis modum fugiendi à ventura ira ostendit. *Tunc qui in Judea sunt, fugiant ad montes.* Misericors est Dominus, qui tutum refugii asylum ostendit. *Orate, ut fuga vestra non fiat in hyeme.* Misericors est, qui arma orationis subministrat. *Nolite tum timere, propter electos breviabuntur dies illi.* Bonus est, qui timidas hominum mentes verbis recreat tam suavibus, promissis tam cœlestibus consolatur. Nimirum uti minas vultu terribili, sic alia ore protulit amabili, ut non possim non exclamare denuo, *Iratus es, & misertus es nobis.* Sic est mi JEsu. Justus es dum irasceris & punis; cum fulmen retrahis & parcis, misericors! cum tempus irascendi, terribilis, cum tempus est miserendi, amabilis. Atq; hæc duo sunt, quæ ex pluribus S. Scripturæ locis luculenter ostendam, quod dum præstare incipio, dicite una mecū, Salve juste, & misericors JEsu! juste in furoribus, sed in amoribus misericors!

Bonus enim est, & justus est.

§ 4. Dulcis & rectus Dominus ex S. August.

Eleganter quondam pro suo more super hæc Psalm. 24. v. 8. verba, *Dulcis & rectus Dominus*, dixit S. August. tr. 33. in Joannem: *Ama*, scilicet JESUM Salvatorem tuum, *quòd dulcis est, time, quòd rectus est*: sive, ut Cassiodorus ait: *Dulcis est, ut ametur; rectus est, ut timeatur.* Amari & timeri vult Redemptor noster, amari ut Pater, timeri ut Judex, ideò non rarò in sacris literis, pium se, bonum, amabilem, misericordem, non rarò etiam rectum, justum, terribilem & iratum ostendit.

Joannis 8. Pharisæi adducunt ad Christum

§. 5. *Bonitas Christi D. erga adulteram.* Christum D. mulierem in adulterio deprehensam, graviter illam accusant, sed intentione sinistra, ut si illam condemnaret, pro severo; si absolveret, pro nimium leni haberetur: quid verò ad has impiorum versutias Salvator? ille, ut fraudulenta confunderet ingenia, miro, sed suavissimo quodam modo, dulcem se esse, simul & rectum, misericordem & justum declaravit.

Nam postquam adulteram, ob internum quendam metum contremiscentem, piis oculis aspexisset, ait accusatoribus v. 7. *qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat:* & confestim se inclinans, aliquos in terra characteres delineavit. Sunt qui putant, quemvis ex Pharisæis in illis notis legisse propria, gravissima, & abscondita scelera, cum ingenti rubore & confusione: alij, à CHRISTO in terrâ fuisse scriptas has voces, *Absolvo te*, affirmant. Ut ut sit; certè utroque modo confusi abierunt Pharisæi, & CHRIstum D. solum cum adultera reliquerunt, & quia nullus illam condemnavit, ait JESUS, *Neque ego te condemnabo.*

§. 6. *Rectitudo & Iustitia erga eandem.* Verum, quid hoc mi Domine? ergo peccatoribus & adulteris favorem polliceris? ergo in adulterium severè animadvertendum non censes? ad quid igitur lata est sententia, ad quid decreta lex à Moyse, ut tales lapidentur? non ergo justus existis? absit ista, absit ab animis vestris cogitatio Audit. Ut justum se ostendat & rectum, addit, *Vade, sed noli amplius peccare.* q. d. priora scelera ex misericordia tibi condono, quia bonus sum, quia misericors sum, sed noli peccare iterum, ne cum tempus irascendi venerit, sententiam mortis, & lapidationis ferre cogar, quia rectus & justus sum. Absolvere, parcere in CHRISTO D. est opus infinitæ bonitatis; condemnare, punire, rectissimæ factum justitiæ.

§. 7. *Verba Hugonis de Follieto de hoc discursu.* Sed audiamus præclarè disserentem de hac CHristi D. erga adulteram bonitate, super illa verba, *Digito scribebat in terra*, Hugonem de Follieto. *Habes scriptorem libri & titulum: habes pennam & calamum, scriptor est JESUS Salvator, titulus in hoc opere, liber gratiæ, penna vel calamus est digitus, id est benignitas Spiritus S. libri materia est pœnitentia, sententia, DEI misericordia.* O nobilem librum, nobiliorem calamum, sed scriptorem longè post homines etiam natos, & nascituros, nobilissimum! Huic libro gratiæ & vitæ scriptor JESUS nomen adulteræ inscripsit, sed quia corde contrito, & cum lachrymis procubuit ad genua Judicis, dum tempus fuit miserendi, dum Judex adhuc misericors fuit, & quia non peccavit iterum. Si iterum peccasset, forte alteri libro, libro mortis, libro Justitiæ, nomen ejus inscriptum fuisset, cujus libri idem scriptor Jesus, sed titulus, liber condemnationis; calamus, virga ferrea, stylus adamantinus; materia libri, peccata & scelera, obduratio & impœnitẽtia; sententia, Dei ira, justi Judicis vindicta, & terribile illud fulmen Matt. 25. v. 41. *Ite maledicti in ignem æternum!* O tremendum sanè librum, ac terribilem! terribiliorem calamum, sed scriptorem terribilissimum!

§.8. *Allocutio ad animas pias, ut ament JEsum.*

Vos nunc alloquor piæ animæ, ad vos me converto, ad vos verba facio, amantes Salvatoris vestri mortales! eja amate, amate Redemptorem vestrum meumque JESUM; hunc diligite intimè, dulcis est enim & misericors, huic vestros donate affectus, offerte desideria, suspiria adpromittite, suavis est enim & amabilis! O si vestra ille nomina huic aureo inscribat libro! amate tantùm, jam calamum aptavit, pro atramento jam dedit sanguinem, amate tantùm, hunc ille solum amoris vestri nutum expectat, ut scribere incipiat. Incipite amare, incipite diligere, ut & ipse incipiat huic aureo, huic gemmeo, huic adamantino libro vitæ nomina vestra inscribere. Me quod attinet, bone JESU, en ultro meos tibi amores, vel ex hoc momento dedico universos, ah, inscribe me huic libro; jam piget pudetque exclamare aliud, quàm cum illo mellifluo tui amatore, *IESUS dulcedo cordium, Dulcedo ineffabilis, totus desiderabilis.* Agite Aud. idem mecum dicite, idem exclamate, Amandus JEsus est, quia dulcis, quia bonus, quia amabilis.

§.9. *Et simul timeant.*

Sed non solus sufficit amor? fallor! non sufficit, timendus est quoque Salvator, nam Judex est. En ut ardent oculi, en ut iram præ se fert vultu ac fronte, en ut dextera ancipitem gyrat gladium, en ut sinistra librum continet atrum, librum horrendis distinctum notis, flammis interpictum, sceleribus meis, vestrisque refertum, librum non vitæ, sed mortis, non salutis, sed desperationis, non præmii, sed supplicii. Væ misero mihi, væ vobis! nisi amori nostro accedat timor, timor tanti Judicis, tam stricti, accurati, incorrupti, perspicacis, justi, formidandi; væ nobis! nempe fatendum est ingenuè, verissimam illam esse veritatem Davidis Psal. 24. v. 8. *Misericors & miserator, & Iustus Dominus.* Amemus igitur, quòd dulcis est, timeamus quod rectus est.

§.10. *De duplici ficu ex Evãgelio.*

Lucæ 13. v. 6. 7. Idem venit Salvator *ad arborem fici plantatam in vineâ, & quærens fructum in illâ non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hâc, & non invenio; succide ergo illam, ut quid terram occupat? At ille respondit, Domine dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & si quidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam.* Probabile est Christum Dominum acquievisse, & ficui parcitum esse. Bonus fuit JEsus!

Marci 11. v. 13. Vidit Salvator à longè ficum habentem folia, & venit, si quid forte inveniret in ea, & cum nihil invenit præter folia, dixit: *Iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.* Cùm mane Apostoli redirent per eandem viam, *viderunt ficum aridam factam à radicibus:* Iratus fuit JEsus. Sed cur erga ficum alteram tam bonus & longanimis, erga alteram tam rigidus & severus? causam accipite.

§.11. *Fuerunt figura diversorum peccatorũ, erga quos-*

Duæ hæ arbores ob oculos nobis ponunt diversos peccatores; ex his licet complures sint arbores non steriles tantùm, sed & gravium peccatorum fructibus onusti (si tamen hi fru-

dam Iesus bonus est, erga alios justus. ctus sunt nominandi) licet eorum crimina in cœlum usque clament, licet minetur excisionem Justitia, licet denique mors securim ponat ad radicem; tamen bonus JESUS longanimis est, offert inducias, implet omnes boni hortulani partes, irrigat sui sanguinis imbre, quod tandem in salutares pœnitentiæ fructus erumpant; an non his bonus est, & misericors JESUS? Verùm alii obstinati longo temporis spatio perseverant in malo, moriuntur subito & infeliciter, exscinduntur, & in ignem æternum mittuntur.

Idem Redemptor, idem omnino CHRIstus, qui aliis clemens & facilis, hic iratus est, & justus. Quid verò causæ assignabis, nil aliud nisi illud Doctoris Gentium? Rom. 11. v. 34. *O altitudo divitiarum! quis enim consiliarius ejus fuit?* Nostrum est amare illum, quia bonus est, & timere quia justus est. Nostrum est, peccata commissa deflere, futura cavere, dein reliqua divinæ committere providentiæ. Bonus est, ut ametur, justus est, ut timeatur, amando & timendo errare non possumus.

§. 12. *Differentia inter Iudam & Magdalenam.* Si quam tamen harum arborum differentiam nosse desideratis, intelligite eam, meo quidem judicio, satis perspicuè in Maria Magdalena & Juda proditore. Conceptum mihi suggerit una particula v. 14. c. 26. Matth. nam postquam Evangelista pœnitentem, & ad pedes Christi provolutam descripsisset in domo Simonis ait. *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Iudas Iscariotes ad principes sacerdotum, & ait illis, quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam!* Mira profectò rerum eodem tempore dispositio!

Siquidem dum Luc. 7. v. 18. Magdalena jacet ad pedes CHRISTI servatoris prostrata, dum eos lachrymis suis, fletibusque humectat, dum crinibus tergit & abstergit, dum animo suo coquit mixtos amoribus dolores, & amores doloribus; ecce, *Tunc*, eo ipso temporis momento; *tunc* cum suis indulget piissimis affectibus pœnitens mulier, *tunc*, cum recipitur ad gratiam Magdalena, gratia excidit Judas, *tunc*, coquit infame scelus proditionis adversus Dominum suum atque Magistrum; En ut admittitur altera, alter rejicitur. Ama quod bonus est, time quod justus est, illa libro vitæ, hic mortis inscribitur. *Quando prostituta lupanar exivit* (S. Chrysostomus Hom. de prod. Judæ) *discipulus gehennam intravit.* Magdalenæ dicitur, *dimittuntur tibi peccata tua*; Judas desperat. Huic rectus, justus & iratus fuit dominus, illi suavis & misericors. Visne scire causam? jam dicta est ante, non abeo à sententia Doctoris gentium; nam Deum quod attinet, necesse habemus dicere, *O altitudo!* quod Magdalenam & Judam concernit, hic noluit CHristi vocem audire, illa audiit vocantem. Quod nostra interest, salvatorem nostrum amare simul, & timere discâmus. §. 13. *Profectio.*

Iterum belle S. Chrys. *Videndo meretricem, de tua liberatione ne desperes; sed & Iudam cogitando non debes esse securus. Utrumq; enim periculosum est, & confidentia, & desperatio.* Debemus imitari Mariam Magdalenam. Luc. 7. v. 38. *Et stans retro secus pedes lachrymis capit rigare* (non unum aut alterum, sed) *pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, &* § 14. *Imitemur Magdalenam.*

bat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Sic clarè innuit textus, Magdalenam non fuisse contentam uno pede Salvatoris, sed lachrymis rigavit, osculata fuit, unxit, capillis detersit, jam hunc, jam illum, jam dexterum, jam sinistrum.

Sic perge, O felix Magdalena; funde lachrymas, mitte suspiria, attolle gemitus, omnes numerat JESUS, perge tergere capillis, huic asylo te alliga, tam beatis funibus, fige oscula; sunt basia vitæ. Sed pedi utrique, est enim alter misericordiæ, alter Justitiæ, in quem finem S. Bernardus ser. 1. in festo S. Magdalenæ: *Utrumque igitur jungat pedem anima pœnitentis affectus, & nunc misericordiam amplectens, nunc judicium deosculans, contribulati Spiritus offerens holocaustum.* Scio, O tristes animæ, peccata quibus DEUM offendistis, vos subinde reddunt anxios, sæpè tristis hæc occurrit cogitatio; Salvaborne cum Magdalenâ, an damnabor cum Juda? sed hoc facite cum Magdalena, utrumque CHristi pedem amplectimini, id est, amate JESUM, quia bonus est, & misericors, timete, quia justus & rectus est, & non errabitis.

§. 15. *Velpium latronem.* Hæc de Magdalenæ amantis, & impii Judæ desperantis diverso fine atque exitu; ejusdem diversitatis speculum nobis offert mons Calvariæ; scitis CHRIstum servatorem pependisse in Cruce inter duos latrones, & illa quidem serie, ut alterius crux erecta staret versus dexterum salvatoris latus, alterius versus sinistrum; & tamen, quod est admiratione dignum! alter de Cruce admissus est ad paradisum, alterius anima de Cruce in abyssum inferni est deturbata; ut nimirum (ait S. Chrysost. Homilia 2. de cruce & latrone) *Sciamus JEsum bonum & justum.*

§. 16. *Erga hunc Christus D fuit bonus, erga alterum justus.* Hoc est illud, quod nos advertere oportet, JEsum nempe bonum & justum, væ iis qui duo hæc Salvatoris nostri prædicata ignorant, vel ignorare se simulant, & ita in omne scelus ruunt. Vobis contra gratulor devotæ animæ! vobis O tristæ Magdalenæ! vobis O pœnitentes latrones? desideratis esse securi de venia, huc ad utrumque CHRISTI latus, ita amate dexterum, ut sinistrum pertimiscere non cessetis Placet avidis auribus haurire jucundissimam ad paradisum invitationem? amate bonum Dominum, sed & timete. Vultis in die illo judicii cum dextro latrone dextrum occupare latus? huc modo, huc ad dexteram crucifixi latus, huc ad benedictum illud vulnus, huc ad fissuram divini cordis, in illo invenietis amoris vestri objectum, JESUM amabilem, sed invenietis eodem, si impietas placet, terrores, furorisque argumentum. Verbo dicam, absolvere nos potest, amate, bonus est. Condemnare nos potest, timete, Justus est. Volupe est audire super hac re, Aloysii Juglaris elogio LXVII. eruditum acroama: *Malum latronem ne præteri, qui bonum attendis. Portum salutis utrimq; scopuli obsident; Ne credas igitur, sine causa inter hanc geminam Pharon, Medium stare JESUM*, sed mittamus latrones, funestam patibuli materiam; ad suum nos epithalamium invitat Regius

Regius Psaltes, ut videamus sponsum esse bonum & justum.

§. 17. *Confirmatur ex S. Psalmo 44. Sponsus est, sed armatus.* Ps. 44. cœlestem sponsum, totum pulchrum & speciosum, & divinis quasi coloribus adumbratum depingit; modum & stylum, quo contextus est psalmus, quæso, attendite v. 3. ait. *Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Sed audi ut sponsum mox mutet in militem. v. 4. *Accingere gladio tuo, super femur tuum potentissime.* v. 5. redit ad pulchritudinem, *Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede & regna.* q. d. O formosissime, O amabilis sponse! omnium corda tua rapies pulchritudine. vers. 6. rursum convertitur ad minas, & ejus arma veluti militis describit, *Sagittæ tuæ acutæ populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis.* q. d. O pulcherrime sponse sed simul fortissime miles, qualia sunt tibi arma, qualis gladius, quales sagittæ, his omnes tuos inimicos tibi subjugabis.

§. 18. *Nemo peccet quia Deus bonus est.* Hoc in hoc stylo regii Psaltis latet mysterium. Spiritus Sanctus innuit, Christum D. esse speciosum, plenum gratiarum, Regem totum amabilem, in amabili diademate, quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis, & ex hoc capite amandum. Sed simul accinctum gladio instructum arcu & sagittis, justum & terribilem; ex isto timendus est. S. August. ser. 12. de temp. *Ad hoc speciosus processit de thalamo suo, & exultavit ut gigas ad currendam viam, amabilis & terribilis, (gigas & puer,) severus & serenus, pulcher bonis, asper malis, Amate & timete.*

Hoc salutari timore illorum corda præcipuè cupio transfigere, qui Deum frequenter & graviter offendunt, ideo quia bonus est, & quia bonitati Salvatoris nimium confidunt, dicentes cum acatholicis, Salvator noster pro nobis passus est, pro nobis mortuus est, pro nobis sanguinem fudit, & cur nos condemnaret? Bonus est, misericors & miserator Dominus. Et spe hac freti audacter peccant. Timete impii, conditio vestra est periculosa, vobis hic sponsus convertetur in militem. Vobis non basia, sed vulnera figet, vobis non porriget anulum, sed gladium. Denique vos non ducet in cubile, sed præcipitabit in tartarum. Vobis clamat Sanctus Augustinus. *Timete quia justus est*, de ventura ira & justa vindicta nequicquam dubitate.

Observatione dignum est, quod sequitur. Diversi Apostoli Magistrum suum graviter offendunt. Iacobus & Ioannes ambitione, Petrus trina negatione, incredulitate Thomas, Iudas perfidia & proditione, omnes denique turpi fuga atque inconstantia. Resipuerunt tamen præter unum Iudam universi; omnes post resurrectionem Iesus fuit solatus, Thomæ palpanda sua Vulnera obtulit; Petrum constituit caput Ecclesiæ. Solus Iudas de venia desperavit, & projectus est ab oculis Domini in æternum. O Deus! cur piissimus Salvator omnibus tam bonus & pius, soli Iudæ tam asper & severus? §. 19. *Omnes Apostoli lapsi, resipuerunt præter Iudam.*

Causam eruit peculiarem Sanctus Chrysost. ex c. 26. S. Matth. *qui autem tradidit eum, dedit eis signum dicens,* §. 20. *Quia hic peccavit.*

 quem-

ex fiducia quod Iesus bonus esset, quod ostendit proditorio osculo.

quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. O perfidum proditorem! pro proditionis tessera elegit osculum, nonne dicere poterat, cujus formosissimi oculi, cujus genæ pulcherrimæ, cujus stillantia melle & lacte labia, ipse est, illum tenete. Ipse Salvator cum admiratione ait? *Iuda, osculo filium hominis tradis?* arbitror sanè, suavissimum cor Christi, ad infame proditoris osculum intimè fuisse commotum, sine dubio labia contremuerunt, ex oculis Christi in genas Iudæ super infame os, dum illud applicuit, manarunt calidæ lachrymarum guttæ, an fortassis saxeum illud pectus, vel hoc divino fletu & balneo emolliri posset. Sed pro dolor! exclamat S. Chrys. *quantam proditoris anima pravitatem suscipit; quibus oculis tunc Magistrum aspexit? quo porro osculatus est ore? O scelestissimam mentem, quid cogitavit, quid ausa est, quod signum proditionis dedit?* jam tandem in aureo discursu causam accipite, ob quam talia fuit ausus (*confidebat enim in lenitate Magistri*) Viderat Iesum pium erga Magdalenam, benignum erga adulteram, suavem erga Samaritanam, publicanis bonum, misericordem Mattheo, *& quæ res maxime confundere illum hominem, & omni privare venia sufficit, qui ita mitem ac mansuetum prodebat Magistrum.*

§. 21. *Non peccemus cū osculo Christi quid hoc sit.*

Ignoscite mihi Auditores timeo ne quandoque etiam inter nos sint novi Iudæ, novi proditores Christi, vendit Christum avaritia, prodit superbia, vinculis astringit luxuria. Sed amabo vos, nolite profanare contactu tam fœdo divinissimum guttur, clarius loquar, nolite ideo peccare, quia bonus est Deus. Timete, etiam justus est, puniuntur tales in agone ultimo, ut denique in desperationem prolabantur. Speculum sit Iudas. Iudæ exemplo sapiamus & timeamus. Tantum est scelus, Iesum offendere, quia bonus, quia pius, quia misericors est.

§. 22. *Cur Pharao tam obstinatus.*

Aliud speculum habemus in Pharaone, tot miraculis convictus, tot flagellis territus, tot afflictus plagis, tot suppliciis mactatus, voci tamen Moysis obire non voluit; sub ferula promittebat aureos montes, spondebat dimissurum se populum, justa omnia rectaq pollicebatur; illa amota æquè pertinax erat, ac ante, æque malitiosus, æquè obfirmatus animo. Causam assignat sacer textus v. 15. cap. 8. Exodi. *Videns autem Pharao, quod data esset requies, ingravavit cor suum, & non audivit eos*; quæ verba S. Aug. q. 24. in Ex. ita exponit, *ideo Pharao toties mentem mutavit, & tandem fuit induratus, quia toties Deum benignum expertus fuerat. Et hinc apparet, non illas tantum fuisse causas indurationis cordis Pharaonis, quod incantatores ejus similia facerent, verùm etiam ipsam Dei patientiam quâ parcebat. Patientia Dei quibusdam utilis est ad pœnitentiam, quibusdam utilis ad perseverandum in malo.* Sed qui diu bonus fuit, iratus tandem ipsum cum toto exercitu in mari rubro submersit. Timete impii, & hodie Patientia Iesu parcit diu, diu dissimulat, diu connivet; Enim verò evigilat tandem, tandem fulmina expedit in scelestos, illos præcipuè, qui peccant, propterea quod bonus est Iesus.

S.Ba-

§. 23. *Cogitur tandem Deus, ut puniat.* S. Basilius in Ps. 118. *Omnia in statera gubernat Deus: diu quidem fert mortalium peccata; ubi verò ipsius patientia intuitu augeri malitiam videt, tum pœnas sumit.* Salvianus l. de provid. *Trahimus Deum impietatibus nostris, & ad puniendum nos exacerbamus invitum: licet natura benignus sit, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, ut per nos cogatur irasci: vim, ut ita dixerim, facimus divinæ pietati suæ, ac manus quodammodo inferimus misericordiæ suæ, cumque ejus benignitatis sit, ut velit nobis jugiter parcere, cogitur à malis nostris, scelera, quæ admittimus vindicare.* Elegantius thema meæ concionis proponere non possum. Iesus Salvator noster bonus est, si illum amemus; justus, nisi timeamus.

§. 24. *Quia peccamus, quia bonus est.* Pergimus nihilominus peccare cum obstinatis Iudæis de quibus Ps. 77. *Interrupit mare & perduxit eos, deduxit eos in nube diei, Nocte in illuminatione ignis, eduxit aquam de petra.* O bonitatem! O beneficia! & tamen, apposuerunt adhuc peccare ei & ita in iram excitaverunt excelsum.

§. 25. *Præcipuè erga crucifixum.* Idem an non hodiedum usu venit? An non petra deserti typus fuit petræ, quæ est Christus crucifixus in monte Calvariæ, O impii, quid facitis? ecce sanguine stillant manus, & oleo misericordiæ, bonus est Iesus! & adhuc apponitis peccare ei, timete, ne in iram excitetis. Justus est. Ecce rosea patent vulnera! misericors est Iesus, & adhuc apponitis peccare ei. Cavete, justus est. Iustus ut timeatur, ut non peccetis; bonus, ut ametis.

Finio ex c. 1. v. 11. Ierem. *Factum est verbum Domini ad Prophetam, & ait Dominus: Quid tu vides Ieremia? & dixit, Virgam vigilantem ego video, & factum est Verbum Domini secundo, Quid tu vides?* & dixit, *Ollam succensam ego video.* Hac ratione imaginemur nobis Christum D. Iudicem nostrum. In dextera habet virgam vigilantem, sive virgam & sceptrum misericordiæ. Sic S. Hieron. legit, *Virgam germinantem, ac florescentem ego video.* Sive, sceptrum plenum floribus, gemmis & unionibus. Hoc sceptrum cœlestis Assverus nobis porrigit in signum clementiæ, bonus est. Ad sinistram verò ardet olla succensa ignibus inferni, sinistra gyrat gladium furoris: & justus est. Eja Aud. & super vos vigilat illa gemmea & florida virga misericordiæ, super vos aperti sunt oculi illi benignissimi, super vos ex ejus manibus decidunt uniones favorum. Itaque amate Iesum, bonus est. Vos impii; timete ollam succensam, in qua ignis inferni pro vobis flagrat, quia justus est, timete ardentes flammas, timete lacum stagnantem pice, & sulphure, quia justus est Dominus! Amen. §. 26. *Alia figura quod bonus sit & justus.*

FINIS.

ALVEI PRIMI,
SIVE
CONCIONUM
IN
Festa ab Adventu usque ad Pentecosten,
PARS III.

CONCIO LV.

FESTO S. FRANCISCI XAVERII INDIARUM APOSTOLI.

Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.

Ecclesiastici c. 44. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de conversione S. Xaverii ad Christum, per S. Ignatium, & ejus adventu in Indias.

§. 1. *Vita S. Francisci Xaverii est aurifodina, hortus, &c.*

§. 2. *Propositio. Ex septem concionibus super Vitam S. Xaverii, hac proponet ejus conversionem ad Christum per S. Ignatium.*

§. 3. *Ortus, patria, parentes S. Xaverii*

§. 4. *Florida ejus juventus, educatio.*

§. 5. *Mittitur Parisios ad studia, incidit in conversationem cum S. Ignatio.*

§. 6. *Ejus iter in Italiam.*

§. 7. *Ejus vita in præcipuis Italiæ urbibus. Conglobata ejus encomia.*

§. 8. *Exsugit ulcus agri in hospitali.*

§. 9. *Xaverius in somno gestat Æthiopem.*

§. 10. *Destinatur à S. Ignatio in Indias.*

§. 11. *Iter ejus in Lusitaniam.*

§. 12. *Lis inter Europam, & Indiam, Orientem, & Occidentem de S. Xaverio.*

§. 13. *Prosopopœia Orientis flagitantis Xaverium.*

§. 14. *S. Xaver. in utrumque paratus.*

§. 15. *S. Ignatius decidit litem.*

§. 16. *S. Xaverius abit in Indias.*

§. 17. *Nomina, quæ navi, quæ vexit Xaverium, tribui possunt.*

§. 18. *Ejus virtutes in itinere.*

§. 19. *Emblemata, quibus navis S. Xaverii depingi potest.*

§. 20. *Apostrophe ad Orientem, ut excipiat S. Xaverium.*

§. 21. *Epilogus.*

§. 1. *Vita S. Fra. Xav. est aurifodina, hortus &c.*

Viri sanctissimi, Herois gloriosissimi, Indiarum Apostoli, Orientis Thaumaturgi, mei dulcissimi, suavissimi, amantissimi Patris & Patroni, S. Francisci Xaverii, festum in Ecclesiâ hodiernâ luce solenniter celebrat Minima Societas Jesu. Mihi obedientia injunxit, ut suasu Ecclesiastici laudem Virum gloriosum, & parentem nostrum in generatione sua: sed materiæ, & laudum copia atque amplitudo ferè me inopem faciunt; in Xaverii laudibus statuere modum, oratori est difficile, quia vir tantus omnia fecit ultra modum. Dum enim in illa, quæ de admirabili Xaverio dici possunt, oculos conjicio, videor mihi ingredi aureas Potosini montis cavernas, in quibus tot aureæ occurrunt venæ, ut quam primùm, quàm deinde eruam, ignorem. Videor mihi ingredi amœnissimum hortum, plenum pulcherrimis floribus, ut & hic dubiæ hæreant manus, quem primum, quem postremum, quem medium decerpant. Videor denique mihi recludere pulcherrimam quandam arcam, tot divitem gemmis atque unionibus, ut quæ primæ sint colligendæ, incertus maneam. Quid igitur? agite Auditores, ducam vos in has aureas cavernas, apetiam hunc hortum, reserabo locupletem hanc arcam, ut ipsi scrutemini in venis, ludatis in floribus, fulgeatis in gemmis.

§. 2. *Propositio ex septem Conc. super vitam S. Xav. hac proponet ejus conversionem ad Christum per S. Ignatium.*

Clarius loquar: Vitam sancti mei Patris Xaverii in septem dividam panegyres, quarum prima describet juventutem, conversionem ad Christum per S. Ignatium, atque iter in Indias. Altera ejus labores in Oriente. Tertia iter in Japoniam, ibique gesta. Quarta expeditionem in Chynas & sanctissimam mortem. Quinta miracula perpetrata à viro sancto, dum viveret. Sexta miracula post mortem. Ultima denique admirandas viri hujus virtutes. Cui meo proposito, hodie ut spero, favere incipietis, atque annuere, ubi primo velut in lumine unà mecum, hac in Concione steteritis audituri, bene auspicata Xavérianæ virtutis, Sanctitatisque principia.

§. 3. *Ortus, patria, parentes S. Xaverii.*

In regno Navarræ haud procul principe urbe Pamplona, in radicibus Pyrenæorum montium jacet arx Xaverium, caput & prima domus nobilissimæ Xaverianorum familiæ. In hac arce veluti Regia domo solis & planetarum, orta est stella illa matutina, natus ille sol, qui deinde totius Orientis tenebras tam lucidis & benignis fidei Christianæ radiis illustravit. Sic sol Orientis natus est in Occidente, id est in hac domo vel arce anno 1497. natus est S. Xaverius; in hoc horto erupit hic flosculus, cujus odore repletus est mundus universus. In hoc agro floruit illa arbor, quæ in Orientem usque ramos suos extendit. Hæc arx fuit palæstra, in qua natus est ille pugil, qui devictâ idololatriâ, usque in Chynas, per amplissima regna & imperia Nomen Jesu ad gentes deportavit.

§. 4. *Florida ejus juventus, educatio.*

Quòd hic flosculus in prima juventa, vel à caloris vehementia, vel frigoris acerbitate nihil passus sit iniqui, asscribendum est curæ piissimæ Matris Mariæ Xaveriæ, quæ Franciscułum veluti Benjaminum ad omnem honestatem edu-

educavit, cum materno lacte instillans virtutis amorem, Dei timorem, devotionem, modestiam, illosque mores, à quibus bona filiorum educatio dependet. Floridissimus erat juvenis; Decor vernabat in fronte, florebat purpura in genis, pulchritudo ridebat in labris, vigor mentis ardebat in oculis, spirabat in vultu, ex omnium membrorum symmetria, apparebat inesse florido corpori animum quendam excelsum & generosum. Nec propterea arbitremur, ex veterum superstitiosa metemphysochosi Poetarum emissam per Elysiæ voluptatis portam Herois alicujus animam illi obtigisse: ego sic statuo, formosissimam Cœlitum charitatem suiipsius prodigam, ita se infudisse in Xaverium, ut ipse generosissimum illud pectus, singulari prodigio visa sit amare.

§. 5. *Mittitur Parisios ad studia, incidit in conversationē cum S. Ignatio.* Cùm itaque inter prima literarum rudimenta, quàm acris esset ingenii ostendisset, à parentibus missus est Parisios ad celeberrimam jam tum universitatem, ubi in philosophicis studiis mox coætaneos omnes multis passibus visus est antecellere, erat enim Xaverio animus excelsus, honorem appetens, altas fovens cogitationes, per literas sternens sibi viam ad maximas dignitates. Sed vide, ut alia sunt hominum, alia Dei consilia, incidit tam nobilis præda in rete S. Ignatii, qui eodem tempore Parisiis literis operam dabat, ab hoc verbis, exemplo spiritualium exercitiorum usu permotus est, ut spretis mundi voluptatibus, divitiis, & honoribus soli Christo servire statuerit. Inter novem filios, quos Ignatius in Christo peperit, Xaverius fuit ultimus, sed excellentiâ primus, ideoque hic partus fuit laboriosus, leæna unum parit leonem, Ignatius unicum peperit Xaverium. Sed leonem, qui suo rugitu Diaboli regnum in Oriente terrefecit, nec alium Franciscus debuit habere parentem, quàm S. Ignatium, sic splendor Orientis exiliit ex igne, immensus ignis fuit Ignatius, sic ex illo talis sol potuit generari. Sub Ignatii disciplina Xaverius statuit re ipsâ, natalium contemnere splendorem, proculcare Xavernianæ domus titulos, imagines, & magnificentiam. Sirenes animorum despicere voluptates, oculorum irritamenta projicere divitias, & Dei servitio se totum consecrare. Quod animo statuerat, festo Virginis Assumptæ in monte Martyrum cum S. Ignatio aliisque sociis jurejurando confirmavit. Infremuit orcus, dum lilium tam pulchrum & illibatum, inter mundi spinas hactenus illæsum illibatæ Virgini fuit dicatum.

§. 6. *Ejus iter in Italiam.* Ex Gallia per Germaniam profecti sunt in Italiam, difficillimo anni tempore, per aquas, per nives, per mille viarum difficultates; sed D. Gaudentius de 40. MM. *inter pruinas ardebat fides, & cælestes animi desiderio Christi fovebant: urebat acritudo frigoris, & occupata erga Deum Religiosa mentes, amœnitatem paradisi cogitabant.* Sed parva vis doloris est, ubi major vis amoris est. Xaverius molestiis ab aere, cœli injuriis, fame, fatigatione non contentus pedes ligavit funiculis, tam arctè ut paulatim sua vi & pondere se immerserint carni incredibili cum dolore. Me-

minerat se filium vanitatis vanitatem quæsivisse in saltu, sic illam expiavit. O felices funiculi, non illi pedes tantùm, sed animum Xaverii alligarunt Cruci Christi; non pedes tantum, sed carnem, concupiscentiam, & Diabolum, dolor ingens in memoriam illi revocabat tormenta pedum Christi Crucifixi, cui volebat esse conformis. In tantum malum vulnerum invaluit, ut fuerit periculum mortis, sed cùm medici desperassent de remedio, succurrit cœlum, non sine omine. Tibiam S. Ignatii sanavit S. Petrus, pedes Xaverii vis medica de cœlo; sic firmatæ sunt duarum columnarum bases, quibus incumberent Occidens & Oriens. Ruiturus fortè fuisset uterque, nisi DEUS has columnas restaurasset.

§. 7. *Ejus vita in præcipuis Italiæ urbibus. Conglobata ejus encomia.*

Ergo Franciscus sibi restitutus cum S. Ignatio & sociis, superatis Alpibus pervenit Venetias; Venetiis Romam, Româ Bononiam, in celeberrimis his Italiæ urbibus habitatio illi fuit in hospitalibus & nosocomiis, in quibus admirabili charitate ægris & infirmis inserviebat. Vir nobilitate clarus, doctrinâ eximius, virtutibus cœlestis, obibat compita, adibat valetudinaria, erigebat languentes, solabatur mœstos, curabat morbos, lambebat ulcera, subinde aquas, quibus illa laverat, epotabat, pauperibus curandis famulus, miseris ope sublevandis Pater, rudibus instituendis Doctor, nocentibus reprehendendis vindex acerrimus, in conversatione agnus, in concionibus leo, mitis & asper, mollis & durus, suavis & acerbus, lassatum diurno labore corpus ad nocturnum soporem, paucis horis injiciebat asseri, vel ad morientis sese pedes adsternebat.

§. 8. *Exsugit alicus ægri in hospitali.*

Et quid aliud inde consequi poterat, quàm ut, dum ulcerosis ita serviret, dum ulcera palparet, lavaret, ligaret, concussa exhorresceret natura? sed inauditum accipite facinus, & heroici pectoris argumentum, quo indicavit vir sanctus, quàm insignis esset sui ipsius victor, perditæque domitor naturæ. Sanè existimo stellas, quæ de cœlo palmare hoc factum spectaverunt, obstupuisse, stetisseque attonitas. Unus inter incurabiles fœdissimis laborabat ulceribus, hic præ reliquis placuit charitati Sancti Xaverii, ergo intempesta nocte, ad ulcerosi hominis lectum arrepit, detegit vulnus omnium fœtidissimum, plenum pure, sanie, peste, fœtore, vermibus, hoc ulcus virgineis labiis fuit osculatus primùm, deinde linguâ allambere, mox quasi esset spongia plena melle, sugere; reluctantibus licet sensibus, saniem, luem, pestem suo ore attrahere Xaverius. Quid horretis delicatuli, quid stupetis? quæ horretis, Xaverii excelso animo fuerunt rosæ, mel & saccharum. Heroicum facinus adeo placuit Deo, ut ad primum purissimi oris attactum inclusa pestis expaverit, & evanuisset momento, nisi Xaverius illam ebibisset, cui nocere non potuit. Unico hoc actu reluctans Xaverii natura ita fuit debellata, ita fracta subjugataque, ut deinceps ad opem ejusmodi animo semper fuerit generoso atque imperterrito.

Hæc

§.9. *Xaverius in somno gestat Æthiopem.* Hæc vigilans Xaverius, quid autem somnians? idem profectò, si non amplius quod vigilans. Somnia quidem sunt somnia, sed non omnia, non ardentis Deum animæ; non æstuantis salutem proximorum; non sitientis animarum lucrum, non Xaverii, quid ergo? Æthiopem sibi visus est portare Xaverius atque ita portare, ut simul & cœperit copiosè sudare, & anhelare frequenter, & ardenter fervescere. An quia in Æthiope uno totas sibi gentes videbatur ferre, donec cœlo inferret? an quia charitas ejus, nimis exigua dierum credebat spatia, ut & noctu sibi laborandum, sudandumque arbitraretur? fortè ut amori suo nullam in hoc mundo, ne quietis tempore concedendam esse quietem testaretur. Ut ut sit, dicere poterat Xaverius, quòd illa quondam amans anima, *Ego dormio, & cor meum vigilat*, Cant. 5. vers. 2. Nam quid esset aliud in somnis somniare amorem, amorem loqui, amorem æstuare, imo portare amorem & amoris delicias, quàm in amoribus vigilare? O felices somnos, in quibus ita dormiens vigilat! felices itidem vigilias, in quibus ita de amore somniatur, ut nunquam non præsens sit, ait Xaverius, *quem diligit anima mea.* Hoc est, si nescitis Auditores, vel oculis somniare apertis, vel etiam per somnum occlusis vigilare. Utinam anima mea cum Xaverio ita somnians vigilaret! utinam ita somniaret vigilans! quàm mihi volupe esset ejusdem amoris somnum, si ita Deo visum foret, cum morte somni fratre commutare.

Sed ad meum me recipio S. Xaverium, neque enim intra hospitalium & urbium aliquarum angustias mea diu detineri potest oratio. Illud tyrocinium virtutum, intra annum & paucos menses in Italia posuit S. Xaverius, ut mox in patentes Oceani campos, in Africæ, Asiæ, Indorumque immensos tractus, in Japoniæ insulas, ejus virtus fuerit evocata, in Indias igitur cum sancto Xaverio mea properat oratio. Meditabatur vir Apostolicus cum sancto Ignatio iter in Palæstinam; verùm Deo aliter visum, illo enim impedito Romæ interim fundata est, & à Sede Pontificia approbata Jesu Societas: cùm ecce Rex Lusitaniæ ex nova Christi cohorte pro Orientis salute ab Ignatio postulat subsidium, ex parvo numero decem heroum expetiit sex, obtinuit duos; Simonem Rodericium & Bobadillam, hunc quia morbus diutius detinuit, volente cœlo, optata diu sors & desideratum iter cecidit in Xaverium. §. 10. *Destinatur à S. Ignat. in Indias.*

Abiit in Lusitaniam incredibili voluptate, facilè eò fertur corpus, quò affectus prævolârunt, togâ unâ, quam pridie abitûs, suis manibus refecit, baculo & Breviario instructus, ex Italia in Galliam, ex Gallia in Navarræ regnum (in transitu potuisset suos invisere propinquos, sed noluit) inde per Castellam venit Olyssiponem Lusitaniæ Regiam; in qua per annum & dimidium, xenodochia, hospitalia, pauperum ædes, ægrorum mapalia, Ecclesiarum cathedræ, urbis fora & compita, iterum Xaverianæ virtutis fuerunt theatra, adeo summâ sui despi- §. 11. *Iter ejus in Lusitaniam* *Vita Olyssipone.*

despicientia, paupertatis amore, mundi contemptu, repudiandis vitæ commodis, continuâ corporis afflictatione, incredibili amore in Deum, pietate, orandi studio, animarum zelo, omni genere heroicarum virtutum, & inusitatis exemplis; Regis, procerum & populi, clàm palam, corda & animos sibi demeruit, ut Rex de detinendo illo in Lusitania serio cogitarit.

§. 12. *Lis inter Europ. & Indiam, O-rien. & Occident. de S. Xaver.* Ingens Europam inter & Indiam, inter Occidentem & Orientem lis orta fuit, dum India semel ad se destinatum, & tanquam suum expetiit, Europa verò dimittere noluit. Quid enim, ajebat hæc, illiusne faciam herois jacturam, cujus mihi virtus tam variis jam probata est, atque approbata argumentis? non faciam. Eóne me privari sinam, qui meos cœpit hostes, atque adversarios suis privare spoliis, spoliare prædis, manubiis exuere? non sinam. *Prosopopœia loquentis Europa de illo retinendo.* Illumne mihi feram ducem, in tam dissitas & longinquas orbis oras regionesque traduci, quo sine ipsamet ab hæresi, peccato, dæmone nuper circumventa prius, traducar? non feram, non patiar, non sinam. Nuper tartareas hæreseon tenebras mihi meisque provinciis effudit infernus; Xaverius sol est, facilè has umbras repellet, facilè has nebulas dissipabit, facilè has fugabit tenebras, facilè optatam mihi lucem splendore suo, virtutumque radiis revocabit. Nuper exulare à me mœnibusque meis cœpit avitæ calor religionis, atque ardor veræ fidei. Xaverius ignis est, quippe alio nuper flammam concepit ab igne, nimirum Ignatio, hujus ignis beneficio animandas iterum in meis visceribus pietatis scintillas confido. Nuper morbo cœpi laborare fatali, & etiamnum adhuc conflictor misera; Xaverius est Æsculapius, vidimus in xenodochiis, exploravimus inter egenos, experti sunt languidorum complures, tota se didicisse gaudet Italia, & cur dimittam? Præterea quis ignorat, quàm sit illud bellum intestinum, quo misera jam multos premor in annos, & vix non opprimor, grave quàm periculosum ac difficile? quàm multis implicitum malis, ærumnis plenum, calamitatibus expositum? Xaverius est alter Hercules, cui promptæ sunt in corde vires, in dextera robur, in armis felicitas, ad hanc malorum hydram, ne fœcundius indies repupullet, tollendam è medio. *S. Xav. Sol, Ignis, Æsculapius, Hercules.* Cede itaque Oriens, cede tuis precibus India & discede, cede nigra Æthyopum patria; non feres candorem virtutis Xaverianæ, tota nigra, lurida, deformis. Mihi meisque debetur Provinciis Xaverius. Sic cum occidente Europa.

§. 13. *Prosopopœia Orientis flagitantis Xaverium.* Quid India? quid Oriens? Dii, inquit, prohibete minas, Dii talem avertite casum, non tuus erit Xaverius Europa, aliud mihi pollicetur vastissima viri charitas, aliud promittit ardens ejus animarum zelus, aliud exigit tot naufragarum mentium, atque omni ope destitutarum calamitas, quæ viro ferventi, generoso militi, experto medico, qualis est Xaverius, nullo fere negotio, profectionem ad me, measque terras suadere poterunt, & persuadere. Sit iter grave, arduum, atque difficile; at amori omnes viarum circuitus sunt compendia. Sint homines mei barbari

bari atque inculti, Xaverius eos oleo Crucis CHRISTI, morumque quos præ se feret, lenitate mansuefaciet. Sint horridæ Regiones adeundæ, sint penetranda occulta saltuum, sint multa milliarium millia, quà terrâ, quà mari peragranda: Xaverio isthæc erunt omnia voluptas, erunt gaudium, amor, deliciæ. Novi indolem hominis, novi genium amantem Orientis, novi virtutem ad ultimos mundi fines extensam. Et verò mihi quodam quasi jure debetur Xaverius, cum tu tuum tibi vendices Ignatium. Quid? tu Patrem serves, & mihi non dones filium? tu retineas Imperatorem, & mihi militem invideas? tu tibi omnia, nihil mihi asscribendum unquam existimes? quis est hic Europa tuus in me affectus? quis animi sensus? quæ voluntatis propensio? vel an non æquè cœlo nati sunt Indi mei, ac tui Europæi? non æquè pro Oriente profudit sanguinem suum JESUS, ac pro Occidente? non æquè meis commodis vult inservire, ac tuis, qui omnes homines vult salvos fieri, deformitatem hominum meorum vultuumque obtendis nigredinem? ego verò hanc ipsam ob causam ad me propediem advolaturum spero Xaverium, ut omnes non corporum quidem, sed animarum maculas eluat atque abstergat. Quid agis Europa? tibi pro uno sunt centum alii, qui si velis rem tuam malè perditam atque afflictam restituent in integrum: mihi jam ex aliquot annorum sæculis incumbunt tenebræ, sim licèt Oriens ipse, in me bellum ardet, jam tali auxilio, jam defensoribus istis tempus eget. Age itaque Xaveri, age & in quem te vocat fortuna campum, audacter evola, vide Indiam, considera Orientem, & miserere laborum tantorum, miserere animi non digna ferentis. Hic Europa obsistere, reclamare, manibus pedibusque contrariari, provocare ad Judicem, ad Ignatium appellare; in hujus enim potestate meminerat esse obedientissimum Xaverium. Sed ad vos ego me interim tantisper confero Auditores.

§.14. *S. Xav in utrumque paratus.*

Ingredimini, dum sic altercantur Europa & India, unà mecum arcana Xaverianarum sensa cogitationum: amabat Europam Xaverius, sed amabat & Indiam, bene huic volebat, bene & illi, hanc cupiebat suis ereptam malis, cupiebat & illam, hinc pulsabat animum ejus afflictæ status Europæ, hinc veniebat in mentem, in quàm cœca nocte versaretur infidelitas Orientis, quid ageret? hęret dubius atque anceps consilii. Europam desereret? sed Mater erat. De India nihil cogitaret? sed credebat, nescio quo mentis vaticinio, etiam id temporis clarus, hanc suam fore sponsam, amor hinc, amor attrahit inde.

§.15. *S. Ignat. decidit litem.*

Sed ne crederetur propria Judex in causa, mox dictante cœlo, volente Numine, Indiâ triumphante decisa est à S. Ignatio controversia, jubetur ire ad Indos S. Xaverius! bene habet India, vicisti! gratulor! i nunc ad tuas Æthiopas! i vel mitte aliquem tuo nomine felicem nuntium & Mercurium, ut gentibus indicet, venire Xaverium novum Indiarum Apostolum, novum animarum Pastorem, Perturbatorem dæmonum,

Zelatoremque divini cultus eximium. Tu verò Europa; ne animum ideo despunde pro uno siquidem Xaverio centum tibi alios sufficiet Ignatius; mittet Fabrum, qui ferrum cudat, quod tui sentiant inimici.

§.16. *S. Xaver. abit in Indias.* Quamprimum ergo funes, quibus in Lusitania detinebatur Xaverius, suo imperio rupit Ignatius, petitâ modestè veniâ abit ex Europa, eâ sanctitate ut Angelus, eâ celeritate ut fulgur, eo impetu, ut tonitru, eo fervore & Zelo ut ignis urens, ea velocitate ut nubes, eâ claritate ut sol, illis virtutum radiis ut stella matutina, dimisit tandem Lusitania Xaverium, & pro dono gratissimus fuit Oriens, pro una gemma mittendo deinceps innumeras cum immensis thesauris. Anno 1541. 8. Aprilis navim conscendit, intumuerunt undæ ad levius ferendum novum Orientis Atlantem, novum maris Oceanique Neptunum, non est, ut nautæ tempestates timeant, non Cæsarem, sed Xaverium vehunt, non Imperatoris alicujus fortunam, sed spem Orientis.

§17. *Nomina quæ navi, quæ vexit Xaverium, hui possunt.* Sed ô fortunata classis! ô ter fausta navis Thaumaturgi vectrix Xaverii! in historia non invenio nomen navis, quæ Xaverium in Indias deduxit. Prima, quam Olyssipone solvit ad quærendas Indias, vocata fuit Gabriel, ut scilicet referret felix nuntium de repertis novis regnis. Sic vocemus navim sancti Xaverii; quæ Orienti nuntiavit felicissimum adventum sitientis animarum salutem Xaverii. Socia primæ navis appellata fuit Raphael, ut hic novi & periculosi itineris esset ductor, sic vocemus navim sancti Xaverii, nimirum Raphael illa est navis, quæ animas tenente clavum Xaverio ducit ad Eoa æternæ patriæ littora! ô navis Raphael! ô Raphael & tu sancte Pater Xaveri! tu siquidem in hac difficili navigatione non unius duntaxat Tobiæ, sed plurimorum fuisti socius in itineribus, in laboribus comes, in periculis Achates, in affectu Pater, in obsequio Servus, in dubiis Rector! Fuisti illi classi in tenebris oculus, in sacris lingua, in arduis dextera, in timidis pectus. Præbuisti te miseris solatium, languidis medicinam, laborantibus quietem, egenis refugium, flagellum impiis, justis exemplar, omnibus omnia.

O Xaveri! ô quis mihi vel calamus serviet, vel quæ satisfaciet lingua, ut tuas ex condigno prædicem virtutes, quibus illam quondam navim, quæ tecum solvit in Indias, illustrasti, profectò ingenti provehebatur onusta thesauro, quæ te vexit tam pretioso beatum charitatis auro. Intelligite idipsum Auditores in bulla Canonizationis ejus illustribus satis argumentis comprobatum. Eo dilectionis ardore erga inopes infirmos in navi se gerebat, ut rarò ab eis discederet, tantaque sensuum mortificatione sordidissima ministeria peragebat, ut aquam sæpius, quâ horribilia & incurabilia ulcera laverat, ebiberit. Cum verò (pergit Bulla) de vita periclitarentur, tunc cibi somnique prorsus oblitus, & præter proprias vires à DEO confortatus, veluti à commissa custodia nec die, nec nocte discedebat, quæ adeo libenter atque hilariter exequebatur, ut deliciæ ejus deservire ægrotis ac morientibus esse dicerentur. Nihil dicam, quo- §.18. *Ejus virtutes in itinere.*

quonam hos inter labores vir sanctissimus usus fuerit lectulo: erat funis nauticus in circulos convolutus, nihil de victu; plerumque non erat nisi panis & aqua. Nihil de vestitu, erat attritus è rudiore tela dignus paupere. Nihil de animarum zelo, de constanti orationis usu, de concionum frequentia, de odio sui ipsius, amore verò aliorum. Hæ & similes viri Apostolici virtutes propriam exigunt panegyrin. Hoc tantùm affero; ter fausta fuit navis mei vectrix Xaverii, antè Gabrielem vocavimus, nuncupavimus & Raphaelem, nunc alio ipsam nomine dignari placet. Ingens fuit navis Lusitanica (quam olim in Hispania in portu Carthaginensi à me visam memini) dicta bona fortuna, alia socia, cui nomen erat, Domina maris, tertiam dixerunt Herculem, ejusmodi navis est, quæ meum vehit Xaverium.


Fortunam vehit illa bonam, vehit illa salutem,
Tuta vel in mediis fluctibus ire potest.

§. 19. *Emblemata quibus navis S. Xaver. depingi potest.* Hoc demum nobis restare videtur, Auditores, ut tam fortunatam navem, cùm corpore prosequi non liceat, aliquot saltem symbolis, aut picturis, velut nostrorum in sanctum Patrem affectuum tesseris, ornemus & prosequamur. Agite pictores, & admoto peritiæ vestræ penicillo pingite primùm in prora hujus navis emblema, pingite Calcem sed aquis superfusis effervescentem, ita quondam pingere placuit eximio Catsio, cogitabunt Auditores mei, ubi illud viderint emblema Xaverii amorem ex adversis & laboribus magis, magisque fuisse accensum, subscribite lemma, *E frigore fervor.* Nunc ad velum navis accedite, & pingite manum cum Cruce in ardentem focum emissam. Subscribite lemma: *Fortia agire & pati Xaverianum est.* Recordabuntur Auditores mei, quâ fuerit animi fortitudine præditus Xaverius, quo mentis ardore fragrans, quo Spiritu divini amoris inflammatus. Olim Mortaræ Marchio Mutius Columna, (ut se æmulatorem Scævolæ testaretúr,) ejusmodi habuit manum in emblemate, gladio instructam, injectamq; in flammas, cum inscriptione, *Fortia agere & pati Romanum est*, sed potiori jure nostra hanc sibi vendicat picturam navis Divi ductrix Xaverii. Denique ipsam etiam navis hujus malum vestris decorate coloribus, pingite plaudentem manibus juvenem oculisque defixum in astra, ad quæ sua prius jacula evibrarat, subscribite, *Spes vivida semper amanti est.* Ita quondam suo subscripsit emblemati, quo spei cœlestis naturam repræsentabat, vir è Societate nostra peteruditus, Guilhelmus Hiesius in suis Embl. Sed Auditoribus meis veniet in mentem, quâ fiduciâ in Deum hos, omnesq; alios in se susceperit labores S. Franciscus Xaverius.

Sed longiorsum quàm vel vestra patientia, vel temporis mihi præfixi ratio concedat. Itaque vela contraho dictionis, cum navi Xaveriana, quæ jam jam Goam littori est appulsura. O felix Goa! felices incolæ! En nisi fallor totus contremiscit Oriens, cùm spectat Xaverium salutifero sanctæ Crucis si- §. 20. *Apostr. ad Orient. ut excipiat S. Xaver.*

gno instructum appellere, currite obviam Goam, effundite vos in plateas, prodite in conspectum Viri sancti, adest qui vestram vobis detergat fuliginem; hic vir, hic est Xaverius! adest, qui vos ex immani Cacodæmonum jugo eripiat, & in veram vindicet salutis vestræ libertatem. Xaverius est! Adest non qui gemmas apud vos piscetur & uniones sed animas, hic vir, hic est Xaverius. Agite itaque, accurrite, salutate venientem, excipite læti ac hilares, qui vos in æternam quondam asscribet lætitiam. Accipite thesaurum, quem vester vobis Rex mittit, imo thesaurum quem ipsum vobis cœlum destinavit.

Sed appulsa jam est littori navis; hæret in portu mea dictio, jam Goam teneo cum Xaverio, hoc unum coronidis loco monendum occurrit Audit. Nimirum & nos qui vivimus universi, in periculosa versamur navigatione, non in Orientis Insulas, sed in æternæ Orientem voluptatis, videamus itaque ut tales simus, qualis Xaverius fuit. Exemplo Xaverii contemnamus mundum, divitias & voluptates. Exemplo sancti Xaverii simus humiles, amatores Crucis, &c. ut aliquando Navicula nostra cum sancto Xaverio portum æternæ gloriæ ingrediatur. §. 21. *Epilogus.*



CONCIO LVI.

FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. VIRGINIS.

De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Matth. 1. v. 16.

Synopsis Concionis.

HÆc Concio purissimam Virginem vindicat à macula peccati Originalis; præsertim ex variis locis Canticorum.

§. 1. *Peccatum Originale strangulat & jugulat omnes homines.*

§. 2. *An hoc dicendum sit de B. Virgine, sive an hic serpens oppresserit illam.*

§. 3. *An Beata Virgo fuerit semper libera, an liberta.*

§. 4. *Propositio. Hæc Concio B. Virginem vindicat à macula peccati Originalis;*

§.1. *Pec. Orig. strangulat & jugulat omnes homines.*

SEr. 12. de gradibus humil. ait S. Bernardus, *Dum in peccato concipimur, à serpente strangulamur.* D. Aug. l. 1. de Gen. *Dum in peccato concipimur, à diabolo jugulamur.* Contingit hoc in pœnam primi peccati parentis nostri Adami, à quo originaria lues in omnes posteros promanavit. Maledicto huic omnes omnino puros homines subjectos esse, non est dubium.

§.2. *An hoc dicendum sit de B. V. sive an hic serpens oppresserit illam.*

De unica Virgine Dei Matre dubium existit, & quæstio est, an in peccato concepta, an verè strangulata sit, & ipsa ab originali serpente, an & ipsa à Diabolo sit jugulata. Affirmant aliqui, sed addunt, quàmprimum fuisse ab illa dæmonis tyrannide vindicatam; de quibus amator Marianæ puritatis uti meritò potest verbis Assueri de Amano, Esther cap. 7. v. 8. *Etiam Reginam volunt opprimere.* Sic Petrus Cellensis de panibus c. 4. *Rapitur Regina! O crimen! generositas ancillatur, O pudor! delicata laceratur, O naufragium! formosa denigratur, O damnum pulchritudinis! obscuratur candida, O gloria convitium! vitiatur damnatrix vitiorum.* Hæc & plura talia, præsertim illa verba, Maria saltem in uno momento ab originali serpente strangulata, & à Diabolo jugulata fuit, amatoribus B. V. nimis videntur dura, nimis aspera, nimis crudelia. Quibus & mihi certissimum atque indubitatum est, illam sine peccato originali fuisse conceptam.

§.3. *An B. V. fuerit semper libera, an liberta.*

Petrus Gregorius lib. de Repub. ait: *Tria sunt genera hominum, alii liberi sunt atque ingenui, qui nunquam servierunt: alii liberti, qui servierunt, qui servituti fuerunt obnoxii, sed tamen per manumissionem libertatem sunt adepti: alii servi semper manent.* De libertis autem dixit Martianus Imp. *Macula illis quædam, & nota inter ingenuos remanet, utpote quod servi saltem fuerint.* Horat *quẽ omnes rodunt libertino patre natũ.* Bald. *Spurius legitimatus, vel aliqua ratione nobilitatus, similis est agro curato à vulnere, cujus semper aliqua remanet cicatrix.* Hoc quæritur de B. V. an libera fuerit, an liberta; an sub dæmonis aliquando potestate, an imbuta deterrimo in-

fernalis Cerberi veneno, nec ne, an lethali vulnere afflicta, an ab eodem præservata; denique an Diaboli mancipium hostis Dei, hæres inferni.

§ 4. *Propositio. Hæc Concio B. Vir. vindicat à macula pecc. orig. præsertim ex Cant.*

Nos in Virginum beatissima, ne ullius quidem spatio momenti, cicatricem agnoscimus, nulla hic fatemur vulnera, nullam concedimus tartaro victoriam, nullam Virginis labem, nullam, nullam turpitudinis notam, nullam maculam, nullam, nullam. Agedum Auditores, hic meæ scopus est concionis, advertite animos, purissimæ Virginis, ut credo amantissimos, intelligetis ex variis elogiis, quæ ex Canticis desumpsi, quid vobis sit de hac Virgine in hodierna controversia statuendum.

§. 5. *Conglobatio 50. symbolorum ex Capt. pro immac. Concept.*

Admirandis utitur metaphoris sponsus, ut suæ pulchritudinem sponsæ extollat, *cap.* 1. *v.* 2. illam assimilat unguento, oleo effuso, tabernaculis Cedar, pellibus Salomonis, vineæ, equitatui Pharaonis, turturi, columbæ, monilibus, muræ nulis aureis, nardo, fasciculo myrrhæ, botro Cypri. Mysticè B V. est illud unguentum, illud oleum, illud tabernaculum, &c.

Cap. 2. *v.* 1. 2. Assimilat sposam flori campi, lilio convallium, malo inter ligna silvarum, monti Bether. B. V. est flos campi, est lilium convallium, est malus, est mons.

Cap. 3. *v.* 6. Sponsus sponsam assimilat virgulæ fumi, ferculo Salomonis, columnæ argenteæ, reclinatorio aureo. B. V. est virgula fumi, est ferculum Salomonis, est columna argentea, est reclinatorium aureum.

Cap. 4. *v.* 15. Vittæ coccineæ, fragmini mali punici, turri David, favo mellis, lacti, horto concluso, fonti signato, fonti hortorum, puteo aquarum viventium. B. V. est vitta vitæ, turris David, favus mellis, hortus conclusus, fons hortorum.

Cap. 5. *v.* 11. Comparat ejus caput auro, comas elatis palmarum, genas areolis aromatum, labia liliis, manus hyacinthis, speciem ejus Libano. Est hæc viva descriptio B. V. illa fuit pulchra capite, speciosa comis, formosa genis, decora labiis, verbo, tota pulchra.

Cap. 6. *v.* 3. Assimilat civitati Jerusalem, aciei castrorum, malo punico, auroræ, lunæ, soli, quadrigæ Abinadab. Conveniunt omnia hæc encomia B. V. ipsa est civitas, est castrorum acies ordinata, est aurora, est sol & luna.

Cap. 7. *v.* 3. Acervo tritici, vallato liliis, turri eburneæ, piscinæ in Hesebon, Carmeso, palmæ. Uterus Virginis fuit ille acervus tritici, turris eburnea, &c.

Cap. 8. *v.* 9. Muro in quo ædificata sunt propugnacula argentea, & demuò horto, vineæ. Ex omnibus his encomiis exquisitissima desumi possunt argumenta, quæ probant Sponsum in illis innuere, suam sponsam esse immaculatè conceptam. Ostendam ex aliquibus.

§. 6. *Quomodo assimilatur Ierosolyma in favorem immac. Concept.*

Cap. 6. *v.* 3. dixit Sponsus, *Pulchra es amica mea, suavis, & decora sicut Jerusalem.* SS. Patres plurimas habent rationes, ob quas B. V. comparatur Jerosolymæ, pro immaculata ejusdem Conceptione faciunt illa, quas sacer Textus insinuat Ps. 86. v. 1. laudantur ibi urbis illius fundamenta, *fundamentum ejus in montibus sanctis.* Et eod. vers. *Diligit*

Domi-

Dominus portas Sion. Pſ. 147. v. 13. *Confortavit ſeras portarum tuarum.* Iſ. 37. v. 33. *Hæc dicit Dominus de Rege Aſſyriorum, non intrabit civitatem hanc, & non jaciet ibi ſagittam, protegamq́; urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum.* In quibus optimè diſcurſus hic fundari videtur.

§. 7. *Proſecutio* Si Domina noſtra comparatur Jeroſolymæ, (comparant ipſi adverſarii) fundamentum ejus, id eſt, prima conceptio ſine dubio fundata fuit in monte Sancto; ſi autem in peccato originali concepta fuit, fundamenta ejus poſita fuerunt in convalle inferni.

Si B. V. comparatur Jeroſolymæ, ergo portas ejus dilexit Dominus, ergo Dominus cuſtodivit eas, ergo Dominus confortavit ſeras ejus: ſed quomodo dilexit, ſi per eas in Conceptione in animam Virginis permiſit intrare Diabolum; quomodo cuſtodivit eas, ſi per eas patuit acceſſus venenato ſerpenti; quomodo confortavit ſeras ejus, ſi peccati originalis turpiſſimus bufo penetrare potuit? Si B. Virgo aſſimilatur Jeroſolymæ, quomodo intravit Rex Aſſyriorum, quomodo in illam venenatam jecit ſagittam tam peſtiferæ tabis?

§. 8. *Proſecutio* Aliud vobis Auditores de hac urbe perſuadere, & de primis ejus fundamentis atque portis, nunquam illæ patuerunt hoſti, protexit Dominus hanc urbem, ſalvavit eam propter David ſervum ſuum, id eſt, Chriſtum filium ſuum. Aſſerunt Sacræ Literæ Jeroſolymam fuiſſe circumdatam triplici muro. B. Virgini triplex fuit murus, peculiaris protectio Patris, Filii, & Spiritûs ſancti, contra triplex peccatum Originale, Veniale, & Mortale, nulli in hanc urbem patuit aditus! fuit B. Virgo circumdata muro cum propugnaculis argenteis, cum turribus munitis mille clypeis, in quibus, ſub quibus B. V. etiam primo conceptionis momento contra peccati originalis ſagittam tuta delituit.

§. 9. *Quomodo in Conceptione fuerit acies ordinata.* Ut ſubinde Sponſus ad hanc metaphoram redeat, ait eodem capite 6. v. 3. *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata,* Vatablus, *formidabilis ut acies inſtructa.* Pagninus, *Terribilis, ut caſtra cum vexillis.* Unicum in hoc encomio noto, pro immaculata Virginis Conceptione, ad aciem ordinatam requiritur, ut principium, medium, & finis ſint bene ordinata; neque in primas, neque in ſecundas, neque in tertias cohortes hoſti debet patere aditus, & ſi una acies ex illis cedatur, non eſt bene ordinata, totus exercitus, tota caſtra ſunt in periculo.

§ 10. *Proſecutio* Quæritur qualis acies ſit, & fuerit B. Virgo. Qui originalem aſtruunt labem, fateri coguntur, primam ejus aciem à Diabolo fuiſſe cæſam; coguntur concedere B. Virginem in prælio fuiſſe captivam hoſtis & diaboli, poſtmodum tamen in medio, id eſt, reliquâ vitâ, in fine, id eſt in morte de hoſte triumphaſſe. Contrarium nos aſſerimus, dicimus cum Sponſo, ſponſam in primo vitæ momento infernali hoſti fuiſſe terribilem, ut caſtrorum aciem bene ordinatam. Fuit profectò primo Conceptionis momento, in prima acie, hæc Puella pavor dæmonum, fuit

fuit primo momento illis formidabilis, fuit instructa vexillo gratiæ, & charitatis, quam Spiritus sanctus primo conceptionis momento illi infudit, de quo ipsa gloriatur, Cant. 2. v. 4. *Ordinavit in me charitatem.* Et pro victoria gratias agit, Ps. 139. v. 8. *Obumbrasti super caput meum in die belli.* Abul. in Matth. Caput principium est vitæ, dies belli est instans conceptionis, in quo dæmon peccati originalis macula dominatur in anima. Principium vitæ B. V. obumbratum fuit ab instanti conceptionis, ex vi prævisionis meritorum Christi, & nullam contraxit maculam Originalem: Unde gratias agit, *Obumbrasti,* &c.

§. 11. *Quomodo in concept. fuerit electa ut sol.*

Si quis fortè ex Adversariis objiciat, esse hanc gratiam nimis illustrem, nimis eximiam, nimis extraordinariam, (hos titulos admitto, neque enim impossibilem esse dicere possunt) huic respondeo, ut in solem conjiciat oculos, (ideo siquidem Sponsus sponsam lucidissimo illi sideri assimilavit) & in eo consideret, quare dicatur *Electa ut sol,* sive *Electa ex millibus.* Nolo huic encomio modò inhærere; paucissimis respondeo objectioni Adversariorum: sol vocatur etiam Apollo & Phœbus. Apollo latinè (vide apud Plutarchum) idem est, quod solus sine multis, Phœbus idem est, quod Purus, ergo hic est sensus, sol, solus sine multis, purus est. Talis sol est Virgo, omnes animæ justorũ in gratia sunt soles, sed in conceptione fuerunt sub eclypsi peccati originalis. B. V. fuit electa ex millibus, sola illa hanc gratiam tam illustrem, tam eximiam, tam extraordinariam obtinuit, sola illa concepta est sine peccato originali.

§. 12. *Quomodo Paradisus deliciarum.*

Urbes ornant elegantes horti & amœna viridaria. Jerosolymam nostram mysticam ornat paradisus deliciarum. Cant. 4. v. 13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Nemo ex Adversariis huic obstrepat encomio, dicatq́, quod uti paradisum ingressus est, & infecit serpens, ita paradisum hunc mysticum Satanas labe originaria contaminarit. Enimverò hoc futurum fuisset, fateor: nisi in pœnam serpentis Deus dixisset, Gen. 3. v. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ipsa conteret caput tuum,* quasi diceret. Et alterum paradisum, quem alteri Adamo filio meo parare cogito, conaberis inficere, sed ipsa conteret caput tuum. Primo ingressu illius mulieris pedes induã aureis charitatis, & gratiæ originariæ calceamentis, ut etsi sis conaturus, nequaquam tamen illi possis officere, nimirum formidabis illius ingressum, calceamentum expavesces!

§. 13. *De hyacinthinis calceis B. V. quibus contrivit caput serpentis.*

Deuter. 33. v. 10. benedictio Aser fuit, *Ferrum & æs calceamentum ejus.* Ezech. 16. v. 10. mentio fit calceorum ex janthino sive hyacintho. Ejusmodi fuerunt & calcei B. Virginis, quibus in hunc mundum est ingressa ex ferro, ex ære, ex cœlestibus hyacinthis, ut primo momento serpentis originarii caput contriverit. Holofernis oculos rapuit Judith suis sandaliis; similiter Virgo oculos Regis cœlestis, imò cœlestium Spirituum ut accinuerint, *quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis.* O nobilissima, Sanctissima, purissimaque virgineorum pedum vestigia!

§. 14.

Sed ad mysticum me rursum confe-

Alia de Paradiso. ro Paradisum; de illo ait S. Damascenus; *Cui paradiso non patuit serpentis aditus, sicut patuit paradiso terrestri*, ideo sponsus Cant 4. vers. 15. de eodem asserit, fuisse hortum conclusum, fontem signatum. Sophronius de Assumpt. B. Virg. *Hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera, & odoramenta virtutum, sicq; occlusus ut nesciat violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus, fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis*, ad eundem finem, Gen 3. v. 24. collocavit ante paradisum voluptatis Cherubin & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. Abulensis ait fuisse murum igneum erumpentem circumquaque è terra, ne alicubi aditus pateret. Tali muro igneo divinæ charitatis paradisus noster, primo quo fundatus est momento, à Spiritu S. fuit circumdatus, primo illo momento fuit sub custodia Cherubinorum, ideoque peccati originalis serpens aditum invenire non potuit.

Terra nostri paradisi maledictioni nunquam fuit subjecta, sed mansit virginea, mansit innocens, pura, integra, immaculata, ut quemadmodum primus Adam formatus est ex terra, antequam esset maledicta, ita & secundus Christus JESUS; nisi fortè hunc deterioris esse conditionis, quàm illum primum existimes, quod & impium esset cogitare, & pronuntiare temerarium. Ut quid enim benedictus ante sæcula, Redemptor mundi, benedictionum universarum fons & origo Matrem sibi deligeret, primo conceptionis suæ instanti maledictam? Nequaquam Auditores, sed aliam de purissimo filio, atque ejus itidem purissima Matre sententiam concipite.

Assimilatur præterea Domina nostra Columbæ, revoco vobis tantum in memoriam, quod facit pro immaculata Conceptione, Cant. 6. vers. 7. *Una est amica mea, una est columba mea*, quasi diceret Sponsus, uni puellæ peculiarissimam exhibui gratiam, illam unam & solam præservando à peccato originali, reliquæ omnes filiæ Adæ illius tetrâ lue infractæ sunt. Maria est columba, quæ ne pedem quidem commaculavit. Audivistis sæpe illam ex veteri Testamento columbam Noëticam, pacis indicem describi, Gen. 8. vers. 9. Cogitate hanc fuisse purissimæ nostræ Virginis quasi figuram aut symbolum. Nam cùm illa à Noe dimissa per arcæ fenestram, cùm inquam, in terra post diluvium non inveniret ubi pedem figeret, in arcam revolavit. Qualis ex arca est egressa, tota pulchra, tota munda, tota decora, talis & rediit. Sed una tantùm est talis columba; soli Virgini hanc gratiam adscribimus. § 15. *Quomodo fuerit columba, emissa ex arca Noe.*

Et arca, cujus mentionem feci, pulcherrimum est immaculatæ symbolum conceptionis. Ab aquarum exundantium cataclismo universali, ipsa sola fuit immunis, nam Genesis 7. vers. 19. *Ferebatur super aquas.* In diluvio peccati originalis sola Virgo fuit immunis. In Offic. immac. Conceptionis. Factum est diluvium peccati super omnem terram, opertique sunt omnes montes, excelsi Sanctorum: arca ve- § 16. *Quomodo arca & ejus fenestra.*

verò Deifera elevata est in sublimi, exaltata in montes gratiarum, in cacumen unius purissimæ prærogativæ, & ferebatur super aquas immundi hujus mundi & impuritatis primigeniæ. Rabini referunt, arcam Noe crystallinam superius habuisse fenestram, per quam solaris lux illam irradiabat, sed ita clausam, ut nec guttula ex aquis diluvii penetrare potuerit. Per crystallinam lucidissimamque illam fenestram intelligo B. Virginis immaculatam Conceptionem; primo momento fuit illa lucidissima, & irradiata radiis Spiritus Sancti, adeo clausa & custodita, ut nec guttula peccati originalis in hanc arcam ingredi potuerit.

§. 17. *Quomodo Luna.* Sed sunt nonnulli, quibus videtur contrarium, non sum equidem nescius, nam fortè hanc ipsam ob caussam sponsam sponsus Lunæ voluit comparare. Tempore noctis cùm sidus hoc est clarissimum, si canes aspiciant, incipiunt allatrare, quia (si Alciato credimus) dum in luna veluti speculo se ipsos intuentur, putant se videre alios canes, quos allatrant. Sed inter canum latratus & ejulatus, luna nitet formosius, splendet gratius, radiat constantius. Ite modò invidi canes, ite osores lunæ, & purissimæ Virginis, ite Zoili, ite hostes pulcherrimi sideris, splendet luna, dum vos latratis, micat pulchrius B. Virgo, dum vos ringimini, dum fremitis, dum derogatis argenteæ luci. Maria luna est, & una est, cujus claritati, nulla noctis caligo, nullæ umbræ, nullæ tenebræ officiunt. Maria luna est, & una est quæ à Sole, id est, filio suo dilecto Christo JESU, pulcherrimis decorata radiis micat, lucet, coruscat, splendet, resplendet. Nihil in illa maculæ, nihil labis, nihil nœvi, nihil culpæ latet originalis. Hoc Soli suo, hoc Amori suo, hoc JESU suo, illa lubens, volensque in acceptis refert. Et vos negatis? vos palam profiteri renuitis? O canes, foras canes, foras qui Mariam lunam, unam, suo privare vultis decore? sed scio, quid allatretis in hac luna; putatis in illa vos alios vidère canes; hinc latratus, bene habet: vosmetipsos in luna hac quasi in speculo intuemini; jam equidem vestræ sum sententiæ, videtis in purissima Virginis puritate immunditiam, sed vestram, non ipsius videtis maculam, sed vestram, videtis labem, sed vestram, videtis turpitudinem, sed vestram. Maria luna est, & una est. Maria est pulcherrimum sidus sine macula!

Verùm quò me abripis amor Purissimæ Virginis? sine me, unum adhuc eloquar, dein lubens finiam. Advertite aures Auditores, rem siquidem dicam, quæ ad illustrandum id, quod hactenus in laudem Magnæ Virginis diximus, non exiguam mihi, vobisque lucem, non exiguam item voluptatem est allatura. Anno Christi 1454. Philippus Bonus Dux Burgundiæ apparatu sanè sumptuosissimo suis habuit proceribus convivium, alia inter aulæ decora atque ornamenta, quæ hîc brevitatis studio prætereo, videre fuit in columna & aurea basi (memores estote columnæ & basis aureæ, cujus Sponsus in Canticis facit mentionem) marmoream §. 18. *Emblema pro imm. Concept.*

moream speciosissimæ statuam Matronæ, ex cujus uberibus veluti fontibus varia visa sunt vina, variæ item aquæ odoriferæ promanare. Basi columnæ alligatus erat animalium Rex, vivens leo, additus huic quasi custos Virgini, id quod ex hoc licebat animadvertere, quod ex collo pendulum gerebat scutum cum hac epigraphe, *Nemo meam Dominam contingat.*

§ 19. *Applicatio.* Obsecro, quid jam cogitatis Audit. mei? quid? an nondum hæc auditis, venit vobis in mentem, Virginum quæ sub sole fuerunt, sunt, & erunt unquam, pulcherrima Maria? illa Virgo, cujus ubera melle & lacte divini amoris, & gratiarum cœlestium, atque misericordiarum tam diu manarunt, & etiamnum adhuc in filiorum suorum solatium manant, O Virgo! O Heroina! O Domina! O quàm me tuus rapit decor, quantopere delector tuâ pulchritudine, tuâ gratiâ, formâ, venustate! Sed ecce Auditores, adest prope illam, imò in ipsius visceribus quondam fuit leo de tribu Juda, quid ille? monet, clamat, rugit. *Nemo meam Dominam & Matrem contingat*, audis hoc infernalis serpens? cave tibi ab hoc leone. Audin sinuose draco rugitum leonis? audin invide dæmon? audin inferne? Audin turpis Adami macula, accedite si potestis, si audetis, si tentatis congredi cum leone. Auditis invidi canes? Nemo meam Dominam contingat, hæc vox est, hæc sententia est, hoc est monitum Leonis de tribu Juda fortissimi; hæc est voluntas Jesu Christi, qui sic suam Virginem, suam Dominam, suam Matrem defendit. Abeste qui aliter sentitis, timete Leonem, vindicem, non is patietur inultam suæ Dominæ injuriam. Rugit ille, nemo meam Matrem contingat, hoc est, nemo de illa loquatur probrosè, nemo de illa sinistrè sentiat, nemo affricet illi maculam originariæ labis.

§. 20. *Quomodo B. Virgo à Christo D. fuerit redempta.* Verùm respiciamus aliquando finem, neque enim tempus patitur, ut ex pluribus similibus elogiis Immaculatam Virginis Conceptionem evincam, hoc tantùm moneo. Nos per eximiam hanc gratiam, quam Virgini asserimus, non eximere illam à Redemptione Filii Dei, & ipsa à Filio suo JESU redempta est: & nobilissimo modo, prout omnes gratias reliquas, sic & hanc originariæ puritatis debet Beata Virgo asscribere Sanguini Redemptoris, fortè ideo ait Cantic. 2. vers. 1. *Ego flos campi & lilium convallium.* Pagninus legit, *Ego rosa campi*, lilium est ob prædictam puritatem, sed purpurea simul rosa à Sanguine filii. Fortè ideò dixit Cantic. 1. vers. 12. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, asserimus B. Virginem præservatam à corruptione peccati originalis; myrrha autem per quam præservata fuit; fuit passio & Sanguis Filii. Prædixit Regius Psaltes, Ps. 45. v. 6. *Adjuvabit eam Deus, sed mane diluculo.* S. Augustinus serm. 20. *Maria Mater electa est, ut de mundissima Matre mundissimus Filius nasceretur: & ita omnibus gratiis fuit fœcundata, & omni Sanctitate repleta, ut sicut in cœlo filius habuit Patrem immortalem, & æternum: sic & in terra haberet matrem omni corruptione carentem.*

Estote nunc arbitri & Judices, an DEI Mater dici debeat concepta in peccato originali, an dici debeat strangulata à serpente, à Diabolo jugulata. Ego dico fuisse Jerosolymam, quam vidistis munitissimam, assero fuisse paradisum, sed stygio inaccessum serpenti, affirmo fuisse columbam, sed totam mundam, totam pulchram, totam decoram. Assevero fuisse crystallinam fenestram, sed primo Conceptionis suæ momento radiis Spiritus sancti illustratam. Denique concludo fuisse pulcherrimam Lunam & Unam, cujus amori, obsequio, devotioni; me, vitam, sanguinem, imo quidquid habeo chari, lubens, volensque transcribo & dedico.

CONCIO LVII.

FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum.

Joannis c. 20. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SAncto Thomæ Apostolo fuit utilissimum, tangere sanctissima Vulnera Salvatoris.

§. 1. *Salvatoris nostri deliciæ sunt esse cum filiis hominum.*

§. 2. *Et his bene est esse cum Jesu.*

§. 3. *Propositio. Hæc Concio ostendet S. Thomæ fuisse bonum tangere sanctissima Vulnera Christi.*

§. 4. *Thomas (hæc vocula) significat columbam.*

§. 5. *Thomas significat abyssum.*

§. 6. *Thomas, idem est, quod Geminus.*

§. 7. *Mirabilis fons in India in quo extinctæ faces accenduntur. S. Thomas accensus fuit in Vulneribus Salvatoris.*

§. 8. *Collatio inter S. Joannem Evang. & S. Thomam.*

§. 9. *Ex vulneribus S. Francisci erupit vis flammea.*

§. 10. *Hic §. applaudit S. Thomæ.*

§. 11. *Prosecutio.*

§. 12. *Causa una conversionis boni latronis in Cruce fuit conspectus Vulnerum Crucifixi.*

§. 13.

§. 1. *Salvatoris nostri deliciæ sunt esse cum filiis hominum.*

VAriis profectò modis ostendit benignissimus Salvator summas esse sibi delicias cum filiis hominum. Adhuc parvulus & infantulus inter Brachia Simeonis jacere voluit, Luc. 2. v.28. In domo Simonis permisit pedes suos lavari, inungi, stringi, osculis lambi à Magdalena publica peccatrice, Luc.7.v.38. In ultima cœna Joanni dormienti pectus & cor pro pulvinari supposuit, Joa. 21.v.20. In hodierno Evangelio pertinaci & incredulo Thomæ porrigit vulnera pedum, manuum, imò lateris, cum suavissima permissione, & invitatione, ut immittat digitos, & manum. Sine suavibus animi motibus, & cordis affectibus hæc Christi D. benevolentia considerari vix potest.

§. 2. *Et his bene est esse cum Iesu.*

Fateor, cùm subinde cogito, præcipuè in Communione sacra, vel coram SS.Sacramento, jacere in meis brachiis vel gremio cordis Infantulum JEsulum; cùm videre mihi videor, quàm sit pulcher, quàm formosus, quàm suavis Dilectulus cordis mei, præ gaudio exilit anima mea, & dico cum Simeone, *Nunc dimittis servum tuum*, Luc.2. v.29. Subinde cùm cogito, potissimum autem in confessione vel contritione cordis, provolutum me ante sacratissimos Crucifixi mei JESU pedes, & dum mihi conceditur, ut illos cum Magdalena rigem amarissimis pœnitentiæ lachrymis, ut tergam capillis suavissimorum affectuum, ut figam denique pia amoris oscula, ita me sentio delectari, ita intima rapi voluptate experior, ita mihi bene esse animadverto, ut aliud mundi gaudium non desiderem. Ad pedes tamen libenter hæreo, neque enim dignum me judico, ut cum Joanne ad pectus, vel latus aspirem, hoc tamen cogito, illos quibus permittitur, ut in suavissimo illo pulvinari conquiescant, esse in hoc mundo felicissimos & fortunatissimos, subinde audeo cum S.Thoma, SS. illius Vulnera ingredi, ut ibi inveniam omne gaudium & omne bonum.

§. 3. *Propositio Hac Concio ostendet S.Thomæ fuisse bonum tangere SS. Vulnera Christi.*

Auditores, quonam vester inclinatur affectus? ad Jesulum Infantulum hoc sacro tempore Adventus, quo in Virginis Matris latet utero? vel ad pedes? vel ad pectus Christi? An ad sanctissima Vulnera Crucifixi? ab his ob hod. Evang. & festum S. Thomæ nolo ego discedere, ostendam itaque quàm huic Apostolo fuerit utile tangere Vulnera Salvatoris, & nobis itidem, si ejusdem hac in re exemplum imitemur, futurum sit, non proficuum modò atque utile, verùm etiam dulce atque jucundum. Quod ego quidem eò me faciliùs consecuturum confido, quò certioribus argumẽtis mihi de vestro in sanctis-

ſima Jeſu Vulnera affectu jam pridem habui perſuaſum. Ut ſanctiſſimorum Vulnerum honori omnis mea dictio cedat, ex animo precor.

§.4. Thomas (hæc vocula) ſignificat columbam.

Curioſi nominum indagatores, adverterunt hanc voculam Thomam ſignificare etiam columbam; licèt enim Christus Dominus omnes ſuos Apoſtolos voluerit huic avi eſſe ſimiles, Mat. 10. v. 16. *Eſtote ſimplices ſicut colũbæ*; S. Thomas ſingulari quadam ratione viſus eſt eſſe columba, ob admirabilis Sapientiæ altitudinem, per quam Chriſtum vulneratum videns & tangens in altiſſimum ſe culmen, hoc eſt, ad uſque ſublimiſſimum divinitatis Chriſti aſpectum ſe libravit, cùm exclamare auditus eſt, *Dominus meus, & Deus meus.* Columba, inquit Varro, appellata eſt ab ædium & turrium culminibus, quod ſoleat in iis verſari, eminentiora loca petens, hoc in hodierno Evangelio fecit S. Thomas, primùm ut columba ingreſſa eſt foramina inferiora petræ, ex illis evolavit ad rimas manuum, ex illis ad locum altiſſimum, in ipſum latus & cor Chriſti, ad culmen divinæ Sapientiæ, ut glorioſus hic Apoſtolus meritò Thomas, ſive Columba fuerit nominatus.

§.5. Thomas ſignificat abyſſum.

Deinde hæc vocula idem eſt, quod abyſſus, & bene: certè ob infidelitatem Thomas fuit chaos & abyſſus tenebrarum; quàmprimùm verò à luce & radiis divinorum Vulnerum fuit irradiatus, factus eſt Thomas abyſſus Sapientiæ & gratiarum, atque hinc etiam abyſſus fuit Sanctus Thomas, in qua abyſſum divini amoris & miſericordiæ Salvatoris noſtri, etiam erga peccatores aliquo modo perſcrutari poſſumus, prætterquam quod ejuſdem ſanctiſſima Vulnera, S. Thomæ fuerint abyſſus miſerationum.

§.6. Thomas idem eſt quod geminus.

De Sacramentis ait Divus Chryſoſtomus Hom. 60. ad Paganos, & præcipuè de Sanguine Euchariſtico, *quemadmodum ſi quis liquefacto auro manum, aut linguam injiciat, quamprimum deauratur; ita hæc Sacramenta nobis propoſita animam auream reddunt*, pari ratione cùm ſanctus Thomas manum ſuam & digitos in ſacra Chriſti Vulnera, ubi ſacratiſſimus ejus ſanguis, amore liquefactus ebullit, immiſit; plane deauratas recepit, divites & plenas gratiis, veluti ex abyſſo gratiarum retraxit.

Præterea hæc vocula Thomas latinè interpretatur Geminus, Gloſſa Interlinearis exponit; dicitur Thomas, quia geminus fuit Salvatori, ſimilitudinem imaginis ejus gerens, quod ſi hanc ſimilitudinem & pulchritudinem, vel à gratia lubet deſumere, vel à charitate, jam omnes dicam Apoſtolos extitiſſe geminos Salvatoris, ſed ſanctus Thomas præ aliis aliquid ſibi vendicat ſingulare, ſingularem inquam, quam à Chriſto participavit formam ac pulchritudinem; animadvertite: ſponſa dum laudat pulchritudinem ſponſi, deprædicat præcipuè rubeum ejus colorem, Cantic. 5. verſ. 10. *Dilectus meus candidus & rubicundus*, nunquam enim cœleſtis ſponſus in oculis Patris cœleſtis & ſponſæ fuit ſpecioſior, quàm cum ſanguine tinctus velluti purpura, pependit in Cruce. Atque hunc pulcherrimum ſanè colorem

poſt

post Resurrectionem etiam in corpore glorioso & præcipuè cicatricibus sacratissimorum Vulnerum voluit retinere.

Illis verò posteaquam jubente ita Salvatore manus immisisset ac digitos Thomas noster, ecce tibi factus est repente rubicundus & geminus quasi Salvatoris. Fortassis ideo divina sorte Sancti Thomæ in orbis divisione obtigit India, quæ in lingua Hebræa dicitur Hoclu, quod latinè sonat, decora vel pulchra, in pulcherrimam inquam orbis Regionem, missus est pulcherrimus Apostolus Salvatori geminus.

§. 7. *Mirabilis fons in India, in quo extinctæ faces accenduntur. S. Thom. accensus fuit in Vuln. Salvat.*

Sed illud hac Concione vos præcipuè cuperem observare Audit. fuit siquidem Thomas speculum longè nitidissimum, in quo clarè possimus perspicere, quanta in sacratissimis illis vulneribus vis atque potentia delitescat. Bocatius refert in Indiis reperiri fontes, quorum aquæ istius sunt naturæ & caloris, ut extinctas faces, si immergantur, accendant. Extinxit facem S. Thomæ turbo passionis in monte Calvariæ; extincta mansit, donec jubente Domino digitos posuit in manus Salvatoris, & manum in latus: & ecce fontes, in quibus fides Thomæ veluti fax quædam ardentissima, primis cœpit ignibus flagrare, vix hos fontes tetigit, & exclamavit, Dominus meus & Deus meus! Extincta fide intepuerat fervor charitatis erga suum Magistrum, in latere Christi invenit fontem, erro, invenit amoris domicilium, ignis hospitium, ardentissimam fornacem & clibanum, in quo cor ejus subitò amoris igne rursum cœpit corripi, & in flammam exardescere. Verba amantis hæç sunt: Dominus meus, & Deus meus!

§. 8. *Collatio inter S. Ioann. Evang & S. Thom.*

Quod si Sanctus Joannes Apostolus, eò quod juxta fornacem hanc in sinu Domini quæsivisset, tantopere in se exarsit, ut ex ore ejus deinde præter amoris ignes, imò præter charitatis incendia nihil fere aliud egrederetur, quo putatis sanctum Thomam amore exarsisse, quibus æstuare caloribus, quibus flammis fragrasse, qui suam etiam manum fornaci huic ausus est immergere? Deinde si sanctus Joannes tantam hausit sapientiam, tantumque ex divino Christi pectore in se amorem derivavit, cum totus divini Cordis thesaurus adhuc clausus lateret (nondum enim Longinus clave lanceæ instructus illius fores reserarat) quas putatis in sanctum Thomam effluxisse gratias, quanto affluxu & copia, quo liquidissimæ voluptatis excessu, postquam miles Cor JESU lanceâ reclusit? Nam si Joannes præ foribus tantum stetit aut jacuit; Thomas in ipsum admissus est ingredi divinitatis sacrarium. Si Joannes in occlusa etiamnum arca tantum vidit latitare thesaurum; Thomas ex aspectu ejusdem arcæ, non jam amplius occlusæ, sed patulæ atque apertæ, quantum putas fuerit recreatus? Si Joannes propterea quod recubuisset in pectore JESU, meruit appellari, ipso teste discipulus, quem diligebat JESUS; an non hunc quoque titulum meruisse videbitur Thomas; nisi fortè minus est, manum immittere in apertum Salvatoris latus, quàm caput in non apertum recli-

reclinare? O Thoma! O quanta tua est isthæc felicitas? non ego jam miror amplius tuum in convertendis ad Christum gentibus zelum; invenisti illum in latere Salvatoris, non stupeo ardorem tolerandi pro Christo cruciatus, mortemque acerbissimam; concepisti illum in aperto Vulnere JESU, non mirabilis mihi videtur dextera tua toties Thaumaturga apud Indos & Barbaros; replêsti eam pretiosissimo divini Sanguinis liquore. Non mira mihi occurrit scientia tua, doctrina, facundia, linguarumque diversissimarum peritia; in latere Salvatoris momento condiscuntur hæc omnia.

§. 9. *Ex Vulneribus S. Francisci erupit vis flammea.*

Accipite quod refert S. Bonaventura in vita S. Francisci unum aliquem allegat, cui cum tangeret viri sancti stigmata, tantum, tam intus, quàm extrà aspirabat caloris, ut quædam in eum vis flammea ex fornacis spiraculo advolasse videretur. Sed ah! quantis putas ardoribus flagravit D. Thomas, cum ad pectoris Christi fornacem accedens, suas in divino illo incendio manus reposuit? ex scintillis illis, Deus meus, Dominus meus, ardorem cognoscite.

§. 10. *H c §. applau lit S. Thoma.*

O felix flamma, quæ frigidissimum paulo ante pectus & letho proximum, salutari calore tam subitò redanimavit in vitam! de te verò quid loquar Thoma? erasne Thomas antequam hos vel tangeres ignes, vel tangereris ab ignibus divini cordis? eras quidem Thomas, id est, divisio (ita enim Thomæ nomen interpretatur lingua Lombardica) sed ô infelix id temporis Thoma! O infausta Divisio! divisus siquidem eras ab Apostolis, à fide, ab amore; divisus à veritate, à Magistro, à JESU, id est ab igne amoris. Hinc tuus ille frigidus amor, frigida fides, frigida verba, frigidus animus, frigida omnia. Quid mirum? Thomas eras, & infaustam hanc divisionem vel ipso in nomine, quamvis nescius circumferebas.

Nunc verò mutatus est rerum status tuarum, nam etsi adhuc Thomam te nuncupari intelligam, intelligo tamen etiam divisionem longè esse aliam, ac fuerat paulò antè. Divisus jam es Thoma ab amore mundi, ab infidelitatis pertinacia, à duritia cordis, divisus à malo, à scandalo, ab iniquitate, divisus à gente perversa, ab albo infidelium, à numero reproborum. Hinc exclamantem te audio, Dominus meus, & Deus meus! De qua voce D. Ambrosius in Psalm. 49. Ex affectu magno vocat suum.

§. 11. *Professio*

Verùm quanta deinde, successu temporis, ardor amoris in S. Thoma cœpit incrementa? testes esse possunt prunæ, super quas (si D. credimus Vincentio Ser. de S. Th.) discalceatus ambulavit Thomas. Testes illæ ardentis fornacis flammæ, quas nequicquam sibi nocuisse est expertus, quando in fumo stetit ut marsepia rupes, flammeos inter fluctus & procellas; perinde ac si in amœnissimo quodam vireto versaretur. Id quod ego jure merito ascribo illi interno amoris ardori, cujus magnitudo facilè reliquas, quæ ab extrinseco, ut ajunt in scholis, sævire incipiunt, tyrannorum flammas superabat. Et non liceret hîc mihi exclamare cum S. Bonaventura ser. 3. Dom. 1. post Pascha. *O Thoma feli-*

felicem habuisti licentiam à Salvatore tuo, ut manum mittas in latus, cujus beneficio in gloria (in gratia, in sapientia, in charitate) *adeo es sublimatus.* Sed age, quem præterea thesaurum ex his sanctissimis Domini sui Vulneribus Thomas extraxit? Cognitionem altissimam divinitatis Filii Dei gloriosè à morte resurgentis, momento velut ex fontibus altissimæ sapientiæ hausit.

§. 12. *Causa una conversionis boni latronis in Cruce fuit conspectus Vulnerum Crucifixi.* Admiratione dignum est, bonum latronem in Cruce pendentem subitò tanta luce fuisse irradiatum, & tanto divini amoris igne accensum, ut Crucifixum Christum mox Deum & hominem professus adorarit, Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Illustrationis & conversionis tam subitæ variæ causæ esse potuerunt; hæc placuit S. Ambrosio ser. 49. intellexit enim, quod pro alienis plagis has ille plagas susciperet, pro alienis sceleribus hæc vulnera sustineret; & *scivit quod illa in corpore Christi Vulnera non essent Christi vulnera, sed latronis, atque ideo plus amare cœpit, postquam in corpore ejus sua vulnera recognovit.* Si hos in latrone motus concitarunt vulnera in corpore crucifixo, quid fecerint in Thoma Vulnera corporis gloriosi.

§. 13. *SS. Vulnera sunt rimæ, per quas translucet divinitas Christi.* Una ex causis, ob quas Christi caro in Cruce debuit vulnerari, dividi, lacerari, aperiri, hæc fuit, ut illæ plagæ essent fenestræ & portæ, per quas in corpore Christi Divinitas videretur. Notum est enim, DEUM, cùm in hunc mundum venit, carnis nostræ velo cooperiri voluisse, ad hoc ut DEUS à nemine videretur, tum ob majorem faciei ejus splendorem, quàm ut visus nostri debilitas sustineat, tum ob nostram fragilitatem, & indignitatem, postea verò in Cruce publicè expositus, sacrum hoc velum toto corpore, & præcipuè quinque in partibus rumpi voluit, ut per scissuras, & rupturas illas, Deus, qui sub velo hoc occultabatur, videretur. Quam in rem S. Bonaventura ser. 2. de convers. S. Pauli; *tanta*, inquit, *faciei hujus fuit claritas, quod nullus eam oculis sustinere poterat; ideo descendens in mundum, eam velamine carnis texit, sed illud velamen rupit in patibulo Crucis, ut nudam faciem Deitatis suæ videre possemus.* Quod si jam in Cruce, cùm ex obitu Salvatoris, densissima tenebrarum nox terris incumberet, fulgurare cœperunt, atque hominum oculos perstringere radii Deitatis; quid mirum, si postea sanctissima Vulnera Corporis gloriosi, S. Thomam adeo illustrarint, & accenderint, ut toto affectu exclamarit, *Dominus meus, Deus meus!*

Dominus ait, Deus ait: ut quisquis hæc verba audit, (inquit D. Hieronymus in Abdiam) *obediat vel Domino, vel Deo. Domino perculsus timore, Deo provocatus amore. Est enim Dominus propter potentiam hominibus timori, est Deus propter benevolentiam hominibus amori.* Ideo Abdias 2. Paralip. c. 13. v. 12. Ducem sui exercitus dixit hostibus, esse Dominum & Deum suum, ut qui illum tanquam Deum non diligerent, saltem tanquam Dominum formidarent, ut sic, si non amore, saltem timore cum exercitu tanti ducis præliari recusarent. Juvat mysticam hanc Dei ac Domini conjunctionem accuratius perpendere. §. 14. *Christus in Resurr. Dominus, ut timeatur.*

§ 15. *Et simul unctus ut ametur.* Nam Exodi 29. v. 6. dicitur, *Et pones tiaram in capite ejus, & laminam sanctam super tiaram, & oleum unctionis fundes super caput ejus.* Figura hæc fuit Salvatoris nostri gloriosè à morte resurgentis, postquam veluti summus sacerdos sacrificium in Cruce obtulit, capiti ejus Pater cœlestis imposuit tiaram omnis gloriæ & potestatis, ideo exclamat Thomas, *Dominus meus!* tiaræ quippe, diademata & coronæ, Dominorum sunt symbola, Regum decora, Cæsarum ornamenta. Sed & adverte quod additur, Oleum unctionis fundes super caput ejus, illud enim est propter quod exclamat Thomas, *Et Deus meus.* Nimirum cincinni capitis Christi gloriosè resurgentis, & præcipuè sanctissima Vulnera corporis gloriosi stillarunt oleo misericordiæ, & amoris, ut proinde meritò S. Thomas, cum suavitatem olei, illud tangendo expertus est, illum DEUM vocarit. Arnoldus Ab. Tract. 6. *Aptè postquam imposita dicitur super caput Pontificis mitra, quæ erat insigne suæ potestatis, jubetur super caput ipsius infundi oleum, quod est signum lenitatis, ut qui potestate esset delinquentibus terrori, bonitate foret pœnitentibus amori.*

§ 16. *Apostrophe ad peccatores.* Percepistisne vos illud peccatores? ah vobis, vestræque saluti, ac commodo, hæc est recitata sententia. Et mitram Domini considerate, & oleum Dei perpendite. Ite modò cum S. Thoma, properate ad sacra Salvatoris Vulnera, contendite ad apertum JESU latus, immittite manus vestras, exclamate; *Dominus meus & Deus meus!* Ah Dominus iste meus! verè Dominus mitrâ potentiæ conspicuus! Dominus, in cujus conspectu contremiscunt Virtutes cœlorum! Dominus, in cujus manibus est vita nostra, & mors, benedictio, & maledictio, felicitas, & infelicitas, gaudium, ac dolor, beatitudo, & damnatio.

§ 17. *Prosopopœia pœnitentis animæ.* O me infelicem! hunc talem, ac tantum Dominum, cui non est similis super terram, talem ego Dominum ausus fui toties repetitis sceleribus offendere? Ausus fui; heu pudor! imo verò etiamnum auderem, & perpetrarem etiam (tanta est animæ meæ duritia, seu malitia potius) nisi Oleum viderem, oleum inquam, divinæ misericordiæ, quo perfusum est caput Domini mei. Ah Dominus meus & Deus meus! hoc est, quod mihi addit animos, quod stimulos suggerit, quod incitat, quod urget, atque compellit, ut veniam ad te, mi JESU, cum S. Thoma, ut accurram ad latus tuum sanctissimum, ut extendam manus meas, imò & linguam meam, & faciem meam, & collum, & brachia, & pectus, & pedes ad te JESU Salvator, Dominus enim meus es, & Deus meus es!

§ 18. *Imitemur S. Thom.* Ita perge pœnitens anima, ita propera, ita exequere quod cogitas, ita quære quod desideras, dic millies, *Dominus meus & Deus meus!* Vera est hæc D. Thomam imitandi methodus; de quo sanctus Ambrosius super verba illa Josuæ cap. 7. v. 7. Mi Domine Deus! *Dum Dominum dicebat Deum suum, non universale dominium, secundum quod Deus totius creaturæ Dominus est, Deo Domino denegabat; sed specialem Dei erga se ipsum ostendebat amorem, quo Dominus Deus ita ipsum diligebat, ac si solum eum*

ut

ut suum adamaret, hoc eodem sensu, hoc affectu amoris erga Christum Dominum exclamavit, eodem sensu dicamus & nos frequenter, *Dominus meus & Deus meus!* Ex quibus omnibus illud tandem conficimus, Auditores, Divum Thomam fuisse columbam, ut proinde meritò nos oporteat cum illo exclamare; *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ*, & volabo cum Thoma ad sacra JESU Christi Vulnera, & præcipuè ad maceriam Sanctissimi Lateris, quò cùm pervenero, quiescam. O felicissimus locus quietis!

§.19. *S. Thomas fuit scrutator Vulnerum Christi D.* Quibus ultimum illud adjicio, quod in Breviario quodam Gallicano de illo legitur, fuisse nimirum scrutatorem, non sapientiæ profanæ, non rerum ludricarum, non inanium sermonum, non causarum forensium, non vanitatum hujus mundi, sed Vulnerum Christi. Quicquamne potuisset pulchrius, atque ad veram laudem Divi hujus Apostoli accommodatius proferri in medium? Thomas scrutator Vulneris, Lateris & Cordis Christi. Hunc ego titulum longis Regum nominibus, & sexcentis Cæsarum appellationibus longè anteferendum existimo.

§.20. Fuerit Thomas Apostolus JESU Christi, fuerit Prædicator Indiæ, fuerit strenuus Zelator animarum, fuerit denique & Martyr pro CHRISTO. Omnia hæc magna, illustria, gloriosa, sancta, laudeque cumprimis digna pronuncio. *Gloriosissimum hoc ejus est encomium.* Verùm illud multis sanè partibus illustrius agnosco, & gloriosius, quod fuerit Scrutator Vulnerum CHRISTI. O Auditores, his residuis sanctissimis feriis Adventus ante diem Nativitatis Christi, scrutemur obsecro & nos in Vulneribus JESU. Si quærimus veram contritionem, seriam peccatorum confessionem, dignos fructus pœnitentiæ ibi inveniemus. Si quærimus opes gratiarum, & virtutum, per quas ad Adventum JESULI corda nostra disponere possimus, scrutemur Vulnera Crucifixi, ibi latitant omnes thesauri; si anhelamus ad delicias Natalitias, scrutemur hos fontes sanctissimorum Vulnerum, ibi gratiæ suas sedes fixerunt, prosequere, si placet, pulchrum affectum.



CONCIO LVIII.

FESTO NATIVITATIS CHRISTI DOMINI.

Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti, JESUM Christum.

Joannis c. 17. v. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUalis debeat esse cognitio nati & dati nocis Parvuli in Bethleem, & amor ex illa cognitione ortus, à quibus pendet vita æterna.

§. 1. *Spectaculum amoris quod Vespasianus aula exhibuit.*

§. 2. *Applicatur Jesulo.*

§. 3. *Amor Jesuli est mare, fons vivus, aurifodina, thesaurus, abyssus, labyrinthus.*

§. 4. *Ut Voluntas amet, intellectus objectum amabile debet proponere. Declaratur similibus & dictis SS. PP.*

§. 5. *Cognitio hæc est qualitas perfectissima. Probatur ex S. Paulo.*

§. 6. *Est cognitio suavissima plena admirationibus.*

§. 7. *Declaratur simili ingredientis rustici in aulam regiam.*

§. 8. *Visio in qua D. Sapientia apparuit S. Laurentio Justiniano.*

§. 9. *Infans in præsepio & sapientia incarnata.*

§. 10. *Visio B. Henrici Susonis.*

§. 11. *Prosecutio.*

§. 12. *Tria monita. Primum, Non debet in hoc Puero Divinitas separari ab Humanitate.*

§. 13. *Alterum monitum, Cognitio hæc debet esse sedula.*

§. 14. *Alia similia.*

§. 15. *Tertium monitum. Cognitio hæc debet esse efficax.*

§. 16. *Officia intellectus & voluntatis in hac cognitione.*

§. 17. *In phantasia formanda est pulchra Idea vel imago Jesuli, vel addendo cum aliquo pictore.*

§. 18. *Applicatio, & aureum Alphabetum encomiorum Jesuli.*

§. 19. *Varii tales pictores.*

§. 20. *Neganda sunt hæreses de Jesulo.*

§. 21. *Quantumcunque tamen Jesum con-*

consideremus est incomprehensibilis. *tione accendi amorem.*
§. 22. *Declaratur similibus ex cogni-*

§. 1. *Spectaculum amoris, quod Vespasianus aula exhibuit.*

PUlchrum & jucundum spectaculum, sive certamen amoris suæ aulæ aliquando exhibuit Vespasianus Imperator. Audivistis sine dubio de Olympicis luctatoribus, sive contra bestias, sive inter semetipsos. Sed hodierno lætissimo festo nihil cogitate de vulneribus, de effusione sanguinis, sed de certamine amoris. Vespasianus jussit seligi puerulos formosissimos; hi postquam oleo odorifero inuncti fuerunt, luctati sunt, ingenti donario proposito, qui primus adversarium solo insterneret, luctati sunt diu in fortitudine & dexteritate pares; unus astutior, & cæteris solertior, arrepto pulvere lævam implet, eoque adversarium dexterè aspergens, manum injecit, sicque apprehensum in terram deturbavit, & felicissimè triumphavit.

§. 2. *Applicatur Iesulo.*

Hoc stratagemate hodierno die vicit amor. Supra quinque millia annorum terribilis fuit lucta, non inter pueros, sed prout nos concipimus inter formosissimas Virgines, Justitiam, & Veritatem, Pacem, & Misericordiam. *Gravis inter eas orta fuit contentio*, inquit S. Bernard. *de redimendo genere humano, Misericordia noluit cedere Justitia, neque huic Misericordia.* Intervenit amor; hic ut ingeniosus est, planè novum invenit stratagema. O inventiones Charitatis! Pulverem apprehendit Amor; id est, humanam naturam mortalem induit altera Persona SS. Trinitatis, Filius Dei factus & natus est homo, Christus Jesus unctus oleo misericordiæ, & triumphavit. Misericordia & Veritas, Justitia & Pax se invicem osculatæ sunt: dum impleta fuit prophetia Isaiæ 9. v. 6. *Parvulus datus & natus est nobis.*

Cognitio, & amor hujus Pueri, sunt materia pulcherrimarum Concionum pro his festis Natalitiis. Modo faciam initium, & ostendam, quàm nobilis, quàm jucunda, quàm necessaria, & qualis debeat esse cognitio hujus Pueri. Favete itaque Auditores dicenti in honorem hujus Parvuli, ut idem vobis Parvulus faveat audientibus.

§. 3. *Amor Iesuli est mare, fons vivus, aurifodina, thesaurus, abyssus, labyrinthus*

Semper libenter loquor de amore Christi D. Salvatoris nostri, sed præcipuè his festis natalitiis, quibus gratis animis recolimus, quomodo ex Maria Virgine natus fuerit in stabulo, parvus pusio, dulcissimus Infantulus. De conceptibus & materia, de affectibus non sum sollicitus. Amor hujus pueruli est mare, quod exhauriri non potest, est fons vivus, qui semper salit, & fluit, non rivulis, non aureis arenis, sed aureis conceptibus & motibus. Est aureus mons, in quo novæ, & divites venæ sine numero inveniuntur, hic amor est thesaurus, qui nunquam deficit, est labyrinthus, qui non habet exitum, est quædam abyssus sine fundo. Aquas, quas ex hoc fonte, & mari hausi, aureas venas, quas in hoc monte inveni, gemmas, quas sumpsi ex hoc thesauro, vobiscum Audit. triduo

communicabo. Nam amor liberalis est, qui Jesulum amat, optat ut ab omnibus aliis ametur, hoc meum est votum, ut amemus hunc Parvulum de Bethleem. Hac Concione hujus pulchri ædificii amoris, quod in cordibus vestris extruere cogito, ponam quasi fundamentum, id est, agam de Infantis hujus cognitione.

§. 4. *Ut voluntas amet Intellectus objectum amabile debet proponere. Declaratur similibus & dictis SS. Patrum.*

Ut voluntas trahatur, vel inclinetur ad objecti alicujus amorem, ab intellectu illud ei debet proponi, & repræsentari. Voluntas cæca est; intellectus, sive cognitio est fax, quæ voluntatem ducit, vel amoris ignem in ea accendit. Claræ de amabili objecto cognitiones, sunt ligna, quæ ignem in voluntate nutriunt; discursus est follis, & flabella, quæ flammam augent. Unde bene ille dixit, *mensura cognitionis, & æstimationis, est mensura amoris.* Et S. Gregorius Hom. 27. in Evang. *Amor, notitia est.* S. Augustinus de gr. car. *Amor oculus est, & amare videre est*: Seneca Ep. 3. *Elige, postea dilige.* Verissima sunt hæc omnia in præsenti materia, ut voluntas inclinetur ad amorem Jesuli, ab intellectu debet proponi, quàm sit pulcher, quàm aureus, quàm amabilis infans; hæc cognitio est fax, quæ in cordibus nostris ignem hujus amoris accendit. Claræ de hoc Puero cognitiones sunt ligna, quæ illum conservant. Pulchri de Jesulo discursus sunt folles, qui augent, quanta est illius cognitio, tantus existit & amor. Amor hujus pueri oculus est, illum amare, est videre, quod sit divinus infans. Eligite hunc puerum, id est, æstimate, præferte judicio vestro omnibus aliis creaturis, & jam incipietis diligere.

§. 5. *Cognitio hæc est qualitas perfectissima. Probatur ex S. Paulo.*

Cognitionem itaque hujus Pueri, dico 1. esse nobilissimam, & perfectissimam; quia tale est ejus objectum, quod contemplatur. Nihil nobilius aut perfectius est Deo; Infans hic Deus est, proinde nobilissimum objectum, quidquid perfectionis in Deo est, est in hoc infantulo, & quemadmodum omnes fontes, rivi, fluvii confluunt in mare, ita omnes perfectiones in Jesulo. De hac cognitione loquitur S. Paulus 1. Cor. 2. v. 2. *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum*, ad Philip. 3. v. 8. *Veruntamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei.* Loquitur de illa cognitione Spiritus sanctus per Jeremiam c. 9. v. 23 *Non glorietur Sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur scire & nosse me.* Si nos his diebus in re aliquâ vel gloriari, vel felices nos judicare velimus, gloriemur in hoc quod natum Infantulum sciamus, & noscamus, esse puerum admirabilem, esse Infantem divinum, esse omnis compendium pulchritudinis, esse verum amoris nostri objectum, neque enim nobilius contemplari quid nos possumus, quàm Deum hominem. Clara deinde in altera vita ejus intuitio æternùm nos reddat beatos, quod itaque Sancti in cœlo faciunt, hoc nos nostro modo his diebus faciamus in terris ad præsepe, id est, contemplemur Jesulum.

§. 6. *Est cognitio suavissima plena admirationibus.*

Accedit cognitionem hanc esse suavissimam, sive cœlestium causam consolationum. S. Cypr. de Nat. Christi in illud Isa. 9. v. 6. *Parvulus*, &c. *Mirabitur,*

tur, & dilatabitur cor tuum, quando intelliges profundissimum Sacramentum in eo, quod contemptibilis factus est admirabilis. Sic ego intelligo. Puer qui vagit in cunis, puer est admirabilis; infans pendens ab ubere Matris, infans est, sed dignus admiratione. Parvulus Emanuel, in cujus aspectu defixi hærent Joseph & Maria, parvulus est, sed stupendus, jacet ille quidem in fœno, at non vili æstimandus, ut fœnum, positus in medio duorum animalium, sed & supra Principum solia, Regum thronos, Cæsarum Majestatem evectus. O infantem puerum, parvulum Emanuelem nostrum dignum admiratione, idem S. Cypr. *Verè tu es Deus, qui facis mirabilia! non modò mundi hujus miracula admiror, non solem, non lunam, &c. sed miror omnipotentiam in cunabulis, hic solus me complectitur stupor.* Hæc dum intellectus considerat, voluntas suavi defixa stupore suavissimè recreatur, patet ex simili.

§. 7. *Declaratur simili ingredientis rustici in aulam regiam.* Est qui ex caula amicâ manu subitò deducitur regiam in aulam rusticus, videt hîc decora omnia, omnia ad fastum pompamque, omnia ad dignitatem majestatemque composita, subsistit & miratur structuræ elegantiam, conclavium multitudinem, porticuum frequentiam, ædificii totius vastitatem, nihil visum à se unquam simile memorat, laudat operas, architectos commendat. Atque in his dum animo menteque hæret defixus, ecce tibi ex aulicis quipiam, qui rusticellum hunc in regium jubet hortum concedere, vix pedem ejus in horti limine posuerunt ambo, & rusticus, incurrente quamprimùm in oculos illâ areolarum elegantiâ, arborum proceritate, fructuum raritate, florum elegantiâ ita commoveri, ita affici mente, ita delectari, ut visam à se antè palatii majestatem præ hujus horti deliciis nihil esse ducendam pronunciet.

Idem propemodum, vel certè simile quippiam his diebus contingere solet divini nostri Infantis amatori. Ac primum quidem ducitur intellectus in regium ejus palatium, id est, stabulum, videt in sinu B. V. pulcherrimum illum Infantulum, luce, & radiis de cœlo ita illustratum, ut his maximis firmissimè assentiatur. Hic Puer Deus est, hic habitat Numen, hic Puer est omnipotens; sed quæ omnia tam rara, tam miranda, tam sublimia, quæ comprehendere non potest; sistit gradum, stupet, hæret attonitus; sed voluntas est in deliciis, cor superabundat gaudio, affectus delectatur amoribus.

§. 8. *Visio in qua D. sapientia apparuit S. Laur. Iustin.* Expertus fuit S. August. qui l. 9. confess. c. 6. ait. *Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii super salutem generis humani,* quod scilicet Deus sit natus infans. Sanctus Laurentius Justin. (teste Surio in ejus vita 8. Januarii) cùm esset adolescens novendecim annorum, in variis creaturis verum quæsivit gaudium, & solatium: sed cùm nullibi inveniret rosam sine spinis, optavit à Deo intelligere, quâ ratione, vel ubi verum gaudium inveniret, in illis desideriis spectabilem habuit Virginem formosissimam, & solis instar radiantem, quæ mœstum hujuscemodi ferè verbis compellavit: *Fili, quid cor tuum erga creaturas effundis? in his gaudium quod quæris, non invenies;*

nies; apud me sunt veræ deliciæ, apud me cœli voluptates, mihi desponsare, & beatus eris. Et quis tu? ait Laur. Respondit: *Ego sum Sapientia Dei incarnata*; his dictis libato suavi osculo videri desiit. Ab hoc momento displicuit Laurentio omnis creatura, re ipsâ expertus contemplationem, & amorem Verbi Incarnati originem esse veri gaudii.

§. 9. *Infans in præsepio & Sapientia incarnata.*

Eja ad præsepe Auditores, videtis pulcherrimum infantem in sinu formosissimæ Virginis? infans hic est Sapientia Dei Incarnata, infans hic Filius Dei est, sed in carne humana, illa Virgo est sedes, est locus, est thronus Sapientiæ, hoc cognoscite, hoc perpendite, hoc amate, polliceor, nec liquidissimæ cœli voluptates, nec sincera hujus mundi gaudia vos destituent, suavitates non deerunt.

§ 10. *Visio B. Henrici Susonis.*

Cum Henricus Suso ex ordine Prædicatorum audiret ex Libro Sapientiæ admiranda encomia, quibus Salomon eam deprædicat, v.g. *Præposui illam regnis, divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu ejus, est speciosior sole, &c. venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Cùm hæc Vir sanctus audiret, exclamavit.

Sed ubi latet illa Sapientia? ubi illam inveniam? ah! quibus in terris illum reperire est thesaurum? in qua mundi plaga? in qua provincia? qua regione? quo regno? sit licet ultimis terræ finibus abscondita, ibo tamen, & quæram, quam diligit anima mea, sapientiam. Ibo vel cum vitæ meæ dispendio ad Garamantas & Indos, ad Scythas & Lapithas, nec ulla me poterunt deterrere pericula, modo potiar eâ, quam ita diligo, Sapientiâ.

§. 11. *Prosecutio*

Hæc inter vota apparuit illi Sapientia in aurea nube instar solis, in hæc verba erumpens: *Fili præbe mihi cor tuum.* Nimirum intellexit sibi loqui Christum D. hominem, qui est Sapientia Incarnata, ergo ab illa hora Henricus Suso, cognitioni & amori Jesu se totum ita addixit, ut omnes illi delicias longè postponeret. Amabo vos Auditores, idem facite, ecce his diebus prope stabulum Bethlemiticum, ecce auream nubem, B. Virginem, ecce in ejus sinu solem, Jesulum, huic cor, huic intellectum, huic omnia date. Cum hoc Infantulo venient vobis pariter omnia bona. In hujus conspectu, & comparatione nihil est argenti nitor, nihil auri pretium, nihil pulchritudo gemmarum, hâc inventâ, jure quivis poterit exclamare: jam lætatus sum in omnibus, &c. cognitio hæc est suavis, & supra modum dulcis.

§. 12. *3. Monita, primum. Non debet in hoc Puero Divinitas separari ab Humanitate.*

Sed antequam gradum facio ad alias hujus cognitionis excellentias, & perfectiones, tria necesse esse permonere, primum est, in cognitione hujus infantis intellectus noster ne separet Humanitatem à Divinitate, id est, non in hoc solùm sistere debet, quòd sit homo, nec in hoc tantùm, quod sit Deus, sed utrumque conjungere, homo Deus. S. Hilarius in c. 16. S. Matth. Alterum sine altero nihil tribuit spei ad salutē, in hoc consistit essentia, & profunditas hujus mysterii, quod duæ naturæ, divina & humana in una Infantis persona, admirabili

rabili quadam unione, quam hypostaticam vocant, ita sint unitæ, ut unus idemque sit Deus & homo, homo & Deus, hoc est fundamentum hujus nobilis cognitionis, vel fidei, qua credimus Deum esse natum hominem. Dicendum proinde erit cum Sponsa, Cant. 5. v. 10. *Dilectus noster candidus & rubicundus*, id quod ita explicat S. Ambros. *Rubicundus ex Incarnatione, candidus autem ex divinitate.*

§. 13. 2. *Monitũ. Cognitio hæc debet esse sedula.* Alterum est: mysteria Nativitatis Christi non rudi tantùm sunt cognitione atque intellectu perstringenda, sed indaganda profundè. Cant. 6. v. 10. ait Sponsa, *descendi in hortum nucum.* In nuce dulcis latet nucleus, sed debet frangi, & aperiri. In mysterio Nativitatis Jesuli mille absconditæ sunt suavitates, sed sunt veluti nux, quam per varios opus est discursus, & considerationes aperiri. Omnis pulchritudo tabernaculi, vel arcæ in veteri Testamento erat intus, foris tecta & abscondita sub cilicinis pellibus, his remotis emicabat aurum, conspiciebantur Cherubini, spectabantur tabulæ legis, ostendebatur virga Moysis thaumaturga, ipsum etiam manna patebat. Hæc arca est natus infans, si extimam tantùm partem, & foris lustramus, quid videbimus, nisi fœnum, stramen, durum præsepe, frigore tremulas pueri manus, lachrymas in oculis, tremorem in membris, involutum vilibus panniculis pusionem; Aperienda est arca, & dulcissimum manna inveniemus intus, intus in corde Jesuli. Pulchræ imagines teguntur velis, his remotis patet elegans pictura. Jesulus est imago Patris, est Verbum, est Filius Dei, sed tecta est velo Humanitatis. Eja per profundam considerationem removeamus, ut quàm sit pulchra imago, quàm augusta, quàm elegans appareat.

Pomum punicum pulcherrimos continet carbunculos pulchro ordine dispositos; hi ut emineant, frangendum est pomum. Ejusmodi pomum est Jesulus, mille continet perfectiones, mille amores, mille gaudia, mille delicias; intus est dulcissimus, ut infantulus hic sapiat, ut videamus, quàm sit pulcher, debet quasi frangi, id est, omnia debemus considerare, naturas, perfectiones, virtutes, amores. Liber est Jesulus, liber pulchris exaratus characteribus, ut videatur, æstimeturque, necessariò debet recludi. Pulcher liber est JESUlus, cui ipsa Sanctissima Trias inscripsit divinissimos characteres amoris; scriptus inquam, non atramento, sed sanguine purissimo purissimæ Virginis, recludendus igitur est Jesulus, id est inspiciendus penitus; libanda non externa solùm, sed & interna, quæ potissima est Pueruli dignitas, pulchritudo, majestas, &c. Conchæ, ut nemo ignorat, pretiosorum sunt unionum parentes; sed dum clausæ sunt, nullum sui fœtus, pretiique faciunt argumentum; aperi, & concharum quasi parentum, ob tam nobilem partum, felicitatem obstupesces. Concha noster est Jesulus! & uniones, non tam in oculis, quàm in corde, non tam in facie, quàm pectore circumfert omnis gloria filiæ, imo filii Regis ab intus. Aperi concham, & placebit latens margarita. §. 14. *Alia similia.*

§.15. 3. Monitũ. Cognitio hæc debet esse efficax, declaratur simili.

Tertium est: Cognitio hæc debet esse affectuosa, efficax, activa; non eam decet esse sterilem, sed fœcundam pulcherrimarum affectionum, & formosæ dilectionis parentem, intelligetis ex simili. Radii solis diversimodè reflexi incidunt in petram aliquam, vel montem saxis plenum, & in tellurem frugiferam. In lapidea humo vix quicquam progenerant; in terra verò suo calore producunt aurum, procreant argentum, parturiunt gemmas, eliciunt fruges, protrudunt flores, & arbores, sic hîc se res habet. Jacet in cunis parvolorum speciosissimus, instar solis pulcherrimos undique spargens radios; sed aliquorum corda sunt dura, instar petræ, sunt saxea, sunt lapidea; qui tale cor habent, licèt audiant & agnoscant natum esse Deum infantem, licet hoc intelligant, & credant, est tamen arida voluntas, sterilis est affectus, infœcundus est amor, ac proinde talis cognitio longo intervallo abest à sua perfectione. Aliorum corda sunt terra, quæ subacta est vomere contritionis, expurgata à spinis peccatorum, & malarum inclinationum, rigata lachrymis: in horum cordibus Jesulus producit aurum charitatis, virginitatis argentum, virtutum flores, fructus bonorum operum, excelsas arbores constantissimæ pietatis, piissimæque constantiæ atque patientiæ. Horum cognitio similis est cognitioni Beatorum in cœlis, quorum intellectus Deum non tantum intuetur, sed visio influit in voluntatem, movetque ad amorem, incitat cultum, dictat reverentiam, docet gratiarum actionem, commendat gratitudinem.

§.16. Officia intellectus & voluntatis in hac cognitione.

Ejusmodi nostram par est esse cognitionem, nimirum intellectus ut credat admirabilem hunc infantem esse Deum, voluntas ut diligat, intellectus huic mysterio facem accendat, voluntas flammam concipiat, intellectus feratur in sacratissimas ejus cunas scrutando, voluntas rapiatur amando. Viæ dux sit intellectus, voluntas fidus hujus Ducis Achates. Intellectus annuat viso amore, visum comprehendat voluntas. Intellectus amori aditum effugiendi præcludat, voluntas illum mille mactet officiis, mille affectibus, desideriis mille, mille osculis, ut (quod D. Thomas dixit) Filius Dei, Verbum non qualecunque, sed spirans amorem, scilicet Spiritum sanctum; idem de nostra cognitione dici potest, sic perfectionem suam assequitur.

Dicere volebam 3. hanc cognitionem esse nobis utilem, imo planè necessariam, sed insinuo tantum unico Salvatoris dicto, Joan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*, & illud Sap. 15. v. 3. *Nosse te, est radix immortalitatis.* Sed his modo non inhæreo, ut pulchrum modum præscribere possim, quo intellectus noster his diebus circa hunc infantem se habere debeat, & sic ad metam Concionis respicio.

§.17. In phantasia formanda est pulchra idea vel imago Jesuli. Vel addendo cum aliquo pictare.

In memoria & intellectu debemus concipere, vel pulcherrimam quandam formare ideam, aut imaginem divini hujus infantis, id quod duplici ferè modo fieri potest, patebit ex simili. Pictor & sculptor efformant pulchram statuam Jesuli, sed diverso modo, pictor

ctor addendo, sculptor demendo, ut pictor aliqua in tela depingat venustum puerulum, variis utitur coloribus, miscet rubrum viridi, album nigro, cœruleum purpureo, nec semel penicillo colorem superaddit colori, sed decies, vigesies, fatetur nobilis Appelles, se in uno oculo efformando trigesies ducere penicillum, sic tandem incipit spirare in tabula elegantis imago puerulì. Sculptor verò sculpit effigiem pueri ex ligno vel marmore, sed demendo, ascia, securi, cultro, aliis instrumentis; tandem emergit omnibus quasi numeris absolutus pusio, & in quo præter Spiritum vix quidquam desiderari videatur.

Vel demendo cum aliquo sculptore.

§.18. *Applicatio, & aureum Alphabetum encomiorum Jesuli*

Pari ratione ideam Jesuli in nobis efformare debemus, subinde veluti pictores oportet uti coloribus pulcherrimarum virtutum & perfectionum, illas de Jesulo affirmando, accumulando, conglobando, quid enim hic obstat, quo minus laxem affectui meo habenas liberalius, & ex more devotissimi viri è Soc. nostra, olim Moguntiæ probè noti, P. Joannis Falconis, in similes amoris meï voces erumpam; Jesus divinus infans Aureus est pusio, Bellulus puerulus, Corculum cordis mei, Dilectus animæ meæ est, Elegans est, Flosculus est, Gemmula, Hortus, Imago est, Lætitia, Mel, Nardus, Ocellus, Paradisus est, Quies est, Rosa est, Saccarum est, Turtur est, Viola est, Varietas, Virtus, Vita, Voluptas est, O felix Alphabetum, quod tam formosam Jesuli mei depingit imaginem.

§ 19. *Varii tales pictores.*

Talis Appelles in Scriptura fuit David, Ps. 144. v. 3. *Magnus Dominus laudabilis nimis, excelsus, gloriosus.* Talis Zeuxis fuit S. August. l. sol. c. 1. ubi cum depingit in intellectu suo Deum, nobis ansam præbet, simili ratione Jesulum depingendi. Deus sapientia, in quo, à quo, & per quem sapiunt omnia. Nunquid eadem sapientia est in Jesulo, nunquid non est sapientissimus Infans? Deus vera & summa vita, in quo, à quo, & per quem vivunt omnia; Deus beatitudo est, &c. nunquid non & Jesulus est nostra vita, & beatitudo? nunquid eadem felicitas, & tranquillitas, meus est Jesulus? tales cogitationes, affirmationes, discursus sunt penicilli & colores, quibus in nobis efformamus ideam divini Infantis, in quo vera ejus cognitio consistit.

Sculptorum modo procedit intellectus, cum negat de hoc Infante quæ neganda sunt, dicunt aliqui hæretici est pura creatura, nos negamus, est minor Patre, nos negamus, &c. utitur hoc modo sacra Scriptura, Ps. 144. v. 3. *Magnitudinis ejus non est finis, est ineffabilis, est incomprehensibilis*, &c. & pariter hac ratione pulchra formatur idea in memoria, & intellectu; qua in re consistit ea, de qua loquor, perfecta Christi nati cognitio. §. 20.

Negande sunt heresses de Jesulo.

Sed non ideo arbitrari debemus, quod divinum hunc infantem comprehendamus, absit hoc, incomprehensibilis est, quia Deus est, faciamus ante cunas, qud Ægyptii facere soliti fuerunt, cùm solem, quem ut Deum colebant, adorarent, profundissimè se inclinantes, manum ori imponebant, quasi dicerent, non esse verba, quibus sol sufficienter laudari possit; hac ratione veluti attoniti, & admiratione defixi diu sta- §. 21.

Quantumcunque tamen Jesum consideremus est incomprehensibilis.

Ideo imitemur Ægyptios adorantes solem.


stabant, aspicientes pulchritudinem solis. Eja animæ piæ ad cunas, ecce infantem, qui sol est divinus & æternus, ruite in genua profundissimâ reverentia, inclinate vos, ori & linguis imponite manus, fatemini non esse verba, quibus pro condigno describamus divinissimi Puerul laudes, indicemus pulchritudinem, majestatem exponamus. State saltem, & pulchritudinem hanc aspicite, ut ametis, cognoscite, ut diligatis.

§. 22. *Declaratur similibus ex cognitione*

Cognitio semen est amoris, ubi liberaliter seritur, ibi miranda crescit fœcunditate. Cognitio sive intellectus Pharo est amoris, amatum in amorem mutuum vocat, regit, trahit. Cognitio pretium est amoris, emitur cum expenditur. Intellectus speculum est amoris, exceptos sinu radios calentissimos animat in calores. Cognitio fomes est amoris, ubi scintillam excipit, reddit incendia. O Jesulum, O semen amoris! O Puerum, O pharos dilectionis! O Parvulum, O speculum amoris! O fomitem, O scintillas, O incendia!

accendi amorem.

Sed tempus est, ut & ego manum ori imponam, & silentium impono lubens, ea tamen lege, ut crastinâ iterum mihi fiat copia de hoc eodem melleo Infante, quæ suggesserit diuturnæ de Jesulo taciturnitatis, impatiens amor, disserendi.



CONCIO LIX.

FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti, JESUM Christum.

Joann. 17. v. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRosequitur hæc Concio materiam prioris de cognitione & amore hominis erga Parvulum de Bethleem.

§. 1. *Repetitio brevis hesternæ Concionis.*
§. 2. *Dictum S. August. quare Deus factus homo.*
§. 3. *Cur Verbum non assumpserit naturam solis, vel alterius creaturæ.*
§. 4. *Deliciæ sensuum exteriorũ in Jesulo.*

§. 5.

§. 1. *Repetitio brevis hesternæ Concionis.*

REvocate breviter in memoriam, Audit. quæ hesternâ dicta sunt Concione de divinissimi Infantuli nobis dati cognitione, nimirum, quod sit scientia nobilissima, quod fons, & scaturigo cœlestium voluptatum, quod necessaria ad vitam æternam consequendam, quod instar accensæ facis in voluntate nostra ignem accendat amoris erga pulcherrimum puerum, præsertim si in illo naturam alteram ab altera non separet, si non obiter, & perfunctoriè, sed profunda consideratione, quantum quidem fieri potest, hunc infantem esse hominem & Deum, perpendat; si insuper accedat, ut speciosissimi radii venustissimi hujus solis, id est, Jesuli, in corda nostra incidant, non quasi in petras, aut terram inaquosam & aridam, sed opimam & fœcundam, ex qua varii virtutum & piarum affectionum flores enascantur. Dixi præterea, nos his feriis natalitiis in stabulo Bethleemitico oportere esse pictores & sculptores, ut pulchram quandam Infantis hujus ideam, vel imaginem in mentibus nostris atque intellectibus, vel sculpamus, vel depingamus. Hoc enim est Infantem hunc cognoscere, hoc est illius perspicere genium, mores condiscere, naturam intueri: verùm ut hæc nostra magis magisque perficiatur cognitio, necesse est, causas quoque, ob quas amandus est, accuratâ mentis trutinâ perpendere, & ponderare, aliquas hac Concione proponam. S. Stephanus, cujus hodie festum celebramus diem, non offendetur hoc meo vestroque in Jesulum affectu, potius gaudebit, si illum amemus, cujus amore suum ipse sanguinem Protomartyr profundere non dubitavit.

§. 2. *Dictum S. Aug quare Deus factus homo.*

Placet modo præ omnibus pulchrum dictum S. Augustini in Man c. 26. *Ut familiarius diligeretur ab homine Deus, in similitudinem hominis Deus apparuit.* Deum invisibilem amare, homini erat difficile, quia vix quidquam

comprehendimus præterea, quæ oculis, aliove sensuum nostrorum percipimus, hinc corporeum nobis quidpiam, & aspectabile dari conveniebat, in quo ipsum agnosceremus & amaremus. Amor noster pendet multùm à sensibus, per illos quasi fenestras prospicit amatum, illis utitur quasi pennis, quibus se momento librat in locum voluptatis.

Ut ergo Deum videre, audire, palpare possemus, natus est homo, & quidem parvulus Infans & pusio, qui amorem sui eleganti formâ facilè posset conciliare. Rursùm S. Augùst. in Man c. 25 *Deus propter homines factus est homo, ut uterque sensus hominis in eo beatificaretur: ut reficeretur oculus cordis in ejus Divinitate: & oculus corporis in ejus humanitate,* sive forma Puerulorum pulcherrimi.

§. 3. *Cur Verbū non assūpserit naturam solis, vel alterius creaturæ.* Potuisset Deus assumere naturam solis, ita ut quemadmodum in præsepio jacet puer Deus, sic potuisset & jacere sol Deus, & pulcherrimis gratiarum radiis terram illustrare. Sed, mihi certum est, non fuisset ille nobis sol tam amabilis, ut fuit amabilis ille Puer. Potuisset Dei Filius assumere naturam columbæ, vel aureæ nubis, vel pulcherrimæ iridis, & suis alis, vel umbris mundum hunc obumbrare; fuisset illo casu columba Deus, nubes Deus, iris Deus, sed nunquam corda hominum in sui amorem rapuisset, ut modo rapit parvus Puer. Ex his, & aliis elegit naturam humanam, ut nobis esset similis, ut homo sicut nos sumus; ut nasceretur infans, qui movet, allicit, afficit, imò rapit ad sui amorem: videre v. g. infantem tam formosum, tam speciosum, qui Deus est, hoc est quod rapit corda amantium.

§. 4. *Deliciæ sensuum exteriorū in Iesulo.* Spectare illam amabilem genularum purpuram, defigere vultum in crystallinos illos puelli ocellos, os & labella manantia melle & saccaro intueri: an non ista sunt efficacia satis ad amorem motiva? Quid dicam si etiam accedat auditus, si pupuli in cunis vagitus, quibus suos acri ex frigore dolores exponit, percipiamus? Pupuli inquam, sed simul Dei, an non movebimur ad amorem? Quid si illum liceat tangere, apprimere pectori, stringere brachiis, amplexu excipere, libare suaviola, applicare os ori parvulo, sed divino; in hoc amorem non provocat, nescio certè quid imposterum in hoc orbe sit dicendum dulce, gratum, amabile. Potissimum verò si & cogitemus, ut par est divinum hunc Infantem nos prævenisse amando, dilexit siquidem nos ab omni retro æternitate. Atque hoc est ipsum, quod rursus nobis suavissimis verbis suggerit S. August. c. 4. de cat. rud. *Maximè propterea Christus advenit, ut cognosceret homo, quantum eum diligat Deus, & ideo cognosceret, ut in ejus amore, à quo prior dilectus est, inardesceret.* Pro beneficio Incarnationis, Nativitatis, &c. petit amorem.

§. 5. *Pro tanto beneficio nostrum petit amorem. hunc solum illi reddere possumus.* Quid vobis videtur Auditores? Si nuper in Ratisbonensibus comitiis, in totius conventu imperii ex Chinis advenisset Filius Imperatoris unicus, juvenis elegans, gratiosus, amabilis, per varia eluctatus pericula, per naufragia, per difficultates viarum, per tempestatum injurias, &c. quid si nomine sui parentis obtulisset Imperio aliquot auri milliones, si gemmarum copiam, si cuivis Principi, vel civitati thesaurum; &

pro

pro his omnibus nihil aliud petiisset, quàm amorem & amicitiam; nunquid unâ omnes voce, uno sensu in hæc verba conspirassent; omnino hic regius Princeps amandus est, suscipiatur ut peregrinus, honoretur ut amicus, diligatur ut filius. Barbara audiret Germania, si pro amore obtulisset odium, si hunc juvenem injuriis affectum ad patriam remisisset.

§. 6. *An amandus Jesulus?* Bene judicatis Aud. atqui alius heri Princeps ad nos venit in hunc mundum unigenitus Dei Filius, per vias difficiles, injurias hominum, & temporum, contemptum, paupertatem, egestatem: è cœlesti gloria attulit nobis dona pretiosa, non aurum, non opes, quæ transeunt, sed gratiam, sed virtutes, imò si volumus, regnum cœlorum. Offert hic Puer peccatorum veniam, largitur pacem, donat reconciliationem cum Deo; quid videtur? pro iis tamen universis, pro affectu, pro donis, pro laboribus pro benevolentia, nihil exoptat aliud, quàm ut illum amemus vicissim, corda nostra, amicitiam nostram desiderat. S. Bern. serm. 83. in Cant. *Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus, atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo respondere auctori, vel de simili mutuam reddere vicem. v. g. Si mihi irascatur Deus, num ego illi similiter irascar? non utique sed pavebo, sed contremiscam, sed veniam deprecabor. Ita si me arguet, non redarguetur à me? nec si me judicabit, judicabo ego eum? non utique sed adorabo. Is salvans me, non quærit à me ipse salvari. Nunc jam videas de amore, quàm aliter sit. Nam cum amat Deus, non aliud vult quàm amari, quippe non aliud amat, nisi ut ametur, sciens ipso amore beatus, qui se amaverint.* Ad hoc Parvulus natus est in stabulo, ad hoc jacet in sinu Matris Princeps cœli & terræ, ut ametur.

Dicite ergo tandem sententiam, O mortales, estote judices, estne audiendus hic legatus? concedendumne est quod petit? estne amandus? Dicite Pastores, qui præteritâ nocte hunc vidistis infantem, estne dignus amore? dic S. Joseph, qui primus post B. V. illum spectasti, quid existimas, estne talis pusio, ut sit dignus amore? Dicite SS. Angeli, qui de cœlis descendistis, & infantem hunc in cunis adorastis, quid arbitramini, estne dignus amore? loquere ipse, O Jesule, vel oculis annue, quid sentis de te ipso, esne dignus amore? §. 7. *Respondet Pastores, S. Joseph, B. Virgo.*

Nolo plures interrogare; Pastores respondent, O amabilem Puerum! S. Joseph ait, O Suavissimum infantem, amate, diligite. Angeli canunt, gloria, gloria amabilissimo huic filiolo, B. Virgo, ipse Jesulus oculis, ore, linguâ, manibus, lachrymis rogant, ut amemus. S. Bern. serm. 83. in Cant. *Quidni ametur amor? meritò cunctis renuntians affectibus aliis, anima soli & tota incumbit amori, quæ ipsi respondere amori habet in redhabendo amore: nam & cùm se totam effuderit in amorem, quantum est hoc, ad illius fontis perenne profluvium.*

O mi homo, non petit divinus hic infans pro suo erga te amore pecuniam, sed amorem, non argentum postulat in compensationem, sed amorem, non aurum desiderat, sed amorem, non vult remunerari gemmâ, sed amore; non expectat à te thesauros Regis, sed amorem. §. 8. *Solum petit amorē.*

rem cordis! amor quippe, quo Jesulum complectimur, dives est, argenteus est, aureus est, gemmeus est, thesaurus est. Ah cur non itaque illum amamus! amor est, cujus obtinendi gratiâ cœlestem suam deseruit aulam Filius Regis æterni; amor est, quem exposuit in sua Incarnatione, ut eundem recipiat à nostra conversatione; amor est, quem in sua Nativitate patefecit, ut nos ostenderemus & nostrum in vita nostra.

§ 9. *Multi tamen non diligunt.* Verùm ô mortales! ô vani filii hominum! Jesulus est pulcherrimus! multi tamen ex vobis non amant, est ditissimus, multi non amant. Infans hic Deus est, & commodi vestri perquam studiosus; sed heu! multi non diligunt. Infans hic suam nobis offert liberalitatem, multi heu! multi respuunt. Infans hic venit ad consolandos animos vestros afflictos, mœstos, oppressos doloribus, & tamen ab eo avertunt se multi. Jesulus hic speciosus formâ præ filiis hominum est delectabilis, & tamen tot sunt pulchritudinum amatores, hujus contemptores. O cœcitas humana, O vanitas, O insania! quas enim divitias diligimus excluso Jesulo? spinas, quas exoptamus delicias Jesulo non exoptato? fumum, quos amplexamur honores, non amplexando hunc Principis filium, hunc Regem, hunc Cæsarem Jesulum? fumum. Amemus igitur Jesulum, amantem nos, amemus inquam infantem, Amantem. Certè quantumcunque amando laboraverimus, nunquam tamen ad ejus amoris, quo nos ipse Puer complexus est, magnitudinem accedemus. Procul, procul absumus, nam Jesuli in nos amor est Oceanus noster est guttula. Illius charitas mons est, nostra est arenula. Illius affectus densa est arbor, noster foliolum. Dilectio illius ignis est, nostra est scintillula. Et hanc scintillam, hæc folia, has arenulas, has guttulas adhuc quispiam negabit? O ingratitudo, O duritia!

§. 10. *Querela Iesuli ad S. Brigittam.* Sed quid hæc Auditoribus meis, quos novi esse amatores Jesuli? ita pergite, ita æstimate, ita diligite Jesum, hoc est quod ipse in vobis intendit, expedit, amat, desiderat. Ad rem facit, quod Christus ad D. Brigittam l. revel. c. 51. conquæritur: *Ab omnibus neglectus sum, ab omnibus expulsus sum, quia nemo in sua dilectione me habere desiderat.* Ignosce mi Jesu, ego desidero, desiderant mei Auditores, desideravit sponsa, cùm dixit, c. 7. v. 13. *Mandragora dederunt odorem suum*, quasi diceret, sponse, Mandragora mihi es, ideo omnia poma, nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi. Mandragora est admirabilis herba, admirabilis Pueri symbolum. Nam 1. radix formam humani refert corpusculi, pars radicum refert brachia, & manus, pars tibiam, pars pectus, & sic reliqua membra. 2. Odor ejus est planè salutaris. 3 Lignum, cortex, folia, flores, fructus, omnia sunt suavissima & raræ dulcedinis. 4. Herba hæc apposita pectori suavem conciliat somnum. 5. Imò tam fortem, ut nisi tollatur, dormiens nec sentiat quidquam, nec verò etiam evigilet, licet membrum aliquod de corpore rescindatur. 6. Dicitur esse philtrum amoris.

§. 11. *Applicantur omnia Iesulo.* Conveniunt omnia Jesulo. 1. Assumpsit pulcherrimum corpusculum, speciosus siquidem fuit præ filiis hominum,

num, ut dixi, fuit splendor paternæ gloriæ, & imago Patris, accedit quod odor tam est suavis, ut sponsa dicat, *Trahe me post te, curram in odorem unguentorum tuorum*, præterea Jesulus est Mandragora, quia totus est suavis, totus melleus, totus amabilis. Quid, quod conciliat somnum, id est, replet cor cœlestibus deliciis, ut licet aliarum resecetur affectus creaturarum, non curet, non doleat, non sentiat; nempe Jesus sapit, desipiunt creaturæ. Denique Mandragora est JESULUS, amorem enim conciliat, & si Hebraicam vocem examinare velimus, idem omnino significat, quòd ipsus Amor.

§.12. *Cur sponsa sponso offerat poma.* Vult ergo Sponsa dicere, O dilecte mi, tu pulcher es pusio, Dilecte mi, tu suavis es puer, Dilecte mi, tecum deliciæ, & suavitates, Dilecte mi, tu totus es amor, tu totus amabilis. Sed cur reponit poma, cur non lilia, cur non gemmas? In symbolicis poma sunt symbola amoris, vult dicere sponsa, amorem refero pro amore, quod nobis suadet Sanctus Bernardus. *Vide jam, quid de DEO tuo sentias, vide quibus brachiis vicaria charitatis redamandus & amplectendus sit, qui tanti te æstimavit.* Dico ego: vide quid de hoc divino sentias Infante, pro te ultro acerbissimum voluit frigus sustinere. *Vide quid sentias.* Voluit tua causa pati contemptum, tolerare injurias, molestias exantlare. *Vide quid sentias.* Voluit propter te fieri inops, qui erat dives, servus, qui fuerat Dominus, parvus, qui extiterat magnus, æger, qui fuerat vita, homo, qui fuerat Deus. *Vide quid sentias.* Rectè equidem nos monitos cupis S. Bernarde, rectè exclamas, *vide* O homo, *quid sentias*: Ego certè in me nil nisi amorem sentio, nil nisi dulcedinem nil nisi mel, nisi charitatem, nil nisi affectum; Mandragora mihi est Jesulus meus.

Sed & Sanctus Augustinus hoc idem profitetur sup. cit. *Nulla major est ad amorem invitatio, quàm amore prævenire*, (hoc fecit JESUS, prævenit nos, amavit nos cùm essemus inimici;) *Nimis durus est animus, qui, si dilectionem nolit impendere, nolit rependere.* Ipse Salvator noster Sanctæ Mechtildi aliquando dixit: se adhuc in terris positum, quoties recordabatur actus illius immensæ charitatis, ac dignationis, quando Verbum Sanctissimæ Humanitati fuit conjunctum, non potuisse continere lachrymas, & cordis sui teneritudinem, quin foras prodiret, atque in gaudii, reverentiæ, amoris & gratiarum actionis affectus erumperet, eosdem affectus Christus exercuit, quoties meminit momenti, quo parvus infans natus fuit in terris, & non par esse ducimus, ut horum memoria mysteriorum, eosdem planè in nobis affectus excitet? ut meminerit memoria, recolat intellectus, nostri causâ hæc contigisse, ut ex altera parte cor moveatur ad teneritudinem aliquam, ut dulces fluant lachrymæ, ut memoria illa sit dulcis, ut foras erumpat, ut coram hoc Puero ruamus in genua, ut revereamur, ut agamus gratias, sed præcipuè ut ardentissimè redamemus. §.13. *Amor est rependendus amori.*

§.14. *Et quidē tener atq; ardens qualis est inter Matrem & filium, &c.* Quod ut commodius fiat, intellectus noster ulterius debet indagare, & inveniet amorem nostrum ergà hunc infantulum debere esse tenerum & ardentem, tener amor & ardens est Matrem inter & Filium; mater enim tenerrimè diligit Filium. Similis amor est inter fratres, inter sponsum & sponsam; ejus nodi oculis intellectus noster natum debet infantulum intueri ut fratrem, ut sponsum, sedulòque attendere, quòd nos amârit ut mater, ut nos vicissim illũ amemus ut filii: quòd sit frater noster, ut vicissim fraternum exhibeamus amorem; quòd amarit nos ut sponsus, ut vicissim amemus ut sponsæ.

§.15. *Heroicum factum Reginæ Angliæ sugentis venenum ex vulnere sponsi.* Quòd nos amarit ut sponsus multis deducere ex temporis penuria non possum; insinuo ex parva historia. Rex aliquis Angliæ (nominis non fit mentio) desponsatus fuit potentissimi Regis filiæ, formosissimæ puellæ, ante nuptias sponsus venenato gladio fuit læsus, lethale erat vulnus, neque venenum ullo potuit extrahi remedio. In hoc rerum statu fuit medicorum aliquis dictitans, unam tantùm salutis spem esse superstitem, quam in hoc esse sitam ajebat, ut quis generosâ sui victoriâ pollens, purulentam è brachio juvenis tabem exsugat. Res erat evidenti periculo mortis exposita, cui proinde nullo voluit pacto subscribere, aut consentire animosus adolescens, indignum ratus, ut quis suâ causâ certissimum mortis discrimen adiret. Verùm audite quid possit amor sponsæ erga sponsum. Audiit hoc puella adolescentis inprimis amans, quare dum dormienti sponso ad lectum assidet, sola ita semet est allocuta: *Eja anime aude, & ede stratagema amoris, quod stupebit mundus, sed colliget ex illo te amasse tuum sponsum.* Hæc dicens, arripit brachium sponsi, putares osculo honoraturam juvenis manum, sed paulatim amovet fascias, vulnus aspicit, mox os applicat, & pus sive venenum exsugit. Sic sponso dedit vitam, sibi mortem.

Sepulchrali lapidi ego inscripsissem, *Hic jacet amans sponsa.* Et si aliquo miraculo puella revixisset, an non sponsus habuisset causam amandi hanc suam sponsam? maximam profectò, nisi ipsa voluisset ingratitudo nominari. Parum mutate, & invertite hanc historiam.

§.16. *Nobis sponsus exhibuit talem amorem.* Incarnatio atque Nativitas Christi fuit verissima quædam desponsatio, in qua Filius Dei ut sponsus, naturæ humanæ ut sponsæ fuit desponsatus; neque est sponsus tantùm per similitudinem quandam & translationem, secundùm quam dicitur *Agnus*, Joan. 1. v. 29. *Leo*, Apoc. 5. v. 5. *Flos campi*, Cant. 2. v. 1. *Petra*, 1. Cor 10. v. 4. &c. Sed propriè, latinè, planèque loquimur, cum vocamus sponsum, inter nullum sponsum, & sponsam tam arcta potest intercedere unio, vel amor, vel fides; quàm arcta est illa unio, arctus amor, arcta fides, quæ est inter Dei Filium, & naturam humanam, sed eheu! sponsa fuit vulnerata lethali vulnere, infecta veneno peccati, neque ullum erat medium aliud, nisi ut aliquis hoc exsugens venenum, vitam redderet.

§.17. *Prosecutio* Hoc ipse fecit sponsus, infirmitatem nostram ipse portavit, venenum quasi exsuxit, dum peccatum in se suscepit. Ob hoc venenum friget in stabulo, plorat in cunis, &c. Hoc venenum aliquando

do sanguineum causabit sudorem, hoc venenum in cruce erit causa mortis, nobis cura vitæ. Mortuus est sponsus, de quo dubitare non possumus, quod amarit, sed revixit, sedet in gloria ad dexteram Patris; est sponsus longè formosior, quàm ante, longè ditior, quàm ante, longè clarior & carior, longè amœnior & serenior, longè dulcior & cultior, longè speciosior & amabilior, quã ante, quæritur, an anima quæ sponsa est, non habeat causam amandi, quis dubitat? habet, & mille causas amandi.

§. 18. *Qualis est regia spõsa erga sponsum; tales simus erga Iesulum.* Qui itaq; amare desiderant, faciant quod nobilis aliqua sponsa facere consuevit, illa est reverens erga sponsum, atque adeo nullis deest officiis, nullis obsequiis, nullis demissæ mentis operibus. Nobilis sponsa sponsum verbis quàm potest alloquitur suavissimis; nulla in voce asperitas, nulla in accentu elatio, nulla in pronuntiatione superbia, quin nos & idem facimus erga Jesulum nostrum? quin liberè dicimus millies, Salve pulcherrime Jesule, dulcis Jesule, decore Jesule, amabilis Jesule, tenelle Jesule, cor, delicium, quies, centrum amoris nostri.

Nobili sponsæ nihil ita curæ est, quàm ut sponso suo nullo non tempore fidelis existat: simus ergo & nos fideles Jesulo, à fidelitate nos conatur abstrahere mundus, væ nobis si mundum audiamus, studet deducere caro, væ si carnem sequimur, laborat avellere Satanas; væ si principem tenebrarum magis diligimus, quàm sponsum lucis.

§. 19. *Prosecutio* Nobilis sponsa sponso grata est pro collatis sibi donis. Jesuli dona sunt innumera, innumeras agamus grates, amor ejus infinitus, infinita pariter sit nostra gratitudo.

Nobilis sponsa in absentia sponsi dies numerat, imò horas & momenta, longa quippe amanti est mora quælibet, hinc crebra illius vota, frequentes de sponso cogitationes, sermones quotidiani, nocturna somnia, diurna colloquia, repetita sæpe suspiria. Jam auditur vox flebilis, *Quis mihi surripuit dilecti lumina sponsi?* jam illa, sponse veni, cordis sola cupido mei. Jam exclamat, *sine te dilecte tabesco.* Jam quæritur; *sine te mihi vivere mors est.* Jam vovet, *O quis mihi tribuat alas! quis dabit mihi pennas sicut columba*, & volabo ad sponsum meum, ad dilectum meum, ad amorem meum, & requiescam. Ah nos quoque optemus Jesulum, quæramus Jesulum, suspiremus ad Jesulum, ubi ille? certè puerili qui modo jacent in præsepio, vel ex cera sunt, vel ex ligno, vel alia materia: verus sponsus noster in cœlis est, eò mittamus vota, eò dirigamus mentes, eò jaculemur suspiria.

Nobilis sponsæ amor plerumque ingeniosus est, hinc excogitat omnes, quibus sponso placeat, rationes modosque: sæpe meditatur stratagemata charitatis, sæpe miras habet inventiones in promptu. Agite Audit. & si quod nobis est ingenium, totum illud in amore Jesuli consumamus.

Sed & patiens est sponsa; non facilè offendi se credit, non facilè læditur, quamvis satis difficilia, graviaque toleranda occurrant, laboriosa enim res est amor, & amare, mare profundum est, in quo plurimæ sæpius tentationum difficultatumque procellæ consurgunt,

sed tamen vincit amor. Patiemur itaque cum Jesulo, & propter Jesulum aliquid, siquidem Jesulum diligimus.

§.20. *Prosecutio* Nobilis sponsa mœrori subinde aliquid indulget, præsertim si qua in re sponsum ab se esse offensum existimat. Ah nos sponsæ sumus Audit. sed heu! quoties Jesulum offendimus, quoties sponsum nostrum ad iram provocavimus; illâ nostrâ superbiâ, illâ avaritiâ, illâ luxuriâ, & nescio quo non scelere! tristemur itaque, edamus aliqua saltem argumenta doloris, tundamus reum pectus, erumpamus in suspiria, laxemus habenas lachrymis, testemur vultu, loquamur linguâ, innuamus oculis, prodamus affectibus, nihil nobis hac in vitâ molestius, nihil acerbius, denique ferè tristius, quàm sponsi nostri, quàm Amoris nostri, quàm dilecti Jesuli offensam.

§.21. *Desideria sponsa in absentia sponsi.* Denique plena est affectibus talis sponsa, plena desideriis, plena votis; S. Laur. Justin. *Soli experti norunt amantium affectus, quàm sæpe desiderio patiuntur, dilaniantur, uruntur, occumbunt &c.* utinam & nos patiamur, uramur, occumbamus amore Jesuli, utinam hic solus sit nostra voluptas. Talis sponsa fuit S. Gertrudis; inter alia, id cumprimis testabatur ejus affectum, quod dixit Christo Domino: *Ego nullam in terris rem nequeo invenire; quæ me delectet præter te solum, Dominum meum dulcissimum.* Cui Christus Dominus, qui in amoris certamine nemini cedit, neminem parem habet, mox reposuit: *& ego neque in cœlis neque in terris aliquid reperio, in quo sine te oblector, omnem namque delectationem, quam in te habeo, per amorem in te constituo: & hoc modo semper delector in te, cum omnibus, in quibus delector.*

§.22. *Epilogus.* Nunc igitur, nunc agite Audit. agite inquam, & si sponsum habere velitis Jesum, date operam, ut animæ vestræ ejusdem sint fideles sponsæ, videte ut modo dictas veræ sponsæ virtutes perfectionesque æmulemini, nihil magis optate, quàm sponsum, ne illi præferte vanas hujus mundi delicias, nihil magis diligite quàm Jesulum, ne illum postponite perituris hujus mundi immundi thesauris, nihil cogitate magis, quàm sponsum imitemini Augustinos, Gertrudes, Ignatios, Xaverios, quibus unicè in votis fuit, ut omnis carnis suæ substantia converteretur in ceram, ossa & medullas, in elychnum, in flammas anima; quò veluti cerei possint ardere cum Jesulo, & ardendo consumi. O felix ardor! beatus ignis! optatum incendium amoris! Tales ego vos cereos hisce feriis opto, Auditores, tales lampades, tales ardores, imò tales Seraphinos! nam quisquis ardet vel Jesulum, vel Jesulo, vel cum Jesulo, vel pro Jesulo; ita ardet, ut simul radios secuturæ mox felicissimæ æternitatis emittat.



CON-



CONCIO LX.

FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti, JESUM Christum.

Joannis c. 17. v. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AMor Parvuli de Bethleem est nota, & signum Prædestinationis æternæ.

§. 1. *Dictum Seraphici S. Franc. Amemus Parvulum de Bethleem.*

§. 2. *Pia querela Jacoponi, quod Amor non ametur.*

§. 3. *Propositio. Cur tamen hic amor sit nota prædestinationis.*

§. 4. *Prædestinatio est mysterium absconditum.*

§. 5. *Ex certis tamen signis de salute bene sperare possumus.*

§. 6. *Quæ causa lapsus Luciferi.*

§. 7. *Amor Dei erga nos liliberalissimus.*

§. 8. *Deus amat nos, si illum amemus. Amor est magnes, catena, circulus,*

§. 9. *Ex S. Augustino adhortatio ad amorem Jesuli.*

§. 10. *Qui diligunt Filium, diliguntur à Patre. Declaratur simili.*

§. 11. *Electi sunt capilli Sponsi, vel Christi D.*

§. 12. *Amor Jesuli est via ad cœlum.*

§. 13. *Visio Catharinæ Raconisiæ.*

§. 14. *Cur amor pingatur cum sertis in manu.*

§. 15. *Amor Jesuli comburit in anima vitia, sicut ignis spinas in agro.*

§. 16. *Ignis mirabilis in Æthiopia non nocens Virginibus.*

§. 17. *Piissima mors S. Catharinæ Senensis.*

§. 18. *Mors sanctissima Urbani Adolescentis, expirantis coram præsepio.*

§. 19. *Prosecutio.*

§. 20. *Prosecutio.*

§. 21. *Pia querela amantis, quod à Jesulo unum tantum cor nobis datum sit ad amandum.*

§.1. *Dictum Seraphici S Franc. Amemus Parvulũ de Bethl.*

FRequenter itentidem & suaviter festis hisce Natalitiis repetebat hæc verba Franciscus ille Seraphicus, *Amemus Parvulum de Bethleem*: eò meæ collimant Conciones Natalitiæ, ut hunc Parvulum diligamus. Amator ille Dei optavit esse Sol, sed cum lingua paratus circumire orbem, & clamare, O mortales amate Deum! talis sol si essem, clamarem cum S. Francisco, *amemus Parvulum de Bethleem*. Alius desideravit esse Musicus ad psallendas Dei laudes. Talis Musicus si essem, luderem in organis, inflarem in fistulis, psallerem in cytharis, canerem tibiis, pulsarem tympanis, resonarem cymbalis, *Amemus Parvulum de Bethleem*.

Fuit aliquando in officina Vulcani, votum duorum amantium, ex duobus cordibus inter istos ignes & flammas fieri unum, hoc ipsum meum est desiderium, Auditores, hoc est quod opto, quod prædico, quod desidero, ut ex omnibus cordibus nostris, & corde Parvuli de Bethleem fiat Cor unum, & anima una, prius hoc ipsum Salvator noster petiit à Patre cœlesti, ut sint unum, sicut & nos sumus.

§ 2. *Pia querela Iacoponi, quod amor non amatur.*

Sed timeo, ne omnes hoc non desiderent; timeo, aliquos non amare Parvulum de Bethleem, hoc nonnihil turbat gaudia mea natalitia. Notissimum est nomen simplicis, sed sancti fratris ex ordine S. Francisci, Jacoponi, cùm quodam die per plateas incederet, tristis, plorans, gemens; rogatus causam inter lachrymas dixit; ah, *Amor non amatur*. O cœli, O Angeli, audite vos hodie meos gemitus, & justas querelas, Eheu Parvulus natus est nobis, Parvulus de Bethleem datus est nobis, & non amatur! Amantur divitiæ, sed non amor, non Jesulus. Amantur voluptates, amantur honores, amantur vanitates, sed non amor, non Jesulus. Plorate igitur quicunque cum Jacopono amorem hunc vestrum diligitis.

§.3. *Propositio. Cum tamen hic amor sit nota prædestinationis.*

De hoc jam bis me audistis dicentem, audietis & modo; dicam siquidem amorem hujus Parvuli esse certam & infallibilem notam æternæ prædestinationis. Si quæ dicturus sum, in pace, & cum quiete, & suaviter vultis audire, molli pulvinari capita vestra imponite, illud nobis ostendit S. Joannes c. 21. v. 20. scilicet pectus & cor Jesu; huic per amorem incumbite, & cum patientia atque sine tædio me audietis.

§.4. *Prædestinatio est mysteriũ absconditum.*

Occasionem præsentis discursus mihi suggerit S. Bernardus serm. 1. in Sept. *Quis potest dicere, ego de Electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum?* quasi diceret, nemo scire potest, utrum in conspectu Altissimi odio dignus sit, an amore. *Certitudinem non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, propter hoc data sunt signa quædam & indicia manifesta salutis, ut indubitabile sit eum esse de numero filiorum & Electorum, in quo ea signa permanserint.*

§.5. *Ex certis tamen signis de salute bene sperare possumus.*

Et expedit, in illa signa quandoque inquirere; *nam* (Ser. 2. in Oct. Paschæ) *quam requiem habere potest Spiritus noster, dum prædestinationis suæ nullum adhuc testimonium tenet?* Inter illa indicia numero ego Amorem & peculiarem affectum erga Parvulum de Bethleem. Auditores amate Jesulum, & de salute vestra optimè confidite. Actor. 4. v. 12. *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

ri. Solidum hujus mei discursus fundamentum capio partim ex Theologica aliqua doctrina, partim ex sacra Scriptura.

§ 6. *Quæ causa lapsus Luciferi.* Quæritur à Theologis, quam ob causam Lucifer cum suis fuerit reprobatus, Michael verò cum suis prædestinatus. Et multorum gravium Doctorum est sententia, Deum in instanti creationis Angelorum, illis revelasse, fore aliquando ut Deus assumat naturam humanam, præcepisseque, ut hunc hominem Deum pro capite, & Rege agnoscerent & adorarent, id quod postmodum satis clarè Apostolus Heb. 1. v. 6. *Adorent eum omnes Angeli.*

Quid verò Lucifer? ille hujus appetens honoris, inflatus superbiâ renuit subscribere; ideoque mox meritas expertus pœnas in tartarum cum suis deturbatur. Michael verò & Angeli electi adorarunt hominem Deum, sicque in gratia & gloria confirmantur: ut prima quasi radix prædestinationis, & reprobationis Angelorum fuerit Christus Dominus. Hanc doctrinam omnium hominum statui commodè possumus applicare. Dividamus omnem damnatorum numerum & totam massam in duas partes, ardebunt omnes æternum, hi quia Christum planè agnoscere vel credere noluerunt; hi quia licèt agnoverint, tamen ut Deum gloriæ non glorificaverunt, sed gravibus contaminati peccatis ex hoc mundo discesserunt.

§. 7. *Amor Dei erga nos liberalissimus.* Quid quod sacris in literis Salvator ipse hanc nostram doctrinam insinuat, Joan. 16. v. 27. inter alia, quibus tristes Apostolos suaviter consolatur, ait: *Ipse Pater amat vos*, id est, ex mille aliis vos elegit, vos amat, vos tuetur ut pupillam oculi, amat vos ut filios, & ut sitis hæredes gloriæ, cohæredes mei. Amat vos, id est, amor Patris mei erga vos est liberalissimus. Magnum illum Macedonum Regem Alexandrum ferunt quandoque submisisse Phocioni munifica, & digna Alexandro dona, quæ cum Phocion recusaret accipere, ille, qui nomine Alexandri illa attulit, respondit: *Cape, Alexander suos servos quos amat, non sinit esse pauperes.* Verissimum hoc de amore cœlestis Patris erga nos homines, suos suique Filii servulos, clientes, amatores, non indonatos relinquit, pro divitiis offert gratiam, pro auro amorem, pro gemmis cœlum.

§. 8. *Deus amat nos, si illum amemus. Amor est magnes, catena, circulus.* Sed quænam illius, inquis, est radix & causa amoris? Ipse Christus Dominus illam subjungit, Joan. 16. v. 27. *quia vos me amastis*, & Joann. 14. v. 11. *qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* Ecce pulchrum circulum amoris, Pater amat Filium, Filius Patrem, nos Filium, nos Pater & Filius amant; accedit Spiritus sanctus, qui est ipse amor.

Nimirum magnes est amor noster, qui alios attrahit amores, etiam sublimes, cœlestes, divinos. Catena est amor noster, ex quo nectitur alius ex alio circulus, quasi annulus in signum desponsationis, felicitatisque æternæ. Gaudete qui amatis illum, qui amor est! non filium illum incastæ Cypridos! absit profanum nomen! sed filium Mariæ Jesulum! hujus amor est ille magnes, illa catena, ille circulus, ille annulus beatitudinis.

§. 9. Audite S. Augustinum tr. 76. in Joannem.

Ex S. August. adhortatio ad amorem Iesuli.

nem. *Qui diligunt, quia diligunt, diliguntur: qui verò non diligunt, non diligentur. Dilectio sanctos discernit à mundo.* Potuissetne pulchrius aliquid, & ad rem nostram accommodatius proponi? *qui diligunt*, inquit, *quia diligunt, diligentur.* En amor est amoris causa, en amorem amicitiæ signum divinæ! en amor est benevolentiæ tessera! En amor est prædestinationis ad cœlum symbolum æternæ. Amate igitur mortales, amate, & diligite, quia qui diligunt, quia diligunt, diliguntur. Sed Jesulum diligite, non mundum, parvulum de Bethleem pauperem, non Plutum, diligite filium Virginis, non mancipium Veneris, humilem diligite Jesulum, non superbum Herodem, nam qui diligunt Jesulum, non qui simpliciter diligunt, ideo quia illum diligunt, diliguntur. Neque verò sine causa hoc dictum putetis, atque ideo, ut rem facilius capiatis, obvio quodam, vobisque probè perspecto simili declaro.

§.10. Qui diligunt Filiū diliguntur à Patre. Declaratur simili.

Est mater, quæ cùm unicum habeat & dilectissimum filiolum, tanto hunc prosequitur amore, ut non solùm illum amet, sed in omnes etiam illos, qui filiolum etiam vel diligunt, vel laudant, vel illi benefaciunt, singulari studio atque affectu feratur. Bene habet Auditores, vultis ut Pater cœlestis vos amet, ut hæredes faciat æternæ gloriæ; ecce in præsepi jacet ejus Filius, filius quem ab æterno genuit; filius quem amore prosequitur infinito, filius in quo latent omnes thesauri sapientiæ Dei; filius in quo ipsi beneplacitum est; jacet in stramine filius, ad cujus pulchritudinem nulla venustas accessit, filius pauper quidem, sed tamen dives, contemptus, sed & gloriosus, humilis, sed & excelsus, parvus, sed & magnus, ligatus fasciis, sed & omnipotens! O filium! O pusionem! O Parvulum hunc diligite, hunc laudate, hunc amate: neque enim vel cœlesti Patri, vel Virgini Matri quidquam facere potestis gratius & acceptius, quàm si filiolum hunc toto mentis affectu diligatis. Amabit & vos vicissim Deus Pater (spondeo) amabit & Virgo Mater, (adpromitto) hic amor est radix electionis ad gloriam. Sap. 7. v. 28. *Neminem diligit Deus, nisi eum, quicum sapientia inhabitat*, scilicet Dei Incarnata.

§.11. Electi sunt capilli Sponsi, vel Christi D.

Servit proposito meo, quod Cant. 5. v. 2. ait sponsus: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*, quæritur, quid in sensu mystico intelligatur per capillos sponsi. Responsum accipio partim ex S. Paulo, 1. Cor. 11. v. 3. quod caput nostrum Christus sit, partim ex S. Paulino epist. 4. *Crines ejus, electio Sanctorum in Christo, quibus Pater gaudet in illo.* Beatissima Virgo v. g. est pulcherrimus capillus capitis sponsi, capillus certè aureus, formosus. Capillus pulcher est S. Joseph, S. Anna, & sic de reliqua collectione Sanctorum.

Comparantur autem capillis, non sine mysteriis. Capilli sunt ornamentum capitis; electi Christi Domini Capilli defendunt caput contra pluvias, frigus, nives, electi sunt zelatores honoris sponsi. Adhæc, de capillis ait S. Lucas 21. v. 18. *Capillus de capite vestro non peribit, multò minus unus ex electis.* Joa. 10. v. 28.

Ego

Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eos quisquam de manu mea. Accedit quod capilli sponsi fuerunt pleni guttis noctium; hæ denotant tribulationes, per quas Electi gloriam consequuntur, & tum sunt pulcherrimi, cùm sunt in camino tribulationis probati. Sed & spōsa ait, *Coma capitis ejus sicut purpura Regis*, electi, purpurei sunt, cùm lavant stolas suas in sanguine Agni, Apoc. 7. v. 14. Præcipua denique comparationis causa est: Capilli radicem habent in ipso capite, non adhærent, sed inhærent, pari ratione Electi, uniti sunt Christo, Christo inhærent, Christo sunt infixi, cum Christo & in Christo vivunt, moriuntur cum Christo. Cùm verò hæc unio fiat per amorem, optimè infero, in quo est amor Parvuli de Bethleem, in eo est & unio, ubi unio, ibi & radix est electionis, dilectionis, & prædestinationis fundamentum, hoc denique sequitur, quia caput est gloriosum, & tale erit in æternum; & capilli ejus erunt gloriosi, sic amor Parvuli est radix, per quam veluti vivi surculi implantamur in Christo.

§. 12. *Amor Jesuli est via ad cœlum.*

Idiota ut hoc explicet, utitur metaphorâ desumptâ à via. c. 17. *Vera dilectio benignissime Domine Jesu Christe, qui es merces amoris, est via rectissima veniendi ad te, nec opus est aliquâ aliâ virtute, sed solum amore & dilectione. Via rectissima absque devio, via brevis absque tadio, via plana absque tumulo, via secura absque periculo, via jucunda cum bono socio*, scilicet Jesulo. Diligentibus Jesum via ad cœlum, licèt sit ardua & spinosa, est tamen jucunda.

§. 13. *Visio Catharinæ Raconisiæ*

Catharina Raconisia ordinis S. Dominici, festo Omnium Sanctorum in contemplatione deducta fuit à S. Joanne in cœlum; præcedebant duo Seraphini cum candido vexillo, in quo rubra Crux radiabat. Dum ipsa cum gaudio ductores sequitur, advertit sequi & alios, sed cum impatientia, & murmure, de via nimis ardua, atque difficili conquerentes; ergo percontata ex S. Joanne, cur his via Christi & Crucis tam ardua, causam intelligit; asperam illis esse viam, qui Christum non agnoscunt, nec amant; sed dulcem illis & amabilem, qui diligunt JESUM. Unde Sanctus Paulus suadet, *Ambulate in dilectione:* & à cœlo non aberrabitis.

§. 14. *Cur Amor pingatur cum sertis in manu.*

Quare non omnino abs re fecisse mihi videntur, qui amorem quondam depinxerunt cum coronis & sertis in manu; volebant quippe significare, amorem reportare multas victorias, ideoque distribuere coronas. Sic Jesulus in præsepio depingendus est cum aurea corona in aureis manibus, pingendus est cum serto, quod æternam denotat gloriam; hanc enim illis præparat, qui se amant. Si ergo coronâ hâc aliquando cum sponsa coronari vultis, amate Parvulum de Bethleem.

§. 15. *Amor Jesuli comburit in anima vitia, sicut ignis spinas in agro.*

Sed rem faciliùs fortè, clariùsque ex adverso perspicietis. Quę enim obsecro damnationis vel reprobationis æternæ causa existit? nonne scelera? atqui amor Jesuli illa tollit, & instar ignis exurit. Agricola agrum expurgaturus à spinis, id duplici ferè modo præstat: vel enim utitur securi & ligone, sed hoc multi labo-

laboris est: vel injicit ignem, qui paulatim serpens ipsas spinarum radices exurit. Ager hic est cor peccatoris, plenum spinis: spina enim est libido, spina avaritia, spina in oculis Dei luxuria, spina in oculis hominum invidia; spina in capite superbia; spina in gutture gula, spina in pedibus acedia; spinæ in corde cogitationes pravæ. O mortales! quot spinas, imo quot spineta in vobismetipsis toleratis miseri? agite, siquidem salvari vultis, hæ spinæ sunt removendæ, imò sunt evellendæ, sunt funditus extirpandæ.

Per Adventum voluissem id à vobis fieri ligone pœnitentiæ, in sudore contriti cordis; si tamen, quia difficile forsan tum erat, necdum fecistis, hodie igne utamini suadeo, injicite cordibus vestris flammam, vel saltem scintillas amoris eaga Parvulum de Bethleem, & implebitur versus 7. cap. 17. Isaiæ: *Erit lumen Israel in igne, & Sanctus ejus in flamma.* Et quis putas ille Sanctus ejus in flamma? est Parvulus de Bethleem, est amor noster Jesulus, hic jacet in fœno, quid mirum si fœnum flammas concepit ab igne? jacet inter stipulas & paleas, hinc eò ardet ardentius: & hominum corda mentesque succendit, sed quid inde? perge Isaia, *& succendetur & devorabitur spina ejus, & vepres in die una.*

§ 16. *Ignis mirabilis in Æthiopia non nocens Virginibus.* O felix flamma! O fortunatus ignis! hic reprobos ab Electis discernit. Narrant historiæ in Æthiopia fuisse ignem, quo probabantur puellæ, an essent virgines, nec ne. Virginibus nihil nocebant flammæ, sed innoxiis tangebantur manibus; pollutarum verò manus comburebantur, dictus ideo fuit ignis probationis. Suo modo ignis amoris erga Parvulum de Bethleem est talis ignis probationis; num quis de Electorum sit numero, vel Reproborum, sed modo contrario: Si corda adurit, si illæ scintillæ, quas flammeus JESUlus ex præsepio spargit, in animis nostris accendunt ignem amoris; si hoc igne liquefacta præcordia in suaves diffluunt affectus, si in ejusmodi erumpunt suspiria: O JESULe amo te, O JESU mi dulcis amor, nil diligo præ te, tu meus es sponsus, mens mea sponsa tua est, &c. Sperare possumus, nos esse è numero filiorum DEI. Illi verò, quorum corda frigida permanent his feriis ut gelu, dura aut marmor, sive qui nullum sentiunt affectum ad amandum JESUlum, hi causam habent timendi, se reproborum numero vel jam asscriptos, vel asscribendos propediem. Atque adeò est hic amor signum æternæ prædestinationis, quia est causa felicis mortis, consequenter æternæ salvationis.

§. 17. *Pissima mors S. Catharinæ Sen.* Multos amore divino feliciter mortuos referunt historiæ. De Sancta Catharina Senensi ait Surius. *Amoris Christi in ea tanta vis fuit, ut cor Virginis à summo usque deorsum crepuerit, ruptisque vitalibus venis, sola vi divini amoris Spiritum reddiderit.* Simili modo spiritum reddidit illa puella Virgo, quæ Christo sponso ter roganti, an amaret se, tantâ vi respondit: *Amo te,* ut corde rupto, expirarit. In itinerario perfectionis cap. 19. ait Seraphica The-

Theresia; Potest crescere adeo amor, & desiderium DEI, ut subjectum naturale illud sufferre nequeat, & aliquæ personæ sic sunt mortuæ, fortassis & ipsa, cùm Seraph ignito gladio cor ejus transfixit.

Alii amatores & amatrices Iesuli. Talis vulnerata charitatis fuit sponsa, cum in dulcissimo deliquio amoris dixit, Cant. 2. vers. 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Talis vulnerata charitatis fuit Lucia Narniensis ex ordine Prædicatorum, quæ præ amoris erga JESUM vehementia exclamare solebat: *O ignem! ignem! ignem! Sorores meæ, langueo & vivere nequeo.* Languit hoc amore Sanctus Bernardus, cùm ad sororem scripsit (Serm. 2.) *Charissima Soror, roga ancillas Christi, quæ tecum sunt, & dic eis, fulcite me floribus, quia amore JESU Christi Sponsi mei langueo.* Subdit: *Hic amor dulcis! hic languor suavis, hæc infirmitas sancta!* addo ego, hæc mors sancta & felix! O Seraphini, qui ardetis coram præsepio JESUli mei, date mihi tales sagittas, date ignes, ut accendam & vulnerem hoc amore corda meorum Auditorum, ut amemus Parvulum de Bethleem, & aliquando in hoc dulcissimo amore expiremus.

§. 18. *Mors sanctissima Urbani Adolescentis expirantis coram præsepio.* Sic expiravit Urbanus quidam adolescens, cujus mentionem facit sanctus Chrysostomus. Historiam aliquando in scenam dedit sodalitas Angelica Herbipolensis, & post illam Spirensis. Hic enim posteaquam se aliquot annorum spatio juvenili luxui voluptatique dedisset, tandem seriâ scelerum pœnitentiâ correptus, solvi in lachrymas, deplorare vitæ suæ erga Deum ingratitudinem, peccata & peccatorum comites atque occasiones cœpit detestari, quod dum non minus piè, quàm constanter faceret, deductus fuit ab Angelo suo Custode; quò putatis Auditores? deductus fuit in stabulum Bethlemiticum. Ah quis nostrûm non optaret viæ se comitem sociumque extitisse!

Jacebat in cunis Mariam inter & Josephum venustissimus pusio, imò aureus, imò gemmeus! radiabat in stabulo, ut Sol in cœlo. Ponè astabat illi hinc candidâ in veste Misericordia, dexterâ præferens ramum olivæ. Inde divinus Amor tædâ instructus candidâ & ardente. Suadente Misericordiâ, piissimus juvenis, nunc pedes, nunc manus JESUli deosculans, mille elicit actus Contritionis, mille doloris, mille spei, & demissionis. Stimulante Amore exardescit in affectus tenerrimi amoris erga Parvulum de Bethleem; præcipuè cùm cœlestis Cupido sua face cor juvenis, quod JESULO ipse offerebat, divinis flammis, & ignibus accendit.

Hic enimverò totus ardere Urbanus, hic flagrare amoris ignibus, hic inclamare JESUM amorem suum, hic in ejusdem amoris guttas diffluere, hic liquefieri ejus cor quasi cera cœpit, quot labuntur in terram guttæ, tot evolant in cœlum suspiria, tot audiuntur voces: JESUle te amo, amore tui ardeo, flagro, conflagro, morior! dictum factum. Ardet cor juvenis, & ardendo §. 19. *Prosecutio*

g 2 con-

consumitur! amat Urbanus adolescens, & amando exanimatur! O amor quid egisti? occidisti puerum? tyrannus es, vitam abstulisti juveni, qui te amavit. O te! sed reprimo vocem. Erro: non mortem, sed vitam dedit amor Urbano. Mortuus erat, nisi sic fuisset mortuus adolescens, nam expirare amori, non est mori, sed vitam inchoare beatam, sempiternam, cœlestem, divinam!


Ergo ad pedes Jesuli inter Angelorum manus felicissimus juvenis animam exhalavit. Momento quo obiit, unus ex cœli ephœbis, capiti demortui adolescentis auream & floridam imposuit coronam, alter ad pedes tabellam, cui aureis literis inscriptæ hæ voces: *Hoc funus amantis est.*


§. 20. *Prosecutio*

Quis hic vobis animus Auditores? placetne hæc mors? sic & vos mori cupitis? in conspectu Jesuli? inter flagrantes & scintillantes affectus Contritionis & Amoris? eja ad cunas, ad stabulum Bethlemiticum, ad præsepium, ibi Jesulum diligite & amate. Sic moriuntur qui, & quia Parvulum illum diligunt, ad Ephes. 6. v. 24. *Gratia* (tam felicis mortis) *cum omnibus, qui diligunt Jesum Christum in corruptione, Amen.* E contrario minatur David Psalm. 72. v. 27. *Qui elongant se à te* (addo ego, O Jesule, ô Parvule de Bethleem) *peribunt.* O divine pusio, ne & nos pereamus, accedimus tuas cunas, abjicimus nos ad tuos pedes, ut ardentissimè te amemus. O Jesule ne permittas me damnari, amo te, amo te, amo te!

§. 21. *Pia querela amantis, quod à Jesulo unum tantum cor nobis datum sit ad amandum.*

Finio, justissimâ contra Parvulum de Bethleem querelâ: deposuit illam ante me S. Philippus Nerius, dum Deo, quem ardentissimè amabat, dixit: *Deus cum tam amabilis sis, & ita præceperis nos amare te, cur dedisti nobis tantum unum cor, & adhuc tam parvum? Et tu, O mi Jesule, cum sis tam amabilis, pulcher, gratiosus, cur & tu unum tantum mihi cor concedis? nosti utique amorem coërceri non posse locorum angustiis, ah angustum nimis est mihi cor meum! quàm ut se in eo pro debito extendat amoris magnitudo. Jesule, cur non decem mihi præbes corda? neque enim unum mihi sufficere posse existimo, ad amandum te, qui amore mei jacet in præsepio! O si centum haberem corda! ah nec illa mihi sufficiunt! O si corda haberem mille! sed nimis adhuc parum sunt amori meo: O si decem millia! O si centum millia! O si! tu scis, mi Jesule, omnibus illis cordibus te solum arderem, diligerem, amarem, spirarem: & denique etiam in te, cum te, & propter te, illis centum cordium millibus expirarem, Amen.*





CONCIO LXI.

FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

Et vocatum est nomen ejus JESUS.

Lucæ c. 2. v. 21.

Synopsis Concionis.

Distribuit pro spirituali strena varios funiculos ex sacris Literis.

§. 1. *Diversi colores significant diversos affectus animi.*

§. 2. *Si non in vestibus, saltem in funiculis, qui vulgò dicuntur* Favörle.

§. 3. *Applicatio.*

§. 4. *Propositio. Purpureos funiculos pro strena distribuit hæc Concio, cum apprecatione fausti anni.*

§. 5. *Inventor purpuræ fuit canis Herculis.*

§. 6. *Applicatio.*

§. 7. *Purpureos funiculos ex corona florida sponsi & sponsæ.*

§. 8. *Pro Xenio offero Eminentissimo Electori Mog.*

§. 9. *Reverendiss. Capitulo vittam purpuream, quâ aurea lamina alligabatur fronti Sacerdotis.*

§. 10. *Clero zonam purpuream Sacerdotis.*

§. 11. *Nobilitati funiculos cortinarum in curru Salomonis.*

§. 12. *Consiliariis, &c. Vittam purpuream labiorum sponsæ.*

§. 13. *Senatoribus, purpureum funiculum ex torque Danielis.*

§. 14. *Conjugatis, funiculos purpureos, qui malogranata & campanulas alligarunt fimbriæ vestis Sacerdotalis.*

§. 15. *Viduis, funiculos ex veste purpurea Christi in Coronatione.*

§. 16. *Virginibus, funiculum ex fasciculo myrrhæ.*

§. 17. *Peccatoribus, funiculum purpureum suspensum ex fenestra Raab in Jericho.*

§. 18. *Electis, funiculum purpureum ex cap. 38. Genesis.*

§. 19. *Morituris hoc anno, funiculum purpureum, clypei fortium, cap. 2. Nahum.*

§. 1. *Diversi colores significant diversos affectus animi.*

PEr colores vestium solenne est amatoribus internos animi affectus & sensus declarare; cœruleus, quia cœlestis est, quandam gestientis animi lætitiam prodit, contrà niger signum est tristitiæ, illo, qui lugent, vestiuntur. Viridis symbolum est spei, in illo amantes bene se sperare velle, patefaciunt. Quid verò color igneus? ille vindictam repræsentat, & spiritus igneos, irâ furoreque inflammatos; de albo nihil dico, cùm satis per se notum sit atque perspectum, eum esse signum innocentiæ atque puritatis, adeo, ut qui illo vestiuntur præ se puritatis ferant amorem. Denique color coccineus, puniceus, purpureus vel sanguineus, est symbolum magni amoris, qui si necesse fuerit, ipsum etiam sanguinem pro amata fundere non dubitat.

§. 2. *Si non in vestibus saltem in funiculis qui vulgò dicuntur Favörle.*

Verùm quia multis colores hi integris in vestibus non placent, utuntur funiculis, ejusmodi colorum varietatem præ se ferentibus, nam sæpe amico offert amicus pro strena funiculum vel cœruleum, vel viridem, vel nigrum, vel purpureum, vel denique candidum, non sine mysteriis, quæ insinuavi: tales funiculi in vestibus, in capillis, in pectore, imò literis, libris, chirotecis, apud amantes sunt tessera affectuum, qui intus latent.

§. 3. *Applicatio*

Qualis amator, qualis sponsus sit Parvulus de Bethleem, qui ante octiduum nobis datus est, per ferias natalitias in meis Concionibus multis ostendi, hic noster amator inter omnes colores amavit candidum & rubicundum, hi placuerunt oculis ejus, hos commendat sponsa cùm ait, *Dilectus meus candidus & rubicundus*, Cant. 5. v. 10. candidum vidimus ante octiduum, hodie videmus simul & rubicundum. Candidus est in panniculis ob nativum colorem, candidi hi sunt ob virgineas manus, quæ illos laverunt, candidi sunt ob candidissimos, qui in illis sunt liquefacti, uniones, intelligo lachrymulas, quibus hodie Jesulus in Circumcisione suam vestem candidam irrigavit. Sed iidem panniculi rubicundi sunt, ob pretiosas guttas sanguinis, quas hodierna die fudit. Ita est Audit. Sed magis tamen ipse rubicundus est sponsus, & magis etiam candidus, imò ipse candor, & purpura. Ex candore colligo illum esse amatorem puritatis. In purpura animadverto tesseram amoris, quo ardet pro humano genere sanguinem fundendi. Mox intelligetis, quò tendat meus de his coloribus discursus, & quidem in funiculis.

§. 4. *Propositio. Purpureos funiculos pro strena distribuit hac Concio, cum apprecatione fausti anni.*

Scio, spirituale pro more xenium à me expectatis, cum itaque multis in locis, præsertim Herbipoli in Franconia, more sit receptum, ut amici sibi offerant poma, vel strophiola, involuta rubis vittis, mihi pariter ut amicum me vobis probarem, visum est varios è sacris literis seligere funiculos, (poma, strophiola aliàs distribuo) quos pro felici strena hac Concione inter vos dispertiar.

§. 5. *Inventor purpuræ fuit canis Herculis.*

Antequam id faciam, Eminentissimo nostro Principi Electori, Reverendissimis Summæ Ædis Canonicis, gratiosis nostris Dominis, toti Clero, Nobilitati, Eminentissimi nostri Consiliariis, Judicibus, Advocatis, Magistratui Urbis, Conjugatis, Viduis, Juventuti, tristibus

&

& ægris, impiis, piis, demum omnibus hoc anno morituris, annum hunc quinquagesimum quintum, faustum, felicem & fortunatum ex animo precor. Nunc age, singulos eorum, quos nominavimus, funiculos suis illustres coloribus, atque encomiis proferamus.

Et initio quidem occurrit colorum facilè pulcherrimus pretiosissimusque. Illius Inventor (si Pamelio Tertulliani Scholasti credimus l. de Idol. c. 18.) fuit canis Herculis. Hic enim dum pulcherrimam Tyro, in silvis commorantem Nympham vellet invisere, canis pro more discurrens in rupe quendam invenit vermiculum, vel ut alii putant conchile, quod cum dentibus comminuit, ita os suum & labia sanguine hujus vermiculi infecit canis, ut eum cum Nympha conspexisset, adeo repente purpureo fuerit colore delectata, ut jurarit Herculi, se verbo nunquam allocuturam inposterum, nisi afferat vestem tinctam ejusmodi succo, aut colore imbutam. Abiit Hercules cum suo cane, discurrens per silvas, donec advertit, ubinam canis illum colorem inveniret, & tot ejusmodi vermes, & conchilia conquisivit, ut Nymphæ attulerit exoptatam vestem, unde de Hercule dicunt Tyrii, quod primus puniceæ infecturæ fuerit auctor. Commentum hoc non dubito, illud tamen veritati consentaneum quàm maximè assevero.

§. 6. Applicatio. In cœlo & in terra, sub sole, pretiosiorem, & pulchriorem purpuram inveniri non posse, quàm illam, quæ hodie ex illo emanavit, qui de se ait, *ego autem sum vermiculus*. S. Isidorus l. 19. Etymol. c. 28. ait; *Conchilia sunt maris, quæ circumcisa ferro, lachrymas purpurei coloris emittunt.* Vitruvius l. 4. c. 13. *Conchilia cùm sunt lecta, ferramentis circumciduntur, è quibus plagis purpurea sanies, uti lachryma profluit, &c.*

Instar conchylis in mari Virgineo, sive utero Virginis formatus fuit pulcherrimus Jesulus, est insuper concha, in qua omnis thesaurus gratiarum absconditus latet, hodie circumcisus est ferro, vel cultro lapideo, & effluxit purpura, quâ tingi debuit vestis sponsæ, sive nuptiale vestimentum charitatis. Tanti fuit Dei Filium adamasse humanam naturam, quasi sponsam, ut non alienum quærere sanguinem, sed proprium fundere necessum duxerit, neque alio fine, nisi ut sponsæ compararet vestem, in qua placeret & sibi, & Patri cœlesti, ab hac purpura omnis provenit decor, qui animas sanctas in cœlis, & in terris exornat, & sic, cùm sponsus sanguinis factus est, quantum nos amarit, ostendit. Divinæ huic purpuræ, sanguini circumcisi Jesuli intinxi varios, quos in S. Scriptura reperio, funiculos.

§ 7. Purpureos funiculos ex corona florida sponsi & sponsæ. Cant. 7. vers. 5. Dum sponsus caput sponsæ describit, inter alia ait: *Coma capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus.* Sed amabo, cur purpuræ comparat? respondent aliqui, 1. sponsum comparare purpuræ capillos sponsæ ob rubrum colorem, quasi diceret, coma tua rubicunda est, nitens, & splendens instar purpuræ; Genebrardus hic: *Comparat sponsæ comas purpuræ pretiosissimæ, pulcherrimæ, maximèque recenti, &c.* Tales fuerunt capilli sponsæ, pulcherrimi, &c. Verùm quia hic rubeus color in co-

comis; non ab omnibus commendatur, sed potius displicet, ideo alii respondent. 2. probabile esse comas sponsæ non incompositas, sed decore pexas, compositas, & pulchris fasciis sive funiculis fuisse colligatas, & has vittas fuisse purpureas, colligere possumus ex variis versionibus. Septuaginta, *Plexus capitis tui sicut purpura.* Tigurina, *tenuitas capitis tui* (id est tenues capilli & cincinni) *regia purpuræ similis est, quæ in canalibus* (infectorum) *ligata est.* Arabicus, *ligata in amphitheatris*, id est, cùm venusta virgo comparet in scena, inter alia ornamenta cincinnos ligat purpureis vittis, favet huic sensui summopere textus Germanicus, itaque hi funiculi in comis sponsæ tanti fuerunt decoris, ut dixerit, *Coma capitis tui sicut purpura Regis.*

Respondent alii 3, & subtiliùs: sponsæ caput vel comas, ut ex præcedētibus & subsequentibus colligitur, fuisse redimitas pulcherrimo serto ex gemmis & floribus; hæ gemmæ & flores fuerunt colligati purpureis fasciis, quarum fimbriæ dependulæ, & cincinnis capitis immixtæ, ut rosulæ, ut stellulæ, ut globuli, ut annuli, ut circuli, ut corcula, ut flosculi, pulcherrimè illos adornarunt, ut sponsus comas alioquin aureas, & lucidas, ut radios solis, aut nigros ut corvi, tamen compararit purpuræ. Fortè (mea est conjectura) amantium more purpureis illis vittis formata fuit litera S. sive prima & initialis nominis sponsi, id est Salomonis, qui ad literam fuit sponsus.

§. 8. *Pro xenio offero Em.* Pulcherrima hæc corona sponsæ in memoriam mihi revocat pulcherrimam coronam S. R. Imperii, non illam ferream, vel argenteam, vel auream, vel gemmeam, quæ Imperatorum & Regum Romanorum capitibus ab Electore Moguntino imponitur, sed illam augustissimam, quæ ex viventis & animati Imperii membris, atque statibus componitur. *Electori Mog.* Præcipua gemma hujus coronæ est Augustissimus Imperator, pulchræ gemmæ Emin. & Serenissimi Electores, gemmæ, Imperii nostri Rom. Principes, gemmæ, patriæ Patres, gemmæ, defensores Romanæ Aquilæ. Sed has simul gemmas in augustissima corona, purpureo funiculo charitatis, & unionis uniri, & colligari oportet.

Hunc funiculum invenio hodie apud Jesulum; illius permissione, illum tibi Eminentissime Princeps Elector, pro strena offero, tua Celsitudo hactenus funiculo hoc usa est prudenter, fortiter, & feliciter. Novit Germanicus orbis, quomodo discordes animos Principum unieris, quomodo jam antea unitos inter se & cum capite colligáris arctiùs; ut facias porro purpureum funiculum aureæ charitatis, intinxi purpuræ, sanguini Jesuli, ut in vi hujus cruoris omnia in auream pacem asseras. Unionibus inscripsi duas literas, J. P. id est Jesum Pacificum, ut hic Princeps Pacis, Jesus Pacificus, te Principem Pacis, te Principem Pacificum nobis servet incolumem, atque adeo ut S. Rom. Imperii Coronam, multos adhuc annos feliciter custodias atque conserves. *Cum Jesulo Pacifico.*

§. 9. *Reveren. Capitulo* A Capite Celsitudinis Moguntinæ ad reliqua ejusdem membra me converto. In his, primæ vobis debentur Reveren-

vittam purpureâ, quâ aurea lamina alligabatur fronti Sacerdotis.

verendissimi Prælati, Adm. Reverendi, Illustres, Prænobiles Summæ Ædis Metropolitanæ Canonici, proinde vestros quoque funiculos è Sacris Literis, tanquam officina depromptos expono. Exodi cap. 28. vers. 36. *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes operâ cœlatoris, Sanctum Domino, legabisq; eam vitta hyacinthina, & erit super tiaram.* Hyacinthus significat colorem aliquando flavum, aliquando cœruleum, sæpe roseum & purpureum. Ovid. 13. Metam.

Rubefactaq; sanguine tellus,
Purpureum viridi genuit de cespite florem.

Hyacinthus gemma etiam est ejusdem rubei coloris. Voluit Spiritus S. innuere, funiculum, vel purpuream vittam charitatis & unionis, Sanctitatis, quam denotat lamina aurea, elegans esse ornamentum. Hanc fasciam de lamina aurea summi Sacerdotis, pro strena vobis offero, Gratiosi Domini, id est, precor ex animo, ut hoc novo año inter vos, & cũ vestro capite, funiculo charitatis sitis colligati, in omni sanctitate, veluti Sancti Domino, ut hic funiculus vobis sit gratior, & fortior, intinxi hodiernæ purpuræ, sive sanguini circumcisi Pueri, & ex unionibus in illo formavi has duas literas J. S. id est, Jesulus Sanctus, vel Sanctum nomen Jesus, qua inscriptione aureis elementis, in hoc sanctitatis, & charitatis funiculo exaratis, nescio quid vobis vel dignius, vel illustrius repræsentare potuissem.

Cum Iesulo Sancto.

§. 10. *Clero zo-* Qui sequitur non minus elegans est, & insignis funiculus ex cap. 28. Exodi v. 39. *Stringesq; tunicam bysso*, id est, zona byssina, quam Josephus ait latam fuisse quatuor digitos, & intus inanem, ita contextam, ut serpentis exuvium videri posset, & quæ præcipua fuit elegantia, pictam floribus puniceis, purpureis & hyacinthinis. Per purpureum funiculum cum coccineis flosculis, intelligunt sapientes zonam castitatis, quæ mater est pulcherrimorum florum sive virtutum, de hoc funiculo ait Salvator noster, *Sint lumbi vestri præcincti.* Luc. 12. vers. 35. Et cui quæso alteri debeatur ita eleganti florum nitore varietatus funiculus, nisi Venerabili Clero, omnibusque hujus urbis Religiosis, ac præcipuè Sacerdotibus. Certè illis ego universis hunc demisso animi affectu dedico, offero, dono funiculum. Hanc illis selegi strenam præ aliis, nimirum hos præ omnibus decet hæc zona. Ut sit formosior, intinxi hodiernæ purpuræ, Sanguini Christi, & ornavi his duobus characteribus, J. P. id est, Jesulus Purissimus, sive amator castitatis.

nam purpuream Sacerdotis

Cum Iesulo purissimo.

§. 11. Sed nunc ad id quod meditor, prænobili quodam & minimè vulgari mihi opus est funiculo. Cant. 3. vers. 9. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* Ly ferculum tria significare potest, vel gestatorium vehiculum, sive lecticam, vel currum & thronum triumphalem Salomonis, hunc puto hoc loco describi, & præcipua ejus ornamenta, aurum, argentum, purpuram, sed ubi in illo purpura? Dicunt aliqui 1. Cortinas, quæ pendebant inter argenteas co-

Nobilitati funiculos cortinarũ in curru Salomonis

lumnas fuisse purpureas. 2. Alii, pavimento ferculi fuisse instratum tapetem purpureum, licet alii velint fundum ferculi fuisse purpureum ob instratos carbunculos. 3. Alii, pulvinar in aureo reclinatorio scribunt fuisse rosei & coccinei coloris. 4. Genebrardus, Sanchez id asserunt de integumento vel cœlo, quod supra argenteas columnas veluti umbella fuit extensum. Syrius & Arabicus. Integumentum vel velamen purpuræ. Arzinoës. Supraque tapetis purpurei.

5. Placent mihi modò illi Interpretes, qui ajunt ferculi illius pulchrum ornamentum fuisse purpureos funiculos, & rosulas, quibus cortinæ, cujuscunque demum coloris, alligatæ fuerunt argenteis & aureis annulis; prout dicitur Esther c. 1. v. 6. *Et pendebant ex omni parte tentoria aurei coloris, & carbasini, & hyacinthini, sustentata funibus byssinis atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant.* Fortè hæc omnia in Salomonis ferculo, cœlum, columnæ, cortinæ, tapetes, pulvinaria ornata fuerunt purpureis funiculis, veluti rosis, qualibus hodie nobiles fœminæ suas exornare vestes consueverunt.

Per hoc ferculum modo intelligo Catholicam Nobilitatem, generosos heroes, qui tot annis non sine sanguine pugnarunt, pro Deo, Cæsare & Imperio, hinc nobilitas, hinc gloria, hinc honor, hinc insignia, hinc majestas! hoc significant purpureæ trabes, purpurea vexilla, purpureæ palmæ, purpurea scuta, purpurei leones, purpureæ rupes, turres & similia. Sed ut porrò sic pergant, ideo pro strena offero purpureos funiculos charitatis ex ferculo Salomonis. Agite felices heroum animæ, his ornate funiculis gladios, cingite scuta, decorate vexilla, clypeos coronate. Vos autem Matronæ nobiles in signum veræ nobilitatis, iisdem ornare potestis comas, capillos, pileos & vestes. Atque ut hi vobis magis arrideant funiculi, ornavi aliquot carbunculis, sive guttis Sanguinis Christi, & duabus his notis, J. N. id est Jesus nobilissimus. *Cum tersulo Nobilissimo.*

Sed hem! alii mihi aurem vellicant, simile quoddam, nisi fallor, xenium præstolantes, illorum ergo votis respondeo. Cant. 4. v. 3. Sponsus laudat labia sponsæ, *sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Vatallus. *Labia tua similia sunt filo coccineo, sive sanguineo quodam rubore cum dignitate suffusa.* Unde alii labia comparare solent rosis, corallo, vel fragmini mali punici, benè ad literam, mystico autem sensu sponsam sponsus commendat propterea, quòd raro admodum verba faciat, atque adeo veluti funiculo clauserit labia; ubi verò loquendi fuit necessitas, locuta fuit tam suaviter, ut exclamarit sponsus, *eloquium tuum dulce, favus distillans labia tua.* Hunc purpureum de labiis sponsæ funiculum pro xenio offero Nobilibus & Clarissimis Dominis, Eminentissimi Principis nostri Consiliariis, Judicibus, Advocatis, &c. his omnibus suo tempore & tacendum est, & loquendum, cùm tacendum, poterunt labia sua hoc redimire funiculo; cùm loquendum, illa aperire, sed ut quæ dicunt sint velut purpura; id est, plena charitate, suavia, ut suis verbis, suis consiliis, sententiis, suffragiis, nemini *§. 12. Consiliar. &c. vittâ purpureâ labiorum sponsæ.*

ni sint detrimento, quem in finem, & ut funiculus hic sit formosior, intinxi eum sanguini Christi, & formavi hos characteres J. S. id est, Jesulus Sapientissimus. *Cum Iesulo Sapientiss.* Thesauros sapientiæ, qui in hoc Puero latent, dum offero pro strena, & quidem cum cœlesti purpura in funiculo charitatis, pretiosius donum offerre non possum. Atque hoc contentos vos esse dum video, liberalitatem meam spiritualibus ad alios quoque converto.

§ 13. *Senatorib. purpureũ funiculũ ex torque Danielis.* Danielis 5. v. 7. ait Balthasar ad Danielem, *Purpurâ vestieris, & torquem aureum circa collum tuum habebis*, per purpuram intelligunt Interpretes purpuream togam. Utinam mihi essent octodecim tales togæ purpureæ, & totidem aureæ catenæ, scilicet offerrem eas Senatoribus hujus urbis universas. Sed quia pauperem me esse memini, aliud ex hoc loco occurrit. Fortè per purpuram intelligitur purpureus funiculus, qui aureo torqui alligatus fuit, aureus nummus, in quo imago Balthasaris conspiciebatur, certè id hodie moris est, per purpureum ergo hunc funiculum intelligo rursum charitatem, & illam offero urbis hujus Senatoribus. Sciant funiculum hunc esse non contemnendum, nam præterquam quòd ex auro sit, charitatem quoque designat, virtutum omnium reginam, & in qua post prudentiam senatoria dignitas fundatur, hinc & binas hasce literas adjectas volui, J. A. ut Jesulum Aureum, aureo charitatis funiculo, primo omnium fuisse insignitum intelligant. *Cum Iesulo Aureo.*

§. 14. *Conjugat. funiculos purpureos,* Sed perquam commodè aureæ charitatis facta est mentio, quæ me monet status conjugalis, quem non sine nota hisce meis in strenis possum præterire. Exodi 2. v. 23. invenio pulchrum funiculum. Deorsum verò ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies, ex hyacintho & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinabulis, ex fimbria togæ pendebant aurea poma & aureæ campanulæ, alligatæ autem erant coccineis funiculis, veluti rosulis ad majorem venustatem. *qui malogranata & campanulas alligarunt fimbria vestis Sacerdotalis.* Omnia hæc: poma punica, campanulæ, ex auro funiculi, charitatis & unionis sunt symbolum, proinde hunc funiculum purpureum offero conjugatis. Animus, voluntas, os, lingua, in illis veluti aurea cymbala debent edere suavem concentum, & harmoniam concordiæ. Maritus debet esse malum punicum, vicissim & conjux, hoc fiet, si eorum corda purpureo funiculo fuerint colligata; nulla inter eos debet animorum intercedere dissensio, nullum dissidium, nulla discordia. Nam ad quid esset hic noster purpureus charitatis funiculus, quo cor cordi, animam animæ, amori amorem colligari oportet. Certè quam maritus offert conjugi, non sit alia quàm cor, vicissim conjux cor offerat, ego addo purpureum funiculum, quo unienda sunt; & quidem purpureum ob guttas sanguinis hodie effusi, formosum autem ob tres literas, J. A. C. id est, Jesus est Amator Concordiæ & Castitatis conjugalis. *Cum Iesulo Amatore Concordiæ.*

§. 15. *Viduis, funiculos ex veste purpurea Christi in Coronatione.* Quid verò nunc vobis mœstæ & afflictæ animæ, viduæ desolatæ, oppressæ, ludibrium mundi atque hominum? miseret me status vestri, miseret profectò conditionis iniquæ; nam quid vobis in hoc orbe miserius, quid abjectius, quid

quid tristius? Sed tamen macte animis, remittite nuntium mœrori, dolorem ponite, statuite modum tristitiæ, inveni siquidem & pro vobis funiculum purpureum Joan. 19. v. 2. *Veste purpurea circumdederunt eum.* Marc. 15. v. 17. *Induunt eum purpurâ*, probabile est, fuisse frustum aliquod ex antiquo rubro pallio, & si pictores non errant, ex illo abscinderunt frustum veluti fasciam, quâ circa collum & pectus Domini pallium illud colligarunt. Purpurea hæc vestis fuit regium paludamentum coronati Regis in regno dolorum. Ejus vittas pro strena offero vobis viduæ tristes & afflictæ, eja agite, & his vosmet exornate, in patientia & amore, in desideriis patiendi aliquid pro Christo; Scite vos sponso vestro JESU esse simillimas, præsertim si illas pingitis hodiernâ purpurâ, sive guttis sanguinis Christi. Ego pro solatio addam duos characteres, J. C. id est, Jesus Consolator.

Cum Iesulo Consolatore.

O vos felices, si hanc vobis bene auspicatam strenam charam gratamque suscipiatis, si illam non tam manibus, quàm animis crebrò versetis, si in illam oculos continuò defigatis, si inde consolationis vestræ materiam, fructumque in adversis desumatis. Nam Jesus est consolator, Jesus est, qui mœrorem abstergit, pellit nubes tristitiæ, dissipat nebulas afflictæ mentis. Jesus est, qui purpureo sui Sanguinis funiculo tangit animas, & sanat, conjungit quod erat distractum, quod erat perditum restituit, atque conservat. Hic vobis funiculus, O viduæ, hæc pars divinæ chlamydis, hoc frustum pallii, in quo fuit ludibrio omnium expositus JESUS, sit loco zonæ, sit loco togæ, sit loco paludamenti Regis, sit loco mundi muliebris, atque ornatus universus.

§. 16. *Virginibus funiculũ ex fasciculo myrrhæ.*

Venio ad funiculum, quem quæsivi pro Juventute & Virginibus. Cant. 1. v. 16. ait sponsa, *Fasciculus dilectus meus mihi.* Orig. hom. 2. in Cant. legit, *Alligamentum* (scilicet in meo pectore supra ubera, veluti pulchra gemma, vel aliud ornamentum, vel fasciculus florum) *Dilectus meus mihi.* Sic ego explico, flores, & odoratæ herbæ, quos sibi mutuò mittunt amantes, plerumque rubris filis solent connecti, & alligari pectori. Idem fecit sponsa, flores, quos in horto cum sponso collegit, purpureâ vittâ colligavit, eoque fasciculo pectus adornavit. Hunc funiculum, quia similiter notat unionem, & amorem, offero virginibus & adolescentibus, ut illo filia virginitatis, candidas rosas puritatis, rubras verecundiæ violas, modestiæ aliasque operum bonorum, & virtutum odoratas herbas connectant in fasciculum, & sponso JESU offerant. Ornabit hic sponsus Sanguinum eundem purpurâ sui Sanguinis, & ego pro ornatu addo tres literas, J. S. V. id est Jesus Sponsus Virginum.

Cum Iesulo Sponso Virginũ.

§. 17. *Peccatoribus, fun. purp. suspensum ex fenestra Raab in Iericho.*

Sed heus, an etiam hodie peccatoribus suus erit honos? an & strena aliqua pro illis suppetit? nisi fortè illos tanquam Dei inimicos à diei solennitate, & spirituali munerum acceptatione excludimus? minimè verò, nam quid eos aversemur si nec ipse Jesus rejiciendos judicabit; eos potissimùm, qui vel bis-

hisce feriis pœnitentiam egerunt, vel jam, dum hæc dico, ad illam suscipiendam, seriam cogitationem mentemque adjiciunt. Accedite itaque & vos, pœnitentes animæ, nam funiculum vobis offero coccineum.

De quo fit mentio Josue 6. v. 17. nimirum excidebatur Jericho, & unicæ domui Raab meretricis fuit parcitum. Tessera fuit coccineus funiculus, quem suspendit de fenestra, funiculus hic fuit figura Sanguinis Christi, hujus purpurâ tingite corda vestra, O pœnitentes peccatores, & justus Deus illius intuitu placabitur: transibit vindex, & iratus Angeli gladius. Huic vittæ, binæ inscriptæ sunt literæ, J. M. id est, Jesus Misericors.

Cum Iesulo Misericordissimo.

§. 18. *Electis, funiculum purpureũ ex cap 38. Gen.* Jam verò si peccatores nostri, vel potius nascentis Jesuli, non sumus dedignati, neque par erit, justorum piorumque memoriam deponere, Genes. 38. vers. 27. coccineus funiculus, quo obstetrix ligaverat manum Zaræ, illi fuit signum primogenituræ, & electionis in hæredem. Hunc funiculum, sed jam cœlesti purpurâ, sive Sanguine Christi tinctum offero omnibus piis & electis, certum est signum prædestinationis, timeant, qui illo ornati non sunt, pertinent ad numerum reprobatorum. In hoc funiculo tres formavi literas, unionibus pulcherrimis, J. C. E. id est, Jesus Caput, & Primogenitus omnium Electorum.

Cum Iesulo Capite Electorum


§. 19. *Morituris hoc anno, funiculũ purpureũ* Exhausta est prope nostra in funiculis inter vos dispertiendis liberalitas. Sed fallor! infinitæ sunt divitiæ JESULO meo, quamvis pauperrimo, & thesaurorum ejus non est numerus. Proinde & vos ad hanc invito strenam, quicunque hoc anno ex hac mortali vita decedetis, mortales. Vos ii estis, quibus ante alios, necessarius est ter felix annus, ter faustus, ter fortunatus. Ingressuri siquidem estis annos æternitatis, quæ ut vobis beata contingat, en ultimum offero donum funiculum coccineum, de quo Nahum cap. 2. vers. 3. *Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis.* Describitur exercitus qui devastavit Niniven; commendatur clypeus, & purpura; vel quod ornati purpureis baltheis, vel quod communis tessera & signum, quo se noscerent, fuerit vitta purpurea in clypeis. Per hunc exercitum intelligo Congregationem Christi agonizantis, hujus sodales sunt velut milites sub vexillo Crucis; tessera est quintuplex, coccineus funiculus, sive devotio erga quinque Vulnera Salvatoris, hunc offero omnibus hoc anno morituris, & rogo ut sint memores trium literarum J. S. A. id est Jesus Spes Agonizantium.

clypei fortium. c. 2. Nahum.

Cum Iesulo Spe Agonizantium.

Eja agite moribundi, sit vobis usus hujus funiculi salutaris. Scio, meditabitur in illo articulo cacodæmon, quibus vos laqueis abstrahat à via salutis, à vestro scopo, à Jesu Deo vestro. Vos autem nequaquam animis cadite, & ne ullum sit cadendi periculum, nunc ex hac hora, nunc inquam, alligate vos hoc funiculo Sanctissimi JESU morientis Vulneribus, ejus vel Sanctissimis pedibus, vel manibus, vel denique transfixo cordi. Quod si unus non sufficit funiculus, alligate vos tribus

Fide, Spe, & Charitate. Triplex hic funiculus difficilè rumpitur, non rumpetur, nec morbi doloribus, nec mundi astutiâ, nec carnis blanditiis, nec mortis terroribus, &c. Sed ita divino JESU cordi astrictos, in æterna Dei gaudia transscribet.



CONCIO LXII.

FESTO EPIPHANIÆ.

Vidimus stellam ejus in Oriente.

Matth. 2. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TRactat de luce, pulchritudine, & officiis stellæ, quæ Magos vocavit ad Præsepe Domini.

§. 1. *Descriptio stellæ ex sancto Augustino.*

§. 2. *In creatione mundi fuerunt tenebræ super faciem abyssi.*

§. 3. *Astronomia & Astrologia putant se numerare, cognoscere stellas, &c. ad conspectum hujus sideris obmutescunt.*

§. 4. *Quibus fides, & SS. Patres respondent.*

§. 5. *Sed condita est nova, ut Deus suaviter omnia disponeret.*

§. 6. *Quantus fuerit splendor hujus sideris ex SS. Patribus.*

§. 7. *Differentia inter hanc & alias stellas.*

§. 8. *Quis fuerit motor stellæ.*

§. 9. *Triplex ejusdem officium.*

§. 10. *Delectavit Magos.*

§. 11. *Esther fuit nova lux, potius beata Virgo.*

§. 12. *Prosopopœia loquentis stellæ, dum staret super stabulum.*

§. 13. *Admirationes Sanctorum Patrum.*

§. 14. *Præter lucem stellæ, Deus illuminavit intellectum Magorum, & movit voluntatem.*

§. 15. *Per quas stellas nos vocemur.*

§. 16. *Jesulus est pulcherrima stella. Aliquot pulchra symbola.*

Appa-

§. 1. *Descriptio stellæ ex S. August.*

APparitionem lucidissimæ stellæ, quæ tres Magos hodierna luce adduxit ad præsepe Parvuli de Bethleem, elegantibus omnino verbis, atque oratoriis hunc in modum describit S. Augustinus ser. 1. de Epiph. Domini. *Dum roseæ polum faces, & noctium fulgentia astra decurrunt, tunc insolitum repentè lumen natura extimuit, pavit subito stelliger axis, & astra tremula famulantur ad cunas; surgebat ab ima crepidine poli, ingens fomite vasto globus, vibrantes spargens radios; rarescunt fulgure alieno, stellarum ignes obtusi, & ut Christo plenum reddat obsequium, temperat gradum, donec Magos ducat ad Puerum, & ingrediatur parvum supplex gentilis hospitium.* Causam ortus addit: *Ne Deus in carne positus esset obscurus, servit cœlum.* Natus est nocte, natus est in antro, in spelunca, inter bestias, sed ne obscurus esset, nova oritur stella, quæ Reges & Dynastas mundi ducat ad vilia incunabula. O infantia, cui astra famulantur ad cunas! cujus est ista magnitudo supernæ gloriæ, ad cujus pannos Angeli excubant, & sidera obsecundant, & Reges trepidant, (coram quo Oriens decumbit) O beatum tugurium! O sedes Dei, secunda post cœlum! Mirabilis datus, & natus nobis est Puer. S. August. Ser 2. *In præsepio tunc jacebat, & Magos ab Oriente ducebat: Abscondebatur in stabulo, & agnoscebatur in cœlo; ut agnitus in cœlo, manifestaretur in stabulo.* Iterum Sanctus Augustinus ser. 11. de Epiphan. *Inter durissimi præsepis angustias, in quibus infinita Majestas stabulabatur, inter pios infantis tenerosq; vagitus, dum pendet ad ubera, & vilia patitur Deus involucra pannorum, repente hodie de cœlo, terra sidus illuxit, & totius mundi dissipata caligine noctem vertit in diem, ne dies celaretur in nocte; in stabulo, in præsepio, inter bestias, pastoribus natum Puerum cœlestis exercitus, Magis lucida stella demonstravit.*

Ob apparitionem pulcherrimi hujus sideris hodierna dies dicitur Epiphania, ἀπὸ τοῦ ἐπιφαίνειν, quod est, desuper apparere, quia desuper stellâ radiante, natus mundi Salvator, Magis illuxit. Nuntiavit hæc lux, depellendam à nato Infante caliginem impietatis, & diffusas toto orbe tenebras mox cessuras radianti sideri. Hujus itaque stellæ lucem, pulchritudinem & effectus, dum hac Concione latius explicare contendo, vos more vestro, aures atque animos, quin & oculos splendidissimo sideri tantisper advertite.

§. 2. *In creat. mundi fuerunt tenebræ super faciem abyssi.*

Mundum animatum, sive animas rationales, & præcipuè intellectum humanum, ante nativitatem Salvatoris, imaginor mihi veluti terram, qualem illam in prima rerum productione describit Moyses Gen. 1. v. 2. 3. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, dixit autem Deus, fiat lux, & facta est lux*, tum cœli ornati sunt sole, lunâ & stellis, tum terra produxit bestias & arbores, aër volucres, mare pisces, &c. post creatam lucem alia fuit mundi facies.

Sensu mystico, supra faciem totius mundi (si Palæstinam, sive electum populum excipias) erant tenebræ densissimæ, id est, ignorantia veri Numinis; o-

mnes

mnes gentes idololatriæ & errorum nocti insepultæ jacebant. Die, qua Salvator mundi in orbem natus fuit, vel nocte, qua Sol æternus veluti formosus sponsus è virgineo prodiit thalamo, in cœlo, inusitato & inaudito partu prodiit, stella, quæ lucidissimis radiis orbem, præsertim Orientem adeò illuminavit, ut Dynastæ & Reges, pulcherrimi sideris Dominum, sive verum Deum agnoverint, eumque in stabulo Bethlemitico inventum, supplices adorarint. Erigite oculos Auditores, suscipite, ut radiantem illam stellam nonnihil contemplemur.

§.3. Astronomia & Astrologia putant se numerare cognoscere stellas, &c ad conspectum hujus sideris obmutescunt.

Scio Astronomorum artem se jactare, quod numeret stellas cœli, quod illis nomina imponat; talis constellatio est cygnus, talis est ursa major, corona, lyra, sagitta, gallina, caput Medusæ, &c. Jactant se Astrologi, quod siderum motus observent, quod ortum obitumque demonstrent, quod virtutes occultas, insitosque influxus explicent. Verùm in conspectu hodierni sideris, infacunda, rudis, stupore plena ars illa obmutescit.

Variæ quæstiones de hac stella.

Etenim si potest, dicat: è qua materia aërea hæc tæda sic rutilavit? quis illam accendit? dum momento Nativitatis supra Bethleem in Judæa orta repentè ex Judæa in Orientem usque celeri motu ad advocandos Reges evolavit, dum ibi quievit, donec Magi ingrederentur iter: dum admirabili deinde motu illos in Bethleem usque præcessit, quis quæso per auras deportavit? quis quietem & moram, cùm opus fuit, induxit? num eam genius aliquis propulit, num aër protrusit, num movit se ipsam? num forte animata fuit? quid enim miran-dum magit, quàm quod in motu & quiete suis comitibus adeò se attemperarit, steterunt Reget, stetit illa, iverunt illi, ivit illa; festinarunt, festinavit stella; cùm Magi ascenderunt colles & montes, & illa altius sese extulit, cùm declinarent in valles, & illa sese depressius ferebat; cùm peterent hospitium, eidem quasi stella succedebat; inde certè priùs se non movit, quàm illi. Vicissim reges se accommodabant stellæ; cùm staret, stabant, properabant, cùm properaret, cùm quiesceret, quietem pariter & ipsi capessebant. Unde hæc vis huic sideri?

§.4. Quibus fides & SS. Patres respondent.

Astronomia respondere non potest, sed fides, & SS. Patres, qui Spiritûs S. lumine illustrati dicunt. 1. Materiam fuisse aëream, ex qua sicuti Angeli, pulcherrima sibi possunt efformare corpora; sicut ex illa fortassis formarunt igneam nubem & columnam, quæ Judæos deduxit per desertum, sicut fortassis ex aëre formabunt Crucem, quam Christo Judici præferent in valle Josaphat, cùm venerit ad judicandum, ita splendidissimam hanc stellam ex aëre produxerunt. Potuisset quidem Deus unam ex cœlestibus, sive fixis, sive errantibus stellis ad indicandum Christi ortum delegare, potuisset Numinis imperio stellatus advolare Cygnus: potuisset ex illo stellarum, ut sic loquar armamentario arcitenens lucidam vibrare sagittam, quid obstitisset? potuisset sertum illud Ariadnæum delabi; & lucida corona stellarum, neque fortassis fuisset incongruum, si in eadem pulchellus noster Jesulus apparuisset. Sed commodiùs novi sideris beneficio di-

gniusque

gniusque præstita sunt hæc omnia. Fateor si stellarum Conditori placuisset, dicere Cygno; Vola, volasset: si Cancero, rectos tene gradus, tenuisset. Si Coronæ, demitte te ad cunas, & totam Bethlemicæ plagæ regionem illustra; demisisset se, nullus dubito, & non illam duntaxat plagam, sed totam, si opus fuisset, Judæam, imò totum terrarum orbem novo lumine recreasset.

§. 5. *Sed condita est nova, ut Deus suaviter omnia disponeret.* Verùm commodius nova stella id fecit ex aëre formata, nam Deus suaviter omnia disponit; Origines l. contra Celsum. *Stellam novam fuisse arbitramur, nec ulli ex notis istis similem, quæ vel in firmamento sunt, vel in orbibus inferioribus, sed ejus generis, quales cometæ visuntur,* S. Aug. l. 2. contra Faust. c. 5. *Non ex illis erat hæc stellis, quæ ab initio creaturæ itinerum suorum ordinem sub Creatoris lege custodiunt, sed novo Virginis partu, novum sidus apparuit.* S. Damasc. l. 2. c. 7. *Sidus, quod Magis apparuit, non ex illis erat stellis, quæ ab ipso mundi ortu condita sunt: id quod ex eo liquidò percipitur, quod ea stella nunc ab ortu in occasum, nunc à Septentrione ad Austrum progrediebatur: nunc delitescebat, nunc sese rursum aperiebat: id quod à siderum ordine & natura discrepat.* Hæc de ortu stellæ.

§. 6. *Quantus fuerit splendor hujus sideris ex SS. Patribus.* 2. Splendorem quod attinet, dicunt SS. Patres fuisse longè pulcherrimum. Et primus quidem occurrit D. Leo ser. 1. *Tribus Magis stella nova claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris, pulchriorq; sideribus, in sese intuentium oculos converteret.* Nicep. ait l. 1. c. 13. *Novam Magi viderunt stellam, & insolitam ad terrã vergentem, & plurimum relucentem.* D. Chrysost. hom. 6. *Ipsos solis radios proprio quodam, præcipuoq; fulgore superabat: in tanto radiorum solis lumine, magis ipsa resplendens, quam lucendi, sole fulgente vim, nõ modo stella nulla, sed nec ipsa quidem luna sortita est.* Consentit Prud. hymno de Epip. *stella, quæ solis rotam vincit decore ac lumine.* Nec multùm abludit D. Ignat. ep. 14. ad Eph *stella in cœlo fulsit super omnes, quæ ante ipsam erant, & lux ejus inæstimabilis & nova, atque peregrina apparuit, videntibus eam, & facta est perturbatio, unde esset illa novitas, quæ apparuerat.* Non tamen ideo solem magnitudine superavit, sed illo & lunâ longè minor, sed quia à terra non longè distabat, magni fulgentissimique astri speciem præ se ferebat, nec solis radiis, ut aliæ stellæ, obscurabatur.

In multis itaq; à reliquis stellis diversa fuit; creatione, materia, loco, motu, fulgore, duratione, magnitudine. Aliæ stellæ creatæ sunt sex primis mundi diebus, hæc nocte Nativitatis; aliæ materiam habent cœlestem, hæc aëream; reliquæ in cœlo fulgent, hæc in aëre, illæ circularem servant motum, hæc rectum obtinuit, illæ noctu fulgent, hæc etiam interdiu, illæ perpetuæ sunt, hæc temporaria, illæ terram, lunamq; magnitudine superant, hæc minor fuit, sed quia terræ fuit propinquior, major apparuit, ingẽs corpus luminosum, ob similitudinẽ, dictum stella, sicut cometæ. Hęc de splendore, & aliis proprietatibus stellæ. §. 7. *Differentia inter hanc & alias stellas.*

Major est 3. de ejusdem motu difficultas, quam ut enodent SS. PP. in varias discedunt sententias. Aliqui enim ajunt, in specie lucidissimæ illius stellæ apparuisse Magis Spiritum S. prout in §. 8. *Quis fuerit motor stellæ.*

in specie ignis deinde descendit super Apostolos, & hunc fuisse motorem stellæ. Auctor operis de mirab. Script. t.3. S. August. l.3. c.40. *Sicut in igne Spiritus S. super Apostolos descendit, ita in specie stellæ, Magos ad Dominum adduxit.* Item. *Sicut in specie columbæ descendit super Dominum in Jordane; sic gentes, stellæ specie, duxit ad incunabula Domini.* Alii opinantur fuisse Angelum. Idem. *Quid repugnat, si hoc loco stella, Angelus dictus esse sentiatur? ista vice Angelus Dux Magorum efficitur, qui Astrologis in stellæ similitudinem transformatur.* Consentiunt Origines Hom. 21. in lib. Num. Hom. 6. in Matth. & clarè Euthymius: *Stella non naturam, sed figuram duntaxat habuit stellarum: & verè divina quædam inerat potentia, in hanc figuram transformata.* Clarius Theophylactus. *Ne talem putes stellam, quales videmus, sed divinam virtutem, & Angelicam in figura sideris apparentem.* Opinantur aliqui fuisse illum Angelum, qui felicissimam Messiæ Nativitatem annuntiavit Pastoribus. Sed arrident magis alii SS. Patres, qui dicunt primum fuisse contra dignitatem Spiritus S. alterum contra clara verba Sacræ Scripturæ, quæ ait. *Vidimus stellam* Stella itaque fuit, sed Angelus aliquis fuit motor, qui ab extrinseco illam movit, prout necesse & conveniens erat.

§ 9. Triplex ejusdem officium.

4. Officium, vel munus stellæ fuit triplex. 1. Manifestavit natum Salvatorem. 2. Delectavit Magos. 3. Direxit eos ad stabulum. Ob primum SS. PP. eximiis encomiis illam extollunt. S. Bernard. ser. 1. de Circumcis. *Absconditur in præsepio, sed proditur radiante stellâ de cælo.* D. Ambros. in c.2. Luc. *Ex utero Christus funditur, sed coruscat è cælo: terreno in diversorio jacet, sed cælesti lumine fulget.* S. Augustinus. *Quid erat ista stella? nisi magnifica cœli lingua, quæ Numinis gloriam narraret, quæ Virginis partum nuntiaret inusitato fulgore.* Pagninus. *Vides positam ante oculos Magorum stellam? sola illa inter stellas omnes per aerem insoluto incessit, sive ambulavit cursu, instar nuntii viam monstrantis ad natum Regem Judæorum.* S. Chrysostomus vocat *igneum tabellarium*, alii, *aureum cœli Oratorem.* Alii, *Bosphorum, vel auroram orientis Solis Justitiæ*: D. Maximus ser. 1. *Stella ista, velut quidam caligantis orbis oculus, mundi veterem novavit aspectum, eiq; natum solem manifestavit.* Cum in stabulo natus est Jesus tam formosus, tam speciosus in stola humanitatis suæ, par fuit, creari novum cœli oculum, qui illum spectaret, lucidus oculus fuit stella, nec Puerum solum aspexit, sed etiam gentibus manifestavit. Dicitur quoque hæc stella fax vel tæda, quam *cœli ephebus* Magis prætulit, ad inquirendum sponsum, in nocte gentilitatis, quia Reges sunt, ephebus nobilissimus, de nocte venientibus facem præferre jussus est. Iterum D. Maximus Hom. 4. de Epiph. *Cætera facta sunt stellæ, ut mundi istius tempora, cursusq; distinguerent; hæc verò prodire jussa est, ut ipsum mundi Dominum adesse ostenderet.* Manifestavit.

§.10. Delectavit Magos.

Eadem stella valde Magos oblectavit. Non dubito illos, cùm primùm exortum sidus nocte Nativitatis adverterunt, ingenti fuisse delibutos lætitiâ. Quo-

Quoties elevantes in itinere oculos illud suspexerunt, sine dubio gavisi sunt gaudio magno, præcipuè cum egredientibus Jerosolyma ex aula Herodis illud rursum conspexerunt. O piissimi Reges! adeo volupe vobis est hanc stellam intueri, quis jubilus erit in cordibus vestris, cum propediem Solem, cum lunam videbitis, sive Regem cum Regina, Filium cum Matre, JESUM cum Maria, quos quæritis, videbitis.

§.11. *Esther fuit nova lux, potius B. Virgo.* Esther 8. v. 15. *Judæis nova lux oriri visa est, & gaudium, & honor, & tripudium*, visâ hostium debellatrice muliere! & vos mulierem jamjam spectabitis, cujus Esther umbra tantùm fuit & figura, mulierem inquam, pulchram, ut lunam, electam ut Solem. Meritò jam nova vobis lux sese insinuat, ad lucem siquidem pergitis, imò ad lucis fontem & Oceanum, ad Parvulum de Bethleem, ad Virginem ejus Matrem. O si videre potuisset hæc lumina Abraham! O si illorum aspectu potuisset paululum frui Jacobus! O si David! quo putatis gaudio fuissent delibuti? quo deliciarum torrente perfusi? Sed non potuerunt illi, nisi in Spiritu, nisi in ænigmate, nisi in obscuro, & tenebris; vos autem pergite alacres, cum gaudio magno, quò vos stella ducit, pergite felices Magi, & oculos pascite vestros spectaculo omnium jucundissimo, Virginis nimirum Matris, & pueri Jesuli aspectu.

§.12. *Prosopopœia loquentis stellæ, dum staret super stabulum.* Officio suo demum stella satisfecit, cum aurato syrmate, prævolans casæ, sive stabuli culmen insedit, stetitque aurea quasi voce, & tuba proclamans; Ingredimini Reges, procumbite humi, aperite thesauros & gazas; ecce natum Regem Judæorum, ecce meum & vestrum Conditorem, ecce Deum, qui infantulus est, ecce infantulum, qui Deus est, hunc adorate, his tenebris abditur, qui mihi meam concessit lucem. Auctor operis imperf. *Stetit enim supra Caput* (Parvuli de Bethleem jacentis in stabulo) *quasi dicens, Hic est, ut quem loquendo monstrare non poterat, stando monstraret*, quasi dicens ex Psal. 2. v. 10. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, apprehendite disciplinam.* D. Hieronymus legit, *Deosculamini.*

§.13. *Admirationes SS. Patrum.* Dum pulcherrimam stellam stantem supra stabulum videre mihi videor, meritò exclamo cum sancto Augustino ser. 11. de Epiph. *O cœleste palatium, in quo habitat Rex, non gemmatus, sed incorruptus: cui erant pro mollibus toris, dura præsepia, pro laquearibus aureis, fumida culminum tecta, sed sideris obsequio decorata!* quem animum hic Regibus fuisse putatis Auditores? Sanctus Chrysostomus in opere imperfecto Homil. 2. *Nunquid viderunt palatium marmoribus splendidum? nunquid Matrem diademate coronatam? nunquid Puerum purpura involutum? nunquid aulam regiam diversis populis personantem? sed quid? pandochium tenebrosum & sordidum, animalibus magis, quàm hominibus aptum, quo nemo secedebat, nisi hospitio exclusus.* Et tamen Reges intrarunt, procubuerunt in genua,

adorarunt infantem, aperuerunt thesauros, clamante scilicet stella, Hic est, quem quæritis. Sed hæc materiam pro alia Concione suppeditant.

§. 14. *Præter lucem stellæ, Deus illuminavit intellectũ Magorum & movit voluntatem.*

Et hoc notandum occurrit. Non soli stellæ Magorum iter esse asscribendum, sed DEI auxilio, internâ scilicet illuminatione intellectus, & forti voluntatis motu fuisse opus. Divus Leo Sermone 1. de Epiphan. *Dedit aspicientibus intellectum, qui præstitit signum, & quod fecit intelligi, fecit inquiri.* Latè sanctus Augustinus sermone de Epiphania t. 10. *Sic intelligendum est, non per solam stellam, quamvis oculis suis, insolitâ, & inexperta luce fulgentem, Magos in Oriente potuisse cognoscere, quisnam esset significatione tanti sideris dignus, cujus testis ille fulgor existeret, quem tanta claritas nuntiaret, sed alia nimirum revelatione indicatum est divinitus, quod luce sideris tacitè signabatur. Non utique loquente ipso sidere, sed aliter intimatum est, qui descendisset de cælo, & jaceret in carne sub cælo.*

§. 15. *Per quas stellas nos vocamur.*

Ex quibus colligitur, in sensu mystico non deesse stellas, quibus & nos vocamur ad præsepe, stellæ sunt, claræ illuminationes intellectus, quibus illuminamur ut credamus, v. g. Puerum natum esse Filium DEI Salvatorem nostrum, &c. esse ditissimum, amabilissimum, &c. proinde amandum. Radii hujus stellæ sunt, quibus illustrati intelligimus JESULUM esse humillimum, pauperrimum, &c. proinde imitandum, &c. Radii quoque sunt pii voluntatis motus, quibus movemur, ut re ipsa ipsum amemus, adoremur, imitemur.

§. 16. *Iesulus est pulcherrima stella. Aliquot pulchra symbola.*

Antequam finiam, moneo, ipsum Parvulum de Bethleem, ipsum JESULUM esse pulcherrimam stellam. Et qualis stella? Inter symbola Claudii Paradini invenio auream nubem, in aurea nube fulgidissimam stellam, à stella, ab aurea nube, suavis decidit pluvia, cum hac Epigraphe: *Animis illabere nostris.* Cum Regibus hodie ingredimini stabulum, in illo hodie cernitis auream nubem, DEI Matrem! in ejus brachiis, & sinu, JESULUM veluti lucidissimam stellam, ab his decidunt aureæ guttæ gratiarum, quibus Reges irrigantur: Disponite corda vestra Auditores, ut & animis illabantur vestris, ut & vos perfundant, recreent, satient.

JESULUS stella est! & qualis stella? Anno 1315. Joannes Rex Galliæ instituit Ordinem Militarem. Insigne fuit stella, supra quam aurea videbatur corona, cum lemmate, *Monstrant Regibus astra viam*, talis stella est JESULUS, coronatus coronâ imperii super cœlum & terram, hæc stella viam nobis monstrat ad coronam gloriæ æternæ, sed & viam paupertatis, viam laboris, & patientiæ, viam Crucis. JESULUS stella est! sed qualis stella? In quarta triremi, quam cum Carolo Quinto contra Regnum Tunetanum duxit Andræas Doria, in malo radiabat stella cincta coronâ ex lucidissimis sagittis, cum hac inscriptione,

ptione, *lucent & feriunt.* Experti sunt tres Reges nostri; lucem nacti sunt à sidere, sed non sine vulnere; & vulnus nacti sunt, sed non sine luce. Lux amor est divinus, & vulnus, idem est amor. Lucent & feriunt cœlestes faces. Lucet, & ferit amantium corda, amabilissimus Puer.

JESULUS stella est! qualis stella? Cum malo navis binæ adhærescunt stellæ, signum sunt prosperæ navigationis, vocantur Castor & Pollux; cùm itaque in emblemate aliquo pinguntur, solet asscribi, *Prosper uterque mari.* Has stellas hodie reperiemus in stabulo, stella est MARIA, stella est JESULUS. O ter auspicata sidera! felix navigatio, felix iter, quod duces habet, ac comites has cœli stellas. Rectè profectò cecinit nonnemo. *Astra valete, astra salvete, jam mihi stabulum cœlum est, nam in stabulo clariores, quàm in firmamento video stellas coruscantes.*

Qualis stella est JESULUS? inter multa symbola, & hoc mihi placet. Pulchrum & candidissimum lilium, in quod stella suos radios infundit, cum his voculis: *Flori huic sidus amicum.* Advertite hoc puræ mentes, castæque animæ, vobis tanquam liliis propitium hoc est sidus; vobis tanquam cœli flosculis incumbit hoc astrum JESUS! gaudete, triumphate. Vos autem apagite immundi animi; lilia diligit, non sordes, stella JESUS. Cavete, detegit hujus astri claritas fucum vestrum coloratum, aperit immunditiem, expellit turpitudinem.

Denique teste Josepho, toto anno ante eversionem Jerosolymæ, visus est cometa, in illo igneus gladius; epigraphen Paradinus apposuit: *Ventura desuper urbi, subaudi, denuntiat.* Cavete impii, talis quoque stella est JESULUS, piis sidus amicum, impiis cometes, fax portentosa; Ventura nuntiat orbi, & vobis propediem calamitatem, venturam Dei hominis iram, venturam sceleris ultricem Nemesin, venturam malorum omnium iliadem, nisi JESUM diligatis.



CONCIO LXIII.

FESTO PURIFICATIONIS B. VIRGINIS.

Lumen ad revelationem Gentium.

Luc. 2. v. 32.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MAria est lumen pulcherrimum, Serenissima lux, splendidissimum astrum.

§.1. *Encomia Simeonis.*
§.2. *Hodiernum festum vocatur festum luminum.*
§.3. *Laus, honor, cultus, qui exhibetur Beata Virgini, fundatus est in Scriptura.*
§.4. *Prosecutio.*
§.5. *Prosecutio.*
§.6. *Qualis lux sit Maria, ex S. Epiphanio.*
§.7. *Ex sensu Ecclesiæ.*
§.8. *Pulcher locus ex Ps. 22.*
§.9. *B. Virgo est candelabrum aureum.*
§.10. *Conglobata encomia SS. Patrum.*
§.11. *Maria est stella maris.*
§.12. *Mulier Apocalyptica visa à S. Joanne.*
§.13. *Encomia solis accomodata B. Virgini.*
§.14. *Symbolum Ducis Britanniæ.*
§.15. *Applicatio. In Maria sunt omnia.*
§.16. *Cur stelleâ sit redimita corona.*
§.17. *Extollendo Mariam nihil derogamus honori Christi.*
§.18. *Et nos oportet esse filios lucis, quod fiet, si imitemur virtutes B. Virginis.*

§.1. Encomia Simeonis.

SEnex Simeon, qui hodierna die in templo mundi Salvatorem, Parvulum excepit in ulnas, fuit Sacerdos veteris Testamenti, quem sanctus August. serm. 9. de Nat. Dom. vocat, *Senem famosum, probatum, & coronatum*, eximiis scilicet virtutibus. S. Lucas, *hominem justum & timoratum, & expectantem consolationem Israel.* Luc. 2. v. 25. Nicephorus l. 1. hist. cap. 12. scribit, Simeonem, cùm legeret sollicitè illud oraculum Isaiæ c. 7. v. 9. Ecce

Ecce Virgo concipiet, ab astante Angelo promissionem accepisse, eum non prius moriturum, quàm Virginem illam, & Emanuelem ex illa natum ulnis complexum vid ffet. S. Augustinus ser. 3. de verbis Ap. ait, Simeonem, multis precibus à Deo flagitasse adventum Christi, repetendo itentidem illum versum 8. Ps. 84. *Ostende nobis Domine faciem tuam, & salutare tuum da nobis*. Et in his desideriis accepisse responsum à Spiritu sancto, non visurum se prius mortem, quàm Christum D. Alii censent hunc Simeonem legis fuisse peritissimum, & doctissimum, ideoque ex Prophetis cognovisse, Virginem quandam futuram ex Sanguine Davidico, quæ huic mundo gigneret Salvatorem. Hoc proinde ardentissimis desideriis petebat, ut ante mortem conspicaretur hanc Virginem, & hunc mundi Salvatorem. Hodie in templo voti factus est compos. Cum Maria filiolum intulit templo, ut secundùm legem primogenitum suum sisteret Domino, etiam Simeon à Spiritu sancto motus venit in templum, & illico aperti sunt oculi ejus, & corporis, & cordis, ut agnoverit & crediderit, hunc Parvulum esse mundi Salvatorem, ideo accedit ad Mariam, accipit in ulnas, benedicit, & in lætissimas has voces cantando erumpit, *Nunc dimittis servum tuum in pace*. Luc. 2. v. 29.

§. 2. *Hodiernū festum vocatur festum luminum.*

Gloriosissimum scilicet nati Salvatoris elogium est, quòd sit lumen, sive, ut ipse de se ait, *lux mundi*. In honorem hujus luminis hodierna dies vocatur festum luminum, & meritò, quia est dies festus Jesu & Mariæ, qui sunt duo luminaria magna, in quorum memoriam in Ecclesiis hodie, & solennibus processionibus, piâ ceremoniâ, tot cerei accenduntur, ut in illorum lumine & luce memores simus pulcherrimæ lucis, quam Maria intulit huic mundo. Festis Natalitiis ostendi Parvulum de Bethleem fuisse puerum lucidissimum, pulchriorem sole & astris. Hodiernâ ergo festivitate in honorem Matris, ostendam, Mariam Dominam nostram esse pulcherrimam lucem, esse solem, esse lunam, esse stellam, facem, lampadem, lucernam, à qua utraque Ecclesia triumphans & militans pulcherrimis virtutum, gratiæ & gloriæ radiis admirabiliter illustratur.

§. 3. *Laus, honor, cultus qui exhibetur B. Virg. fundatus est in Script.*

Ex hodierno Evangelio clarissimum habemus argumentum contra adversarios fidei nostræ, qui nos rident, & improbant quod laudemus, veneremur, & prædicemus Mariam. De Simeone ait textus, cùm nimirum Joseph & Maria mirarentur super his, quæ ab ipso de Puero dicebantur, benedixit illis, & dixit ad Mariam. *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit*, v. 35. fecit hoc sine dubio Simeon ex motu Spiritus sancti, qui erat in eo. Audite adversarii, & nos hodie laudamus & benedicimus Mariam, ego qua voce possum, clamo, Magna, laudabilis, gloriosa est Virgo Maria! in Scriptura, in hodierno Evangelio, in verbo Dei claris verbis nobis dicitur, quod & Simeon vir justus, in quo erat Spiritus S. hoc fecerit, cur nos non similiter faciamus? Neque solus Simeon in sacris literis id fecit.

Luc. 1. v. 28. Venit de cœlo Archangelus Gabriel; & non tantùm demissè Virginem salutavit, sed etiam gloriosè bene-

benedixit Mariæ; *Benedicta tu in mulieribus*, & hoc jussu sanctissimæ Trinitatis, unde Evangelista ait, *Missus est Angelus Gabriel à Deo*, v. 26. Vel Angelus malè vel bene fecit benedicendo Mariam, & pronuntiando benedictam; dicere fecisse malè, est blasphemia; quia Gabriel fecit jussu sanctissimæ Triados; si fecit bene, & nos bene facimus.

§. 4. *Prosecutio* Eodem capite post conceptum in utero Dei Filium, surgit Maria, & abit in montana in domum Elisabeth, & hæc voce magna, statim exclamat benedicens Mariam, *benedicta tu inter mulieres*, v. 42. Certum est, Elisabetham hanc vocem non audivisse ab Angelo, sed Spiritus sanctus probabiliter inspiravit, prius enim ait S. Lucas, repletam illam fuisse Spiritu S. & tum cœpisse voce magna exclamare, *benedicta tu inter mulieres*. Cum itaque habeamus in Scriptura, Elisabetham laudasse, benedixisse Mariam, ejus exemplo & nos facimus, quod fecit Simeon motus à Spiritu sancto, quod fecit Gabriel jussu SS. Trinitatis, quod fecit Elisabetha repleta Spiritu S. & nos facimus: laudamus, benedicimus Mariam.

§. 5. *Prosecutio* Luc. 11. cùm jam Christus D. per Galilæam & Judæam miraculis clareret, & prædicaret, post ejectionem dæmonii muti, in media turba Spiritus S. solvit linguam cujusdam mulieris, quæ extollens vocē ait: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti*, v. 27. Sic Spiritus S. illam impulit, ut laudaret Christum, & per Mariam, quæ illum genuit. Idem omnino facimus, dum more Catholico cantamus in templis laudes magnæ Matris, dum illam cum S. Bernardo salutamus, cum illi millies dicimus, *Salve Regina*, dum nuncupamus Matrem misericordiæ, dum vitam nostram, spem & dulcedinem imploramus. Hoc est dicere cum Elisabetha, benedictam in mulieribus, hoc est cum muliere illa Evangelica proclamare beati ventris fructum beatissimum, hoc est cum Gabriele Archangelo gratiâ plenam extollere. Sed rident acatholici! rideant, quid tum? erit, cùm plorabunt aliquando, cùm risus abibit in planctum. Laudatur interim Virginum beatissima; *peccator videbit, & irascetur*, ait David, *dentibus suis fremet & tabescet*, extollitur interim, invocatur, benedicitur, salutatur; rumpatur licet serpens ille stygius, cujus caput premit, & conterit benedicta Virgo. Sibilate serpentes, sed quid proficient sibila vestra, quid venenum officiet Matri vitæ? ejicite virus, damnate hodierno in Evang. laudatum Simeonem, si potestis; dicite illum idololatram, si audetis, propterea quod suum erga Virginem affectum ostenderit, quod benedictam dixerit.

§. 6. *Qualis lux sit Maria ex S. Epiph.* Sed quo ego hodiernâ die elogio benedictam virginem præcipuè laudabo, in qua laudanda sunt omnia, hoc hodie festo luminum præ reliquis placet: lux est Maria! de qua S. Epiph. ser. de laudibus M. *O Virgo sanctissima, lucis æternæ Mater! lucis, inquam, quæ in cœlis illuminat corpus Angelicum! lucis, quæ illuminat ipsorum Seraphim incomprehensum oculum.* Hæc lux est increata Sapientia Patris, & Sapientia Incarnata; ejus Mater & Maria est ipsa lux, quæ illuminat

luminat Angelos; lux, à qua Seraphini irradiantur. *O Virgo! Mater lucis! quæ illuminat solem splendidis facibus! lucis, quæ illuminat fines terræ, ad credendum Trinitati! lucis, quæ dixit, Ego sum lux mundi, lucis, quæ dixit, ego lux veni in hunc mundum, &c.* Qualis filius, talis Mater, & ipsa lux, quæ illuminat solem splendidis radiis, &c. Radicem hujus elogii invenio Eccles. 24. v. 14. *Ab initio & ante sæcula creata sum,* item Prov. 8. v. 12. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum,* alii legunt, *creavit me,* monent bene Interpretes, id non esse intelligendum de Virgine, quasi in exordio mundi creata fuerit, cùm certum sit, illã multò pòst ortã fuisse; sed indicari illis verbis, quod ab initio mundi præfigurata fuerit sub symbolo lucis, cùm Deus dixit, *fiat lux!* sicut enim Deus ex prima illa luce materiali formavit corpus solare, ita deinde ex luce mystica, ex lucidissima Maria, Sol justitiæ processit Christus Jesus!

§. 7. *Ex sensu Ecclesiæ.* Lux est Maria! de qua canit Ecclesia; *Felix es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima, quia ex te ortus est Sol Justitiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, dedit nobis vitam sempiternam.* Terribilis hactenus fuit mors, nemo mori desideravit, hodierna die in conspectu horum luminum Jesu & Mariæ, mors adeo est confusa, ut Simeon mori desiderarit, ut lætus cecinerit, *Nunc dimittis, &c.* Luc. 2. v. 29. terribilis & tenebrosa via est, quam morituri ingrediemur ad tribunal Judicis, hanc viam ipse Christus Dominus vocavit horam & potestatem tenebrarum, enimverò tum maximè hominem circumdant tenebrarum infernalium Principes. Væ illi, cui non lucebit lux, quæ Jesus est! væ illi, cui obscuratum erit lumen, quod est Maria! bene illis, quibus lucebunt in illis tenebris hæc luminaria! Expertus fuit Simeon, cùm à Maria in ulnas suscepit Salvatorem mundi, cùm Parvulum, quem brachiis stringebat, oculis spectaret, non minus piis, quàm piè curiosis, cùm tacitus obstupesceret formam ejus divinam, vultumque supra humanum splendorem illustrem, enimverò tum gaudio deliniri per quam mirifico, tum beatum se credere, tum animo exultare, tum in vota, ac gemitus erumpere, tum dissolvi in lachrymas, tum in hos amoris sui, ac desiderii cœlestis affectus exsurgere, *Nunc dimittis, &c.* perinde ac si diceret, Jam non mortem timeo amplius, cùm Dominum mortis viderim; non me vitæ hujus mortalis morantur illecebræ, ex quo formam intueri cœlestem incepi; O felicem animam meam, nunc proficiscere in pace, valedic huic mundo, emigra ad Patres; & visum à te mundi Salvatorem illis annuntia. Lux JESU & Mariæ ademit illi timorem mortis, confudit mortem.

Videtur Regius Psaltes has luces à longè vidisse, cùm dixit Psal. 22. v. 4. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, & in lumine tuo videbimus lumen.* Hinc illa pia, & laudabilis Catholicorum ceremonia, ut morientes manu teneant accensũ cereũ, quo testentur, se mori in lumine fidei, in lumine Christi, & invocatione §. 8. *Pulcher locus ex Psalm. 22.*

tione Mariæ, quæ in tenebris & umbra mortis, suis clientibus est lucidissima Pharos. Benignos radios hujus lucis imploramus, quoties in Salve Regina clamamus, *Eja ergo Advocata nostra*, quoties suspiramus, *illos tuos misericordes oculos*, id est, illos soles, illas stellas, illas faces *ad nos converte*, quoties obsecramus, & *Jesum benedictum fructum ventris tui*, qui Sol est justitiæ, Malach. 4. v. 4. *nobis ostende*, ut per tenebras & umbram mortis securi ad te, & Filium tuum perveniamus. Felix est Virgo Maria, quia ex illa ortus est pulcherrimus Sol justitiæ; felix est, & omni laude dignissima, laudant illam Seraphim, dignissima est, laudant illam Cherubim, dignissima est, deprædicant illam throni, dignissima est, benedicunt illam Archangeli & Angeli, dignissima est, est Mater lucis æternæ, lucis, quæ totum corpus Angelicum illuminat. Felix est Maria, omni laude dignissima, laudant illam mundi Monarchæ, & Imperatores, dignissima est, laudant illam Reges, dignissima est, laudat illam Ecclesia militans, dignissima est, est lux morientium, quæ mortem confudit, lux est, quæ mortem dulcem facit.

§. 9. *B. V. est candelabrum aureum.* Lux est Maria, de qua S. Epiphanius serm. de laud. Virg. explicat illud Zach. 4. v. 2. *Ecce candelabrum aureum & facula super ipsum*: & exclamat: *O S. Virgo & Mater Christi Maria! quæ splendidam lucernam relucentem in cœlo & in terra, Christum gestasti. O candelabrum virgineum, quod illustravit tenebris involutos.* Pretiosissimum, sumptuosissimum, elegantissimum fuit templum Salomonis; sed hactenus adhuc involutum tenebris, & densâ nebulâ, hodie candelabrum aureum & virgineum, aurea Virgo Maria! & facula super illud, Jesulus in ulnis Matris, Jesus sol in ulnis auroræ, in brachiis Virginis illud illuminavit. *O candelabrum Virgineum* (pergit S. Epiph.) *repellens tenebras, & lucem splendere faciens. O candelabrum virgineum, quod ab altissimo throno accepit lucidum ignem, ignem inextinguibilem, consubstantialem, & ad illustrandam terram resplenduit. O candelabrum virgineum, de quo per Prophetam Deus inquit, illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo, per te ô sanctissima Virgo, excitata est notitia cœlestis, per te cognovimus unigenitum Filium Dei, quem sanctissima Virgo peperisti.* Lux est Maria, quæ nos illuminat, ut in Christum credamus.

§. 10. *Conglobata encomia SS. Patrum.* Lux est Maria! quam Blosius vocat, *lumen errantium.* S. Odilo, *Sidus inclytum, illustrans omne sæculum.* Idiota, *Lunam in nocte, auroram in diluculo, solem in die.* Cyrillus Alexand. *Lampadem inextinguibilem.* Epiphanius, *lampadem gestantem lucem inextinguibilem, Sole splendidiorem.* Ecbertus, *lampadem lucentissimam, cujus splendore inventa est drachma perdita.* Alcuinus, *O Virgo lampas luculentissima, quantos lætificasti, quando splendore Dei illustrata, desideratum illud lumen, quo inventa est drachma, sedentibus in tenebris & in umbra mortis protulisti.* S. Epiphanius. *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem adduxisti! stupendum enim est miraculum in cœlis; mulier amicta sole! stupendum miraculum in terris; mulier gestans lucem in ulnis.* Vide passim

apud

apud SS. Patres innumera encomia his affinia.

§.11. *Maria est stella maris.* Lux est Maria! ipsum nomen hoc evincit; Maria enim in Hebraica lingua idem est, quod *stella maris*, stellæ sunt pulcherrimum ornamentum cœlorum, Maria utriusque Ecclesiæ triumphantis & militantis summum decus est. Stellæ noctem illuminant, Maria lumen æternum effudit mundo, Dominum nostrũ Jesum Christum. Stellæ in præsentia solis, quasi disparent & evanescunt: B. V. licet, qui potens est, fecisset illi magna, tamen cùm Solem Justitiæ concepit in utero, adeo se obscuravit, ut dixerit, *Ecce ancilla Domini*, Luc. 1. v. 38. Stellæ sunt causa mutationis temporum, ita Maria veluti nova stella, antiqua tempora atque sæcula, felici vicissitudine immutavit, tempus obscurum in luminosum, infelix in felix, ferreum in aureum, triste in lætissimum. Stellæ sunt faces cœli. Maria fax est (Richardus à S. Laur.) *tota ignea & lucida per charitatem.* Majolus inquit. *Mirabile est stellarum motum explicare, & cursus velocissimam accelerationem; nam sagittas superant in suo motu, antevertunt vehementiam globorum, qui ab aneis tormentis igne immisso excluduntur, imò longissimè excedunt sua velocitate, etiam cœlestium fulgurum è nubibus emissum impetum.* Velocior tamen ad succurrendum est Maria!

Denique ut stella maris navigantibus, præcipuè in tempestatibus, summo est solatio, sic Maria illis, qui inter angustias, vel tentationum, vel tribulationum, vel mortis sunt comprehensi. S. Bernardus ser. 2. super Missus, *Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, invoca Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca, non discedat ab ore, non recedat à corde*, & vel maximè in hora mortis. Quamprimùm Simeon in templo lucidissimam hanc stellam conspexit, parum timuit tenebras, & angustias mortis, imò mori petiit, *Nunc dimittis, &c.* hanc gratiam, illuminationem hujus stellæ petimus in piissimo illo hymno. *Ave maris stella. Monstra te esse Matrem, iter para tutum, ut videntes Jesum semper collætemur.* Nimis diu me detinet amabilis obtutus pulcherrimæ stellæ!

Lux est Maria! sive Mulier, quam S. Joannes in Apoc. cap. 12. v. 1. vidit amictam sole, & lunam sub pedibus ejus, in capite coronam stellarum duodecim. Sole amicta est Maria! imò Sol est! Anaximander solem vocavit *machinam cavam plenam ignibus*, talis machina fuit virgineus uterus Deo plenus. Chassanæus solem dixit *oculum ætheris, pupillam cœli* Oculus ætheris, etiam empyrei, pupilla cœli, Sol est Maria. Coelius Rhodiginus solem nuncupavit *Cor cœli*, cor universi, cor amabilissimum, sol amabilissimus est amabilissima Maria! sol inter omnia astra est maximus: inter omnes creaturas, in cœlo & in terra, maxima & gloriosissima est Maria! §.12. *Mulier Apocalyptica visa à S. Ioanne.*

Richardus à sancto Laurentio l. 12. de laud. Mariæ, tres literas S.O.L. considerans, ait, ex illis nomen solis esse compositum, ad significandam solis admirabilem liberalitatem, & munificentiam, §.13. *Encomia solis accommodata B. Virg.*

centiam, qui omnibus omnia ſua donat, Sol, quaſi ſua omnibus largiens, claritatem, ſplendorem, calorem; clarificando, illuminando, calefaciendo. liberalior longè & munificentior eſt Maria! complectitur veluti Sol ſplendorem, lucem, & calorem, & eaſdem qualitates ſalutari, & liberaliſſimo influxu largitur, lucidiſſimus, liberaliſſimus Sol, eſt lucidiſſima, liberaliſſima Maria. Solem immenſum hodie donavit Simeoni. *Sol ſplendore reliqua omnia ſidera ſuperat, & excellit: ſic Maria* (verba ſunt Petri Dam. ſerm. de Aſſ. B. Virg.) *in illa inacceſſibili luce perlucens, ſic utrorumque Spirituum hebetat dignitatem, ut in comparatione Virginis, nec poſſint, nec debeant apparere.* S. Bernardinus Serm. 61. art. 2. c. 3. t. 1. *tantum differt gloria Virginis à gloria aliorum Beatorum, quantum Sol à cæteris luminaribus cœli, & ſicut cætera luminaria decorantur à Sole, ſic tota cœleſtis curia à gloria Virginis lætificatur & decoratur.*

§. 14. *Symbolii Ducis Britann.* Omnes in luce, in gratia, & gloria ſuperat Maria. Huc facit, quod refert Laurentius Thalabonius, quòd olim nobiles in Anglia certamen quoddam ludicrum indixerunt. Habebat quiſque ſuo in clypeo depictos eleganti penicillo flores, hic Roſam, ille Lilium, alius Heliotropium, alii alios flores, prout ſuus cuique genius dictabat. Aderat inter reliquos Dux Britanniæ, qui cùm omnes gloriâ vellet præcellere, non florem ſuo in clypeo pingi curavit, ſed florum faſciculum, in quo flores aliorum univerſi, quàm elegantiſſimè depicti cernerentur, cum hac epigrapha, *In me omnia*, q. d. quas alii ſuis in floribus extollunt virtutes, iis ego glorior, apprimè inſtructus univerſis.

§. 15. *Applicatio. In Maria ſunt omnia.* Verius hæc de B. Virg. dixerimus Auditores; Magna fuit gloria Patriarcharum, at major Mariæ, illuſtris dignitas Apoſtolorum, illuſtrior Mariæ, &c. pulchra eſt lux lunæ, pulchrior Mariæ; venuſti radii Veneris, venuſtior Maria, &c. flos omnium longè venuſtiſſimus, Sol pulcherrimus Maria! Denique Ægyptii pinxerunt ſolem in forma lucidæ aquilæ circumvolitantis orbem, talis aquila, talis Sol eſt Maria. *B. V. lucida aquila.* Sed cur lunam calcat pedibus, & non ſphæram vel Jovis, vel Martis, vel Mercurii, lunam habet pro ſcabello, ut feſtinantior ſit ad opitulandum, abiit in montana cum feſtinatione, luna enim inter omnes planetas eſt velociſſima. Lunam habet ſub pedibus, quia non tantùm juſtis lucet in die & meridie gratiarum, ſed etiam nocte in tenebris peccatorum; luna inter planetas nobis eſt viciniſſima, vicinior per opitulationem Maria. *Cur lunã habeat ſub pedib.* Lunam habet ſub pedibus, quia eſt luna plena, plena gratiâ, plena rore cœleſti, ut ſuper nos, dum lunam calcant, ſtillent & decidant guttæ gratiarum.

§. 16. *Cur ſtelleâ ſit redimita coronâ.* Sed cur ſtelleâ, non gemmeâ, non aureâ coronâ redimita fuit lucidiſſima hæc mulier? juxta illud Pſalm. 20. v. 4. *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo*, & illud cap. 45. verſ. 14. Eccleſiaſt. *Corona aurea ſuper caput ejus*, Ideo, quia ſtellæ lucent magis, Mariæ autem veluti magnæ Matri Solis, & lucis æternæ, veluti Reginæ corona debetur

tur lucidissima. S. Bernard. serm. super *Missus. Signum magnum*, &c. *Dignum planè stellis coronari caput, quod & ipsis longè clariùs micans, ornet potius, quàm ornetur ab ipsis, prout enim creaturarum omnium, sic solis, lunæ, stellarum, siderum omnium decus, & venustas est Maria.*

§. 17. *Extollendo Mariã nihil derogamus honori Christi.* Sed ut initio Concionis adversarios monui, nos meritò benedicere Mariam; sic rursum moneo, non derogare nos, ut putant, honori CHRISTI Salvatoris, & Soli Justitiæ, dum Mariam pulcherrimæ luci, Soli, lunæ, & stellis comparamus. Nos Catholici credimus Christum esse, quem Simeon *lumen ad revelationem gentium* appellavit: Credimus esse illum, de quo Joannes dixit cap. 1. v. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Credimus illum verè de se dixisse, *Ego sum lux mundi.* Sed considerate, quid fiat in luminaribus cœli. Nocte, cùm cœlum serenum, suspicite quæso, & videte illud pulcherrimum mare stellarum, quam radiant astrorum sidera, sed nullum à se, sed per lucem à sole communicatam, omnes stellæ lucem suam habent à sole, non tamen eandem, differt stella à stella in claritate. Omnes stellæ, & luna, & planetæ lucem suam mutuantur à sole, sed tamen incomparabiliter plus lucis est in sole, quàm in stellis. Præter lucem, habent quoque sidera suum influxum, & operationem in sublunaria; radicaliter tamen ille influxus & operatio est à Sole, per stellas veluti instrumenta communicata. His positis, quis injuriam facit Soli, cùm laudat lunam, & stellas, ob claritatem, ob lucem, ob influxus salutares? pari ratione nihil nos derogamus Christo, cùm Matrem laudamus, cum vocamus auroram, stellam, lunam, Solem, quia omnis splendor à Christo est, ipse est lumen, quod lucet ad revelationem gentium, & gloriam plebis Israël; ab illo, per illud lucent reliqua sidera omnia, etiam pulcherrimus Sol, Maria!

§. 18. *Et nos oportet esse filios lucis, quod fiet, si imitemur virtutes B. V.* Ut finiam, & meos Auditores moneo, cum Christo Salvatore Matth. 5. vers. 14. *& vos estis lux mundi, non accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, sic luceat lux vestra.* Moneo cum eodem Salvatore, Luc. 12. vers. 35. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis.* Jussu Christi D. tota vita nostra debet esse dies, & festum luminum, donec introducamur ad nuptias Agni. Moneo cum S Paulo ad Ephes. 5. v 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem* (& quidem hodierno festo, in præsentia Jesu & Mariæ, duorum magnorum luminatium) *lux in Domino, Ut filii lucis* (ut filii magnæ Matris) *ambulate.* 1. ad Thess. 5. v. 5. *Vos* (clientes Mariæ, filii auroræ, sive Matris pulchræ dilectionis) *non estis in tenebris, omnes enim vos filii lucis estis & diei, non noctis neque tenebrarum*, ad Rom. 13. v. 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarũ, & induamur arma lucis*, mox subjungit, *Induimini Dominum nostrum Jesum Christum*, qui

hunc ſequitur, non ambulat in tenebris,ſed habebit lumen vitæ. Idem dico de B.V. Induite arma lucis, induimini veſtitu deaurato magnæ Reginæ, ornate vos radiis lucis virtutum; qui ſequitur hanc lucem, qui ſequitur Mariam, non ambulat in tenebris. S.Bonav.in ſpec.v. c.3.O Maria! *Tu virtutum tibi indutarum magnificis exemplis noctem noſtram illuminans; qui enim vias tuas inſecutus fuerit, non ambulat in tenebris.* Obſcurum nihil eſt, ubi lux radiat virginea, ubi mentes noſtras illuſtrat Maria. Imitemur Mariæ virtutes, imitemur obediendi ſtudium, imitemur charitatem in Deum,amorem in proximum, benevolentiam in omnes, qui enim viam Virginis ſecutus fuerit, non ambulat in tenebris. Imitemur Mariam,& fugabuntur tenebræ,nox diſſipabitur, ſqualor recedet, evaneſcet anxietas mortis; imitari Mariam eſt clariſſimâ, quà corporis,quà animi luce perfundi. Hæc lux, lucidiſſima Virgo,ſplendidiſſima ſtella, candidiſſima luna, aurea, & amabilis aurora, dulciſſima Cynoſura, per tenebras,& umbram mortis,nos tandem ad lumen vitæ,& gloriæ æternæ, perducet feliciter.



CONCIO LXIV.

FESTO SANCTI MATTHIÆ APOSTOLI.

Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à Sapientibus, & Prudentibus.

Matth. 11. v. 25.

Synopsis Concionis.

PRoponit aliquot ſigna æternæ, & beatæ Prædeſtinationis.

§.1. *Breviter agit de myſterio Prædeſtinationis.*

§.2. *Prædeſtinatio ex S.Bernardo eſt myſterium magnæ anxietatis.*

§.3. *Timor Sanctæ Catharinæ Senenſis.*

§.4. *Hoc myſterium multis fuit ſcopulus naufragii.*

§.5. Deus

§.5. *Deus dat gloriam propter merita.*
§.6. *Christus D. non est causa reprobationis.*
§.7. *Salutem hominis non operatur solus Deus, neque solus homo, sed uterque.*
§.8. *Ernestum Landtgravium Hassiæ pulchrè instruxit Medicus.*
§.9. *Cum Minerva prius manum move.*
§.10. *Quatuor stem magnam conciliant Prædestinationis.*
§.11. *Misericordia Jesu major est, quàm malitia peccatoris.*
§.13. *Fortis est Christi misericordia, non facilè frangitur.*
§.13. *Allocutio pia ad peccatores.*

§. 1. *Breviter agit de mysterio Prædestinationis.*

FRequentissimè Regius Psaltes in Psalmis repetit notissimum illum versum, *Mirabilia opera tua Domine.* Opus omnium admirabilissimum tangit hodiernum Evangelium, mysterium scilicet Prædestinationis, sive electionis hominis ad gloriam, vel reprobationis ad æternam damnationem, sive, ut hic v. g. homo sit vas electionis, hic verò ignominiæ. De hoc mysterio cum Christo D. in hodierno Evangelio dicere possumus, & debemus, nisi blasphemi esse velimus, Dominus est cœli & terræ, quod placitum fuit in oculis ejus, hoc fecit, quis contradicet? hoc est illud mysterium, quod Deus abscondit etiam prudentibus & sapientibus, imò Seraphinis. Liber Prædestinationis clausus est signaculis septem, quem nemo aperire potest, nisi agnus. Proinde nemo curiosus indagator inquirat, cur hic salvabitur, hic verò damnabitur.

Omnes ferè Apostoli in Passione graviter peccarunt, & scandalum passi sunt in Christo; præcipuè Judas & Petrus: hic negando, ille nefariâ proditione vendendo. Sed cur Petrus scelus suum agnovit, & amarè deflevit? cur deinde præ reliquis à Christo D. electus fuit, ut esset caput Ecclesiæ? Judas verò cur desperavit? cur æternis addictus est suppliciis? & in hod. Evangelio, dum in locum Judæ substituendus fuit alius, cur sors cecidit super Matthiam, non Barsabam? in his & similibus quæstionibus aliud respondere non possumus, quàm ex Evangelio, *Confiteor tibi Pater, &c.* Occasione hujus electionis S. Matthiæ ad Apostolatum & gloriam, præsenti Concione agam de mysterio Prædestinationis, non scholasticè, sed moraliter, id est, aliqua de abscondito hoc mysterio proponam, quæ movere nos possint, ut cum metu, & tremore salutem nostram operemur, ad Philip. 2. v. 12. Non tamen solum timorem intendo, sed potius amorem & fiduciam in Christum Dominum, quæ binæ virtutes optimum sunt medium beatæ prædestinationis.

§. 2. *Prædestinatio ex S. Bern. est mysteriũ magnæ anxietatis*

In pulchro discursu de mysterio prædestinationis trium meminit S. Bernardus ser. 1. de quadrag. 1. Esse mysterium magnæ anxietatis, 2. non esse sapientis illud valde curiosè scrutari, 3. posuisse Deum certa signa vel prædestinationis, vel reprobationis; electis ad solatium, reprobis ad terrorem. Primum quod attinet, cui unquam in cor hæc ascendit cogitatio, erone æternum salvus, vel damnatus, qui non toto corde tremat? Psalm.

Psalm. 76. v. 5. ait David, *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus.* D. Hieronymus legit, *stupebam.* Felix. *Deliquium animi passus sum,* ipse illud describit variis phrasibus, v.g. *aruit tanquam testa virtus mea, incurvata sunt genua mea, circumdederunt me dolores mortis, &c.* Causam stuporis, vel deliquii mox subdit, *Cogitavi dies antiquos,* (id est, præterita scelera mea) *& annos æternos in mente habui,* & fortè in æternum me projiciet Deus, & non timeam? non stupeam toto corde & corpore?

§. 3. *Timor S. Catharinæ Sen.*

S. Catharina Senensis dicere solebat; *cur non amarissimè fleam, cum non certò sciam, an æternæ salutis sim compos futura.* Quæso Auditores, imminent feriæ & festa Bacchi, quibus Diabolus, Caro, Mundus, mali socii, ad comessationes, lascivias, voluptates, illecebras, atque alia ejus generis scelera vos invitabunt; quæso, si salutem vestram amatis, ut amare debetis, includite vos in cubiculo, vel in templo coram venerabili Sacramento, vel ad Crucifixi pedes abjicite unicum hunc versum, animo, cogitationibusque, sed seriis, volvite, Projicietne fortassis justus Deus me miserum à facie sua, in ignes æternos? certus sum, peribit in cordibus vestris amor mudi, non offendetis Deum, sed gaudium vestrum erit his feriis confiteri, deliciæ erunt frequentare templa, instare precibus, ad S. Synaxin accedere, obtestari clementiam Dei, & per sacrosanctum ejus sanguinem beatam olim æternitatem precari. Ad quem finem minima Societas Jesu Orationem quadraginta horarum instituit, ut dum plurimi graviter Deum offendunt, alii ad divinæ Majestatis gloriam se totos dent operibus devotionis, & præcipuè meditationi Passionis, & mortis Christi Jesu. Itaq; bonum est sæpe cum metu, tremore, & anxietate hanc cogitationem volvere. Erone ex illo felici salvandorum, an ex maledicto damnatorum numero? dicat quivis cum S. Catharina, *Cur non amarissimè fleam, &c.*

Digressio ad devot. 40. horar. in templis Societatis.

§. 4. *Hoc mysterium multis fuit scopulus naufragii.*

Quoad alterum, sine dubio periculosum est, illud mysterium curiosius sine profunda reverentia & submissione velle perscrutari. Calvinus cum omnibus suis asseclis, & hæresiarchæ innumeri in hoc mari naufragium fecerunt. Scrutator gloriæ obruetur ab illa. Commiserat se alto hujus mysterii magnus gentium Doctor ad Rom. 11. v. 32. 33. *Nunquid Deus repulit populum suum, sic ergo, & in hoc tempore reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, vide bonitatem & severitatem Dei*, sed vela mox contrahens portum repetit. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus! & investigabiles viæ ejus, quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* ideò ille suadet, *Noli altum sapere, sed time*, sufficiat modò hæc paucula de 2. puncto discursus S. Bernardi.

§. 5. *Deus dat gloriam propter merita.*

Quoad tertium, hanc maximam, & regulam longè certissimam, in mysterio hoc altum nobis exprimere debemus, Electis Deum dare gloriam propter bona opera & merita, reprobos verò æternis adjudicari suppliciis, propter peccata & demerita. *Perpende,* inquit S. Chrysostomus, *duos illos geminos Jacobum & Esau*

Esau, exemplum prædestinatorum, & reproborum, negari non potest, quin Deus libera voluntate elegerit alterum, alterum rejecerit: sed perpendite ulterius, qualis uterque fuerit. Jacobus obediens matri, filius Rebeccæ acquievit ejus consiliis, induit se vestimentis fragrantissimis, verbo, omnia fecit cum cura & sollicitudine, quibus Patris benedictionem obtinere se posse putabat, & ecce eam obtinuit. Esau homo fuit truculentus, & profanus ad Hebr. 12. vers. 16. *qui propter unam escam vendidit primogenita*, Eadem planè ratione, vult Deus omnes salvos fieri, omnibus offert benedictionem & hæreditatem, imò dat media necessaria. Sed sunt aliqui Jacobi, alii Esau: ideo illi salvantur, hi damnantur.

§. 6. *Christus D. non est causa reprobationis.*

Bene observandum est, Christum judicem in extremo die judicii, non dicturum, *discedite maledicti*, Matth. 25. v. 41. quia non elegi vos, quia non prædestinavi vos, quia nomina vestra non sunt inscripta libro vitæ; sed *quia esurivi, & non dedisti mihi manducare, &c.* quia fuistis superbi, avari, luxuriosi, &c. ideo *discedite in ignem æternum.* Sic 1. Paral. 10. 13. dicitur de impio Saule, *mortuus est ergo Saul* (tam miserè scilicet) *propter iniquitates suas, eò quod prævaricatus sit mandatum Domini, & non custodierit illud, propter quod interfecit eum, & transtulit regnum.* S. Basil. de Pharaone t. 1. *Nunquam Deus Pharaonem morti tradidit, donec ipse præcipitem se dedit.* Rubrum, igneum, terribile, igneum mare est infernus: sed bonus Jesus neminem eò deturbat; imò nemini non vulneratam offert dexteram, ut eripiamur. Peccatores obstinati se ipsos dant præcipites, & ruunt in illam æternæ calamitatis voraginem!

§. 7. *Salutem hominis non operatur solus Deus, nec solus homo, sed uterque.*

Itaque salutem, vel damnationem hominis non operatur solus Deus, neque solus homo, sed uterq;. S. Augustinus l. 1. de Prædest. & gratia c. 15. *Qui creavit te, ô adulte, sine te non justificabit, nec salvabit te, sine te.* Ibidem. *Vasis ira nunquam Deus redderet interitum, si non spontaneum invenirentur habere peccatum.* Proinde pessimus est error Calvinistarum dicentium, Deus prævidit me, vel salvandum, vel damnandum; quod prævidit, fiet, quomodocunque homo vivat, sed malè, ut mox patebit.

§. 8. *Ernestum Landgr. Hassiæ pulchrè instruxit Medicus.*

Narrat Bzovius ad an. Christi 1227. illo eodem errore imbutum fuisse Ludovicum Landgravium Hassiæ, is enim monitus ut certa scelera emendaret, in responsis dabat, *Deus scit me vel salvandum, vel damnandum; quod scit, hoc fiet, quidquid ego fecero.* Medicus tandem hunc ejus errorem correxit feliciter; dùm enim in morbo medicinam avidè expeteret, dixit ille; *Domine mi, quid opus est? vel sanaberis, vel morieris, & hoc Deus scit, & alterutrum fiet. Nequaquam,* respondit Princeps, *erras, salus & sanitas sæpe pendent à medicina. Et eodem modo*, reponit medicus, *salus æterna pendet à bonis operibus*, agnovit Princeps suum errorem. Ut bene dicat P. Cornelius, *pendet tam reprobatio, quàm prædestinatio ex prævisione cooperationis futuræ cum gratia, cooperatio verò à libero nostro arbitrio, cooperemur gratiæ strenuè, pugnemus & coronabimur.*

§ 9. *Minervâ prius manum move.* Rem pulchro ex paradigmate cognoscite; Iturus olim quispiam ad agonem, Minervam supplex rogavit, consuluitque, an victoriam esset reportaturus, nec ne. Audit, se reportaturum. Ergo hac spe fretus alacer in arenam descendit, adversarium expectat serena fronte; armis quidem instructus, sed non animo confligendi. Adest interim antagonista, arma expedit, ictum intentat, quem alter quietis manibus, tanquam palmæ jam certus stolidissimè sustinet, nulla sui habita corporis defensione, atque adeò lethali plagâ affectus humum prosternitur. Hic verò ille clamare, *Minerva*, O *Minerva!* hic ingemiscere, hic vulnus, doloremque & præsens vitæ discrimen animadvertere, sed responsum illi è nubibus, ut ajunt, allabitur! *Cum Minerva manum move, dii facientes adjuvant.* En tibi palæstritam sanè egregium! en peritum scilicet athletam! nimirum talis est Lutherus aliquis qui omnibus promissum cœli gloriam, stentoria voce deprædicat; solo nos fidei scuto tutos & armatos incedere, nullâ aliâ virtutum panopliâ tectos, nullo bonorum operum præsidio munitos. O stolidum caput! nimirum sic brevi temporis intervallo devictos nos in suam potestatem abducent jurati humani generis hostes; sic de nobis victoriam nullo pœne negotio peractam canet mundus, caro, luxuria, gula, diabolus, infernus. Miseros nos esse necesse est, si absque ullo conflictu nos cum hoste non contemnendo in prælium committimus, hinc animæ vulnera, hinc interitus, hinc desperatio, hinc infelicitas æterna, stultissime Luthere, si salvus fieri volebas; per bona opera, salutem tuam, & vocationem certam facere oportuisset.

§. 10. *Quatuor spem magnam conciliant prædestinationis.* His positis, quatuor præcipuè sunt, quæ in timore, & anxietate ob mysterium prædestinationis solari nos possunt, & spem magnam salutis ingenerare. 1. Cave peccatum mortale; vel si, quod Deus avertat, ex imbecillitate in illud labaris, ocyus, ocyus illud excute, & lachrymis cordis contriti maculam tam sordidam & abominandam elue in Sacramento Pœnitentiæ. Verissimè Ludovicus Granatensis: *Reprobationis mihi signum certum videtur, facilitas lethaliter peccandi sine dolore*, & S. Gregorius in cap. 5. Job. *Reproborum est proprium, semper prava agere, & nunquam quæ egerint, retractare.* Alterum est, Exerce te in bonis operibus, Auctor operis imperfecti in Matth. hom. 16. *Bona opera sunt, quæ sperare faciunt, & mala opera desperare compellunt, aurea & brevi gnome, hæc duo, aureum dictum inclusit.* Abstine à malo, & fac bonum, spem tibi olim adjiciet, habitus erga res Deo sacras animi affectus, illum ergo nunc fove, spem tibi faciet, exercita in pauperes liberalitas; nunc, dum potes, ejus spei occasionem tibi ipsi subministra. Confidentiam afferet, atque solatium, jejuniis macerasse corpus; nunc id age, nunc crebris carnem tuam exerce pœnitentiis. Bona opera sunt, quæ sperare faciunt.

1. *Non labi in peccata mortalia.*

2. *Exercere se in bonis operibus.*

3. *Petere gratiam perseverantiæ.* 3. Tertium signum, vel solatium suggerit Cardin. Bellarminus l. 2. de gemitu columbæ c. 11 Oportet frequenter ex toto corde, & non sine gemitu inenarrabili petere à Deo gratiam perseverandi

di in gratia, sive felicem horam mortis, hinc enim prædestinatio ad gloriam dependet, illam autem impetrare debemus per orationem. S. Augustinus in Psalm. 65, *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me, cùm videris ergo, non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est amota à te misericordia ejus.* Quisquis ferventer, frequenter, ex corde, à Jesu Crucifixo, per ejus mortem, Vulnera, & maximè ultimam in trihorio Crucis agoniam, perque dolores afflictissimæ Matris, felicem petit mortem, bono sit animo, neque nimium anxius, aut timidus in negotio prædestinationis. S. Ambros. l. 1. de Pœn. c. 4. *Expectat Dominus Jesus gemitus nostros, sed temporales, ut remittat perpetuos, expectat lachrymas nostras, ut profundat pietatem suam.* Vide igitur mi homo, ut ne ejus spem atque expectationem frustreris Hodie expectat Jesus, hac hora, imo hoc momento; quid differs? quin ejus desideriis jam respondes statim? quis scit ân crastina etiam luce sit expectaturus. Certè in neminem culpam conferre meritò poteris, nisi in tuam unius negligentiam, cave, ne expectantem nunc Dominum, deque tua salute sollicitum, Iudas, despicias, contemnas, potius vigila, & ora.

4. *Amare Christum Salvatorem.*

4. Denique ama Christum Salvatorem tuum, & in eundem spera, hæ duæ virtutes sunt duo certissima signa prædestinationis, alibi deduco, modo tantùm moneo, fiduciam in Christo, nobis præcipuè peccatoribus esse planè necessariam, præcipua enim causa, quæ in hoc profundissimo mysterio nos timidos & sollicitos tenet, oritur à commissis peccatis, verùm quæcunque, & qualiacunque illa sint, si pœnitentiam egerimus, non timeamus. Misericordia JESU non tam facilè ab illis infringitur.

§. 11. *Misericordia Iesu major est, quàm malitia peccatoris.*

Utor hoc verbo ob pulcherrimum mysterium ex cruenta passione Salvatoris, quo concionem hanc finiam. Moritur Christus Dominus in cruce, inter duos latrones, num omnes tres expirassent, lictores, & crucifixores, ob durantes adhuc tenebras, oculis advertere non potuerunt, applicant ergo scalas, ascendunt, & viventium adhuc latronum crura fregerunt. Videor mihi videre tertium per scalas ascendentem ad corpus JESU, & curiosè inspicientem, sollicitè tangentem & explorantem membra Crucifixi, an vitam adhuc protrahat. Verùm cùm advertit jam expirasse, descendit, neque fracta sunt ejus crura, Joannis 19. v. 33. *Ad Iesum autem cùm venissent, & viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.* Sic voluit cœlestis Pater ad repræsentationem pulcherrimi mysterii, quod in benedictis his cruribus latet.

§. 12. *Fortis est Christi Misericordia, non facilè frangitur.*

Antequam illud eruam, mementote versus 15. c. 5. Cant. *Crura ejus columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Vult sponsa dicere, pedes & crura Christi esse fortissima, veluti columnas ex marmore, fundata in aurea basi Misericordiæ. Jam mysterium advertitis. Misericordia JESU, quæ per pedes repræsentatur, est instar columnæ, quæ frangi non potest In bajulatione Crucis, Jesus Filius Dei, qui est Misericordia nostra, sub Cruce potuit inclinari à pon-

pondere peccatorum, dum aliquoties in terram corruit, sed frangi non potuit, nec frangi potest, quàm diu tempus est gratiæ. Eja ergo animæ piæ, quid timetis æternam damnationem? major est misericordia JESU, quàm tua sit iniquitas. Quid ais? projecit me forsan à facie sua? quid si enim non projecisset? in tua sanè potestate situm est, projici, vel assumi, reprobari, vel eligi, salvari æternùm, vel condemnari. Procul, procul ab animis vestris ista sit cogitatio injucunda, difficilis, plena periculis, angustiis, desperatione.

§. 13. *Allocutio pia ad peccatores* Quid? peccata vos vestra gravant? gravent licet, premantque; sed non opprimen t, si seriam de iis agitis pœnitentiam; si ea fugiatis inposterum, si contriti cordis signa præstetis, eja, ad Crucifixi sanctissima Vulnera, ad sacratissimos pedes, ad salutiferas manus, ad benedictum & apertum Salvatoris vestri latus accurrite. Clamate ex contrito corde *Peccavimus?* nil interest, eja iterum ad Crucifixum, ecce pedes! licèt vulnerati sint, integri tamen sunt, sunt solidæ columnæ insuperabilis Misericordiæ; his omnia scelera imponite; sunt simul altare gratiarum, in quo ardet flamma infiniti amoris, in hac conflagrabunt, si vultis uno momento. Lugete peccata, flete, amate JESUM! fidite ejus bonitati, & misericordiæ, & de reliquo bene de salute vestra, bene de felicitate sempiterna, bene de prædestinatione ad cœlum, cœlestesque delicias confidite.



CONCIO LXV.

FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS.

Missus est Angelus Gabriel à Deo.

Lucæ 1. v. 26.

Synopsis Concionis.

AGit de Archangelo Gabriele, Legato ad Beatam Virginem.

§. 1. *De Sanctitate Sacelli Lauretani, in quo contigit Incarnatio.*

§. 2. *Propositio. Ex plurimis circumstantiis hujus Mysterii hac Concio*

§. 1. *De sanctitate Sacelli Lauretani, in quo contigit Incarnatio.*

PErmittite mihi Auditores, ut hodierno suavissimo Festo, quo apertis ~~& ruptis~~ nubibus, post tot vota & desideria, melliflui facti sunt cœli, vos illis alloquar Sancti Bernardi verbis Homilia 2. super *Missus est. Accurrite, adite virginalem thalamum, ingredimini si potestis pudicum sororis nostræ cubiculum. Ecce enim Deus mittit ad Virginem, ecce affatur Angelus Mariam. Apponite aurem parieti, auscultate quid nuntiet ei, si fortè audiatis unde consolemini.* Verùm ubi inveniemus Virginalem illum thalamum? ubi pudicum illud Virginis, sororis, Matris nostræ cubiculum? ubi illam aulam, & domum, in qua hodierno die Virgo concepit Filium Dei?

Parietes, & lapides quod attinet, Nazaretica illa domuncula, in præsens tempus, tot annorum centuriis perseverat, visitur, & colitur Laureti in Italia, me certè quod attinet, fateor liberè, variis in locis Divæ Virgini sacris, & thaumaturgis in Germania, in Belgio, in Gallia, in Hispania, in Italia, locum aliquem tam pium & celebrem nusquam reperi, in quo illos animi motus, illos suavitatis affectus, illam teneram devotionem senserim, prout (non ob meam dispositionem, quæ in diuturnis illis itineribus sæpe perquam solet esse exigua, sed solâ Dei & Virginis gratiâ) in hac domuncula sensi & percepi. Memini cum delectatione animi, quàm teneræ, præter omnem spem, ex oculis defluxerint lachrymæ.

Utinam mihi, utinam vobis, statim, hâc horâ, hoc momento, per unam aut alteram liceret Deo agere gratias, pro tam eximio beneficio Incarnationis, laudare sanctissimam Trinitatem, aggratulari Virgini, gaudere, jubilare. Si voto meo fieret satis, si essemus Laureti, repeterem verba Sancti Bernardi, ***Accurrite, adite virginalem thalamum, &c.***

§ 2. *Propositio. Ex pluri-mis cir-*

Quod corporibus præstare non possumus, faciemus oculis, & auribus mentis. De ipso mysterio, tempore Ad-

 ventus

cumst antiis huius Myst. Hæc Concio aget de Archangelo Gabriele.

ventus in meis Concionibus soleo disserere. Modo cœlestem illum legatum, illum divinissimi oratorem hymenæi, illum dilectum à Deo, delectumque ad tanta mysteria Genium, illum divinæ interpretem voluntatis, illum optatissimum nostræ felicitatis Nuntium vobis proponam Gabrielem. Age fortitudo Dei Gabriel, tuo responde nomini, & mihi eam dicendi vim, fortitudinemq; ministra, ut dignè, & tuas, & Virginis, ad quam amandavit te SS. Trinitas, laudes atque encomia, nec sine spirituali Auditorum meorum solatio, atque emolumento complectar.

§. 3. *In qua forma venerit.*

Missus est Gabriel Angelus. Formam quod attinet, qua Virgini apparuit, cogitare debemus venisse in virgineum cubiculum in specie venustissimi juvenis, prout pingi solet, amœnâ facie, aureis indutus vestibus, coronato capite gemmis, vel floribus vel stellis; cum pulcherrimis alis & ramo Olivæ in læva, vel dexterâ, in signum felicissimi nuntii, quod afferebat. Non displicent mihi pictores, qui plures alios cœlestes genios appingunt, Gabrielis, veluti primarii legati pedissequos. Peculiaris est opinio Alberti M. hunc Gabrielem fuisse unum ex istis Angelis, qui Genesis 18. v. 24. Sodomam ignibus subverterunt. Quod si ita esset, nemo tamen vestrum terreatur propterea; ad B.V. venit non cum ignibus, sed ut dixi, sceptro & oliva pacis. Probabilior est sententia, hunc Gabrielelem fuisse Angelum Custodem B. V. unde D. Hieronymus illum vocat, *Virginalis cubiculi Ianitorem*, ideoque præ aliis ad munus hoc à sanctissima Triade electum. Luc. 2. v. 9. dicitur de Angelis, qui pastoribus nuntiarunt Nativitatem Christi, *Claritas Dei circumfulsit illos*; in tali claritate, inter tales radios amabili luce puto in conspectu Virginis stetisse Arch. Gabrielem, & mecum ita sentit Laurent. Just. *Insoluto fulgore vestitus Angelus in humana effigie descendit ad Virginem in Nazareth.*

§. 4. *Causa ob quas Deus Angelum misit ex SS. Pat.*

Causas, ob quas Deus in hoc negotio sæculorum, in mysterio Incarnationis, & ejus potissimum executione, Angelo fuit usus, invenio varias apud SS. Patres. Inter illos ait S. Fulgentius Ser. de duplici Christi Nativ. *Venit ad Evam diabolus, ut vitam malignus auferret; venit ad Mariam Gabriel, ut vitam reddendam hominibus nuntiaret*, & Ser. de laud. Mariæ. *Quoniam diabolus* (Angelus malus) *per serpentem Eva locutus est, per Eva aures mundo intulit mortem. Deus per Angelum* (bonum) *ad Mariam detulit Verbum, & cunctis sæculis vitam effudit*, S. Chrysolog. serm. 142. *Agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina, ut nostra perditionis initio, conveniens nostra reparationis principium responderet.* Eleganter ut solet. S. Bernardus serm. de Pent. *Missus est coluber tortuosus à diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius posterioris originem; Missus est quoque Angelus à Deo, ut Verbum Patris per aurem Virginis in mentem & ventrem eructaret, ut eâdem viâ intraret antitodum, quâ venenum intraverat.*

Hæc quoque causa placuit S. Bernardo Ser. de Ass. *Bene Angelus ad Virginem mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas.* Et ser. de ejus Nativ.

Quid

Quid ni Angelum videas, O Virgo, cùm jam angelicè vivas? quid ni visitet Angelus vitæ sociam?

Prosecutio

Hanc eruit S. Hieronymus ex voce Gabriel, idem enim est, quod fortitudo Dei; in lingua Hebraica Gabriel significat *Magnum*, Magnus enim Dominus est, à quo mittitur, Deus est, Magnus est, cujus Adventum annuntiat, Filius Altissimi, Magna est, ad quam mittitur, Maria est, futura Mater Dei, quæ de se ait, *Fecit mihi magna, qui potens est*, Luc. 1.v.49. Magnum est mysterium, quod annuntiat. Magnus quoque debuit esse legatus, qui à Deo mittitur, in negotio tam magno, dixerunt ideo aliqui, Gabrielem esse aliquem Angelum ex supremis Seraphinis. D. Greg. *Summum Angelum venire dignum erat, quia summum omnium nuntiabat.*

§. 5. Prosecutio & Cultores B. V. debent esse Angeli.

Ex causa, quam invenio apud Hugonem Cardinalem in c. 1. Lucæ, utilissimam nobis conabor eruere doctrinam, & perfectissimum modum, vel auream praxin colendi semper, sed potissimum hodierno festo, & per octavam, Beatissimam Virginem Dei Genitricem, sic ait: *Si vis ergo* (& tu) *ad Virginem ingredi, eam salutare, oportet te esse Angelum. Angelum autem faciunt potissimè puritas, charitas, humilitas.* Sic discurro ex hoc loco: Angelica salutatio, vel Rosarium, vel aliæ preces ad B. Virginem, sunt quasi corona ex rosis & liliis, quâ coronamus augustissimum pulcherrimæ Reginæ caput. Angelicis manibus, id est, corde puro, mundo corpore, virgineis affectibus, Virgineo capiti imponenda est corona virginalis. Archangelus Gabriel Angelicis manibus prætulit ramum Olivæ; hunc præferamus & nos.

Manus tuæ, mi cliens Mariane, labia tua sunt, quæ legunt has Angelicas rosas, Manus tuæ affectus sunt, qui funiculis aureis complectuntur hos flores. Manus tuæ opera tua bona sunt, quæ in honorem magnæ Matris, ac Virginis peragis. Sunt tuæ cogitationes de puritate, sunt desideria virtutum, sunt castæ mentis suspiria? Angelus es, dic cum Gabriele audacter, Ave Maria. Sic perge, perge inquam gratificari magnæ Virgini, perge pro ejus capite, per verba Angelicæ Salutationis, rosas connectere, & lilia.

§. 6. Invectiva in impuros.

Quid verò de multorum dicam aliorum manibus impuris? quid de impuris labiis? de affectibus, votis, desideriis, cogitationibus turpibus, inhonestis, obscœnis, execrandis? plenæ sunt hæ manus sordibus, plenæ luto, plenæ immunditiâ, & tamen has tractant rosas? O pudor! Conclave Virginis thronus est, hortus est, paradisus est; & hunc thronum, hunc hortulum, hunc deliciarum paradisum lutulentis intrabis pedibus? serpens tortuosus? non huic patet locus, sed Angelis. Salutatis Virginem verbis quidem Angelicis, sed heu, nec estis, nec esse desideratis! Gemmeum est monile Angelica salutatio, sed non nisi manibus Angelicis, castis, ac puris appendendum virgineo pectori. Ah si qui hic estis purissimæ Virginis amatores, dicite quæso frequenter cum Gabriele, *Ave*, dicite cum Angelo, *gratiâ plena*, exclamate cum legato cœlesti, *Dominus tecum*, nominate illam cum cœlesti paranympho, *Benedictam inter mu-*

mulieres, quot verba funditis, tot Virginem gemmis ornatis. Sed si tamen manibus puris atque Angelicis, si mundo corde, si sanctis cogitationibus, si purâ & illibatâ fiat conscientiâ. Quot in angelica salutatione pronuntiamus voculas, tot figimus oscula Virgini, sed labia oportet esse Angelica.

§. 7. Prosecutio Debeo quoque hunc discursum Richardo à S. Laurent. l. 1. de laud. V. c. 8. *Quod dignè salutare tantam Virginem non quilibet sit dignus, ostendit Dominus cùm ad eam salutandam non nisi Angelum misit: per hoc evidenter ostendens, quod qui salutationem suam ab ea desiderat acceptari, Angelicam vitam debet imitari.* Quinam potissimùm digni non sint, ut B. V. salutent, facilè ex vitiis advertere potestis, à quibus Angeli maximè abhorrent. Non est dignus luxuriosus, non est dignus superbus, non dignus, qui ob venenum odii potius est serpens, quàm Angelus, Hom. 25. ex 50. dixit S. Augustinus, *Laudari à malè viventibus nolo, abhorreo, detestor*, verissimum hoc de B. V. non amat salutari pura ab impuro. Usitatissimum est, ut in necessitatibus confugiamus ad sinum & pallium B. V. veluti asylum misericordiæ, sed bene monet Richardus à S. Laur. *Necesse tibi est ad hoc, quod possis abscondi sub pallio, id est, sub latitudine misericordiæ ejus, ut sis parvus in oculis tuis, per humilitatem: non turgidus per elationem; ut sis mundus per castitatem; ut sis misericors per dilectionem & compassionem, alioquin apud misericordiæ Matrem refugium non habebis.*

§. 8. Concl. ve B. V. est Præsertim verò purissima Virgo detestatur libidini deditos: hodierno inprimis festo, quo purissimum Incarnationis mysterium in virginali utero peractum est. Citatus auctor l. 2. de lau. V. *Quantò ipsa est purior, magis fœtet ei luxuriosus, proinde debent esse mundi & immaculati servi, & laudatores Mariæ, ipsa enim est hortus conclusus, & fons signatus. Nec intrandum est in hortum floridum, & deliciosum pedibus luculentis, nec aqua purissimi fontis sordidis est manibus haurienda*, & Dion. Carthus. Ser. 5. de Conc. V. *Ut purissimæ Virgini complaceamus, omni carnalitati, fœditati, impuritati renuntiemus; atque quotidie magis ac magis mundi, casti, ac spirituales esse nitamur. Similitudo namque est causa amoris, & ratio complacendi.* S. Joann. Damasc. Orat. de dormit. *Curemus ut mentem, memoriamq; nostram Genitricis Dei promptuarium efficiamus:* quo autem id assequemur? Et Virgo ipsa est, & Virginum amans; pura & purorum amans, quoniam si & corporis, & animi castitatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur. Siquidem lutum omne fugit, ac cœnosas affectiones aversatur, ingluviem execratur, fœdissimæ fornicationis vitiis infesta est, iræ rumorem odio habet, &c. Vitium denique omne, tanquam lethale venenum execratur. Horum autem contrariis delectatur. Hoc ipsum est illud, quod modo contendo, Angelos esse oportere purissimæ Virginis cultores; cujus quidem rei non ineleganter reperio figuram sacris in literis: quam antequam declarem, in memoriam vobis revoco, elogium quo S. Petrus Damianus Hom. in Nat. V. eam extollit, hodierno festo perquam accommodum.

thronus, est hortus conclusus.

Hodie

§.9. *B. V. est scala cœlestis.* Hodie, inquit, nata est Regina mundi, fenestra cœli, janua paradisi, (advertite quod sequitur) scala cœlestis, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit (in utero Virginis *factus homo*) *& qui homo, qui prostratus jacebat, ad superna exaltatus ascendit.* Simili modo loquitur S. August. serm. 15. de temp. *Facta est Maria scala cœlestis per quam Christus descendit ad terras*, pulcherrimè S. Fulgentius de laud. Mariæ, hodie. *Facta est Maria fenestra cœli, quia per ipsam Deus verum fudit seculis lumen*, (per ipsam hodie mundum ingressus est Sol Justitiæ) *facta est Maria scala cœlestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines mereantur ascendere ad cœlos.* Jam venio ad figuram.

§.10. *Prosecutio* Cap. 28. v. 12. Gen. Vidit Jacob in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam. Scala illa mystica figura fuit, vel sanctissimæ Crucis, vel B. Virginis, per utramque ad cœlos ascendere possumus; sed advertite, Angeli simus necesse est, id est, puri, mundi, humiles, charitate ferventes. Dejiciuntur ab his scalis impuri, non tolerantur gradum promovere superbi, avari divites repelluntur, denique impuri impuræ Veneris clientes ex his Angelicis scalis præcipitantur.

§.11. *Visio mirabilis Leonis socii S. Frācisci.* Jucundissimum aliquando spectaculum objecit DEUS oculis Leonis, qui unus erat ex sociis Seraphici Sancti Francisci. In magna planitie binas vidit scalas è summo cœlo in terram usque demissas, altera candidi erat coloris, altera purpurei: Purpureæ vidit incumbere Christum, vultu severo, torva fronte, oculis fulgurantibus, & qualis esse solet irati judicis. Candidæ autem innitebatur tota amabilis, gratiosa, humana, fronte, vultu, atque oculis Virgo. Non mihi modo serviunt reliqua, quæ in hac historia fusè narrantur. Interim & mea hæc est sententia, hoc sacro tempore purpurea scala est sanctissima Crux Christi Jesu Sanguine purpurata, per hanc gradus sunt Fides in Christum, Spes, Charitas, Contritio, &c. per hos gradus vi meritorum Christi ascendere possumus ad cœlum. Bonus Jesus non iis tantùm incumbit, sed sanguineis brachiis, & manibus omnes ad hanc scalam salutis invitat. Si nihilominus quis timet, si nihilominus timeat iratum vultum Judicis, si in hanc cruentam scalam pedem non audet attollere, eo quòd vidit Leo illâ multos præcipitari. Ecce alteram candidam, ecce Matrem Misericordiæ; per hanc ad alteram, ad cœlum facilis est enitendi modus, ac ratio, sed Angelis, sed puris, sed castis. Hoc in scala Jacob ascendentes Angeli nos docent. *Christus D. scala Iustitiæ B. V. scala misericordiæ.*

§.12. *Quare David invitando creaturas ad laudē Creatoris, primo loco posuerit Angelos.* Necdum à mystica hac scala discedere possum. Et oratio, sive elevatio mentis in Deum scala vocari solet, itaque Rosarium v. g. est rosea scala, per quam ad thronum Virginis evolare licet, cùm volumus; sed iterum Angelos nos esse oportet. Id quod Regius Psalt. insinuat Ps. 102. v. 1. ait enim: *Benedicite Domino omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino*, sed prius ad hanc laudem evocavit

cavit Angelos.v.20. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus*. Psalm.158.v.3.9. invitat solem, lunam, stellas, cœlos, aquas, terram, dracones, abyssos, ignem, grandinem, nivem, glaciem, Spiritus procellarum, montes, colles, ligna fructifera, cedros, serpentes, volucres, Reges, populos, juvenes, Virgines, senes cum junioribus; Et quis mihi prohibebit, quo minus apetiam vobis cor meum, Audit. ut videatis intima desideria.

Dum Lauretanam domum, in qua hodie Filius Dei factus est homo; oculis meis propono in circuitu astare mihi videor solem, lunam, stellas, planetas, montes, valles, &c. ut laudent Dei Matrem. Inspicite cor me .i, hoc desiderio, ut similiter Dei Matrem magno jubilo, & lætis vocibus salutetis cum Angelo, *Ave gratiâ plena, &c.* Luc.1. v.28. Sed iterum moneo, Regium Psaltem, dum ad divinas laudes omnes creaturas convocavit, primo loco invitasse Angelos, *Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus, ut* (inquit Agellius) *doceret Angelis debere esse persimilem, qui DEI laudibus vacat.*

§.13. *Creaturæ applaudunt Virgini, duces sunt Angeli.*

Repeto, quod antè insinuavi; hodierno die, momento, quo B. V. obumbratione Spiritus S. concepit Filium Altissimi, facta est Mater Dei, Regina cœli, & terræ, tota laudabilis, & gloriosa. Equidem existimo, stellas cœli supra domum Nazarethicam, eo quo potuêre modo plus tamen solito, laudasse Deum, novamque DEI parentem. Sed chorum duxit Gabriel. Sôl novo lumine illustris terram recreaverit; sed cum Gabriele, fuerit argenteis suis radiis eâ nocte speciosior luna, sed cum Angelo; planetæ cœperint contra naturam, atq; indolem celerius moveri, sed cum Gabriele. Reliquus stellarum exercitus novo se lumine coruscantem spectaverit, sed cum Angelo; Angelum habuere ductorom, Angelum motorem, Angelum socium, Angelum exemplar, usque adeo Angelicum esse oportere Virgini obsequium, omnes creaturæ, & Regius Psaltes, per illas significare voluerunt. Idem vos facite Auditores, si unquam Deo debemus laudes, benedictiones, actiones, hodie profectò debebimus pro tam admirabili beneficio Incarnationis. Sed Archangelus Gabriel docet, nos Angelis debere esse similes, id est, puros, castos, humiles, ardentes, &c. Si quidem eo, quo par est, modo, Dei, & magnæ Matris laudibus vacare volumus. Hæc inquam, nos docet magnus Gabriel, sequitur in cit. meo themate ex Evang. *Missus est ad Virginem*, v.27.

§.14. *Cur electa Virgo in Matrem.*

Dum Angelicum hoc nomen auditis, ne cogitetis me modo velle afferre in medium excellentias Virginum, quarum Regina est Beatissima Virgo. Nec arbitremini me hac Concione velle vos memores reddere eximii, & inauditi privilegii, quo Virgo hodierno die facta est Mater Dei, & tamen Virgo simul permansit. Sunt hæ Virginis prærogativæ & excellentiæ, quæ integras laudum homilias requirunt; hoc in præsentiarum maximè facit ad rem. Per Virginem, & fœminam, Evam Diabolus humanum genus perdidit, per Virginem, & mulierem humani generis saluti datum est initium.

§.15. *Prosecutio.*

Observo hoc super citatum meum the-

thema cum S. Augustino, *Iisdem gradibus dilectissimi, quibus perierat humana natura, à Jesu Christo Domino nostro reparata est. Adam superbus, humilis Christus, per fœminam mors, per hominem vita, per Evam interitus, per Mariam salus. Illa poculum à serpente propinatum libenter accepit, & viro tradidit, ex quo simul merentur occidi: hæc gratia cœlesti desuper infusa, vitam protulit, per quam caro mortua posset resuscitari.* Ser. 17. *Origo per originem detruncatur; origo peccati per Genitricem Christi; prosapia impietatis, per prosapiam pietatis, stirps mortis per stirpem vitæ percutitur.*

Consonant his verba S. Bernardi ser. 2. super *Missus est*, *Quid dicebas, ô Adam? Mulier quam dedisti mihi. Verba malitiæ hæc sunt, quibus magis augeas, quàm doleas culpam. Redditur ergo fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis, fructum tibi porrigit vitæ. Muta ergo iniquæ excusationis verbum, in vocem gratiarum actionum, & dic: Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi lignum vitæ, & comedi, & dulce factum est super mel in ore meo. O admirandam, atque omni honore dignissimam Virginem, O fœminam benedictam!*

Sed ingredior materiam Concionis pro anno sequenti, super voculam *Ave*, quâ Arch. Gabriel nomen Evæ in dulcissimum *Ave* commutavit. Ex dictis modo colligamus, quantum debeamus illi Virgini, quæ hodie consentiendo verbis Angeli, facta est Mater Dei, & consequenter Mater viventium, & Reparatrix generis humani. Colamus illam, quantum possumus, quantum amare potes, tantum aude: neque enim hæc piissima & dulcissima Virgo suos clientes deserit. Finio, ubi brevem historiam recensuero, ex qua, quanti nostra intersit ad æternam felicitatem, atque ad certam adversus dæmones victoriam reportandam, ut egregii simus B. Virginis cultores, præcipuè per salutationem Angelicam, & pium usum Rosarii, satis superque liquebit.

Refert illam Baronius ad annum Christi 1213. Cùm vir sanctissimus Dominicus ex dæmonibus in obsesso homine interrogasset, quem Sanctum maximè reformidarent: unus ex illis, à gloriosa Virgine Maria aureâ virgâ percussus, multùm reluctans exclamavit. *O Maria inimica nostra! O nostra damnatrix! O nostra confusio!* Coram magna multorum astantium corona, licèt ore mendaci, verissima tamen, hæc quæ sequuntur profari coactus fuit. §. 16. *Historia ex Baron.*

1. *Mater Dei potens est nimis in præservandis suis servis, quò minus præcipites in barathrum inferni ruant.*

2. *Fatemur coacti, neminem nobiscum damnari, qui in ejus sancto cultu, & pio obsequio devotus perseverat.*

3. *Unicum ejus suspirium ab ipsa, & per ipsam SS. Trinitati oblatum, excedit omnium Sanctorum preces.*

4. *Contra fideles ejus servos non possumus prævalere.*


5. *Notum sit etiam vobis, plurimos Christianos in hora mortis ipsam invocantes salvari, & nisi Marietta ista obstitisset, à longo tempore Ecclesiam exterminassemus.*

6. *Amplius necessitate compulsi annuntiamus: nullum in sancto exercitio*

 san-

sanctissimi Rosarii perseverantem, æternos inferni subire cruciatus. Ipsa enim impetrat Contritionem, & alia remedia ad salutem necessaria. His dictis, dum circumstantes recitarent Rosarium, ex obsesso corpore evolarunt dæmones in aëra, ut carbones, & tum B. V. quoque quæ in lucida nube, dum obsessum aurea virga percuteret, apparuerat, omnibus benedicens evanuit.

Ex his potest fieri pulcher Epilogus.



CONCIO LXVI.

FERIA II. PASCHATIS.

Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?

Lucæ 24. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Oportet pati cum Christo.

§. 1. *Transiit imber Passionis.*
§. 2. *Prosecutio.*
§. 3. *David in laboribus & persecutionibus antequam Rex, fuit pulchra figura Christi.*
§. 4. *Quare Christus Dominus vitis.*
§. 5. *Prosecutio.*
§. 6. *Simus nos palmites.*
§. 7. *Imago Virtutis sedentis inter palmas.*
§. 8. *Applicatio ad Christum resurgentem.*
§. 9. *Ad auriferos montes fluvii Gangis difficilis est aditus, uti etiam ad fontes gloriæ.*
§. 10. *Cur Deus Moysi apparuerit in rubo. Israelitæ per vias asperas deducti sunt in terram promissionis.*
§. 11. *Opposita Passionis, & gloriosa Resurrectionis.*
§. 12. *Altare victimarum, & incensi.*
§. 13. *Mortificatio debet præcedere gloriam.*
§. 14. *Tribulationes nostræ sunt particulæ de veste Christi.*
§. 15. *De Clavis Christi.*
§. 16. *Sunt medica potio præparata in ardenti clibano Cordis Jesu.*
§. 17. *In tribulationibus adest nobis Jesus. Si sustineamus, coronabimur.*

Inter

§. 1. *Transiit imber Passionis.*

INter alia non sine causa arbitror, Christum Dominum in gloriosa sua Resurrectione, dum Beatissimæ Matri appareret, dixisse verba illa Sponsi ad Sponsam, Canticor. 2. vers. 10. *Surge amica mea, formosa mea, jam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt.* Qualis imber? imber lachrymarum, sputorum, flagellorum: imber spinarum, imber sanguinis, imò cruenti diluvii. Hoc imbre præterito, triduo Sponsus noster fuit obrutus. Sed abiit hic imber, hyems aspera recessit, ver jucundum rediit; nam revisit nos Sponsus, non in diademate spineo, sed aureo, quo coronavit eum Pater in die lætitiæ cordis ejus. Redit! neque caput plenum est rore sanguineo, vel cincinni guttis noctium, sed auro resplendet; in manu non est arundo, sed sceptrum Crucis, cum vexillo gloriæ; Redit! non indutus veste candida Herodis, vel coccinea Pilati, sed indumentis lætitiæ. Redit ex hyeme, & nocte sepulchri, non jam despectus, sed totus pulcher & formosus. Nam ubi hodie est oris pallor? ubi illita sputorum fœditas? ubi concretus Sanguis? ubi spinarum vestigia? ubi liventes humeri? ubi manantes cruore rivi? ubi flagellis concisi artus? ubi consputationes, obvelationes, irrisiones, sannæ? ubi vulnera, ac plagæ? ubi alia dolorum instrumenta? Cessit hæc hyems, abierunt hi cruenti imbres!

Descriptio Christi Resurgentis.

§. 2. *Prosecutio*

Quamprimum redux ex inferis pulcherrima Anima Christi, immensæ gloriæ splendore, & radiis influxit in examine, & lacerum corpus, momento illud sibi reddidit simillimum. Uno momento dissipata est illa hyems à pulcherrimo sole, cui fulgor gloriæ in omnibus membris successit. Frons serena, illustres oculi, ad gratiam rubescentes genæ, rosea labra, os purpureum, aurea cæsaries, verbo dicam multa, in omnibus membris apparuerunt flores gloriæ, & gratiarum. Volui his omnibus dicere, Passio Christi his diebus fuit hyems, fuit imber, Ver est Resurrectio. Verùm si veris hujus deliciæ nobis placent, necesse quoque est, ut prius per imbres transeamus, hic est sensus citati thematis ex hodierno Evangelio, *Nonne hæc oportuit, &c.* Si cœli gloriam cum Christo intrare volumus, cum Christo hîc prius pati oportet, de qua re me hac Concione nonnihil liberalius differentem, eâ, quâ soletis animi, corporisque modestiâ, ut spero, benevolè audietis.

§. 3. *David in laboribus, & persecutionibus antequam Rex, fuit pulchra figura Christi.*

Eleganter de Davide dixit Rupertus l. 1. c. 27. in l. Reg. *Non statim sceptriger sedit in solio, purpurâ insignis, & diademate clarus, vel coronâ aureâ splendidus. Sed prius egenus, & vagus* (pastor) *profugusq; erravit; & exul, omnibus quoque modis, prius amaritudinis, quàm nectareos, & mellitos Regum liquores epotavit.* Eadem hodie de Christo D. gloriosè resurgente à mortuis dicere possumus. Non statim mundo apparuit illustris, sceptro, coronâ, vel vexillo gloriæ; triginta tres annos prius fuit egenus, in laboribus à juventute sua, ante triduum calicem bibit passionis, hodie nectareos haurit liquores; priùs pati, quàm coronari, priùs vincere debuit, quàm triumphare.

§.4. *Quare Christus D. vitis.*

Sæpius Christus D. appellavit se vitem, & fideles suos palmites. *Ego sum vitis, vos palmites*. Joan. 15. v. 1. Nulla planta vite est fructuosior, nulla ditior, nulla utilior. Sed D. Zeno in Psal. 79. eleganter observavit, quibus mediis plantæ hujus fructus perveniant ad maturitatem, dum ait: *Palmes in scrobem dimittitur, ut animatus ibidem nutriatur. Auxiliare illi necessario jungitur lignum, cujus tutelâ defensus se attollit; Ubi adolevit in vitem, plorans imbre suo rorat, tum apertis oculis folia radiata procedunt, gemmant flores, sequuntur fructus, quos solis ardores, pluvia, ventiq; exercendo provehunt, & ad maturitatem producunt.*

§.5. *Prosecutio*

Vitis aurea, vitis honorificata, vitis onusta fructibus gloriæ, & uvis dulcedinis, est Christus Dominus gloriosè resurgens. Verùm ante paucos dies alligata fuit hæc vitis palo, & ligno Crucis, quando affixus Salvator, & demissus fuit in scrobem montis Calvariæ; illa vitis oculis sanguineis & calidissimis lachrymis roravit, & flevit uberrimè; exposita fuit ardoribus divinæ Justitiæ, pluviis, imbribus, ventis dolorum, Nimirum *hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.*

§.6. *Simus nos palmites.*

Eja mi Christiane! si vitis est Christus, tu illius es palmes! Quid igitur? Certè suffodiendus es in fundo humilitatis, alligandus es stipiti sanctissimæ Crucis; resecandum cultro mortificationis quidquid in te vitiosum. Tum veniendum ad lachrymas, seu gemmas potius, quas, si sacræ vitis palmes es non degener, abundè profundes, ex quibus lachrymis, seu gemmis postea æternæ gloriæ flores enascentur. Ita pati oportet cum Christo, ita cum eodem intrare in gloriam.

§.7. *Imago Virtutis sedentis inter palmas.*

Quintus Græcius virtutem depinxit hoc scemate: In altissima rupe procera stat palma, plena fructibus, inter quos in pulchro solio sedet Virtus aureas dejiciens coronas: sed aditus ad hanc rupem, & palmam est difficilis, arctus, stratus spinis. Vult ingeniosa pictura ostendere, virtutis fructus, & honores obtineri per labores.

§.8. *Applicatio ad Christum resurgentem*

Talis palma est Christus D. in gloriosa sua Resurrectione, agnovit Sponsa Cant. 7. v. 7. *Statura tua assimilata est palmæ*, palmæ exaltatæ, formosæ, plenæ fructibus honoris, & gloriæ. Sed ubi in eam excrevit altitudinem? ubi fuit plantata? locum hoc triduo vidistis; spectastis montem Calvariæ, admirati estis, quàm difficilis illius fuerit ascensus, suspensum suspexistis in Cruce; sed hodiernâ gloriosâ die Crux mutata est in palmam. Qui pependit in Cruce, in monte myrrhæ inter spinas, hodie sedet in palma, in colle thuris inter rosas. Et miraris Christiane, te subinde per spinas, per vias difficiles duci ad Crucem? desine, non est alia via ad palmam gloriæ. Oportet cum Christo pati, & ita intrare in gloriam. Psal. 91. v. 14. ait Psaltes. *Plantati in domo Domini* (id est, in terra luctus, doloris, atque ærumnæ, (*in Atriis domus Dei nostri*) sive in monte Sion, *florebunt* in æternitatem.

§.9. *Ad auriferos montes fluvii Gangis difficilis est aditus, uti etiam ad fontes gloriæ.*

Non parum, credo, hoc axioma D. illustrat Hieronymus; nam ut ipse ait: In fluvio Gange vel Phisone, cujus fit mentio Gen. 2. v. 14. pretiosissimæ inveniuntur gemmæ; adjacentque diviti fluvio auri-

auriferi montes: sed accessus ad illas undas, ad illos montes est difficillimus, & periculosus, ob ingentem copiam leonum, tigridum, similiumque bestiarum, quæ morantur ibidem. Videtur eò alludere sponsus Cant. 4. v. 8. illis verbis, *Veni de libano soror mea, veni coronaberis.* Ad fontes gloriæ pervenit hodie Salvator noster, in quibus invenit gemmas & aurum æternæ beatitatis. Verùm per quæ monstra illi fuerit transeundum, quæ, & quot superandæ difficultates, quot ineunda fortiter certamina, cum quot molossis ac tauris decertandum, cum quibus confligendum leonibus, quàm terrificis & formidandis, satis opinor spectatum hoc triduo; leones quippe fuerunt, qui flagris in innocens Jesu corpus crudelem in modum desævierunt Judæi. Tauri fuerunt, qui acutis invidiæ cornibus ipsum impetierunt Pharisæi, monstra fuêre Crucifixores; monstra, qui de Cruce pendulum sarcasmis & amarulentis excepêre dicteriis; sed per hæc omnia eluctandum fuit, eluctatus est Jesus tunc, modo coronatus in cœlis. Eja mi Christiane, & tibi si dicere lubet cum Davide, Ps. 41. v. 2. *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad æterna tabernacula*; si ex illis fontibus placet aliquando bibere, lubeat priùs bibere de torrente Cedron. Bene S. Gregor. l. 9. Ep. 39. *Neque enim Electis suis in hac vita promisit gaudia delectationis, sed in altera.*

§. 10. *Cur Deus Moysi apparuerit in rubo.*

Exodi 3. vers. 3. Apparuit Dominus Moysi in rubo, cur non in palma, vel quercu, vel cypresso? cur Deus loquitur Moysi inter spinas & ignes? Evolvam ex his spinis pulcherrimum mysterium materiæ meæ accomodum. Ex c. 1. Exodi scimus, quod Pharao oppresserit filios Israël, & afflixerit eos. Ægyptii illudebant illis, & ad amaritudinem perducebant animas eorum, lectio Hebræa hæc omnia his verbis explicat: *& spinis puncti sunt filii Israël.* Ob hanc lectionem putant aliqui, filios Israël, si præscriptum non absolvissent opus, flagellatos fuisse spinis. Itaque misertus afflicti populi Deus, statuit eos tanta servitute oppressos vendere, atque educere ex Ægypto in terram promissionis; ut tamen, antequam id fieret, adversitates & afflictiones patienter ferrent, eos solaretur, voluit Moysi apparere inter spinas, quasi diceret: Vidi afflictionem populi mei, & clamorem ejus audivi, & sciens dolorem ejus, descendi ut liberarem eum, & educerem de terra illa in terram bonam & spatiosam, quæ fluit lacte & melle; sed mittam eos per desertum; venient ad loca Cananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, &c. antequam ad terram sanctam veniant, pugnandum erit, & incedendum per avia locorum, & invia, per tesqua, per sylvas ac dumos, calcandæ erunt spinæ; sed solatio illis sit, quod & mea sedes, ac solium sit inter spinas; ex spinis venient ad rosas, subtilissima certè subtilissimi Interpretis cogitatio!

Israëlitæ per vias asperas deducti sunt in terram promissionis.

§. 11. *Opposita Passionis & gloriosæ Resurr.*

Sed recipio me ad Christum gloriosè resurgentem. Sedet hodie ad dexteram Patris, in sede Majestatis, & gloriæ, redimitus rosis æternæ felicitatis, & admirandæ pulchritudinis, inter Cherubinos, & Seraphinos; ante triduum sedit in vili scabello indutus purpurâ, redimitus

dimitus spinis inter carnifices, & lictores. His diebus Rex dolorum, in regno dolorum, hodie Rex gloriæ, in regno gloriæ. His diebus dixerunt ei Judæi ad ignominiam. *Ave Rex Judaeorum*, hodie accinunt Angeli ad laudem ac gloriam. *Ave Rex gloriæ*.

Huc obsecro oculos, huc animum adverte mœrore languidum Christiane! quid enim est, quod in tantam te, & velut inconsolabilem tristitiam dejicit? an quod tui te inimici habeant ludibrio? patere, hæc siquidem est gloriæ tuæ futuræ mensura. An quod à ditioribus premaris, & tantùm non opprimaris innocens? sed nec ideo lugendum tibi, quando hoc divini in te amoris, qui te olim altius evehet in beatitudine, certissimum est argumentum Forte nimium penetrant adversitatum spinæ, quæ indies pungendo te lacerant? tolera, toleravit & Jesus tuus! ex spinis nascuntur rosæ, ex persecutionibus, ex mœroribus, ex angustiis, quas pro Christo exantlatis, vita & felicitas æterna proficiscitur. Sed alia ex aliis occurrunt ad declarandam hanc veritatem, ex sacris literis mysteria.

§. 12. *Altare victimarum & incensi.* In pulcherrimo tabernaculo, quod describitur in libro Exodi, duo fuerunt altaria; unum plenum sanguine, cultris, securibus, erant ad cornua in quatuor angulis lebetes, forcipes, tuscinulæ, receptacula ignium, craticulæ, vectes, similiaque instrumenta. In hoc altari mactabantur, & comburebantur victimæ. Alterum, Exodi 30. v. 20. fuit altare ad adolendum thymiama, de lignis setim, vestitum auro purissimo, cum corona aureola per gyrum, cum annulis aureis. Notant Interpretes, non licuisse summo Sacerdoti in hoc aureo altari incendere incensum, & thymiama, nisi in priori cruentas immolasset victimas. O pulchrum mysterium! Summus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech est Christus Salvator noster; in gloriosa Resurrectione, in veste gloriæ, cum tiara immortalitatis, cum pedo Crucis, radians gemmis sanctissimorum quinque Vulnerum æterno Patri incensum offert suavissimum. Verùm ante triduum in altero altari se ipsum, veluti hostiam eidem Patri obtulit, in altari S. Crucis resperso sanguine, instrumenta fuerunt virgæ, spinæ, clavi, lancea. Hic fuit accessus ad altare thymiamatis.

§. 13. *Mortificatio debet præcedere gloriam.* Mi Christiane, placetne aliquando in pulcherrimis illis tabernaculis æternæ gloriæ, in altari aureo offerre Agno incensa laudum, & benedictionum, eja prius ad altare victimarum accedas necesse est, sine victimis frustra speras ingressum in Sancta Sanctorum, quin igitur vel cultrum arripis mortificationis, vel securim pœnitentiæ? quin magno animo ad immolandas Deo pecudes tuarum passionum progrederis? age si victimam quæris, tuam inspice superbiam; hanc, si Deo vis gratificari, invade fortiter, hanc dejice viriliter, hanc macta generosè. Cernin tuam luxuriam? hircum olet, hanc victimam immola, hanc cæde bestiam, priusquam suavissima divinarum laudum incensa Agno offeras immaculato. At inquis, durum hoc est, atque arduum: fateor, sed necessarium, per aspera itur ad inclyta, per dura ad mollia, per spinas ad co-

rosas; Ita oportet pati cum Christo, & ita oportet cum eodem intrare in gloriam. Ad Rom. c 8. v. 17. ait S. Paulus, *Si compatimur & glorificabimur.* S. Chrysost. t. 5 hom. 5. ad 66. *Quantum tribulationes intenduntur, tantum & retributiones ampliabuntur.* Judith 8. v. 23. *Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles*, quis Patri cœlesti placuit magis, quàm Christus, & tam dura & aspera pati debuit, & sic intravit in gloriam.

§. 14. *Tribulationes nostræ sunt particulæ de veste Christi.* Concludere ex hactenus dictis possumus, quo animo tribulationes à Deo immissas suscipere oporteat. Cogitemus esse vestem, & saccum ignominiæ, qui conscindetur & mutabitur in vestem nuptialem gloriæ. Reputemus esse particulas S. Crucis; has qua veneratione non amplectimur, quàm pia illis figimus oscula? quàm pretiosis includimus gemmis atque auro, quàm sollicitè gestamus in pectore? eja animæ piæ, cogitate tribulationes vestras esse tales particulas, veneramini, osculamini, includite in scrinio cordis, & pectoris, pretiosior thesaurus, vel ditior gemma, aut pulchrior non est in mundo. *Reliquiæ de Cruce Christi.*

§. 15. *De Clavis Christi.* Equidem paucos fuisse arbitror, qui anno superiori, quinquagesimo quinto hujus sæculi, Treviris sine lachrymis, & admirabili motu spectarint unum ex clavis, quibus Salvator noster fuit affixus Cruci. Eja Auditores, cogitemus tribulationes nostras nil esse aliud, quàm clavos, qui cum sponso nostro nos affigunt Cruci. Sic intravit in gloriam, sic nos oportet intrare, dicamus ergo cum Sancto Paulo *Christo confixus sum Cruci* O felices! O aureos clavos, qui nos Christo conjungunt, & simul aureas claves, quæ nobis paradisum aperiunt.

De Columna. Alii peculiari devotione feruntur erga columnam, vel virgas, & flagella, quibus Christus D. fuit flagellatus, ut unam ex spinis quibus fuit coronatus. Unus ex locis sanctitate celeberrimis Romæ est templum S. Praxedis, in quo magna pars illius columnæ, cui in flagellatione Christus alligatus fuit, asservatur. & in magna populi est veneratione. Memini me cum magno animi motu, nec sine tenera devotionis sensu aliquando ad illam aram legisse sacrum.

Et Virgis. In celeberrimo Monasterio zur Clausen prope Treviros populo, & peregrinis advenis ostenditur pars rami vel bacilli, quo tenerrimum Christi corpus ad columnam cæsum fuit. Ego sine tremore & sacro horrore aspicere non potui. Sine dubio has & similes reliquias magni, ut par est, æstimamus, & magnâ devotione prosequimur. Quæso animæ piæ, dum adversitates vos premunt, cogitate esse particulas de columna illa, de virgis, de spinis, de funibus Christi, illis alligari, cædi, pungi cum Christo debemus, ut cum eodem intremus in gloriam.

§ 16. *Sunt medica potio præparata in ardenti clibano Cordis Jesu.* Cogitemus denique tribulationem esse medicam potionem præparatam in ardentissimo clibano cordis Jesu, mixtam aliquot guttis pretiosissimi ejusdẽ sanguinis, amara est, sed ebibenda, amore salutis, & ecce præbibit Christus, neque alia reliqua est via ad cœlum.

Sed interim spinæ pungunt, asper est saccus ignominiæ, gravis est Crux, duri

duri sunt clavi, columna rigida, acerbæ virgæ, amarus ille calix! Non nego, sed iis te solabor verbis, quibus invicta heroina consolata est filium suum Martyrem Melithonem; nam cùm eum fractis cruribus in gravissimis tormentis animam agere cerneret, sic eum fuit allocuta, teste Surio, die 9. Martii. *Fili paulisper sustine, ecce Christus ad januam adest, auxilium allaturus & præmium, paulisper, fili mi, sustine.*

§. 17. *In tribulationibus adest nobis Iesus.* Hoc dictum tibi velis, quæcunque præsens, ista vel audis, vel legis, afflicta anima. Sustine; Jesus adest gloriosè resurgens. Adest, cùm tui te adversarii premunt, adest, cùm adversa te valetudo lectulo affixam torquet. Adest, cùm rerum omnium defectus, & extrema vexat inopia. Adest, cùm aliorum expositus risui atque ludibrio, nil nisi ignominias cogeris devorare. Adest cùm malevolorum te flagellant virulentæ linguæ; cùm dolorum spinæ cordi potius, quàm capiti infiguntur: cùm in crucem extenderis, cùm ad ipsam denique necem postularis, adest ipse, præ foribus te expectat, dexterâ gerit lauros & coronas; paulisper sustine; hæc cum Christo pati oportet, & cum eodem, ut sæpe dixi, ita intrare in gloriam. *Si sustinemus, coronabimur.*



CONCIO LXVII.

FERIA III. PASCHATIS.

Videte manus meas, & pedes, quia ego sum.
Lucæ 24. v. 39.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit aliquot causas, ob quas Christus D. resurgens à mortuis, retinuit in glorioso corpore cicatrices quinque SS. Vulnerum.

§. 1. *Quam pulcher Christus in Resurrectione suis discipulis apparuerit: cum cicatricibus tamen quinque SS. Vulnerum.*

§. 2. *Patet ex illis, esse eundem, qui Crucifixus est.*

§. 3. *Non sunt illi dedecori, sed honori.*

§. 4. *Sunt monumenta victoriæ.*

§. 5. *Electi in via pro solatio habent SS. Eucharistiam. Beati in Patria gloriosa Christi Vulnera.*

§. 6. Sunt

§.1. *Quàm pulcher Christus in Resurr. suis discipulis apparuerit: cum cicatricibus tamen 5. SS. Vulnerum.*

DUbium non est Christum D. surrexisse à mortuis cum admirabili quadam, quæ humanam infinitis partibus excederet, gloriosi corporis pulchritudine, & venustate. Et talis in hodierno Evangelio apparuit discipulis, & Apostolis Jerosolymæ congregatis, id est, totus pulcher, serenus, lucidus, illustris, solis instar; in cujus comparationem solis hujus nostri, quem oculis quotidie spectamus, nullus splendor, aut pulchritudo venire possit. Verùm dico cum Zacharia merito ex illo possumus percontari, ex c. 13. v. 6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum*; addo ego, in medio pedum, in medio benedictissimi lateris tui? has terebratas manus, hos perforatos pedes, hoc transverberatum pectus & cor, ante paucos dies in pegmate Crucis Hebræa impietas vobis exhibuit, tanquam signa doloris, livida, deformia, sanguinea; sed quemadmodum mors ejus finem attulit doloribus, cur non & vulneribus, cur illa non extinxit infinita pulchritudo, sicut aliorum Vulnerum cicatrices & livores? Aliud videmus Deo & Salvatori nostro placuisse. Manserunt, manent, & manebunt in glorioso Corpore sanctissimorum Vulnerum vestigia, nulla æternitas illa delebit. Hæc monumenta, hinc stupendi amoris & misericordiæ erga hominem, inde crudelitatis humanæ erga Deum inauditæ, tamdiu extabunt, quamdiu radiantia quinque Vulnerum stigmata in glorioso Christi Corpore, cœlis terrisque monstrabuntur. Aliæ quoque causæ, ob quas benignissimus Salvator Vulnerum horum signa retinere voluerit, materiam præbent pro affectuosa Concione; sed antequam illas declarare aggrediar, imaginimini vobis pulcherrimum Jesum à mortuis resurgentem, & dicite mecum ex corde, salvete millies rosea, & benedicta Christi Vulnera, salvete perforati pedes, salvete terebratæ manus, salve millies transverberatum latus, & Cor. Sanctissimis bis Vulneribus sit laus, honor, & gloria.

Pia salutatio ad Vulnera Christi.

Certum est, quod, quoties corpium sanctissima hæc Vulnera salutat, Christo glorioso in cœlis peculiariter id placeat; proinde paschali hoc tempore, salutationes has frequenter repetamus, par enim est, ut faciamus, quod Salvatori nostro gratum acceptumque extiturum

turum judicamus. Jam audite suavia, suavissimo hoc paschali tempore.

§. 2. *Patet ex illis esse eundem, qui crucifixus est.*

Indecens, & ab immortali gloria Liberatoris & triumphatoris formâ alienum, culpæ mortisque Symbola in suo triumpho circumferre, parum congruum esse arbitrantur, qui mysteriorum fidei nostræ, vel rudes sunt, vel eadem perosi: at, qui clarioribus fidei oculis illa contemplantur, intelligunt, quantum majestati, & honoris istiusmodi plagæ Salvatori nostrò conferant, teste D. Ambrosio in fine comment. in Lucam, *Nihil est, quod adeo gloriosum Christi Corpus deceat, atque hæ cicatrices, & plagæ.* Verùm enimverò illis 1. demonstrat, se in Resurrectione esse illum, qui fuit ante triduum in Cruce. Absque plagis credere possumus illum vivum, sed aliquando pro nobis mortuum, & crucifixum quidem, nullo alio ex signo colligeremus, ideò ipse Apocal. 1. v. 17. testatur se vivere, sed ita ut adjungat se aliquando mortuum fuisse. *Ego sum primus, & novissimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves mortis & inferni.* Per has claves intelligo quinque sanctissima Vulnera, ut quæ & occluserunt infernum, & paradisum reserarunt. Glorietur Jupiter suo fulmine, Mars gladio, tridente Neptunus, Cupido sagittis, Vulcanus malleo, Mercurius caduceo, alii aliis instrumentis; ficta sunt hæc fictorum Numinum arma, at verus Christianorum Deus clavibus quinque, seu Vulneribus jure longè meritissimo gloriatur, ut si ex me quæratur; Quis unicus verusque Deus sit, protinus respondeam, Cujus in manibus hodie in gloriosa resurrectione Vulnerum cicatrices in Cruce acceptas conspicimus, cujus Latus in Cruce apertum rubet in cœlis, cujus pedes in Cruce confixi, etiam suo in triumpho transfixos spectamus. Hic ille Deus, ille homo, imo ille homo-Deus, qui pro nobis vulneratus, & in Cruce mortuus est, unde in cit. meo themate ipse ait ad Apostolos, *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego sum.*

Cùm Act. 9. v. 5. Saulo se manifestare voluit, ut acutè observavit sanctus Chrysostomus, non dixit, Ego sum qui cœlum creavi & terram, qui omnia nutu meo, summoque imperio guberno, cui res omnes creatæ suam & existentiam debent, & pulchritudinem, neque, quod tamen aliàs de se pronuntiat, id temporis edixit, Ego Alpha & Omega, sed *Ego sum JESUS Nazarenus,* titulum Crucis, in qua quinque illa Vulnera illi inflicta fuerunt, tanquam gloriosissimum sibi attribuendo. Neque ornatiore titulo, vel encomio Christum à mortuis resurgentem celebravit Angelus ad mulieres dicens, *JESUM quæritis Nazarenum.* Marc. 16. v. 6. Nec dubito sanè, quin eandem ob causam Gentium Doctor, licèt clarissima, & divina planè de sanctissima Triade, & ipsomet Christo lumina suscepisset, palam tamen edixerit, 1. Cor. 2 v. 2. *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi JESUM, & hunc Crucifixum,* adeoque sanctissimæ hæ Vulnerum cicatrices triumphatori nostro in triumpho Resurrectionis, non sunt dedecori, sed honori, ex quibus scimus illum esse

se eum, *qui vulneribus carnis suæ*, ut ait Sanctus Gregorius M. *sanavit vulnera mentis nostræ.*

§. 3. *Non sunt illi dedecori, sed honori.*

Deinde tantum abest, ut quidquam infamiæ aut probri aspersum habeant ejusmodi plagæ, ut potius plenæ sint decore, gloriâ, & majestate. Sunt enim signa gloriosæ victoriæ, ac monumenta ejusdem passionis ac mortis. Retinere quoque hæc gloriosa & triumphantia victoriæ signa in glorioso corpore voluit, ut quoties illa intuemur, recordemur per illa devictum fuisse Diabolum à Christo, quod ipsi summopere est gloriosum.

§. 4. *Sunt monumenta victoriæ.*

Ostendit id egregiè sanctus Augustinus lib. 2. de civitat. Dei cap. 22. agens de SS. Martyribus; ubi supponens, in glorificatis corporibus SS. Martyrum, fore & permansura signa quædam Vulnerum, quæ pro Christo acceperunt, ait: *Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quadam in corpore, quamvis non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit; fortiter miles agit, cum percutit inimicum, non cùm percutitur, & tamen gloriatur vulnere. Signũ enim est, quo ostenditur in prælio stetisse viriliter, & pugnasse in hostem. Et mirum quidem non est, hominem gloriari de his, quæ Dei causâ patitur; admirandum verò valde, quod Deus glorietur in passione pro homine suscepta, & in sui gloriam servet Vulnera in carne sua, poterat quidem clavorum, & lanceæ penitus exstirpare vestigia, sed servare voluit charitatis, & obedientiæ signa veneranda, nostrique amoris, & horroris impiorum incitamenta; & præcipuè, quod alterum erat, ut in æternum passionis, mortis, & victoriæ suæ perennia essent monumenta.* Ut qua ratione in Ecclesia per sacrificium Missæ, & Sacramentum Eucharistiæ memoria passi Salvatoris quotidie recolitur, & instauratur, sic in Ecclesia triumphante, summi beneficii, mortis, & Passionis Christi, memnosynon aliquod sempiternum duraret, Crucifixi scilicet Vulnera; quorum jugi, & dulci aspectu. Beati omnes illud Apocalyptici Agni epicinion perenniter ingeminabunt, *Dignus es Domine, accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redimisti nos Deo nostro regnum in sanguine tuo*, cap. 5. v. 9. *Agnus occisus ab origine mundi.* Talis fuit in vaticiniis Prophetarum, & figuris Patriarcharum. Talis mysticè in suis cicatricibus manebit usque ad finem mundi, & sæculi consummationem, quod innui videtur illis verbis in c. 5. v. 12. *Agnus tanquam occisus*, neutiquam enim in cœlo occisus, aut mortuus est, sed tanquam occisus propter SS. Vulnerum cicatrices.

§. 5. *Electi in via pro solatio habent SS. Eucharistiam: Beati in Patria gloriosa Christi Vulnera.*

O dulce, ô eximium divini in nos amoris memnosynon! Habeat suas sibi delicias terra in Sanctissimo Sacramento; habeat easdem, & luculentius habet cœlum! glorietur nobilissima gemma, vel calculo candido SS. Hostiæ Ecclesia militaris, gloriatur & triumphans sanctissimis Christi Vulneribus. Excitamus cordium nostrorum affectus nos mortales, cùm elevari à Sacerdote cernimus Hostiam sacrosanctam, recolentes memoriam Passionis ejus; non minus certè sibi ipsis applaudunt Cœlicolæ, cùm in glorioso Salvatoris sui corpore causas suæ lætitiæ san-

sanctas cicatrices spectant. Recordamur nos præcipua quadam suavitate Mortis Jesu nostri, cùm in Eucharistiam oculos intendimus; beati Cœlites ex continuo quinque SS. Vulnerum aspectu, nunquam in omnem æternitatem mysterii hujus memoriam, quæ futura ipsis est longè gratissima, dulcissimaque deponent.

§. 6. *Sunt in tentationibus asylum.* Retinuit præterea Salvator noster gloriosus sanctissima Vulnera in sanctissimo Corpore, ut inter tot pericula, & discrimina, inter quæ versamur, tutum ea nobis asylum, atque habitationem subministrarent. Ideo sponsus Cant. 2. vers. 14. dilectissimæ sponsæ ita voluit consultum. *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Irruunt fortassis tentationum impetus, & tempestates? debacchantur venti tribulationum, insidias forsan machinatur infernalis ille vultur, premunt te alii hostes, & adversarii? O innocens columbula! fuge ocyus, ad hanc petram evola, ad Crucifixum te confer; in his te fixuris, in his Vulneribus te abscondito.

§. 7. *De quo sponsa providit Christus, ut sponsus columbæ de foraminibus petræ.* Atque hæc est illa singularis divini illius Sponsi erga fideles animas, sponsas inquam suas, providentia, quâ vel imminentibus, vel etiam adhuc procul distantibus, prudentissimè occurrit. Fateor, prævidit sponsas suas fore innocentes, mansuetas, puritatis amantes, & veluti columbas; sed notabat simul infernalis vulturis insidias, hinc ad maceriæ cavernas invitavit. Non ignorat lotas in sanguine Agni, atque mundissimas animas sibi dilectas; sed nec eum latet turpissimi adversarii calliditas, qui ad contaminandam hanc animarum pulchritudinem, artem omnem, atque machinam exerceret; hinc de mediis illius evadendi fraudes tam clementer prospexit. Denique prævidit gemitus columbarum, prævidit altos in aëra volatus; sed observavit simul vigilantem stygii accipitris conatum, quem ut everteret, tutissimum in pectore asylum, quò advolare non auderet rapacissimus prædo, aperuit. Ibi altissimum pro nobis posuit refugium!

Expertus id fuit S. Hieronymus, qui permolesto carnis ardore, & concupiscentiarum inflammatus æstu, cùm nulla alia remedii spes affulgeret, ad sacra Christi Vulnera conversus, & palmam ex hostibus retulit, & Angelicam posthac sibi puritatem comparavit. Expertus fuit S. August. ut dixerit in Manuali c. 21. c. 22. *In omnibus adversitatibus, non inveni tam efficax remedium, quàm Vulnera Christi, in illis dormio securus, & requiesco intrepidus. Clavi & lancea* (sive Vulnerum vestigia) *clamant mihi, quod reconciliatus sum Christo, si eum amavero.* Iterum. *Tuta & firma requies est infirmis & peccatoribus in Vulneribus Salvatoris; securus illic habito; patent viscera per Vulnera: per foramina corporis patent mihi arcana cordis.* §. 8. *Experti sunt S. Hier. & S. August.*

Eja columba! æger fortassis est mentis affectus? huc fuge, en quinque officinas, sive pharmacopolia in corpore tui Servatoris aperta, cœlestibus medicinis & unguentis refertissima, quibus infirmitas tua nullo negotio potest curari. Si te gravat æs alienum, quo teneris obligatus Deo, huc fuge, en patet opulen- §. 9. *Pia & suavis allocutio ad animas pias, ut confugiant ad Vulnera Christi*

lentiſſimum ditiſſimi cordis gazophylacium, hinc ſume, quantum vis, apertum hiat latus, ad ipſum cor penetrare licet. Sterilem fortaſſe luges cordis tui, & bonorum operum infœcunditatem? aruerunt fauces præ ſiti? huc fuge, huc reflecte oculos, in divinos hoſce quinque fontes, è quibus ſeptem Sacramentorum flumina promanarunt, quibus totus terrarum orbis irrigatur. Verſaris forſitan in loco caliginoſo ac tenebris cimmeriis horrido? huc fuge, reſpice pulcherrimas has quinque ſtellas, non planetarum inſtar errantes, ſed in glorioſo Humanitatis Chriſti cœlo immobiliter fixas, & jubare ſolari ſplendidiores, unde lumen, & infiniti fervor amoris in nos evibretur. Ejæ columbæ inſpicite bene roſea hæc vulnera, ſunt quinque flores, qui purpureâ, & roſeâ ſuâ luce, & fragrantiſſimo odore totum replent univerſum, ſunt quinque inæſtimabiles margaritę, quarum pretio ſummam cœlorum felicitatem nobis Chriſtus emit, & nos emere poſſumus. Sunt quinque areolæ amœniſſimi paradiſi, in quo paſcimur inter lilia. Perdo me in labyrintho dulciſſimi hujus paradiſi! Si animæ piæ his & ſimilibus meditationibus, ſubinde cum ſenſu pietatis occupare ſe voluerint, varias & ſuaves Spiritus S. ſuggeret cogitationes, ſed quæ hactenus dixi, non niſi animas pias, & Crucifixi amantes concernunt. Nunc quæ porrò quarta ſit ratio, ob quam retinuerit vulnerum cicatrices Salvator, videamus.

Encomia congloba-ta SS. Vulnerum.

§. 10. *In agone impiis e..* Illa eſt, ut aliquando in agone, & die judicii impiis ſint maximo & inexplicabili terrori, & ut, qui mortalium ingratiſſimi tantum redemptionis beneficium contempſerunt, vel qui ea etiam per ſummum nefas inflixêre, & renovarunt, ad eorum conſpectum coram toto orbe confundantur. Multa ſunt profectò, quæ in agone conſtitutis impiis terribilia objiciuntur, multa quæ frigidum illis ſudorem apertis undique poris excutient, multa, quæ migrantem ex hac mortali vita animam in extremas anguſtias conjicient. Quis enim eos horror invadet, cùm omnia per totum vitæ decurſum ſcelera, & numero fermè infinita, & gravitate horrenda oculis ſimul leganda objicientur. Quid? cùm terribiles cacodæmonum formæ, monſtroſaque vel leones, vel tigrides imitantia ſpectra occurrent? quid cùm diductam ſub pedibus terram, & apertis faucibus hiantes inferos ſpectabunt? fateor, terribilia hæc ſunt, quæ ipſis etiam ſaxis terrorem, tremoremque poſſent injicere; at verò terribilium omnium terribiliſſimum, maximèque præ omnibus inviſum, horrendum, immane erit ſpectaculum, cùm ſanctiſſima irati Judicis vulnera conſpicient, prô! quantis tum terroribus exanimabuntur ſcelerati! nulla unquam fulgura, fulminave ab orbe condito, mortalium aliquem tantis afficere terroribus potuerunt, ac hæc ipſa quinque Chriſti Judicis Vulnera.

runt terrori. Multa illos terrebunt, ſed præcipuè conſpectus horum Vulnerum.

Hanc cauſam invenio in S. Auguſtino. *Sicut enim* (ait ipſe) *demonſtravit Thomæ non credenti, niſi tangeret & videret, ita etiam inimicis ſuis Vulnera demonſtraturus eſt ſua, non quod eis dicat, ſicut & Thomæ*, quia vidiſti me, credidiſti; *Sed ut convincens eos Veritas dicat,*

§. 11. *Confirmatur ex S. Auguſt.*

Prosopopœia loquentis Christi de Cruce.

cat, *Ecce hominem, quem crucifixistis; videtis Vulnera, quæ inflixistis.* Nimirum tam crudelis vestra fuit superbia, & ô utinam non hodiedum essent mortalium complures, qui dum ista vel audiunt, vel legunt, seque impietatis hujus reos comperiunt, delicti tamen veniam non rogant, non emendationem proponunt, non de humilitate cogitant, sed perire malunt, quàm pœnitere! O miseri, ô perditi, non videtis vulnera, quæ innocentissimo inflixistis Agno? & vos potissimum, qui Paschalibus hisce feriis exomologesi non integrâ & sincerâ, sed mutilâ & sacrilegâ Deum gravissimè offendistis. Vos ego alloqui pergo cum D. Augustino, *Agnoscitis latus quod pupugistis? non ita Longini quondam sæviit acuta cuspis, ac scelera vestra in latere Salvatoris. Quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Prô ultima insaniæ consilia! à quo vitam potuissetis sperare, ab eo non nisi mortem, & quod morte pejus, æternam estis damnationem consecuti! potuissetis in hisce maceriis animas vestras abscondere, sed maluistis à prædone tartareo foris discerpi, licuisset inibi tranquillam à tempestatibus vitam vivere, sed horrendis calamitatum procellis ultrò maluistis jactari. Ite nunc, discedite miseri, sed culpâ vestrâ, vestro arbitrio, ac voluntate.

Invectiva in obstinatos peccatores.

§. 12. *Confirmatur ex aliis SS. Patribus.*

Similia habet Eusebius Emissenus. *Tanto erunt graviora delicta, quanto magis se extenderunt divina beneficia: unde credendum est, illam vocem Dominicæ Resurrectionis pretiosa Crucis Vulnera protestantem, etiam in judicio suo Dominum ad vasa iniquitatis prolaturum atq; dicturum, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & infer in latus meum, & agnosce, quæ pro te, & à te, O impietas humana, pertulerim.* S. Hieronymus Epist. 1. ad Heliod. ait, *Cerne manus Judæe, quas fixeras! cerne latus Romane, quod foderas, videte corpus, an idem sit, quod dicebatis clam nocte abstulisse discipulos.* Et sanè justum videtur, transfixa membra, quæ tam diu felicissimi Advocati, coram Patre suo in cœlis, idque non pro sua, (velut miles Augusti, capitis accusatus Imperatori cicatrices exhibeat, quæ ipsum, pro quo acceptæ essent, non alium postularent patronum) sed pro capitalium inimicorum salute, ostendendo sese partes impleverant; nunc demum adversus ingratos, perfidos, contumaces in ultionem, & damnationem armarentur.


Quare ut minus ab his cicatricibus, velut Justitiæ divinæ instrumentis, novissimâ mundi horâ percellamur, atque dum vasa misericordiæ sunt, & pietatis asylum, tempestivè nos illuc recipiamus quàm possum intensè hortor atque admoneo.

§. 13. *Sunt nobis 5 specula pulcherrimarum Virtutum.*

Denique ut modo finiam, illa retinuit, ut nobis essent quinque pulcherrima specula divinarum ejus perfectionum, & virtutum. In illis enim contemplari possumus v. g. in dextera manu, ingens gaudium, quo proposito sustinuit crucem: in læva patientiam, quàm inter tantos cruciatus ac dolores exhibuit. In pede dextero misericordiam, quâ nos ab infinitis miseriis clementissimè vindicavit, in sinistro Justitiam, quâ pro nostris debitis satisfecit. In latere, & cor-

corde, infinitum ejus amorem. Taceo & prætereo plures alias similes considerationes, quibus si accedat virtutum earum imitatio, pentachordem efficiemus citharam, quæ manu operationis icta, suavissimè in divinis, nostrisque auribus resonabit.

§.14. *Alia salutatio ad SS. Vuln.* Verùm ad finem mea decurrit oratio. Quid porro reliquum, nisi ut amantissimi, iterum vocibus, quibus cœpi, ad vos me convertam, vos salutem, vos adorem, vos amplexibus stringam, O sacrosancta amoris mei Crucifixi, sive Jesu gloriosè à mortuis resurgentis Vulnera? Salvete perforati pedes, neque aliud à vobis spero, nisi ut vitæ meæ, morumque licentiam refrænetis; salvete terebratæ manus! & si mihi gratificari perplacet, unam mihi rebus in arduis necessariam precor fortitudinem concedite. Tu denique salve millies transverberatum Latus, & Cor Salvatoris mei Jesu! à te verò præter amorem nil obsecro: amorem tui mihi tribue, & lætus vivam, lætus moriar, lætus aliquando tecum resurgam ad gloriam, O bone JESU!



CONCIO LXVIII.

FESTO SS. APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Joann. 14. v. 2.

Synopsis Concionis.

Cœlestis gloriæ magnitudo est ineffabilis.

§.1. *De desiderio cœlestis gloriæ hoc Majali tempore.*

§.2. *Quo cœli meminisse debemus.*

§.3. *Propositio. Hæc Concio ostendet cœlestis gloriæ magnitudinem esse ineffabilem.*

§.4. *Est enim Mare.*

§.5. *Cur comparetur cum suavissimo guttere sponsi.*

§.6. *Prosecutio.*

§.7. *Quibus concessum fuit videre aliquid de illa gloria, parum deinde de eadem sunt locuti.*

§.8. *Symbolum.*

§. 1. *De desiderio cœlestis gloriæ hoc Majali tempore.*

PRo concione Majali, lætissimo hoc SS.Philippi & Jacobi Apostolorum festo, & amœnissimo hoc tempore, aliam Concionis meæ materiam esse nolui, quàm quâ consolator Jesus tristes suorum discipulorum animos hodierno in Evangelio, dulcissimâ consolatione demulsit, gloriam nimirum cœlestem. Nam cùm pulcherrimas ejus mansiones cœlestis Magister describeret, præcipuè in corde S. Philippi ingens exarsit desiderium illas videndi, ideò ait, *Domine ostende nobis Patrem*, Joan. 14. v. 8. quasi diceret: Domine mi, multa dicis de beatis istis mansionibus, de illa gloria, de illo loco & regno, quod vadis nobis parare, sed oculis hæc spectanda exhibe, ut qualis illa sit gloria, videamus.

Simile desiderium in cordibus vestris, Auditores, hodie conabor excitare, ut quibus licet suspiriis, ad cœlestem illam patriam anhelemus, cum solatio enim hisce diebus legisse me memini in Thoma de Kempis lib. 3. c. 49. *Fili cùm tibi desiderium æternæ beatitudinis desuper infundi sentis, & de tabernaculo corporis exire concupiscis, ut claritatem meam contemplari possis, dilata cor tuum, & omni desiderio hanc sanctam inspirationem suscipe; quatenus in virtutibus, in humilitate, in patientia, in amore Dei & proximi proficias, & ad futura certamina te prepares, mihiq; toto cordis affectu adhærere, ac ferventi voluntate studeas inservire, hi sunt fructus illorum, qui ad cœlestem gloriam feruntur, affectuum.*

§. 2. *Quo cœli meminisse debemus.*

Verùm cùm materia hæc sit lætissima, hac Concione solùm ostendam, tantam illius gloriæ esse magnitudinem, & immensitatem, ut in hac vita sit ineffabilis, id est, ejusmodi quæ satis superque explicari non possit. Quod cum aggredior, non possum non ipso in limine dictionis, vobis gloriosi Patroni mei, Jacobe, & tibi præsertim Philippe, gratulari, propterea quod illius gloriæ radiis jam undique illustres in cœlis fulgeatis. Aliud porro à vobis non obsecro, nisi ut vestris id mihi precibus efficiatis, ut & mihi, & Auditoribus hisce meis olim liceat, eâdem cœlestis aulæ gloriâ per perennes Dei laudes, æternùm perfrui.

§. 4. *Est enim mare.*

Gloria & Beatitudo, quam Deus Electis suis præparavit, mare est tam profundum, tam altum, tam longum, ut profunditatem nemo possit exhaurire, altitudinem nemo attingere, finem & longitudinem nemo comprehendere, nemo inquam possit mensurare.

Ipse Gentium Doctor in hoc mari fatetur se passum naufragium, notissimis illis verbis, *Nec oculus vidit, nec auris audivit, &c.* Atque eandem ob causam illa gloria à SS.Patribus passim vocatur ineffabilis: propterea quod in hac vita nullis verborum ambagibus, nullâ facundiâ & eloquentiâ satis ac pro merito possit explicari. Erro, nisi hoc

hoc ipsum agnoverit sponsa Cant.5. v. 10.11. ubi ut elegantiam membrorum sponsi describat, caput confert cum auro optimo, comas cum elatis palmarum, oculos cum oculis columbæ, labia cum liliis, manus cum hyacinthis, ventrem cum ebore, crura cum columnis marmoreis, &c. guttur verò nulli rei comparat, sed ait, *guttur ejus suavissimum*, v.16.

§. 5. *Cur comparetur cum suavissimo gutture sponsi.* Ergo suos habet thesaurors, quos in res singulas pro illarum dignitate refundat Natura, nam si forsan sui ornamenta requirat caput, habet illa aurum: quid pretiosius? describere venustatem? habet illa virentes palmarum elatas, quid pulchrius? si jucundum optas spectare decorem oculorum, objiciet tibi illa oculos illius, quæ lacte lota est, columbæ, quid gratius? Si vis labiorum mixtam candore rubedinem inspicere, offeret mox tibi lilia mixta rosis, vel rosas liliis; si te rapit cupido audiendi, quanta sit manuum sponsi pulchritudo? exhibebit illa tibi hyacinthos.

An ventrem describi exiges? describet in ebore. Vides ut locuples sit, diversissimisque instructa venustatibus Natura, quas omnes congerit ad exprimendam membrorum Sponsi elegantiam. Age nunc verò, cùm in reliquis tam dives sit ac liberalis, cur, cum de sponsi gutture est quæstio, quale sit, non similem aliquam contulit pulchritudinem? an hic tam inops natura? & pauper? an non habet saccarum, non mel, non favum, non nectar, non aliquem cœli succum, per quem sponsa possit declarare dulcedinem, & suavitatem gutturis sponsi.

§. 6. *Prosecutio* Hoc latet mysterium, per guttur Christi D. sponsi cœlestis SS. Patres intelligunt beatificam visionem, & cœlestem gloriam, quæ tanta est, ut omnem hujus mundi superet dulcedinem. Habet hic mundus mel, habet favos, habet Brasilia saccarum, sed nihil sunt hæc omnia, si cum dulcedine illius gloriæ conferantur. Imò nihil in hoc mundo est tam suave, & dulce, ut vel umbra illius dulcedinis esse possit. Sed quid gutturi cum cœlesti gloria? respondet Rupertus, cujus lib.5. in Cant. diserta est hunc in modum oratio. *Porro guttur nulli rei simile, sed tantummodo suavissimum dicit, ut per hoc recogites, ineffabilem atque inenarrabilem esse internam dulcedinem Divinitatis, ut meritò dictum sit illud, quæ diligentibus Deum præparavit, nec oculus vidit, nec auris audivit. &c.* Pari ratione, & alii viri Sancti, quibus singulari privilegio in hac mortali vita cœlestis gloria suo modo revelata fuit, fassi sunt nihilominus, se de ejus magnitudine loqui non posse, cùm in hac lachrymarum valle sit inexplicabilis.

§. 7. *Quibus concessum fuit videre aliquid de illa gloria, parum deinde de eadem sunt locuti* Exodi 3. v. 3. Moysi Deus gloriam suam inter flammas, & in medio rubi ardentis patefecit. Isaiæ (c. 6. v. 1. 2.) in regali throno inter Seraphinos. S. Joanni in Apocalypsi cap. 4. v. 3. in crystallino cœlo, in forma pulcherrimæ sponsæ, vel civitatis in quadro positæ. 2. Cor. 12. v. 2. Raptus est in tertium cœlum Divus Paulus, ut illam posset gloriam intueri. Petrus, Joannes, & Jacobus spectatores illius fuerunt in monte Tha-

Thabor, Matth. 17. verf. 3. Dicite ergo viri fanctiffimi, quanta, & qualis eft illa, quam fpectaftis, pulchritudo? vel planè obmutefcunt, vel admodum parum eloquuntur. Nimium contigit illis, quod Epheftioni quondam evenifse memorant hiftoriæ. Dum Alexander Magnus fecretiffimas fcriberet literas, accedens Epheftion illas legit, & permifit Imperator; fed eodem regio figillo, quo obfignavit literas, fignavit os & labia Epheftionis hoc verbulo addito, *Tace*, q. d. exhibui tibi illam gratiam, tanquam amico, ut permiferim te fieri confcium meorum fecretorum, fed vide ne alicui revelaveris. Idem contigit Ifaiæ cap. 6. v. 1. vix incepit narrare, *Vidi Dominum fedentem fuper folium excelfum & elevatum*, & ftatim ait v. 6. *Volavit ad me unus de Seraphin, & in manu ejus calculus, & tetigit os meum*, quafi Dominus per illum Angelum illi diceret, oftendi tibi quidem radium aliquem meæ pulchritudinis, & gloriæ; fed tace, nolo ut modo explices, & paulò poft rogatus de cœlefti gloria, c. 24. v. 16. refpondit; *fecretum meum mihi*: Chaldaica. *Secretum præmium juftorum monftratum eft mihi*, q. d. Vidi illam gloriam, fed tacere juffus fum, Seraph figillo, vel calculo obfignavit os meum.

Similiter ore figillato ex tertio cœlo redit S. Paulus, folùm ait: *nec oculus vidit, nec auris audivit, & audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui, &c.* 2. Cor. 12. v. 4. Idem figillum labiis Apoftolorum in monte Thabor, poft transfigurationem impreffit Salvator nofter, *Nemini dixeritis vifionem hanc*, Matth. 17. v. 9. Moyfes planè tacuit, & abfcondit faciem fuam. S. Joannes Evang. in Evang. in Apoc. fæpius infinuat, Beatorum gaudia in nuptiis Agni fatis explicari non poffe.

§. 8. *Symbolū.*

Sed age, fymbolum egregii cujufdam pictoris infpiciamus. Globum ille efformavit cœleftem, cui lucidiffimas inter ftellas collucēti hanc addidit epigraphen. *Pulchriora latent*. Eleganter & acutè! Multa de cœleftibus manfionibus fcimus ex facris literis; fed pulchriora latent, quæ in hac vita percipere non licet. De ejus excellentia fcripferunt SS. Patres mira, miranda, & jucundiffima referunt Hiftoriæ, & Vifiones, fed majora, fed pulchriora, fed magis miranda latent.

§. 9. *Defcriptio cœleftis gloriæ ex S. Bern. & S. Auguft.*

Agnovit hoc S. Bernardus, hinc exclamat: *Tota pulchra es patria mea, abfq; eo quod intrinfecus latet*, & l. de confid. *Merces Sanctorum tam eft magna, quod non poteft menfurari, tam copiofa, quod non poteft finiri, tam pretiofa, quod non poteft æftimari*. S. Aug. in folil. c. 22. *Quàm magna & innumerabilia erunt, ô Deus, illa bona, quæ præparafti diligentibus te, in illa cœlefti patria ubi te videbimus facie ad faciem*. Avidus tamen aliquo modo in hac vita illum cognofcendi gloriam, fcripfit ad S. Hieronymum rogans enixè, ut aliquid fibi in re tam abdita, atque ab hominum oculis, & intellectu remota, ipfe qui cæteris effet perfpicacior, aliquod impertiri lumen dignaretur. Sed ecce literas exaranti apparuit cœleftis fplendor cum hac voce: *Augufti ne, ego fum Hieronymus frater tuus, qui jamjam in Bethleem ex hac vita migravi in cœlum, me mifit ad te*

Apparet illi S. Hieron. differens de illius magnitudine.

Deus

Deus, ut respondeam quæsito tuo de cœlesti gloria: Velim igitur scias, quod facilius poteris numerare stellas cœli, guttas maris, terræ pulveres, volucrum pennas, &c. quàm minimam partem gloriæ istius tuo intellectu capere; adeò namque excellens est ac magna, ut nullus illam intellectus humanus assequi possit. Persevera propterea in exercitio bonorum operum, usque ad finem vitæ tuæ, & sic eâdem mecum perfrueris visione beatificâ, & consequente inde gloria, ac jubilo in omnem æternitatem.

§. 10. *Ipsi beati in cœlo illam mirantur.*

Quid, quod & ipsi in cœlis Sancti magnitudinem atque dulcedinem admirantur. Apocal. enim c. 2. v. 17. vocatur cœlestis gloria Manna: *Vincenti dabo manna absconditum*, D. Thomas hîc, *Manna, id est, dulcedinem gloriæ in fruitione æterna, quia manna dulcissimum erat.* Ideo dum Hebræi primum cœleste illud saccarum in deserto degustarunt, præ admiratione exclamarunt, *Manhu, Manhu*, quid est hoc? id est, undenam illa dulcedo, illa suavitas in hoc melle, unde illæ gustus deliciæ. Et certè guttulam illius gustaverat David, & exclamat: *O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Psalm. 30. vers. 20. *quàm dilecta sunt tabernacula tua!* idem in omnem æternitatem dicent Beati in cœlis, Quid est hoc? O quanta dulcedo! quanta gloria! O quanta beatitudo! dicent cum Regina Saba 3. Reg. cap. 10. vers. 6. *Verus est sermo, quem audivi in terra mea, super sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quod media pars mihi nuntiata non fuerit. Major est sapientia, & opera tua, quam rumor, quem audivi. Beati viri & servi tui!*

Quidquid ullo unquam tempore de cœlestibus illis deliciis prædicatum in mundo, quidquid dictum magnificè pro cathedris, quidquid hyperbolicè visum decantari in pulpitis, adhuc modicum, exiguum, imò nihil est, præ ejus, quâ nos fruimur beati, dulcedinis præsentiâ: guttam nobis propinarunt Oratores ac Rhetores, nos in medio voluptatum natamus Oceano; unam tantùm divini amoris scintillam nobis descripsêre, nos tota animadvertimus, imò cum deliciis senmus incendia. Unum tantum beatissimi Favonii afflatum nobis imaginabamur, jam continuum Tempe, nullam hyemis asperitatem, nullam auræ malignioris inclementiam, nullum infeliciorem occursum Planetarum, sed serenissima omnia, pacatissima, gratissimaque experimur. Nimirum ne media quidem pars nobis fuerat nuntiata illarum, quibus modo beamur, voluptatum.

§. 11. *Pulcher locus ex c. 16. S. Luc.*

Magnitudinem hujus gloriæ colligite ex c. 16. v. 24. Lucæ. Elevat dives epulo ex infernalibus flammis ardentes oculos, quibus dum conspicit Lazarum in sinu Abrahæ, sive, in ingenti gloriâ, petit ab illo ut digitum suum intingat in aquam, ut unicâ guttulâ incendium linguæ liceat nonnihil temperare. O stultam petitionem! quid faciet guttula inter istas flammas? quàm parum petit, imò multum petiit; neque sto-

lida illa fuit petitio, petiit enim guttam de fonte vitæ æternæ; guttam petiit, sed de torrente voluptatis, quo Deus suos Electos inebriat, guttam petiit, sed de fluvio, qui lætificat civitatem Dei, de tali guttula ait S. Augustinus. *Tanta est dulcedo futura gloria, quod si una gutta in infernum deflueret, totam damnatorum amaritudinem dulcoraret.* Si unica gutta illius gloriæ tantæ erit dulcedinis, quid erit fons, fluvius, torrens, mare, de quibus S. Hieronymus in Psalm. 35. ait, *Sicut in fluminum perennitate, aliæ aliis nova aquæ succedunt; ita Dei conspectus idem semper & constans, nova tamen semper Beatorum mentes oblectatione tenebit,* quæ tanta erit, tam magna, tam immensa, ut meritò dicatur ineffabilis.

Guttula cœlestis gloria extingueret infernum.

§. 11. *Confirmatur ex S. August.*

Confirmat hæc iterum S. Augustinus in manuali c. 2. Dei vultum tantæ esse pulchritudinis, ut si damnatus per ictum oculi, vel momento illam videret, omnia tormenta in gloriam, tenebræ in lucem, horror in suavitatem, totus infernus converteretur in paradisum. Rursum serm. 120. *Si unica mellis guttula è paradiso sic omnem vanitatis sitim extinguit, quid faciet inexhaustum voluptatis pelagus?*

Ex S. Cypr

Facundè S. Cyprianus de laud. Mart. *Videbunt Deum, & gaudebunt, fruentur gloriâ, in felicitate jucundabuntur, implebuntur Deo, & satiabuntur dulcedine mirificâ; nihil eis deerit, nihil oberit; omne desiderium eorum Christus præsens implebit.* Eheu! nihilominus de multis dicere possumus, & queri cum Regio Psalte Psalm. 105. v. 24. *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Nihilum sunt divitiæ, nihilum honores, nihilum voluptates, & tamen à multis pluris æstimantur, quàm cœlum. Gloria cœlestis est illis nihilum. Nihilum illis sunt torrentes deliciarum æternarum! nihilum, prô pudor! Beatarum atque Angelicarum mentium Societas! nihilum jucundissimus Reginæ cœlorum aspectus, nihilum Christi & ipsa Dei visio beatifica. Æstimant contra pulverem, O stoliditas! non auro inhiant, sed luto; spinas decerpunt, non rosas; Vanitatem venantur, O consolationem! fumum captant atque aërem, non delicias veras, non amorem Dei, non bona cœlestia, non solidam gaudii stationem, non beatas illas mansiones.

Omnia in hoc mundo, respectu cœlestis gloriæ sunt nihilum.

§. 13. *Dictum Origenis.*

Nos quæso Auditores, dicamus cum Origine Hom. 1. in Psal. 38. *Contemnamus istam vitam vanam, & festinemus ad sanctam vitam, & beatam, & in illam animo ac mente tendamus omni vanitate discussa*; Dicamus cum Anaxagero Philosopho licèt Ethnico, qui cùm rogaretur, quare cœlum semper suspiceret, respondit: *Illa patria mea est, illa hæreditas mea est, illam ego curo, non ea quæ sunt super terram, sicut vos, qui deorsum estis.* Putavit sine dubio gentilis Philosophus, se in campis Elisiis aliquando fore beatum.

Et Anaxagori Philosophi.

§. 14. *Cœlum est patria nostra.*

Utinam semper in ore Christianorum versentur hæ voces: *Illa patria nostra est!* Hic nostrorum terminus laborum atque itinerum; hic peregrinationis nostræ finis, hæc meta viarum. Væ nobis, si hunc aliquando terminum non assequimur, si hunc peregrinationis finem non attingimus, si ad hanc metam non pervenimus.

O dulcis patria! O patria! quando te

te videbo tandem? quando licebit tuis frui deliciis! tædet animam meam vitæ meæ; ad te anhelo, ad te, atque tuam dulcedinem meus fertur affectus, nec in re alia ulla, nec alio in loco, nec aliis in amoribus conquiescam. Tu mihi divitiæ, & voluptates, tu honores & potentia, tu cœlum & terra, tu beatitudo & immortalitas, tu mihi es omnia! Tibi uni me dedico, tanquam uni, in quo sunt omnia. Tibi soli post Deum meum, corpus & animam, & cor, & facultates, & vires meas omnes penitus, penitusq; trado, atque consigno.



CONCIO LXIX.

FESTO ASCENSIONIS CHRISTI DOMINI.

Assumptus est in cœlum.

Marci 16. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit & hæc Concio de magnitudine cœlestis gloriæ.

§.1. *Dictum S. Augustini. In cœlo est, quod amamus.*

§.2. *Nullum solidum gaudium est in hoc mundo ex S. Augustino.*

§.3. *Confirmatur ex Cassiodoro & sancto Gregorio M.*

§.4. *Cor hominis est Oceanus.*

§.5. *Explicatio versus ex Psalm. 41. fuerunt mihi lachrymæ.*

§.6. *Vera gaudia quærenda sunt apud CHRISTUM ascendentem ad cœlos.*

§.7. *Pulcher locus ex Sancto Bernardo.*

§.8. *Dictum S. Augustini.*

§.9. *Pia objectio.*

§.10. ℞. *Amor Jesu etiam in terris nos facit Beatos.*

§.11. *Pulcher locus ex Epist. 1. S. Joannis c. 3. Similes ei erimus.*

§.12. *Versus 9. ex Psalm. 35. Gloria cœlestis fons est.*

§.13. *Tribulatio hujus mundi est calix, Gloria cœlestis torrens.*

§.14. *Invectiva in filios vanitatis.*

Ho-

§ 1. *Dictum S. Aug. in cælo est, quod amamus.*

HOdierno festo Auditores, meritò vos alloquor verbis S. August. l. de anima & spir. c. 64. *In cœlo est quidquid amatis, quidquid desideratis.* Si delectet pulchritudo! fulgebunt justi sicut sol; si longa & salubris vita! ibi est æternitas, & æterna sanitas; si satietas? satiabuntur, cùm apparuerit gloria Domini. Si ebrietas? inebriabuntur ab ubertate domus Domini. Si melodia? ibi Angeli sine fine concinunt Deo. Si quælibet mundi voluptas, quam vel oculi desiderare, vel amare gustus, vel auris cũ oblectatione potest percipere, major est in cœlo. Si honor & divitiæ, Deus servos suos bonos, & fideles in cœlis super multa constituet. Si vera securitas, certi sunt se suam felicitatem nunquam amissuros. Verbo ego omnia complectar; in cœlo est, quidquid amatis, quidquid desideratis, quæritis, diligitis, vovetis; quia hodie ad cœlos ascendit Christus JESUS, Filius Dei Salvator noster, qui unus & solus desideria hominis explere potest. Eò hodiernâ die abiit, cùm in conspectu Beatissimæ Matris, & Apostolorum, gloriosissimè assumptus est in cœlum; eò itaque etiam nostra tendere oportet desideria. *Amans enim Deum anima*, ait Philo Jud. l. de animal. idon. ad sacrific. (dicam ego hodie, Amans Jesum ad cœlos ascendentem) *revera in cœlum è terris emicat, surrectisq; alis petit sublimia, cupida oberrandi cum Sole, luna, cæterarumq; stellarum sacra militia*, (imo cum ipsis Angelis & Sanctis, qui hodie Christum Dominum in cœlos sunt comitati) *ipso Deo Duce & Imperatore*, &c. ad cœlestem gloriam, quò nos hodie Christus vocat. Nuper festo Apostolorum SS. Philippi & Jacobi, aliqua de ineffabili ejus magnitudine vobis exposui, absolvere tum non potui, prosequar modo ejusdem materiæ pulchram circumstantiam, nimirum, gaudia hujus mundi esse imperfecta, & mixta felle; veras animi delicias quærendas esse in cœlo, ita tamen hæc vobis exponam, ut Jesum gloriosè ascendentem ad cœlos; oculis animisq; vestris sæpius, velut præsens esset, exhibere non omittam, ut eundem animis desideriisque nostris in cœlos euntem prosequamur.

Quia Christus quem amamus, eò gloriosè ascendit meritò eò nostra tēdunt desideria.

§. 2. *Nullum solidum gaudium est in hoc mundo ex S. August.*

Suppono ex sacris literis, S. Augustino, aliisque SS. Patribus, in hoc mundo non esse ullum solidum gaudium, neque veram felicitatem. Nam (S. August. Serm. 15. de diversis) *omnis terrena possessio supplicium est cupiditatis, ut in ipsis bonis crucietur animus.* Res ipsa loquitur, quàm enim angitur, quàm variis distracta curis, ac sollicitudinibus, quàm multis implicita negotiis, laborat, sudat, æstuat humana mens, quoad iis, quibus inhiat fortunis, potiatur? Considera ex Euclionum numero, si quem nosti amicum tuum; age, inspice hinc opes ejus atque thesauros; numera cum eo pecunias sine numero, recense census, aurum pondera, est hæc aliqua hujus sæculi voluptas; at quantis permixta doloribus, quot curis conjuncta, quot spinis, quot tædiis, quot insomniis! usque adeo ut si mihi guttam lætitiæ affuderis, ego tibi integrum curarum dolorumque oceanum, iisdem ex opibus promanantem possim exhibere. Atque idem omnino de illicitis Veneris deliciis,

ciis, idem de superbis honorum, dignitatumque fastigiis, idem de vana corporis pulchritudine, idem denique de falsis mundi, carnisque illecebris, eodem planè jure possum pronuntiare.

§.3. *Confirmatur ex Cassiodoro & S. Greg. M.* Quod si hujus rei causam lubet investigare, eam nobis suggeret Cassiodorus tractat. de amicit. *Dum post rei desideratæ obtentum majori se sentit indigentia laborare, praoptata incipit fastidere, & denuo in alterius rei succenditur appetitum. Hæc est mola Samsonis, quam descisis virtutum crinibus, & effossis prudentiæ oculis circumvolvit.* Sanctus Gregorius lib. 5. Moral. capite 12. *Sæpe perversus quisque, quantò citius pervenit ad desiderium, tantò facilius rapitur ad tormentum*, & cap. 10. *Nam quantò citius malum votum impleri permittitur, plerumq; tanto celerius punitur.* Sunt tales similes arbustis, & floribus, quæ temporis brevitate proficiunt (v.g. tulipa intra dies 14.) sed eò celeriùs arescunt, & *quasi cum festinant esse, tendunt ad non esse*, elegantiora verba desiderare non possumus.

§.4. *Cor hominis est Oceanus.* Similia in alio simili reperio apud B. Alcuinum disputat. cum Pipino filio Caroli Magni, super versum 7. capitis 1. Ecclesiastici. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*, &c. *Quid est mare? audacia via, limes terræ, hospitium fluviorum, fons imbrium. Omnia vero flumina in mare feruntur, & omnis aqua dulcis in amaram mutatur, quia oblectamentum in fastidium vertitur, & omnis delectatio carnis in amaritudine terminatur, neque flumina in mari quiescunt, sed revertuntur, ut iterum fluant, eandem inquietudinem experiuntur filii hujus sæculi.*

Nimirum turbulentus atque omnis expers quietis Oceanus est Cor humanum. Volvitur, ac revolvitur, jactatur, & agitatur, vertitur, & revertitur, tantò amplius, quantò periculosior est ludentes inter Sirenes volutum tempestas. Sint dulces amorum carnalium rivuli, sed in amarum mare præcipitantur. Sint aurei fortunæ fontes, limpidi ac sereni; sed suo semet motu in tempestuosum dolorum pelagus devolvunt. Sint jucundi latices opum, voluptatum, honorum; nolim tamen persuadere diuturnas has fore delicias. Sint amœna flumina, at nolim ego iis animæ meæ cymbam, ad æternitatis properantem portum committere.

De miserrima hac mundi conditione conquestus fuit David Psalmo 41. vers. 4. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est DEUS tuus.* quasi dic. fleo, & flebo assiduè, quia dum hic vivo, DEUS meus abest, sine quo cor meum satiari non potest, in hoc mundo constitutus gaudere non possum. Pari ratione animæ piæ hodierno verb. grat. festo gaudent, exultant, jubilant ob honorem & exaltationem CHRISTI; revera tamen lùgent, quia & ipsæ non sunt cum JESU, certæ, se in hac vita perfectè beatas esse non posse. Regius Psaltes licet frequentissimè in suis canticis erumpat in affectus gau- §.5. *Explicatio versus ex Ps. 41. fuerunt mihi lachrymæ, &c.*

gaudii, lætitiæ, jubilationis, agnovit tamen in hoc mundo deesse illius perfectionem, ideo ait Psalmo 16. versu 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Psalmo 15. versu 10. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem*, quem locum Sanctus Augustinus sic explicat: *Adimplebit lætitia in cælo Sanctos suos, ut ultra non quærant aliud, cum facie ad faciem viderint eum.* Sanctus Hieronymus. *Adimplebit lætitia, quia tunc erit plena lætitia, ubi erit Deus in omnibus omnia.* Hugo de Sancto Victore libr. sententiarum capite 5. *Adimplebit lætitia, quia in hac vita aliquando possumus lætari, sed impleri lætitia non possumus, quia etsi quædam sunt, quæ lætificant, plura sunt, quæ contristant.* Et capite 26. *In temporalibus bonis delectationes quædam sunt, sed non usque ad finem, quia in hac vita semper gaudium nostrum sequitur dolor, & omnis delectatio amaro fine terminatur, in dextera autem Dei delectationes usque in finem, quia in vita æterna nec gaudia in mærorem, nec delectationes in horrorem mutari possunt.*

In cælo est adimpleta lætitia.

§. 6. *Vera gaudia quærenda sunt apud Christum ascendentem ad cælos.*

Ex hoc discursu, in quo diutius hæsi, advertere nos oportet, ubi vera debeamus quærere gaudia, nimirum in cœlo, quò hodie abiit Christus Salvator noster. Hodiernum Mysterium gloriosæ Ascensionis, fons est suavissimarum consolationum. Non dubito, quin hodie animis vestris impresseritis imaginem formosissimi, & gloriosissimi Corporis, in quo ultimùm Discipulis suis se spectandum præbuit, radians instar Solis, infinitæ quasi pulchritudinis radios evibrantis: Me peculiariter oblectavit ejus Dextera, quam, (si verum est, quod Discipulis in monte Oliveti ante Ascensionem præbuerit osculandos gloriosos pedes,) sine dubio Matri osculandam præbuit; illa dexterâ cum roseo, & pulcherrimo Vulnere, quâ suis ultimùm benedixit, illa dextera, quâ giravit gloriosum vexillum Sanctæ Crucis; illa dextera, de qua cecinerunt Angeli, dextera Domini exaltata est. In hac dextera aurea, tornatili, plena hyacinthis, sunt delectationes usque in finem, hic vera, solida, certa quærite gaudia; solus JESUS est, qui desideria nostra satiare, & explere potest.

Præsertim in SS. dextera ejus in qua est omnis felicitas.

§. 7. *Pulcher locus ex S. Bernardo.*

Melleus est more suo, in hoc tamen potissimum mysterio Sanctus Bernardus Sermone 5. in Vigilia Nativitatis Domini. *Reddet Dominus justis coronam justitiæ, tunc videbit & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor ipsius*; latet emphasis, in *Tunc*, quasi dic. modo in hac vita beati esse non possumus; tunc, cùm cum CHRISTO erimus in cœlo, affluemus, mirabimur, dilatabitur cor nostrum. Quousque dilatabitur? usque ad videndam DEI Majestatem in se (dico ego hodie, usque ad videndam immensam pulchritudi-

tudinem CHRISTI ascendentis ad cœlos) sed nolite arbitrari fratres, quod gloriam illam verbis explicare possimus; videbitis & gaudebitis, & gaudium vestrum implebitur, quid enim illa Majestas (illa venusta species CHRISTI Domini) non impleat: superimplebit etiam, ut supereffluat, quando mensuram bonam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinus vestros.

§. 8. S. Augustini. Sanctus Augustinus lib. de Spiritu & Anima tom. 3, *Quicquid delectat ibi est, omnes videlicet divitiæ, omnis requies, & omne solatium; quid enim deesse poterit, ubi DEUS est, cui nihil deest, omnes ibi cognoscunt DEUM sine errore, vident sine fine, laudant sine fatigatione, & amant sine fastidio, & in hac dilectione requiescunt pleni DEO, & adhærentes semper beatitudini sunt beati, contemplantes semper æternitatem, sunt æterni; juncti verò lumini, facti sunt lux.*

§. 9. Pia Objectio. Verùm, dicet fortassis non nemo, de patria cœlesti hæc vera sunt; Cœlites sunt in illis gaudiis. Nobis in hoc exilio, in hac lachrymarum valle, inter spinas, quod gaudium esse potest, & hodierna præsertim die, qua CHRISTUS nos deserit, & ex hoc mundo vadit ad Patrem? sic est, si tamen volumus etiam hìc beati, & felices esse possumus: præcipuè hodierno Festo Ascensionis. JESUM amate, quidquid delectat, apud illum est, ipsum cognoscite, laudate sine fatigatione, amate sine fastidio; in illa dilectione quiescite, illi adhærete, hæc est summa beatitudo, & vera felicitas in terris, in spe, postmodum beati erimus in re.

§. 10. Resp. Amor Iesu etiam in terris nos facit beatos. Meminisse nihilominus oportet moniti Sancti Bernardi in sententiis in fine. *Licèt in promissione vitæ, quæ nunc est, dulcedo, & multitudo dulcedinis, & magna quoque & quæ magna multitudo sit, perfectio tamen nisi in futura.* Si itaque volupe nobis hodie est, cogitare de pulchritudine JESU ascendentis; si nobis bene est, cùm imaginamur nos videre amabilem illam faciem, illos oculos, illa gloriosissima Vulnera Ascendentis ad cœlum, &c. quanta voluptas erit, illa aliquando coram in beatissima illa patria intueri. Si dulce quidpiam est amor ejus inter spinas, in hac lachrymarum valle, qualis erit inter rosas, & lilia in paradiso cœlesti. *Si Iesus hic tam dulcis est, qualis erit in cœlis.*

Hoc est, quod innuit Psalmo 30. vers. 20. Psaltes Regius. *Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum*, quasi dic. Magna, & perquam magna, multa, & perquam multa sunt oblectamenta, voluptates, deliciæ, quibus tuos in hac vita amicos delinire consuevisti, uti experientiâ illi, qui levantes se supra se, (hodie cum CHRISTO Domino ascendente ad cœlos) gustant suavitatem rerum cœlestium. Sed perfectissima, & consummata dulcedo,

do, non in hac vita, sed futura reperitur. Hic quidem respectu gaudiorum hujus mundi, dulcedo servorum DEI est pereximia, sed in comparatione gloriæ cœlestis umbra est, gutta est, parum, & quasi nihilum est.

§. II. *Pulcher locus ex ep. 1. S. Ioan. c. 3. Similes ei erimus.*

1. Joannis cap. 3. versu 2. *Charissimi, nunc* (in hac vita) *Filii DEI sumus* (per gratiam) *& nondum apparuit, quid erimus*, (per gloriam) *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, id est, beati erimus, quia videbimus eum. Eja animæ piæ, amate, diligite Salvatorem in hodierno triumpho tam gloriosum, ut & nos aliquando in cœlis illum videamus, & similes ei simus. O si hisce nosmet exhilararemus affectibus! O si hisce nos desideriis occuparemus! Agite Auditores! his animas nostras pascamus deliciis; neque enim illæ pedissequum habent dolorem, sed lætitiam; non molestias parturiunt, sed suavissimam amicitiam. Non provocant ad lachrymas, non ad gemitus atque lamenta compellunt, sed ad constantem solidamque mentis consolationem lacessunt. Procul hinc, procul acutæ curarum spinæ, procul pungentes timorum aculei, procul omnis exulat dolor, calamitas, afflictio. Nam quæ è cœlis trahitur piâ meditatione voluptas, nihil humanæ habet inconstantiæ, nihil acerbitatis, nihil doloris vel acroris admixtum non vexant, & torquent ut desideria carnalia, sed solantur & recreant.

§. 12. *Versus 9. ex Ps. 35. Gloria cœlestis fons est. Gaudia mundi rivuli, guttulæ.*

Mysteriis plenus est versus 9. Psalmi 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ*, id est omnium bonorum. Fons hic non reperitur in mundo, non inter divitias, non inter voluptates, sed apud DEUM solum est, & apud Dominum nostrum JESUM Christum.

Fons veri gaudii est IESVS.

Hodie fons hic salit in colle Oliveti! O quàm dulces ex illo hauserunt aquas Apostoli! quàm dulces Regina lætitiæ, & Mater gloriæ. Omnia gaudia mundi, sunt quidam rivulus statim deficiens, vix fluit, & exhaustus est; mundus est fluvius Babylonis, juxta quem qui sedent, flent & plorant. *Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus*, ajunt ipsi filii hujus sæculi. Psalm. 136. vers. 1. Fons veri gaudii, torrens solidæ voluptatis, mare deliciarum æternarum, ex ipso & solo DEO; hodie ex Vulneribus gloriosissimi Salvatoris scaturit, & erumpit, Juxta illud Sancti Joannis in Apocalypsi capite 7. versu 17. *Agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Græca lectio habet, *ad viventes fontes aquarum*, & limpidissimos rivulos. Aquas mortuas, turbidas, amaras propinat mundus. Ex collo, vel pedibus Agni Paschalis scaturiunt fontes vitæ.

O mi JESU, gloriosâ hodie victoriâ ascendens ad cœlos, tu ille es Agnus, qui occisus es in ara Crucis, quando Sanguinei ex sanctis Vulneribus ebullierunt rivuli; in gloriosâ à mortuis resurrectione, hodie in lætissima tua Ascensione mutati sunt in fontem vitæ, in torrentem voluptatis. Tu es ille Agnus, qui in lætissimis illis nuptiis, tuos electos deducis ad gloriam; tu es ille Agnus, à quo fons vitæ nullo unquam tempore, nulloque deficiens casu, promanat in felicissimam æternitatem.

§.13. *Tribulatio hujus mundi est calix. Gloria cœlestis torrens.* Aliud pulchrum mysterium latet in illis suprà citatis verbis, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, torrente voluptatis potabis eos.* Voluptates hujus mundi, in exiguis, & angustis vasculis continentur, & brevi exhauriuntur, atque adeò sitim non extinguunt; & dum mel propinatur, plerumque mixtum est felle. In cœlesti gloria, non calicibus, & cyathis, sed fluviis, & torrentibus propinatur voluptas. In quo infinita quoque DEI bonitas est observanda. Lachrymas, & labores suis electis in hoc mundo ad pondus, & ad mensuram elargitur; vasculum enim porrigit Discipulis, dum ait, *Potestis bibere calicem?* Matth. 20. vers. 22. & Psalm. 99. vers. 6. *Potum nobis dabis in lachrymis in mensura*, gaudia verò tribuit per modum torrentis, & integro fonte. *Quoniam apud te est fons vitæ.* O vani filii hominum, qui CHRISTUM Dominum, qui cœli gaudia deseritis, & pro nihilo habetis! & mundo servitis. Sanctus Bernardus in sententiis, *Quatuor sunt, quorum obsequiis in hac vita deservimus: Caro, Mundus, Diabolus, Deus.* Carni militant sensuales, illecebris ejus serviendo: Mundo militamus avaritiæ æstibus anhelando; honoris altitudinem affectando, Diabolo, & per alia scelera. DEO autem militamus pietatis operibus humiliter insistendo. Et habent singuli Principes isti sua propria donativa: Caro suis tyronibus elargitur momentaneam voluptatem, Mundus transitoriam sublimitatem, Diabolus perpetuam captivitatem: DEUS autem interminabilem felicitatem.

Et cui nostra nos deferimus obsequia Auditores? agedum, cui Domino nostros mancipamus labores? cujus amori studia nostra, curæque desudant? suæ hic quisque velim audiat conscientiæ testimonium. Illud certè manifestum est? supinæ nostræ, dicam negligentiæ, ac stultitiæ argumentum, pro bonis caducis, pro fumo, pro ludo puerili, pro nugis, pro crepundiis, currimus, discurrimus, sudamus, laboramus, ardemus, & quem laborem non devoramus: ut aucupemur honores, ut momentaneis pascamur deliciis, ut vanis opibus fruamur ad modicum. Quid interim DEUS? ille nos modis omnibus ad cœlum hortatur, ille divitias nobis §. 14. *Invectiva in filios Vanitatis.*

promittit æternas, ille ejusmodi pollicetur thesauros, ad quos nec tinea accedere potest, nec ærugo, pro labore non magno, pro servitio non admodum difficili; & refugimus tamen, & nauseam tædiumque ostendimus? & vocantem negligimus; & tantos offerentem thesauros, tam bonum Dominum, tam amabilem, tam dulcem deserimus, fugimus, horremus, contemnimus, execramur? Nimirum, uti summa est bonum suum, felicitatemque cognovisse, Sapientia; ita eam vel cognoscere nolle, vel cognitam aversari, extremam ausim dicere dementiam.




FINIS.



ALVEI

ALVEI PRIMI,
SIVE
CONCIONUM
IN
Festa à Pentecoste usque ad Adventum,
PARS IV.



CONCIO LXX.

FERIA II. PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit mundum.

Joann. 3. v. 17.

Synopsis Concionis.

Agit de dono Consilii, Sapientiæ, & Intellectus.

§.1. Visio S. Brigittæ in die Pentecostes.

SAnctæ Brigittæ B. Virgo Cœlitum Regina augustissima aliquando apparuit (lib. 1. revelat. cap. 31.) in aurea & lucidissima toga, circumdata pallio cœrulei coloris, cum splendidissima corona in capite, quæ ex septem candidissimis liliis, & totidem unionibus fuit contexta. Scio virum pium & doctum per cœruleum pallium intelligere terrenarum rerum in B. Virgine perfectissimam abnegationem, per auream tunicam, ardorem charitatis, per septem lilia, & gemmas, septem nobilissimas virtutes; humilitatem, obedientiam, patientiam, mansuetudinem, constantiam, misericordiam, & cordis puritatem. Ego verò dum hodierno festo Pentecostes ob oculos mihi pono Beatissimam cœli Reginam, sanctosq; Apostolos,

stolos,in conclavi congregatos, Spiritu S.repletos, omnes mihi videor in auratis togis, in cœruleis palliis, redimitos coronis ex septem niveis liliis, & unionibus, spectare. Tali coronâ illorum vertices jam ante me coronavit S. Cyrillus Hierosf.catech.17. *In specie linguarum ignearum sedit super illos, ut novæ coronæ spirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum.* His igneis, & lucidissimis coronis Apostoli inaugurati sunt in Principes Ecclesiæ.

§. 2. *Septem lilia, &c. fuerunt Symbola 7. donorum Spiritus S.* Cœruleum pallium innuit illos rerum terrenarum fuisse planè oblitos, plenos sanctissimis desideriis. Igneus splendor auri in vestitu, vel potius ignis, quo interius corda ardent, denotat flammam divini amoris, quem Spiritus S. in illis excitavit. Per septem candidissima lilia, & totidem lucidissimas gemmas,ex quibus coronæ contextæ sunt, intelligo septem dona, quibus Divinus Spiritus de cœlo descendens liberaliter illis communicavit; nimirum Consilium, Sapientiam, Intellectum, Scientiam, Fortitudinem, Pietatem, & Timorem. Quàm eximia illa dona sint, in quo consistant, quænam illorum proprietates, & effectus, hoc biduo in meis Concionibus vobis explicabo.

Hodie primum punctum aget de Consilio: alterum de Sapientia, tertium de Intellectu: *Veni S. Spiritus emitte cœlitus lucis tuæ radium*, quò & mihi in dicendo ardor, in proponendo claritas, in urgendo robur, & Auditoribus meis in audiendo, & quod audierint, postmodum faciendo, gratia ac virtus, ad utrūq; apprimè necessaria, accedat.

Consilium est primum ex illis donis, quæ perficiunt intellectum hominis, qui ob varias causas valde illo indiget. Est autem supernaturale lumen, quo Spiritus Sanctus illuminat intellectum hominis justi, ut discernere possit bonum à malo. Cùm enim in plurimis occasionibus, & eventibus particularibus lumen rationis humanæ non sufficiat, ut intellectus se possit evolvere, quid faciendum, quid omittendum, quid eligendum, quid reprobandum, & rejiciendum sit, necesse est, ut Spiritus S. dono Consilii, sive supernaturali aliquo lumine, intellectui succurrat, ut quid bonum, quid malum sit, intelligat, ac proinde hoc aspernetur, illud amplectatur. §. 3. *De dono Consilii, quid sit.*

Est igitur hoc donum lucidissima fax, quæ intellectum ambulantem in tenebris dirigit: est certa regula, secundùm quam Christianus omnes actiones suas ita disponit, ut sint media ultimi finis, sive æternæ beatitudinis. Per hoc donum Spiritûs S. in anima justi, dux est, & gubernator intellectus, est director vel consiliarius, qui, hoc bonum est, inquit, istud malum; hoc faciendum, istud omittendum.

Præterea hoc donum intellectui nobilissimas alias qualitates, sive perfectiones communicat; vivacitatem, providentiam, circumspectionem, præmeditationem futurorum, sicut econtra malus, & nequam spiritus, in impio causat fraudes, inducit errores, & deceptiones, suadet præcipitantiam, & temeritatem, inducit excæcationem, & futurorum oblivionem. Accedit, quod donum hoc Spiritus S. intelle- §. 4. *Effectus hujus doni.*

ctum

ctum quasi convertat in oculum, qui triplici radio, semper triplex tempus, præteritum, præsens & futurum contempletur. De hoc dono ait Salomon, Prov. 2. v. 11. *Consilium custodiet te, prudentia servabit te, ut eruaris à via mala.* Reg. Psalt. Ps. 12. v 3. *ponam consilia in anima.* Prov. 27. v. 9. *Consiliis anima dulcoratur.* Eccl. 37. v. 17. *Cor boni consilii statuet, hoc præstat Spiritus S.* his scitis. De Esthere dicitur cap. 1. v. 13. *faciebat cuncta consilio*; quia regebatur à Spiritu S. & illorum hoc proprium est, qui hoc dono Spiritus S. illuminati excellentia ad consequendam perfectionem, & sanctitatem media exquirunt.

§. 5. *Alia ejus operationes.* Denique hoc dono Sanctissimus Spiritus animas electas excitat, movet, persuadet, & impellit ad opera planè heroica, & eximia; stupenda & extraordinaria; quæ rationi humanæ, & judicio hujus mundi, stulta prorsus & paradoxa videntur. In exemplis rem declaro. Contemnere opes, honores, delicias; spernere mundum, amplecti paupertatem & crucem: deserere roseam viam voluptatum, inire spinosam viam pœnitentiæ; ad hæc inquam & alia ejusmodi, ut æterna caducis præferat intellectus, donum Consilii præstat.

§. 6. *In B. Maria de Ognies.* Eleganter illud describit Cardinalis Jacobus de Vitriaco, in vita Beatæ Mariæ de Ognies, lib. 2. cap. 6. *Spiritu Consilii ancilla CHRISTI instructa, nihil praeceps, nihil inordinatè facere volebat, sed omnia diligenter, circumspectè, & cum deliberatione agens in omnibus, quæ vel fieri, vel omitti oporteret, expectabat eum, qui salvam faceret ipsam à pusillanimitate Spiritus, & tempestate, quâ vexabatur.* Ex quibus haud difficile erit colligere, num animæ nostræ hoc dono, & lumine Spiritus S. sint illustratæ. Hactenus de Consilio.

§. 7. *De dono Sapientiæ.* Sapientia verò donum est Spiritûs S. excellentissimum, de quo Job c. 28. v. 28. Salomon Proverb. c. 8. v. 11. 12. c. 9. vers. 1. c. 10. vers. 13. Ecclesiasticus cap. 15. vers. 16. tam rara, & eximia dicunt, ut qui legit, necessariò in admirationem, æstimationem & amorem ejus rapiatur. *Præposui illam*, ait Salomon, *regnis, & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illam lapidi pretioso; omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentũ in conspectu illius.* Est speciosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior; Sap. 7. v. 11. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, infinitus enim thesaurus ejus.* Scio literam Scripturæ hic loqui de Sapientia Incarnata Verbi, mysticè omnia verissima sunt de altero dono Spiritûs S.

§. 8. *Quid sit Theologicè.* Quæ theologicè nihil aliud est, quàm sapida DEI, divinorumque scientia; id quod explicat latius S. Bernardus ser. 85. in Cant. forte sapientia à sapore denominatur, quod virtuti accedens, quoddam veluti condimentum, sapidam reddat, quæ per sese insulsa quodammodo, & amara sentiebantur. Hunc saporem perdidimus ab ipso pœne exortu generis nostri, ex quo cordis palatum sensu carnis prævalente infecit virus serpentis antiqui, cœpit animæ non sapere leonum, ac sapor noxius subintrare, & serm. de 7. donis cap. 7. ait

de hoc dono: *Sapientia est intimus sapor, ac suavissimus gustus*, unde Psalmista ait Ps. 33. v. 9. *gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* serm. 50. in Cant. *hoc donum magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini.* S. Bonaventura, *Est hoc donum splendidissimum instar lucis; est sapidissimum instar mellis, non sicut mel, sed plus quàm mel.* Alanus. *Sapientia est sol, per quem lumen mentis diescit in tenebris; est oculus cordis; fructus internæ delectationis, animæ paradisus, terrenum in cœlestem, caducum in immortalem, hominem in Deum convertens.*

§. 9. *Doni hujus effectus.* Jam verò de ejus effectibus quid loquar? certè primarius ille esse videtur, quod intellectum repleat luminibus, quod voluntatem moveat ad pios omnis generis affectus, quod mentem cœlestibus repleat, satietque deliciis. Quæ omnia expertus fuit S. Augustinus l. 9. Confess. cap. 6. *Quantum flevi in hymnis, & canticis tuis, suavesonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter! voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & exæstuabat affectu pietatis, & currebant lachrymæ, & mihi bene erat cum illis.* Si vultis, ex his advertere poteritis, num à Spiritu S. acceperitis donum Sapientiæ. Hymni, Psalmi, cantica, preces, quibus Deo in Ecclesiis benedicitur, influúntne auribus vestris suaviter? moventúrne & eliquantur corda, exæstuántne affectu pietatis? fluúntne dulces lachrymæ, saltem ex contrito corde? éstne vobis in his exercitiis bene? bene habet, descendit super vos Spiritus Sanctus!

§. 10. *De eadem B. Maria de Ognies.* Certè de B. Maria de Ognies ait cit. Auctor; *Hàc sapientiâ gustavit, & vidit quoniam suavis est Dominus; cùm de sponsi labiis mel & lac sugeret, & in horto voluptatis manna absconditum manducaret.* Advertite ubi his diebus quærere debeatis Spiritũ S. ubi manna cœlestium voluptatum, nimirum apud Sponsum, apud JESUM, quem à festo Ascensionis in horis Canonicis toties suavissimis illis verbis, *JESU voluptas cordium*, salutavimus. Pergit Vitriaco: *hujus mellitissimæ sapientiæ dono cor ejus medullitus afficiebatur, verba edulcabantur, cuncta opera spiritualis unctionis suavitate induebantur, inde fiebat, ut esset mitis corde, dulcis sermone, actione suavis, ebria charitate.*

§. 11. *Invectiva in iracundos, inquietos, &c.* Hanc vobis suavitatem animitus hisce precor feriis, Auditores; atque ô utinam cœleste hoc manna à fonte dulcedinis, Spiritu Sancto, hodie haurirent omnes ii, qui nil nisi iras, ac furores vindictasque spirant, quorum præcordia fluunt felle, & aceto, quorum lingua manat damnatis invidiæ, rixarum, contentionumque fluminibus: non ita Maria Ogniacensis, non ita melleus iste Bernardus, non ita piæ Sanctorum animæ, tanquam pulcherrimæ apiculæ, quæ ut aculeos circumferunt, nec pungere tamen possunt, nec lædere; cùm dono Sapientiæ, quæ omnis nescia vindictæ, pœnæque, solam amat dulcedinem, omni ex parte sint instructissimæ. Verbo, opto vobis donum sapientiæ, sine quo omnes languent virtutes, sine quo nullus est gustus in operibus devotionis! sed meminisse debemus

§. 12. Non datur nisi petentibus & mundis corde.

bemus versûs illius 7. ex cap. 7. Sapientiæ. *Optavi & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ.* c. 9. v. 4. *Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam, mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret.* Iterum versûs 5. ex cap. 1. S. Jac. *Si quis vestrum indiget sapientiâ, postulet à Deo.* Non nisi ferventibus precibus hoc nobile donum impetratur. Ut verò preces nostræ sint efficaces, eas ex corde puro promanare oportet. Verissimum enim est illud Sap. 1. vers. 4. *In malevolam animam non intrabit Sapientia*, & illud Jobi cap. 28. v. 12. *Sapientia ubi invenitur? nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium*, sive, *inter sordes impiorum*. S. Bernardus serm. 3. Pent. *Spiritus iste odit sordes, nec habitare potest in corpore subdito peccatis: nec in uno domicilio pariter morabuntur, tanta munditia, & tanta immunditia.* A Sapientia ad Intellectum progrediamur.

§. 13. De dono Intellectus

Intellectus autem, sive intelligentia, est nomen illud quod præcipuè Deo, sanctis Angelis, & nobiliori parti animæ hominis, & dono peculiari Spiritus Sancti attribuitur. Donum hoc est habitudo quædam supernaturalis, cum gratia, collata animæ justi, perficiens intellectum, eumque illuminans, eo præcipuè fine, ut cognoscat mysteria fidei, omniq; posito dubio illis assentiatur. De quo sic ait Dav. Ps. 118. v. 29. *Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea. declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis*, id est, humiles vi hujus doni assentiuntur difficillimis mysteriis fidei, licet intellectum captivare debeant in obsequium fidei, de quo dono Deo gratias egit David Psalm. 50. v. 8. *Incerta & occulta sapientia tua manifestasti mihi.* Psalm. 118. v. 43 ardentissimè iterum illud petit, *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, revela oculos meos, & considerabo mirabilia tua. Servus tuus sum ego, da mihi intellectum.*


Alium effectum hujus doni promittit Deus eidem Davidi Psal. 31. vers. 8. *Intellectum tibi dabo, & instruam te*, in quo verò nos instruet divinus ille Magister? quibus imbuet præceptis? quibus artibus informabit? profectò iis, quæ omnes inter facultates, scitu longè dignissimæ utilissimæque reperiuntur. Ille nimirum nos, quid in rebus ad animæ nostræ salutem pertinentibus agendum, quid omittendum, informat. Quid utilius? ille dulcissimam amandi artem citra omnem laborem, metumq; doloris, tradit compendio.

§. 14. Doni hujus operationes.

Quid amabilius? ille ad Principum honores, Regum purpuras, Cæsarum solia, viam ostendit; quid magnificentius? ille locum, in quo thesaurorum omnium maximi sunt reconditi, non aureâ aliquâ virgâ, sed solâ Cruce indice ostendit, quid gratius? ille arcana fidei nostræ mysteria dilucidat, ille obscura Vatum Sanctissimorum oracula pandit, Ille, si quæ sunt obscura, illustrat, si recondita explicat, si captu difficillima, tanquam in sole clarissimo proponit. Ita teste Regio Psalte, dat intellectum Spiritus S. ita instruit, ita divinis scientiis discipulos suos, quantumvis initio rudes, atq; ignaros brevi temporis inter-

intervallo ad summam scientiæ laudem erudit, atque informat. Reliqua dona Spiritus S. differo in concionem crastinam.

§.15. Oportet petere dona Spiritus S. Modo pro epilogo rursum insinuo, necesse esse ut dona tam eximia piis, & ferventibus desideriis, in nomine Jesu assiduè petamus. S. Ludovicus Rex Galliarum in die Pentecostes coronatus fuit Rex Jerosolymæ, & Siciliæ. Quare in gratiarum actionem, & rei memoriam instituit Ordinem Equitum, quem vocavit *S. Spiritus à recto desiderio*, inauguratos equites eodem die invitavit ad epulum, quod vocavit *Mensam desideratam*. Huic Ordini hodie asscribo omnes meos Auditores, opto ex animo, ut sint Equites à recto desiderio. Desiderium rectum est, desiderare donum Consilii; desiderium rectum est, nihil nisi consulto bono Deo aggredi in negotio salutis. Rectum desiderium est, opem ac gratiam S. Spiritus, precibus, ut vocant jaculatoriis, crebrò invocare, atque accersere. Rectum desiderium est, ad ea solùm in hac mortali vita aspirare, ea solùm expetere, quæ ad animæ felicitatem conducunt; non quæ carni tantummodo blanda, non quæ familiaria mundo, atque ejus clientibus; non quæ gustui terreno accomoda, non quæ sensibus, vanoque affectui jucunda; sed quæ Spiritui S. quæ Deo nostro, à quo omne consilium bonum, probata, dignaque statu nostro, ac conditione judicamus. Hoc rectis desideriis est insistere, quæ sapientia & intellectus suggerunt. Quibus si morem gesserimus, non deerit mensa illa desiderata, quam Rex Regum Christus cœlestibus instruxit deliciis; non deerunt suavissima supernarum consolationum fercula; non deerit Panis ille Angelorum, quo corda hominum tum in hac vita mortali, tum in altera æterna ac beata, in omne ævum reficiuntur.



CONCIO LXXI.

FERIA III. PENTECOSTES.

Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.

Joann. 10. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit de dono Scientiæ, Fortitudinis, & Pietatis.

§.1. *Qua*

§.1. Quâ formâ Spir. S. descenderit super B. Catharinam Raconisiam.

SPiritus S. non tantum super B. Virginem, & SS. Apostolos Festo Pentecostes, sed sæpius super alias animas sanctas visibiliter in specie ignis descendit: Præ reliquis felix fuit piissima Virgo B. Catharina Raconisia, super quam Spiritus S. quodam die Pentecostes descendit in specie aureæ nubis, altero anno, eodem die, nuntiantibus prius Angelis adventum Spiritus, momento ejus cubiculũ inter cœli fragrores cœlesti, & admirabili luce fuit illustratum, viditq; Virgo descendentẽ igneum globum, ex quo septem igneæ linguæ primùm eruperunt, quæ mox in septem igneas sagittas commutatæ, aliquamdiu adhæserunt Virginis capiti, deinde verò pectus illius, & cor penetrarunt, in quo tale divini amoris incendium excitarunt, ut beata & felix Virgo plenam se Spiritu Sancto animadverteret.

§.2. Pium desiderium, ut eadem forma super nos descendat.

Utinam hoc momento super nos omnes aurea hæc nubes de cœlo descenderet! utinam hoc momento inter cœlestes luces, & radios igneus hic globus delaberetur! utinam tales linguæ! tales Sagittæ! *Veni Sancte Spiritus*, ecce corda, ecce nostras animas, quæ nil aliud desiderant, quàm ut his sagittis vulnerentur, his radiis illustrentur, his flammis accendantur! Qui nudius tertius interfuerunt meæ Concioni, ex septenario numero harum linguarum, & sagittarum facilè conjicient, me per illas intelligere 7. dona Spiritus S. quorum excellentiam, essentiam, effectus, & proprietates, primùm in communi, heri in particulari incepi explicare; & quidem hesterna die donum Consilii, Sapientiæ

tiæ & intellectus. Hoc sermone primum punctum aget de scientia, alterum de fortitudine, tertium de Pietate. Nam de timore Domini alibi copiosior est locus differendi. Spiritui S. sicut & Patri, & Filio sit gloria, honor, & benedictio in sæcula sæculorum, Amen.

§.3. Scientia est triplex. Quid sit scientia Sanctorũ. Ejus effectus.

Scientia est triplex. Prima Philosophorum, quæ teste Aristotele speculatur, & per causas cognoscit naturas rerum, v. g. siderum, elementorum, animalium, &c. Altera Theologorum est, quæ ex fundamentis Sacræ Scripturæ, & principiis, ac veritatibus fidei veram stabilit religionem. Utraque hæc scientia, plerumque, nisi fortè Deus infundat, magno acquiritur labore, & in improbis etiam non rarò reperitur, de quibus S. Paulus ait, *quod licet verum Deum cognoverint, non tamen illum ut par erat glorificarint, sed dati sunt in reprobum sensum gravissimis sceleribus obnoxii.* Tertia denique est Scientia Sanctorum, unum ex septem donis Spiritus S. & est lumen supernaturale, quo Spiritus S. intellectum animæ justæ illuminat, ut agnoscat finem omnium creaturarum, ad quem à Deo Opt. Max. conditæ sunt, & præcipuè hominis.

Hoc lumine illustratur intellectus, ut intelligat in omnibus creaturis esse laudandum, & benedicendum earum Creatorem: hoc lumine intellectus apprehendit, universitatem omnium creaturarum, sive totum hunc orbem terrarum ad hunc finem esse conditum, ut ametur & colatur Deus, quo homo tandem æternâ possit beatitudine potiri: atque ita creaturæ omnes media sunt ac instrumenta, quibus ad finem tam nobilem, atque eximium pertingere possimus. Pulchrè Trismegistus. *Tota mundi conspiratio, & natura est veluti liber divinitate plenus, & speculum divinorum.* Hoc donum Spiritus S. sive scientia oculis nostris tam clarè proponit, ut agnoscamus, quàm Deus in creaturis sit admirabilis, omnipotens, sapiens, justus, misericors, bonus!

In hoc libro vel speculo intellectus humanus illuminatus lumine scientiæ legit, & videt, quid sit mundus, quomodo sit, & ad quid sit constitutus. Inesse videt inæstimabilem potentiam, quæ tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè creavit. In modo Sapientia singularis elucet, quæ tam multa, & varia, tamen ordinatissimè omnia constituit, & disposuit. Si consideret, ad quid sit conditus, occurrit immensa Dei benignitas, liberalitas, bonitas. Ex omnibus intellectus cognoscit omnia esse condita, potentissimè, sapientissimè, benignissimè, utilissimè propter Deum & Electos. Atque ex his cognitionibus hæc necessariò sequitur veritas, hunc & talem Deum esse colendum, amandum, & honorandum, in quo hominis beatitudo consistit. §.4. Alia operationes.

Verùm ut cognitiones sint & claræ, & simul efficaces, ut voluntatem, & hominem moveant ad actionem, opus est peculiari dono Spiritus S. quod vocatur scientia. Quidam enim in hoc mundo, præcipuè divites, clari honoribus atque opibus, ita vivunt, perinde ac si alia vita non superesset, ita suis acquiescunt fortunis, ut nihil aut parum admodum de cœlo soliciti æternam vitam §.5. Agnitio Vanitatis mundi, huic dono est adscribenda.

tam exoptent, quibus haud dubiè deest hoc donum Spiritus S. de quibus ait Salomon Sap. 13. v. 1. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neq; operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex.* S. Bern. ser. 3. festo Pent. *Veruntamen & fuisse novimus ab initio, & adhuc multos esse videmus in filiis hominum, qui in bonis inferioribus sensibilis hujus mundi, tota sensualitate depressi, totos se dederunt his, quæ facta sunt quonam modo, vel ad quid facta sint, negligentes! quid istos nisi carnales dicemus? sine dono scientiæ.* Alii verò rerum omnium in hoc mundo vanitatem agnoscunt; agnoscunt vitæ humanæ brevitatem, mundi fraudes, & deceptiones; cogitant perpetuò brevi se morituros, &c. quid hæc aliud sunt, quàm lumina & effectus doni scientiæ?

§. 6. *Et illorum verborum Christi. Quid prodest, &c.* Documentum verò præcipuum, quo lumen hujus doni intellectum hominis imbuit est versus ille Christi D. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur.* Ex qua cognitione voluntas sibi proponit, in omnibus creaturis, præter solam Dei gloriam, atque animæ salutem aliud nihil quærere, optare, sectari. Hic est effectus nobilissimi doni Scientiæ, quam meis Auditoribus ex animo precor.

§. 7. *De dono fortitudinis. Fortes fecit Martyres.* Fortitudo prout est donum Spiritûs S. (est enim etiam virtus una ex quatuor cardinalibus) est habitus supernaturalis à Spiritu sancto communicatus voluntati hominis justi, per quem roboratur, ut paratus sit pro bravio æternæ gloriæ, ad quam se agnovit creatum, multa agere, & multa pati. Æterna gloria, corona est, quæ duobus brachiis apprehendi debet, unum est actio; alterum passio. Hæc fortitudo, ut sanctissimi Patres loquuntur, militi Christiano porrigit gladium, & clypeum. Gladium, dum dimicandum est fortiter contra varios, & potentes hostes; clypeum verò dum patiendum generosè. Enimverò hoc instructi clypeo, atq; adversum tyrannos, dolores, tormenta, cumprimis muniti in arenam Christi descenderunt generosi pugiles, invicti athletæ, Martyres beatissimi! nam quid aliud robur addidit posito in craticula ferrea S. Laurentio, nisi hoc scutum? laurum sine illo illustris ab ignibus Laurentius non reportasset. Cervicem secandam carnifici non porrexisset Paulus, nisi de hoc eodem clypeo sibi prius providisset. Crucem sacrosanctam non fuisset ita expassis ulnis amplexus Andreas, lapidum imbrem non potuisset sustinere animo tam forti, Protomartyr Stephanus; alius ferales cultros in corpore sævientes haudquaquam tolerasset, alius immane ab alto præcipitium reveritus fugisset, acutum alius lanceæ mucronem suum in pectus adigendum amantibus oculis nunquam aspectu suo fuisset, nisi hoc Spiritus S. clypeo armati, se in tanta, cum saxis, cum gladiis, cum lanceis, cum omnis generis tormentis, certamina comparassent.

§. 8. *Vocatur etiam Virtus. Patuit in Samsone.* Actorum 1. v. 8. hoc donum Spiritus Sancti, sive fortitudo vocatur *Virtus. Sedete in civitate, quousq; induamini virtute ex alto; accipietis virtutem supervenientis Spiritus S. in vos.* Magna operatur hæc virtus: figuram habemus in

Samsone, Jud. 14. v.6. *cùm transiret vineam, apparuit catulus leonis sævus & rugiens, & occurrit ei. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hœdum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu.* Jud. 15. v. 13. ligatur duobus novis funibus, sic ligato occurrunt Philisthiim, qui illum quærebant ad mortem, sed *irruit Spiritus Domini in eum, & sicut solent ad calorem ignis lina consumi, ita vincula quibus legatus erat, dissipata & soluta sunt, & mox mandibula asini interfecit mille viros.* Jud. 15. v.15. Rursum cap. 16. v.9. ligatur funibus septem à Dalila, sed rupit illa, quomodo si quis rumpat filum, eodem cap. v. 13. terræ affigitur à Dalila per terram adacto clavo, sed consurgens Samson momento illum extraxit. Nimirum talia Spiritus S. per donum fortitudinis operatur. Leo rugiens est Sathan, teste Apostolo Petro, 1. Epist. cap. 5. v.8. devorat plurimos; sed quod vincatur à multis, quod hic leo à multis, etiam pueris alligetur Cruci Christi, quod in terram prosternatur, uni huic dono est attribuendum. Multos frequenter videmus arctis vinculis ligari à fallaci illa Dalila, quæ carnis est figura. Sic ligati in ejus sinu complures sæpe annos dormiunt in summo periculo, imò clavis videntur affixi. Quod tandem subitò hæc vincula rumpant, quod clavos illos extrahant, huic dono Spiritus S. oportet ascribere. Heroica conversio magni alicujus peccatoris, alicujus Magdalenæ est effectus hujus doni.

§. 9. Effectus hujus doni ex S. Bernardo.

Aliud perquam nobile doni hujus commodum innuit S. Bernardus ser. 2. Pent. *Dat robur vitæ, ut quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam ejus non solum possibile, sed & facile fiat. Ita ut in laboribus delectabiliter incedat, sicut in divitiis.* Multa talia impossibilia per naturam nobis occurrunt; mandat v. g. Salvator noster, ut inimicis non tantum ex corde injuriam remittamus, sed ut etiam sicut nosmetipsos diligamus. Hæc est regula Scholæ Christi; verùm naturæ corrupti hominis, ut ipsi videtur, quodammodo impossibilis, nihilo tamen minus vincunt se plurimi, sibi ipsi vim inferunt, rem naturæ arduam magno animo aggrediuntur; fit exinde ut inimicum etiam amore prosequi, non tantum non impossibile, sed facile sit. Hic est effectus fortitudinis, hæc illud robur, quo nos vincimus, subministrat.

§. 10. Abstrahit cor ab amore creaturarum.

Affectus certas erga aliquas creaturas sæpe tam intensus est, tam vehemens, atque incitatus, ut frænum illi amore Numinis injicere, etiam piis quandoque viris, difficillimum, imò quasi impossibile videatur. Quid dicam de mundi, vanitatisque mundanæ alumnis? ut illi se violentè abstrahant, à prava, quam contraxerunt multis ex annis, consuetudine: ut societati pravæ, quam diligunt, amore Christi subitò nuntium remittant, ut datâ per Venerem, Bacchumve liberius flagitium aliquod perpetrandi occasione, sibi ipsis temperent, naturam frangant, affectui resistant, carnis motum compescant, voluptatem omnem, atque delicias excerentur; prô quàm hoc illis durum, quàm arduum, ac difficile, quàm impossibile videtur? at unde quæso? un-

unde illa tali in luctu pusillanimitas? unde mens illa tam abjecta, tam parum fortis, ac generosa. Dicam liberè; scutum hoc Spiritus S. desideratur, non suppetit miseris donum fortitudinis Christianæ, & si quas habent vires, eas non nisi ad malum, ad scelera, ad illicita quæque, non autem ad illustria, heroica, sancta, divina, hujus doni defectu exerere possunt, quemadmodum econtra quibus de hoc tam cœlesti dono provisum est, nullam illi sentiunt difficultatem, nullam putant Ætnam suis humeris incumbere, cùm vel pro Christo aliquid tolerandum, vel malis depravatæ naturæ instinctibus fortiter occurrendum meminerunt.

§. 11. *Operatur opera heroica.* Alia sunt opera perfectorum, quæ vocantur extraordinaria, & heroica; partus difficiles gratiæ; & sunt effectus hujus doni fortitudinis, v. g. quod inter spinas Benedictus, quod inter nives Franciscus, se volutarit, quod Sanctus Ignatius inter gelidas nudo corpore steterit undas, quod Sanctus Xaverius purulento ulceri labia, linguamq; admoverit, quod Sancta Apollonia insilierit in ignes, alia sibi oculos eruerit in periculo castitatis, quod nostris temporibus quatuordecim annorum puella inter flammas martyrii prunis se coronarit veluti rosis, & similia heroica facinora sunt effectus hujus doni, per illud Spiritus Sanctus irruit in homines sanctos, in Samsones, in heroes, & talia operatur.

Denique qui in tentationibus carni, & appetitui facilè succumbunt, illi cogitent sibi deesse hoc donum, sine illo sumus debiles & infirmi, cum illo fortes, cum illo tentationibus facillimè resistimus. Verùm antequam hoc punctum finiam, placet duo prius media suggerere, quibus donum hoc facili planè negotio impetrare possimus.

§. 12. *Hoc donū impetramus oratione, præsertim in rebus arduis, exemplo Judith.* Alterum est Oratio; quo medio feliciter usus fuit David, cum ex luctu adulterii dolore sceleris tactus emergere cogitaret, Ps. 50. v. 14. ait. *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* S. Hieronymus legit, *Spiritu potenti.* Hoc medio præcipuè uti debemus in operibus arduis, exemplo Judith, quæ cum obfirmata animo in necem Holofernis gladium educeret, cum in altum stringeret, cùm alterâ manu è plumis evolveret comas, & caput tyranni, alterâ feralem infelici jugulo mucronem intentaret: cùm animo supra fœmineum sexum planè virili facinus illud audacissimum aggrederetur, è cujus prospero successu tota Israëlitici populi salus dependebat, cùm inquam corde imperterrito, vultu nihil mutato, manibus nequicquam tremulis ensem collo Assyrii Tyranni jamjam immersura ante lectum, in quo somno vinoque sepultus jacebat Holofernes, consisteret, oculos ad cœlum attollens inquit c. 13. v. 7. *Confirma me Domine Deus Israel, & respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut hoc, quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam.*

§. 13. *Ejus heroicum factum. Brevis & ardens ejus oratio.* His missis in astra suspiriis, eam de cœlo virtutem detraxit, quâ hostilem potuit, quantumvis horrendam confundere potentiam, quâ in extremas universum hostis exercitum subitò conjecit angustias, quâ pressam gravi obsidione Bethuliam, præter omnium

fere spem, atque expectationem ex hostium quasi faucibus extraxit, quâ patriæ suæ libertatem, civibus lætitiam, Israëlitis triumphum, terrorem Assyriis, internecionem Holoferni, dicto citius, & uno velut momento ter nobilis, ter augusta, ter felix intulit Heroina! His suspitiis invocemus & nos, cum rem arduam aggredi volumus, Virtutem de alto, sive donum Fortitudinis.

§.14. *Devota Communio est efficax medium obtinendi hoc donum.* Alterum medium est, frequens & devota Communio, in illa enim ex uberibus Christi, ex sanctissimis Vulneribus sugimus pretiosum sanguinem, qui velut lac est, quod nos fortes, atque in prælio generosos reddit. Achilles inclytus heros (testes appello historias) fortitudinem suam assecutus creditur ex eo, quod puer etiamnum pastus fuerit lacte hyenæ. Leo de tribu Juda est JESUS in Eucharistia, ab hoc sugite lac Eucharisticum, sugite pretiosissimum Dominici sanguinis liquorem, cum eo & Spiritum Sanctum, & illius robur, virtutemque certandi, ac superandi imbibetis. Sed latius ista alibi.

§.15. *De dono Pietatis. Est triplex pietas.* Ad tertiam, quæ in pietate consistit, partem me confero. Pietas est triplex, vel enim est naturalis inclinatio ad sibi simile, qualis etiam est in bestiis, unde ciconia vocatur avis pia, quia singulari cura, ac sollicitudine prolem suam alere non minus, quàm contra hostes tueri ac defendere, & in nidos secum deportare consuevit. Vel est Virtus, quæ naturales has inclinationes cum ordine quodam dirigit, & disponit, ut prius amemus parentes, patriam, amicos, benefactores, deinde in alios illum etiam amoris affectum diffundamus. Vel est donum Spiritus S. quo sensu est veluti aurea catena, & nexus, & unio quædam, quâ præcipuo quodam modo cum Deo constringimur, & quasi unimur.

Unionem hanc sic explicat S. Thomas 22. qu. 121. art. 1. *Inter cætera autem nos movet Spiritus S. ad hoc, quod affectum quendam filialem habeamus ad DEUM, secundùm illud Romanorum; accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Filius Patris agnoscit beneficia, illum reveretur, & amat, illi fidit, illius curæ, & providentiæ se totum committit, illi bene vult, illius zelat honorem, &c. in his omnibus filialis consistit affectus. §.16. *Prout est donum Spiritus S. unit nos Deo.*

De vestris in Deum animis, de affectibus vestris, ac desideriis nihil est, quod dubitem Auditor. dicite enim, an non profectam à DEO collatorum in vos beneficiorum multitudinem agnoscitis? quod vitam degitis humanam? quod Christianis nati parentibus, iisque orthodoxis? quòd tot jam annos hanc usque in horam salvi, & incolumes perducti? quòd à tot corporis atque animæ periculis, paternè hactenus vel præservati, vel conservati? agnoscitis profectò! Et quidni etiam amaretis? quidni totis viribus in eam curam, ac studium incumberetis, ut quoquo modo tanti tamque benigni in vos Numinis honorem, ac gloriam pro viribus omni in loco, ac tempore propagetis? quidni hoc de vestra mihi virtute persuadeam, ut mutuum erga Deum §.17. *Alii ejus effectus.*

Deum affectum, mutuam amoris significationem, mutuum gratificandi studium exhibeatis? Sed hæc omnia in vobis operatur Spiritus S. per donum Pietatis.

§. 18. *Alii.* Scio de vobis Auditores, quod opera vestra devotionis ad DEI gloriam, Sacramentorum frequentationem, devotas preces, crebra suspiria, exercitia charitatis in egenos, actus humilitatis, & quæ sunt ejus generis alia, perficiatis sæpe, cum teneritudine quadam animæ, cùm optima voluntate laudandi Deum; sæpe cum cœlestibus solatiis. Et quid sunt hæc universa aliud, quàm hujus doni Spiritûs sancti effectus?

§. 19. *Alii.* Scio de vobis Auditores, quod in cordibus vestris sentiatis egregios, & teneros affectus erga cruentam Passionem Christi, Venerabile Sacramentum, Augustissimam cœli Reginam, S. Josephum, SS. Angelos Custodes, reliquosq́; ie Patronos & Cœlites; hi affectus sunt effectus doni Pietatis. Deniq; mihi constat Auditores, multos ex vobis habere viscera misericordiæ erga egenos & pauperes, cor misericors erga afflictos atque miseros. Hæc misericordia est effectus hujus Pietatis. Ultimum donum, Timor Domini, ut initio insinuavi, aliarum est Concionum materia.

§ 20. *Flamma Spiritus S. est felix augurium De Castore & Polluce.* Ut modò finiam, precor ex animo, ut hæ cœlestes, hæ flammeæ, hæ igneæ linguæ, & sagittæ cordibus vestris non tantum adhæreant, sed ut illa penetrent, atque amore cœlesti undequaque inflamment; Augurium & præsagium sunt ingentis felicitatis. Cum in tempestate nocturnæ flammulæ & ignes adhærent malo navis, serenitatem inde præsagiunt nautæ, Ideò Plinius illas vocat, *prosperi cursus prænuntias*; quod gentilibus tam invisum visum fuit, ut illis ignibus attribuerint divinitatem, vocarintq; Castorem & Pollucem, quæ in forma lucidarum stellarum pingi solent, pro symbolo serenitatis, cum hac inscriptione; *Serenum erit.* Philosophi putant subesse causam naturalem, ob quam signum sunt serenitatis, cùm enim aereæ & leves sint, neque altius propellantur, signum est sedatos esse ventos.

§. 21. *Lux Spiritus S. insidet navi Ecclesiæ.* Hodie sanctus Petrus naviculam Ecclesiæ incepit committere procelloso mari hujus mundi! Væ tibi navicula! O qui fluctus, quæ tempestates te aggredientur? quàm vastas undique & undique procellas minatur turbulenta tempestas? quàm terrifica nigris è nubibus fulgura jacientur; quàm horrenda ab alto tonitrua, quàm vasti fragores detonabunt! Sed macte animis! pone metum, non est quod perniciem, aut naufragium pertimescas; affulget tibi ab æthere non una, sed plures auratæ flammulæ, irradiant stellulæ, coruscant in ipsis etiam tenebris jucunda sidera, micant radii Spiritus sancti, ex quibus sanctissimè colligo, secuturam propediem, tum ponti malaciam, tum ætheris serenitatem amabilem.

§. 22. *Et nostra vita est navigatio.* Sed vos ultimùm hic alloquor Auditores! nam vestra quoque vita navigatio est, quam jactant immanes ventorum turbines, afflictionum fluctus, mœrorum procellæ, ingens vobis per-

persecutionum tempestas incumbit. Sed cœlum respicite, & ab alto clarissimam Spiritus S. lucem! ut animos vestros fulgore suo recreet, atque illustret, orate, has si flammas in vestris oriri cordibus animadvertatis, dicite; jam exoptata nos revisit tranquillitas, jam luctui finis, finis angustiis, doloribus, persecutionibus, jam omnibus denique malorum procellis, radiante hoc cœlesti lumine, quod septenis radiis illustre fulgurat, sua est inducta beata serenitas.



CONCIO LXXII.

FESTO CORPORIS CHRISTI.

Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus vere est potus.

Joann. 6. v. 56.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CUr instituantur Processiones in honorem Sanctissimi Sacramenti.

§. 1. *Calidi adhuc ab igne Spiritus S. devotè celebrant Festum Corporis Christi.*

§. 2. *Cur non celebretur die Jovis sancto.*

§. 3. *Conspiratio creaturarum ad festivitatem hujus festi. Flora.*

§. 4. *Aliarum Dearum hortensium, Satyrorum, Naiadum.*

§. 5. *Martis.*

§. 6. *Ornatus platearum, Odores.*

§. 7. *Musica.*

§. 8. *Comitantur Monarchæ mundi.*

§. 9. *Hodierna Processio est publica Professio nostræ fidei.*

§. 10. *Encomium Fidei de Eucharistia.*

§. 11. *Ejus necessitas ob gravitatem mysterii.*

§. 12. *Impletur figura arcæ.*

§. 13. *Redivivus David quid faceret.*

§. 14. *Beati in cœlis hodierno festo peculiariter jubilant.*

§. 15. *Hodierna Processio est publica adoratio Christi in Eucharistia.*

§. 16. *Omnia hodie occurrunt Christo.*

§. 17. *Ut contabescant adversarii.*

§. 18. *Apostrophe ad eosdem.*

§. 19. *Est*

§.19. *Est publica gratiarum actio.*
§.20. *Joseph in Ægypto honoratus, fuit figura Christi in Eucharistia.*
§.21. *Est publica Oratio.*
§.22. *Nemo Processionem negligat.*
§.23. *Non sunt curandi Adversarii.*

§. 1. *Calidi adhuc ab igne Spiritus S. devote celebrant festum Corporis Christi.*

SI corda vestra adhuc calent illis ignibus, si æstuant illis flammis, & incendiis amoris, quem ante paucos dies in vobis accendit Spiritus S. si adhuc ferveant illis calidis desideriis, & suspiriis, quæ suscitavit Deus amoris; si adhuc fumant illo fumo, atque fragrant illis odoribus devotionis, quam ille spiritus dono Pietatis conciliavit; habeo quod vobis gratulor, atque ex animo delector; siquidem illis ipsis ignibus, illis flammis, & incendiis, illis desideriis, illis affectibus pietatis & devotionis; hodiernæ quoque festivitatis solennitas frui desiderat, ut solennissimo cultu à nobis celebretur.

§. 2. *Cur non celebretur die Jovis Sancto.*

Non fecimus illud die Jovis sancto, quo Salvator noster divinissimum hoc Sacramentum instituit, eò quod tempus illud ob acerbam ejus passionem luctui potius, & lachrymis, quàm gaudio, & tripudiis erat conveniens. Distulit verò illud Ecclesia, usque ad hanc diem post festum Pentecostes, ob eam, quam modò insinuavi, rationem, ut scilicet dum gratia Spiritus S. adhuc diffusa est in cordibus nostris, dum cœlesti illo igne adhuc incalescimus, ardenter, ferventer, & tota cordis devotione hodie Christum Salvatorem nostrum in Venerabili Eucharistiâ veneraremur, atque adoraremus. Id quod hodiernâ die palam & publicè variis externis signis testamur: inter quæ cum non infimum locum obtineat publica Processio, in qua Sanctissima Hostia per primarias urbis plateas circumfertur, & quam sine dubio vestrâ quoque præsentiâ ornaturos vos credo, non abs re, me facturum cogitavi, si de hâc ipsa pietate, ac supplicatione, quem in finem, & quibus de causis ab Ecclesia sit instituta, tanquam de re maximè utili, ac necessaria, vobis ut spero benevolè audientibus disserere instituam. SS. Sacramento sit laus, honor & gloria.

§. 3. *Conspiratio creaturarum ad festivitatem hujus festi.*

Habet, nescio quam prærogativam præ aliis singularem hodierna festivitas, in quâ communem quandam creaturarum conspirationem, & concursum cernimus, & insolitum apparatum, ut peculiari cultu, magnâ pompâ, & magnificentia atque lætitia per universum terrarum orbem dies ille Eucharisticus celebretur. Flora videtur tantisper suis ex deliciis hortensibus emigrasse, & obambulasse per plateas, per quas Venerabilis Eucharistia in Processionibus circumfertur, ita omnes viæ conspersæ sunt viridantibus herbis, læto gramine, ac venustissimis ex omni genere floribus, ejusmodi solet vestigia florida illa Nympha relinquere.

Flora.

§. 4. *Aliarum Dearum hortensium satyrorum Naiadum.*

Sociæ Virgines, hortenses Deæ videntur contulisse coronas & serta, quibus coronantur faces, vexilla, altaria, statuæ, capita comitantium, & elegantissimè Sacrosancta theca, in qua populo SS. Hostia adoranda proponitur. Hac quoque nocte, ni fallor, vel ad ortum auroræ ex silvis in urbem videntur irrepsisse

repsisse Fauni & Satyri, qui templa, altaria, columnas; fenestras, ipsas plateas ita exornarunt arboribus, ut illæ potiùs cujusdam silvæ, quam urbis scenam nobis exhibeant. Sylvarum incolæ hos triumphales arcus, quos lætis oculis cōspicimus, erexerunt. Inter hos arcus inter amœnas arbores, juxta altaria vidimus ebullientes fontes hic ex pedibus alicujus Crucifixi, alibi ex pectore Agni vel Pelicani, alio loco in eleganti theatro, vel monte videmus Moysen suâ virgâ elicientem aquas ex duro saxo; tales fontes hâc nocte extraxerunt Naiades in honorem venerabilis Eucharistiæ.

§. 5. Martis. Turres, mœnia, propugnacula urbium & castellorum videtur insedisse Deus Mars; ita tonat, fulgurat ex tormentis & bombardis; ut nihil dicam de ignibus festivis, qui variis in urbibus magno apparatu præparantur, ardentes leones, vel aquilæ, aut aliæ statuæ inter ignes. Inter hos ignes, inter has faces, inter tormentorum tonitrua, inter campanarum sonum, clangunt tubæ, sonant litui, reboant tympana, pulsantur organa, omnia in honorem Venerabilis Eucharistiæ, ut hodiernum scilicet festum magnâ solennitate celebretur.

§. 6. Ornatus platearum, odoris. Exterior facies domuum, & palatiorum, in præcipuis Europæ urbibus, Romæ in Italia, Viennæ in Austria, Madriti in Hispania, Bruxellis in Belgio, tapetibus, picturis, statuis & simili apparatu ita exornatur, ut (libet sic loqui cum Seneca) videamus totas urbium opes & divitias. Et hoc in honorem Venerabilis Eucharistiæ, ut hodiernum festum magnificè celebretur. Ne ad lætitiam desint odores, Arabia & India mittunt genios cum thuribulis argenteis, cum thure, cum aloë, cum stacte, nardo, balsamo, hinc fumant plateæ, fumant templa, fumant altaria, in honorem SS. Sacramenti.

§. 7. Musica. Jam verò ne sua quoque aures delectatio deficeret, videtur ex jucundissimis illis, Parnasso atque Helicone montibus, amabilis ille Musarum chorus unà cum præside suo Apolline huc convolasse, ita omnia suavissimis resonant concentibus, ita in templis pulsantur organa, ita in compitis audiuntur omnis generis suavissima instrumenta, ita de turribus inflantur tubæ, de fenestris clangunt cornua, mulcent cymbala, delectant cytharæ, fides, cheles, plectra, lyræ, cantus, fistulæ; putares hinc Polyhymniam lætorum gestuum Magistram, illic Euterpen tibiarum Dominam, alibi Calliopen carminis heroici conditricem, alibi Terpsichoren chorearum, ac cytharæ Præsidem, alibi aliam ex novem sororibus Nympham ad excipiendum salutandumque Venerabile, residere. Ego verò ex omnibus maximè occupatum arbitror Uraniam, ut quæ cœlestia ejusmodi mysteria, affectibus planè cœlestibus in vestris mentibus prosequitur.

§. 8. Comitantur Monarchæ mundi. Me præcipuè rapit in admirationem hodierno festo, si unquam aliàs summos mundi Monarchas, Imperatores & Reges, Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Principes, Duces, comparere in publico, adesse cum facibus, procedere nudo capite per plateas, provolvi in terram,

rum, ruere in genua, genibus nixis adorare *SS.* Eucharistiam; non alio fine, quam ut hodiernum festum, omnis generis lætissimis affectibus, ac cæremoniis celebretur.

§. 9. *Hodierna Processio est publica Professio nostræ fidei.* Hæc porrò omnia; verbo, solennis hodierna Processio, nil aliud est, quam publica nostræ fidei circa sanctissimum hoc mysterium, sive de præsentiâ Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ Professio. Itaque dum hodie templa exornamus, dum maximum addimus nitorem altaribus, dum lætius coronamus statuas, dum Odæa ad musicas provocamus delicias, dum plateas insternimus floribus, dum ad festivos lætitiæ sonitus compulsamus campanas, dum virides arbores in obsequium Regis erigimus, dum tempora cingimus vel lauro, vel hederâ, dum genua flectimus, dum pectora tundimus, quid aliud obsecro dicimus, quàm Credimus, Credimus, Credimus sub speciebus Hostiæ Deum nostrum, ac Judicem latere Christum JESUM, Credimus verissima illa verba, *Caro mea verè est cibus.* Altaria, flores, arbores, campanæ, tubæ, faces; omnia instrumenta nostræ lætitiæ habent quasi linguas & voces, quibus nos exclamamus, Credimus, Credimus.

§. 10. *Encomium fidei de Eucharistia.* Hodie de fide nostra dicere possumus, quod S. Bernhardus dixit de fide Regum, qui Christum in cunis adorarunt, serm. 2. de Epiph. *Fides linceos habet oculos, cognoscit Filium DEI latentem; cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem, proinde etiam cognoscit sub accidentibus latitantem.* Non quidem oculis carnis, vel naturæ, & humani intellectus, sed oculis fidei. Hæc hodie se abjicit in genua, coram Venerabili Eucharistiâ, & ait cum Angelico Doctore, *Plagas sicut Thomas non intueor, Deum tamen meum confiteor.*

§. 11. *Ejus necessitas ob gravitatem mysterij.* Et hâc fide opus est, ut bene monuit idem Angelicus Doctor in op. ad Rom. cap. 10. *Nisi credatis, non intelligetis.* In promptu est ratio. Mysterium hodierni festi, nimis est arduum, nimis admirabile. *S.* Thomas opusc. 57. *Est miraculorum ab ipso factorum maximum.* Mira admiranda sunt in Deo nostro. David admiratus fuit magnitudinem Psal. 85. v. 10. *quoniam magnus es tu, faciens mirabilia: tu es Deus solus.* Ps. 138. v. 6. miratur Sapientiam, *Mirabilis facta est scientia tua.* Sic loquitur de omnipotentia, de bonitate, de justitia, de misericordia, & aliis attributis, præsertim eorum extrinsecis, ut loquuntur effectibus, quos videmus & experimur, de quibus Exodi 3. v. 20. *Deus ipse dixit, Percutiam Ægyptum in mirabilibus meis, & postmodum.* David. Ps. 105. v. 22. *Fecit Deus magnalia in Ægypto, mirabilia in terrâ Cham, terribilia in mari rubro.*

Nihilominus tamen Ecclesiasticus cap. 36. v. 6. majora ausus fuit petere, dum dixit: *Innova Signa, immuta mirabilia,* quem in locum inquiunt interpretes, Deum desiderio Ecclesiastici satisfecisse abundè dum instituit Sacramentum Altaris. Id quod non dubito agnovisse Davidem in illis verbis, Psal. 110. v. 4. *Memoriam fecit mirabilium suorum.* Hinc S. Thomas opusc. 59. c. 1. *DEUS, inquit, tot & tanta mirabilia inclusit* (in hoc mysterio, de quo loquitur) *quod in ipso videatur quasi omnium mirabilium, quæ fecit ab initio mundi, memoriam renovasse.* Conspirant

Sancti Patres. Urbanus VI. *Stupendum supra omnia miraculum.* S.Hier.S.Eusebius viso viatico, exclamarunt, *O ineffabilis admiratio! O omnium novitatum novitatem!* Iterum S. Thomas. *Hoc Sacramentum specialissimè debet dici Sacramentum fidei, quia tot, & tanta sunt, ibi, supra, præter & contra rationem,* naturalem, *ut nisi per fidem tenerentur, & crederentur, nunquam intelligerentur.* Advertitis ergo, non sine causa nos ante monitos esse ab Angelico Doctore, *Nisi credatis, non intelligetis*: Ut verò ostendamus nos credere, tanto jubilo, tantâ pompâ, tot externis signis insolitæ lætitiæ, festum SS. Corporis Christi celebramus.

§. 12. *Impletur figura arca.*

Hoc modo hodiernâ festivitate impletur figura arcæ, in quâ aliquid mannæ in aureâ urnâ asservabatur, ex sacris literis constat, quàm solenni processione triginta millium virorum, quo jubilo, & gaudio, cum tympanis, & organis, cum cytharis, & cymbalis, cum psalmis, & hymnis arca Domini per urbem fuerit circumlata. Ipse Rex interfuit, imò præ gaudio ante arcam, corpore non minus, quàm animo subsiliit jubilans & psallens Domino. Ejus jussu de principibus quidam concreparunt in cymbalis æneis, alii in nablis arcana cantarunt, alii in cytharis pro octavâ cecinerunt epicinion, alij præfuerunt ad præcinendam melodiam, alij clanxerunt tubis, alij omnes secuti sunt in lætitia. Itane David axultavit coram Arca, in quâ credebat DEUM sibi, & populo peculiariter assistentem, sed in figurâ, & umbra; quo jubilo nos oportet exultare coram Venerabili Eucharistiâ, in quâ non umbram aut figuram, sed DEUM ipsum præsentem credimus.

§. 13. *Redivivus David quid faceret.*

O si hodiernâ die redivivus David urbem hanc ingrederetur, sine dubio supplicationi nostræ comes accederet, sine dubio se immisceret Musicis, & psallentibus, sine dubio præcineret lætissimum Epicinion; sumite psalmum, & date tympanum, psalterium jucundum cum cytharâ psallite Deo nostro, psallite. Hoc agite Aud. nullam omittite lætitiæ partem, nullis parcite sumptibus, nulla desiderari patiamini obsequia: Si cui flores, quos substernat vel herbæ virentes, desunt; cor ipse suum projiciat, affectus demittat, animam offerat, nemo unus sit, qui non hanc solennitatem pro viribus promovere allaboret. Psallite, psallite, date laudem Deo nostro in sæcula. Dicite, Deo nostro honor in sæcula. Laudate Dominum omnes gentes. Laudate eum in sono tubæ. Laudate eum in psalterio, laudate Deum in tympano & choro, quia magnificatum est nomen ejûs in sæcula.

§. 14. *Beati in cælis hodierno festo peculiariter jubilant.*

Subinde exclamate mecum, Benedicat nos Deus, Deus noster! vere Deus noster, sed amabilis, dulcis, benignus: Et metuant eum omnes fines terræ, metuant qui procul ab eo distant, metuant impij peccatores, increduli, metuant mali omnes, quibus terribilis est Deus!

Quod Regius Psaltes non facit in terris, facit in cœlis. Refert enim Isidorus ex ord. S. Dominici, revelatum fuisse Personæ sanctæ; hodiernam festivitatem Corporis Christi etiam in cœlis à Beatis & Sanctis Angelis lætissimâ processione celebrari; juxta illum versum

sum 11. Psalmi 95. *Lætentur cœli, & exultet terra.* Paraphrastes. *Lætentur exercitus Angelorum, & exultent justi terræ.* Damasc. l. 2 de fide cap. 6. *Scriptura his verbis Angelos, qui in cœlo sunt, & homines qui in terrâ versantur ad lætitiam accersit.* Eja Ergo Aud. cum paulo post Eminentissimus noster Elector & Archiepiscopus ex arâ, Venerabili Eucharistiâ vobis benedicet, cum illam vobis præferet, ruite in genua, mille fidei, spei ac charitatis affectus, ad illum quasi nuntios vestros ablegate; mox surgite, sequimini arcam, in lætitia & jubilo cordis; sed cogitate corde, dicite linguâ: Credimus DEUM hominem JESUM Salvatorem sub accidentibus Hostiæ circumferri. Credimus præsentiam ejus Carnis, & Sanguinis; credimus quidquid Ecclesia de mysterio hoc credendum proponit. Hoc publicum fidei Orthodoxæ exercitium in aliqua urbe vel oppido, non potest non Deo esse gratissimum.

§. 15. *Hodierna processio est Publica adoratio Christi in Eucharistia.* Secundò, Hodierna Processio & solennitas, est publica Veneratio atque Adoratio Christi præsentis in Eucharistiâ; qui hoc credit, cur neget hunc cultum, ut comitetur, ut genua flectat &c. O lepidos adversarios! terrenos principes venerantur, & Regi cœli reverentiam negant, Joan. 6. v. 38. ait cœcus: *Credo Domine; & procidens adoravit eum,* Matt. 2. v. 11. Reges Tres viso Puero eum adorarunt, Johan. 20. v. 28. id fecit S. Thomas; cum itaque nos credamus in SS. Sacramento adesse illum eundem, qui cœco restituit visum, qui supplices sibi habuit atque in terram prostratos Reges Orientis, qui D. Thomam ab incredulitate ad vivacissimos fidei actus transtulit, meritò publicâ veneratione illum adoramus.

§. 16. *Omnia se die occurrant Christo.* Locum hodie habent verba Drogonis de Sacr. Domin. pass. ser. 1. *Nihil in nobis resideat, quod in occursum JESU non prodeat.* Eja arbores date in obsequium DEI nostri frondes, date folia Lauri, date flores & fructus, date virentes ramos, date vosmet ipsas DEO nostro, & vestro. Eja aviculæ, & vos potissimum amabiles philomelæ torquete parvo, sed læto gutture suavissimum carmen Deo nostro. Eja prodite ex hortulis flosculi, adeste Nymphæ, occurrite Fauni; advolate & vos capripedes Satyri, & choreas edite, non levitatis: sed charitatis, & reverentiæ erga Deum nostrum! Eja Arabes, hic vestras expedite opes, hic thesauros recludite, hic odores spargite, hic facite copiam thuris beneolentis, & myrrhæ, & balsami, & nardi. Eja Indi, gemmas hic & uniones subministrate, pulchrius mihi credite, ex Hierotheca Venerabilis Eucharistiæ, quam ex nigris vestris auribus dependebunt. Eja terræ Imperatores, vos magna mundi Numina, vos Cæsares, ac Dynastæ, vos Reges, ac Principes, vos Marchiones ac Duces, vos Comites ac Barones, vos Nobiles ac Proceres, si qua habetis stemmatum vestrorum decora, illa sine mora summa reverentia & animi demissione proferte; si qua habetis in palatiis ornamenta, exponite, si quam in thesauris supellectilem auream, atq; argenteam, afferte, si quas in cistis delicias, adducite, & DEO nostro, vestroque in die solennitatis ejus, facite vectigales, ornate templa,

templa, insternite vias, vestite tapetibus compita, nullus non locus sentiat quanta sit hodiernæ lucis voluptas.

§. 17. *Ut contabescant adversarii.* *Ut* (Conc. Trident. sess. 13. cap. 5. Judæi, Hæretici &c.) *in conspectu tanti splendoris, & in tantâ universa Ecclesia lætitia, positi, debilitati ac fracti tabescant.* Ingrediente JESU in urbem die palmarum, cum insolito triumpho commota est universa civitas; hostes ipsius maximè fuerunt turbati, dicentes, *Quis est hic?* Idem hodie quærere solent Acatholici. Quid sibi vult, inquiunt magnificus ille splendor Catholicorum? quid illa in templis pompa? ille in altaribus ornatus? quid frequens campanarum compulsatio? quid tormentorum reboantium è propugnaculis fragores? quid nitor ille platearum? quid hominum concursus?

§. 18. *Apostropho ad eosdem.* Ita illi interrogant, ita capita conferunt, ita mirantur, dein tacent, hærent attoniti, obstupescunt. Sed quid miramini? en ego causam vobis aperio, ego vobis explico mysterium. Circumfertur Venerabili in Eucharistiâ Christus JESUS! Audistis causam arcuum triumphalium, ornamentorum, applausuum, gaudiorum. JESUM veneramur sub Eucharisticis latentem speciebus Catholici, huic illi honores, illi triumphi, huic festivi ignes, huic omnia ista piissimo affectu offerimus, dicamus, consecramus obsequia. Improbate, si potestis, hæc orthodoxæ argumenta pietatis; habete ludibrio, si fas est, quam à majoribus nostris accepimus religionem in DEUM. Contemnite, si licet, illos nostros in Regem nostrum affectus: verùm cogitate simul, quæ vos aliquando pœna idcirco maneat; cogitate, ob solum arcæ aspectum minus reverentem, quondam multa hominum millia à divinâ Justitiâ per subitaneam mortem à vivis erepta. Cogitate hæc inquam, & cavete, quid enim fuit arca nisi figura hujus mysterij? quid nisi umbra hujus lucis Eucharisticæ?

Sed jam unde nonnihil digressus fueram, revertor. 3. Hodierna Processio est publica, & communis gratiarum actio, & laus pro omnibus beneficiis, sed potissimum Venerabili Eucharistiâ, in quâ suum corpus, & sanguinem nobis dedit, in cibum, & potum. Festum Incarnationis. v.g. institutum est, ut agamus gratias pro Incarnatione, in festo Nativitatis, propter eandem nos gratos, & memores DEO exhibemus &c. hodiernâ die unâ omnes voce acclamant, *Lauda Sion Salvatorem &c.* In quo sequimur consilium Ecclesiastici cap. 43. v. 32. *Glorificantes Dominum, quantumcunque potueritis; supervalebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis, major est enim omni laude.* §. 19. *Est publica gratiarum actio.*

Pulchra nobis figura suppetit ex illo Gen. 41. v. 42. Nam quia Josephus providerat Ægypto de annonâ, & pace, donavit illi Rex annulum, ejus jussu indutus est bysso, & ornatus torque aureo, quin & impositus est regiæ quadrigæ, in quâ dum per urbē circumveheretur, publicâ præconis voce, jussi sunt omnes ipsum agnoscere, & adorare tanquam Dominum, & Salvatorem Ægypti, cui ipse providerat de pane. De alio cibo §. 20. *Joseph in Ægypto honoratus, fuit figura Christi in Eucharistia.*

cibo cœlestis Joseph, Salvator mundi providit suæ Ecclesiæ, dum Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ instituit; nos credimus nos vesci pane Angelorum, imò carne & sanguine Christi, nunquid par est, ut infinitas agamus gratias, nunquid par est, ut Venerabilis Hostia, si non regiâ quadrigâ, saltem manibus sacerdotis per urbem cum ingenti gratiarum actione circumferatur; ut sic Deo gratos nos exhibeamus, acclamando millies; *Tantum ergo Sacramentum, veneremur cernui, &c.*

§. 21. *Est publica Oratio.* Denique 4. hodierna Processio est publica oratio & supplicatio ad DEUM Patrem, ut per merita Unigeniti Filij sui, quem in Eucharistia præsentem credimus, nostri misereatur, & omnibus, qui vel comitantur, vel alio quovis modo ad augendam festi celebritatem studium suum, atque operam conferunt, benedicat. In summis necessitatibus primævi Christiani confugere soliti fuerunt ad sanctissimum Sacramentum; idem nos facimus, unde plerumque Sacerdos, dum cum Venerabili populo benedicit, versum illum insonat, *Defensor noster aspice &c.* Vel, *O salutaris Hostia &c.* Vel, *Ecce panis Angelorum &c.*

§. 22. *Nemo Processionem negligat.* Percurrite si lubet pulcherrimum illum hymnum, *Lauda Sion Salvatorem*; invenietis amoris foměta, pietatis igniculos, affectuum materiam; Percurrite, vel dum sacro missæ officio astatis, ceu Regis illius cœlestis, cujus hodie solennitatem celebratis, ephœbi atque aulici, vel dum eum amoris, & honoris gratia, Eucharisticâ in supplicatione comitamini, nemo sit è Catholicorum numero tam segnis, nemo tam tardus aut tepidus, nemo in suum Regem, ac Dominũ tam ingratus, ut hodiernã negligat processionem, ut non pro viribus ejus pompam, majestatemque amplificare, & vel sanguine etiam, si ita opus fuerit, defendere allaboret.

§. 23. *Non sunt curandi Adversaris* Hoc unum pro coronide meæ Concionis addo: & finio, non pedibus solùm, sed & affectibus procedendum sibi quisque meminerit, nec quid rideant Hæretici, nec quid improbi effutiant, nec quid loquantur improbi, nec quid Pseudo faciant politici, sed quid bonum atque integrum deceat Christianum, eumque Catholicum, quidque ab eo, divina olim sit requisitura, rerum omnium, cordiumque testis Justitia, meditetur.

CONCIO LXXIII.

FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Joannes est nomen ejus. Luc. 1. v. 63.

Synopsis Concionis.

Continet aliquot responsiones ad illam quæstionem, *Quis putas Puer iste erit?*

§. 1. *Quid*

§. 1. *Quid significet vocula Ioannes.*

VArias habet significationes D. Joannis nomen. In linguâ hebraicâ significat *gratiam*, vel *gratiosum*, & rectè: Puer qui hodie nascitur est plenus gratiâ in utero matris; & totus gratiosus, vel amabilis Matri, Patri, vicinis Beatæ Virgini, Angelis, Deo, hominibus, ideo *Ioannes est nomen ejus.* Secundum Pagninum idem sonat, quod Domini donum, vel misericordiam. Puerum, qui hodie nascitur, duplici titulo vocare possumus donum Dei, vel quia Deus nobis illum dedit, velut præcursorem Domini, & prædicatorem pœnitentiæ, vel quia plurima in ipsum, atque ingentia contulit dona DEUS, juxta illud, *Manus Domini erat cùm illo, & cùm illo, & cum eodem fecit misericordiam magnam*; unde Syrus legit, *Deus misertus est*, vel *gratiam exhibuit.* Ideo *Ioannes est nomen ejus.*

§. 2. *Angelus imposuit hoc nomen*

Isidorus l.7. Ethym. c.8. puerum hodie natum, vocat *prænuntium gratiæ*; cui aliud nomen dari proinde non debuit, quam gratiæ: sive Joannes sit nomen ejus affirmante hoc S. Zacharia, quasi diceret, Non nos nomen hoc ei imponimus, sed à Deo jam illud accepit, sic eum Angelus nuncupavit, & Cajetanus de Elisabetha ait, *A Spiritu S. didicerat hoc nomen imponendum filio.*

§. 3. *Qui putas Puer iste erit?*

Ob hæc mirabilia in tam læta Nativitate gratiosissimi pueri admiratione pleni vicini, per montana Judeæ quæsiverunt, *Quis putas puer iste erit?* v.66. Vel qualis, quàm admirandus puer. Responsiones ad hanc quæstionem, materiam & eximia elogia mihi suggerent, pro præsenti panegyri, quam honori S. Joannis dicere aggredior. Sed ut ea optatum, quem spero, fructum consequatur, vos in honorem gloriosi & amabilis parvuli, & magni DEI prædecessoris, eâ quâ soletis modestiâ, atque animi æquitate tantisper differentem prosequimini.

§. 4. *Fuit sanctificatus in utero.*

Puer hic, ut alij omnes puri homines, (si augustissimam DEI Matrem excipias) in labe peccati originalis fuit con-

conceptus; verùm sexto mense post Conceptionem, eadem Dei Mater & Virgo cum divinâ prole in virginali utero, in Elisabethæ venit ædes, ab illa labe, ab auctore gratiæ, momento fuit liberatus, & gratiâ sanctificante ita repletus est, ut B. Joannes & in nativitate, & ante illam aliquot mensibus in utero matris, sanctus omnino puer extiterit. Sanctificationis hujus modum ex l. 1. Reg. c. 16. v. 23. intelligere possumus.

§. 5. *David sua cythara fugavit Spiritum nequã ex Saule.*

Nam postquam David à Samuële in Regem Israël fuisset unctus, Spiritus Domini recessit à Saul, & exagitabat eum Spiritus nequam. Dumque eam ob causam proceres aulæ, de tanti mali remedio consilia conferrent, illorum unus ajebat; *quærant hominem scientem psallere cytharâ, ut quando arripuerit eum Spiritus Domini malus, psallat manu suâ, & levius ferat.* Ex voto successit consilium; è pascuis in regiam adduxerunt pastorem Davidem, juvenem formosissimum cum cytharâ suâ, & *cum spiritus malus exagitavit Saul, sustulit David cytharam, & percussit manu suâ, & refocillabatur Saul, & levius habebat, recedebat enim ab eo Spiritus malus.* Sic dulcis lyra & cythara, sic suavis harmonia fugavit Dæmonem: neque enim ille cytharizantis & psallentis Davidis aspectum potuit tolerare.

§. 6. *Iesulus in utero B. V. fugavit peccatum Originale. Cythara fuit B. Virgo.*

Puerum quoque nostrum Joannem post ortum in utero matris aliquot menses possedit spiritus malus, ob labis originariæ maculam ejus anima fuit thronus, & sedes turpissimi serpentis; sed quid, O Superi! illene qui futurus est præcursor Domini, in potestate, & servitute manebit Dæmonis, illane stella matutina prænuntia Solis Justitiæ, tam turpi squalebit macula? placuit hoc divinæ providentiæ, sed ad modicum tempus, breviâ tanto eum malo divina gratia vindicavit; sexto quippe mense advenit cœlestis David, Filius DEI incarnatus in utero Virginis, Cythara fuit Beatissima Dei Mater; cùm primum David illam commovit, ut primum Mariæ vox sonuit in auribus ejus, ad suavissimam illam harmoniam, *Magnificat anima mea Dominum*, infans in utero Elisabethæ cœpit habere melius, reliquit eum spiritus malus, & pulso peccato originali, animam ejus ingressa est gratia, quæ eam divinitatis, & Spiritus Sancti sedem, & thronum constituit.

§. 7. *Confirmatur ex S. Thoma de Villa Nova.*

Totum hunc discursum debeo S. Thomæ de Villa Nova, in Conc. de Visit. B. V. ubi sic habet. Magnum illum cytharædum agnosco suâ cytharâ personantem, & virtute harmonicâ Dæmones excellentem; notam omnibus figuram edissero. *Davidis cytharâ personante, Saulis obsessum animum Diabolus deserebat. Mira res! musicâ fugatur Zabulus, & qui juxta sententiam Iob, sagittas reputat quasi paleas, & lapides fundæ quasi stipulas spernit &c. ad cytharæ sonum tremefactus recedit, & quem nulla vis superat, superat harmonia, latet procerto in cythara illâ mysterium, latet sine dubio.*

§. 8. *Hymnus Magnificat fuit suavis Musica.*

Quid enim fuit virginea illa vocula, *Magnificat*, nisi suavissimus cytharæ sonus? psallebat Virgo, & applaudebant Angeli, imò ipsa dum luderet, præ gaudio exiliebat; *& exultavit*, inquit, *spiritus meus in DEO salutari meo.* Tanta fuit

fuit cytharæ hujus suavitas, ut Virginum modestissimam ad exultandum compelleret, & quod mireris, omnes musicæ artis sonos modosque unico in cantico scitissimè cœlestis hæc cythara expressit; enim verò jam ad infimum gradum notamque humilitatis descendit, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Modo rursum clariore sono in DEI laudes erumpit ex alto, *quia fecit mihi magna qui potens est*, Luc. 1. v. 49. O dulces cytharæ hujus lusus! ad quorum harmoniam fremit, ac frendet, alter ille genius inferni!

§. 9. *Salutatio Elisabetha ad B. Virginem.*

Sed & Elisabetham gnaram hujus artis accipite, en sonum cytharæ. *Unde hoc mihi, ut Mater Domini veniat ad me*, vers. 43. stupet hic plectrum, & velut ad pausam grato silentio nonnihil commoratur; mox incipit rursum, *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Ad quos sonos tremefactus Dæmon fugere debuit. Ut nihil dicam de sono dulcissimæ cytharæ, quæ fuit lingua, & vox JESULI, sed ex corde, Salve Joannes: hanc harmoniam Dæmon non tulit, sed cessit, & dedit locum gratiæ, quæ Joannem in utero Matris fecit gratiosum, & Sanctum; *& quis putas puer iste erit?* qui antequam nasceretur fuit sanctus! sine dubio, sanctus erit, gratiosus erit, proficiet in gratia, & sanctitate. Sit ergo *Joannes nomen ejus!*

§. 10. *S. Joannes fuit stella matutina, B. Virgo Aurora, Iesulus, Sol.*

Oriente stellâ matutinâ incipiunt cantillare luscinia, oriente aurorâ cantus edunt vocaliares, verùm sole ipso oriente plenis vocibus, & jubilis illum salutant. Momento quo B. V. ingressa est ædes Elisabeth, pulsis nebulis peccati originalis prodiit stella matutina, S. Joannes: prodiit & aurora B. Virgo. Denique ipsus prodiit sol, licet adhuc intra nubes virginalis uteri abditus lateret JESULUS. Quid mirum cecinisse luscinias? Lusciniam se fuisse suo prodidit gutture, cantuque suavissimo Virginum beatissima: nulla philomela unquam purpureos auroræ vultus salutans, gratius edidit melos, ac ipsa; cum amabili voce decantans suum illud Magnificat, omnes Paradisi volucres, geneos inquam cœlestes, quos multis partibus, seu cantûs suavitatem, seu sublimitatem spectes, superavit, atque in sui rapuit admirationem defixos. Audiit hanc lusciniam Elisabeth, & ecce illa, anus licet esset, præcinentem DEI laudes imitatur; imitatur & Zacharias suos modulans amores, *Benedictus Dominus Deus Israël*, vers. 68. imitantur denique vicini, qui simul in laudem DEI conspirantes jucundissimam cœlo terræque harmoniam, & concentum mille plectris suaviorem reddiderunt. *Et quis putas puer iste erit?* cui tales accinunt lusciniæ? sanctus, gratiosus, *Joannes est nomen ejus.*

§. 11. *Magnitudo de gratia in S. Ioanne Bapt.*

Gratia verò sanctificans in S. Joanne tanta fuit, ut S. Bernardus exclamat sermone de excell. & sanctitate S. J. B. *Hodie dies nobis illuxit insignis, & tantò diebus cæteris sanctior, quantò sanctiorem hominem terris infundit. In hac siquidem die natus est sanctorum splendor, Justorum gloria, lætitia Angelorum, excellentissimus homo, Consanguineus Christi, amicus sponsi*; Similem non habet, qui choris insertus Angelicis, sublimioris coronæ titulis universitatis humanæ

tran-

transcendit ascensum. Ob hanc nativitatem Pueri sancti, lætatur hodie orbis, & per quatuor mundi climata circumsonat gloriosæ festivitatis instantia; ipsis etiam cœlis celebris & famosa. In terris natus est puer sanctus, puer repletus Spiritu S. in utero matris, puer fœcundatus à præsentia divinæ Majestatis. Joannes est, quem ad tantæ sanctitatis apicem elegit Dominus.

§. 12. *Encomia S. Joannis B.*

Et quæritis, *quis putas puer iste erit?* erit sanctorum splendor, justorum gloria. *Quis puer iste erit?* erit lætitia Angelorum, homo excellentissimus. *Quis puer iste erit?* erit, quo major inter natos mulierum, ipso Christo attestante non fuit.

§. 13. *Pulchritudo animæ S. Joannis.*

Unus ex primariis effectibus gratiæ sanctificantis est ornare animam, eamq; reddere pulchrã, & formosam. Anima parvuli Joannis in utero repleta est Spiritu S. & gratiâ, proinde cogitare etiam oportet, animam S. Joannis, etiam in utero matris, dum alii infantes squalent turpitudine peccati originalis, fuisse pulcherrimam. P. Cornelius à Lapide, ob hanc pulchritudinem à sanctitate, & gratia S. Joan. collatam, *Puerum & Filium Charitum* appellare non dubitat. Charites, si Poëtis credimus, tres fuêre quondam sorores, formosissimæ Virgines, ornatæ floribus, & sertis, comptæ gemmis, aliàs dictæ *Deæ gratiarum.* Videtur P. Cornelius dicere voluisse unam ex his tribus fuisse matrem gratiosissimi pueri, qui hodie Joannes dicitur.

§. 14. *S. Joannes fuit Filius Charitum sive Gratiæ*

Sed apage à puero sanctissimo falsa hæc Deorum & Dearum idola. Fuit equidem, fateor, fuit Joannes filius Charitum & gratiarum. Verùm una ex illis fuit Gratia sanctificans, altera sanctitas: tertia denique Virgo Virginum formosissima Maria: hæ Charites Joannẽ in ipso utero Elisabethæ, antequam nasceretur adeo exornarunt floribus, adeo gemmis reddiderunt illustrem, adeo gratiosum, ut merito Joannes, sive puer sanctissimus nuncupetur. Et *quis putas puer iste erit?* nisi speculum omnis perfectionis; partus gratiæ, filius magnæ Matris!

§. 15. *Gratia illi collata asscribenda sunt B. Virgini.*

Quare si parvulo Christi præcursori applaudimus, atque impertitam cœlitus gratiæ plenitudinẽ gratulamur, gratulemur & Virgini Matri, cujus adventus tantæ extitit felicitatis auspicium. Si excelsum sanctitatis culmen, in quo infans quiescit Joannes, miramur; miremur & Virginis clementiam, ex cujus salutatione hæc sibi profecta dona ipsemet pusio, adhuc in utero clausus materno exultans agnoscit. Denique si merita, si virtutem, si vel corporis, vel animæ pulchritudinem, quâ inprimis ornatus fuit Joannes, commendamus, commendemus ut venustissimam Mariæ formam, virtutemque humanâ prope majorem, nam suum illi decorem post Christum lubens volensq; asscribit S. Joannes. Et *quis putas puer iste erit?*

§. 16. *Præsentia & mansio B. Virginis in domo Joanni multum profuit.*


Si primo ingressu tantus profectus extitit, ut ad salutationem Mariæ exultaret infans in utero, ut repleretur Spiritu S. quantum putamus usu prolixi temporis, trium ad minimum mensiũ, *Mariæ addidisse præsentiam.* Sancta Sanctorum, fons sanctitatis, Mater sanctissima; imo Filius DEI primus fons & origo sanctitatis, vel ipsa sanctitas increata, dubio procul puerum hunc omni sanctitate repleverunt, ut merito dicatur puer sanctissimus, puer gratiosus.

Johannes est nomen ejus! gratia enim, & charitas, & sanctitas necessario nexu, & vinculo, veluti sorores, veluti Charites sunt conjunctissimæ.

§. 17. *Hic § gratulatur S. Ioanni.* Gratulor sanctissimo Joanni de tanto privilegio & nominis, & gratiæ; gratulor illi quod formosissimus & divinus David per suam cytharam, id est, JESUS per Mariæ dulcissimas voces ex anima Joannis in utero Matris fugârit spiritum malum peccati originalis; gratulor quod oriente aurorâ, Virgine inquam Deiparâ, in montanis radiante, & pulcherrimo sole, quem roseo involutum utero, gestat Aurora, Christo JESULO lusciniam egerit Joannes, quod canendi materiam facultatemque muto parenti præstiterit, quod Elisabetham matrem mitis exultantem gaudiis ipsemet exultans, & exsiliens animadverterit, quod vicinos in communem lætitiæ usum traxerit, quod Virgini Mariæ ansam dederit atque occasionem, in aureum divini amoris canticum erumpendi; denique gratulor Joanni, atque iterum iterumque gratulor, non voce duntaxat, sed & animo, & affectu, & oculis, & manibus, & pectore applaudo, quod in eam vitæ sanctitatem evaserit, quæ post JESUM, & Mariam, teste ipso Salvatore, nullam in terris atque astris majorem agnoscat.

§. 10. *Illis, qui Joannes vocantur.* Consequenter hodie gratulor omnibus, qui gratioso Joannis nomine gloriantur; in signum gratulationis cupio illis vinculum amoris injicere; at quale inquis? quæ in nos munuscula conjicies? quibus nos xeniis mactabis? gemmas fortè atque uniones, regiæ dexteræ munera? an aurum argentumve? vel si quid iis carius, ac pretiosius nosti? fortassis Phrygiâ acu elaboratas vestes? Sed frustramini vestrâ vosmetipsos expectatione, si hæc à me desideratis. Non mihi opes ejusmodi, non gemmæ atque uniones, non auri vel argenti laminæ, non rara vestium elegantia, quibus meos mihi Auditores devinciam in promptu est, neque verò esse vel potest, vel lubet, non tamen abibitis festâ hâc S. Joannis luce indonati, quicunque hoc glorioso nomine insigniti adestis, suppetunt & inopi sua munera, quæ subinde gratiora dulcior affectus, atque amor suppeditat.

Quia mentionem feci Charitum, ab unâ mendicavi flosculum, ab altera unionem, à tertiâ gemmam; in flosculo intelligo gratiam, in unione sanctitatem, in gemmâ Spiritum sanctum: Omnibus, quibus nomen Joannis obtigit, hodiernâ luce precor ut repleantur gratiâ, sanctitate & Spiritu sancto: Hoc triplici dono, vel vinculo illos ligo, hoc illis gratiosi nominis mnemosynon, eo quo possum animi affectu, dono atque offero. Utinam omnes simus Joannes, id est, sancti; sanctitas enim, sive gratia, sive Charitas DEI, in cordibus nostris, semen est æternæ gloriæ, quam mihi, & vobis largiatur SS. Trinitas, quæ in sancto Joanne sit benedicta in sæcula, Amen.



CON-



CONCIO LXXIV.

FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAVLI.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Matthæi. 16. v. 18.

Synopsis Concionis.

Petrus, & Paulus sunt duæ Columnæ Ecclesiæ.

§. 1. *Principes (ex Psal. 44.) idem sunt, quod Oculi.*
§. 2. *Vel Olivæ.*
§. 3. *Vel Specula.*
§. 4. *Vel Columna.*
§. 5. *Duæ Columnæ in introitu templi.*
§. 6. *Templum denotat magnificentiam Ecclesiæ Romanæ: Binæ Columnæ SS. Petrum, & Paulum.*
§. 7. *Has Columnas hactenus nulli hostes potuerunt diruere.*
§. 8. *Fuerunt columnæ aureæ ob charitatem.*
§. 9. *Coronatæ liliis ob puritatem.*
§. 10. *Hic §. gratulatur Ecclesia de his columnis.*
§. 11. *Binæ columnæ Apocalypticæ ex cap. 10.*
§. 12. *Columnæ marmoreæ ex Canticis.*
§. 13. *Contra quas conspirat Orcus.*
§. 14. *Columnæ, quas diruit Samson.*
§. 15. *Columnæ hæ, sive SS. Petrus, & Paulus ornarunt Romam.*
§. 16. *Columnæ hæ ornantur variis emblematibus.*
§. 17. *Aliud Emblema.*
§. 18. *Aliud.*
§. 19. *Aliud.*
§. 20. *Aliud.*
§. 21. *Alia emblemata.*
§. 22. *Pium desiderium.*

§. 1. *Principes (ex ps. 44.) idem sunt, quod Oculi.*

Eximia encomia duorum sanctorum Apostolorum, quorum memoriam hodiernâ luce celebramus, continet v. 17. Ps. 44. *Constitues eos Principes super orbem terrarum.* Alii hunc versum sic legunt. *Constitues eos oculos,* nec sine mysterio, Reges enim, & Principes acutam oculorum

lorum aciem habere oportet, ut vigilent pro populo. Hoc Regibus innuit illud symbolum, vel sceptrum loco gemmarum insignitum apertis oculis cum hoc lemmate, *Regum Vigilantia.* Nimirum ejusmodi Principes, & Reges fuerunt Petrus, & Paulus, sollici ti, vigiles atque attenti ad gregem Christi, veluti boni pastores; adeo ut non incongruè sensu mystico eos Ecclesiæ oculos nuncupare possimus; hæc enim instar formosæ sponsę pulcherrimum constituit corpus, cujus caput aureum est Christus Dominus: Collum sive canalis gratiarum B.V. frons, Doctores: genæ & labia, Martyres, capilli, Virgines, duo lucidissima lumina, ceu duo radiantia sidera, aut etiam auricomi soles sunt Petrus, & Paulus, ut bene de illis prædixerit David. *Constitues eos Oculos.*

§. 2. Vel Olyva. Alii interpretes citatum versum sic legunt, *Constitues eos Olivas*, ut non ignorent Reges benignitatē, & clementiam à se requiri. Hoc sensu Ecclesia est Hortus conclusus. Horti fons est Jesus; terra ejus virginea, & benedicta, B. Virgo; horti murus custodia Angelorum: horti rosæ SS. *Ma*rtyres, lilia Virgines; horti arbores SS. Apostoli, atque inter hos duæ cōsurgunt Olivæ pulcherrimæ, Petrus, & Paulus, id quod alibi ostendo.

§. 3. Vel specula. Alia lectio citati versus sic habet: *Constitues eos specula.* Principes enim subditis debent esse specula, & exemplaria virtutum: in Ecclesia talia fuerunt, & sunt SS. Petrus & Paulus. Sed alterius hoc est Concionis argumentum.

§. 4. Vel Columnas. Ultima denique lectio sic legit, *Constitues eos Columnas.* Columnæ debent esse Reges, quibus machina totius regni tutò possit inniti; hoc sensu Ecclesia est domus fortissimis superexstructa columnis, SS. Petro, & Paulo, hanc versionem selegi pro hâc panegyri. Ostendam enim in honorem SS. Apostolorum Petri, & Pauli illos fuisse atque etiamnum existere duas columnas Ecclesiæ, & proinde principes Orbis terrarum. Favete vos bina cœli empyrei sidera, vos bini Ecclesiæ militantis non minus ac triumphantis ocelli; vos binæ paradisi cœlestis Olivæ, vos bina virtutum Apostolicarum specula; favete inquam vos binæ divini palatii columnæ, tu ô zelosissime Paule, tu O fortissime Petre, & de Dei vestrisque laudibus, ac encomiis tantisper disserentem vestrâ ope, ac patrocinio sublevate.

§. 5. Duæ Columnæ in introitu templi. Sæpius columnarum fit mentio in S. literis. l. 3 Reg c. 7. v. 21. Rex Salomon ad ornatum, & elegantiam sumptuosissimi templi, *statuit duas columnas in porticu, & dexteram vocavit Jachin: similiter erexit columnam secundam, & vocavit nomen ejus Booz, super capita columnarum opus in modum lilii posuit, &c.* altitudo earum fuit octodecim cubitorum, ex ære optimo quàm elegantissimè elaboratæ, & ornatæ; aureis laminis solidis, crassitie digiti unius vestitæ, ut sumptus impensarum excurrerint ad nonaginta quinque milliones auri. Aureæ coronæ, aurea malogranata, aurea lilia, annuli aurei, ornarunt illas ad stuporem aspicientium. Causam ob quā Salomon illas erexit, eruunt interpretes ex significatione vocularum Jachin & Booz. Jachin idem est, quod sapientia, Directio, Latitudo; Booz sonat Fortitudinem, ut sciamus templum

Salo-

Salomonis non minus sapientissimè, quam fortissimè exædificatum fuisse.

§. 6. *Templum denotat magnificentiam Ecclesiæ Romanæ Binæ Columnæ SS. Petrum & Paulum.*

Facile advertitis in his columnis pulcherrima latere mysteria. Unum est, Templi Salomonici magnificentia repræsentat magnificentiam templi mystici, sive Ecclesiæ Christi; ejus architecturam, ordinem, partium omnium symetriam, & propoıtionem, ejus divitias, & ornatum, aliaq; similia alibi explico, modò dico Christum Regem introitum sui templi ornasse duabus elegantissimis columnis, quæ sunt Petrus, & Paulus: hoc encomium dudum illis tribuit S. Chrysostomus hom. de laud. Pauli. *Celebro hanc urbem Romam, non propter columnas, vel rostratam Trajani, vel bellicam Antonij Pij, vel aliàs aliorum Imperatorum, sed propter columnas illas Ecclesiæ, scilicet Petrum & Paulum.* S. Dionysius ep. ad Timoth. *Adveniente terribili tempore consummationis eorum, cum separarentur ad invicem, ligaverunt columnas Ecclesiæ. S.* Gaudentius in festo SS. Ap. *Petrus, & Paulus duo mundi lumina, Columnæ fidei, Ecclesiæ fundatores.* Ille Booz, hic Jachin, id est, fortissimus Petrus; *tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: & Sapientissimus Paulus, vas illud electionis. Fuerunt columnæ Salomonis altissimæ, in nubes & cœlum protensæ, excelsæ pariter virorum illustrium mentes! columnam uterque sublimem repræsentat; & Pauli quidem usq; ad tertium cœlum, erectus stetit animus. Æneæ fuerunt columnæ, propter firmitatem in bonis operibus, erectæ iterum per intētionem, altissimæ per contemplationem, striatæ per mortificationem. *S*ive ut Hugo Card. loquitur, ut quis sit columna, debet esse firmus per fidem, rectus per æqualitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem, & fortis præcipuè per invictam in tribulationibus constantiam. Ob hanc Petrus ab ipso Christo D. dictus fuit petra, quam portæ inferi non possunt diruere. Animus *S*. Pauli nunquid fuit æneus? an non fortissimus, cùm ausus fuit dicere ad Rom. 8. v. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi? an fames &c.*

§. 7. *Has columnas hactenus nulli hostes potuerunt diruere.*

In Petrum congessit persecutionū procellas mundus, congessit tyrannus, congressit invidia, congessit hæresis, congessit infernus ipse. *S*tat tamen columna nostra, quia ex ære, stat Petrus, & gloriosum quà in terris, quà cœlis caput ad omnium invidiam malorum erigit. In Paulum impetum fecere vincula, carceres, persecutiones, tormenta, gladius! quis non ruituram putasset hāc columnam? at firmior ejus extitit basis, stetit columna nostra altera, stetit Paulus, etiam; ne mirere, cum gladio percussus cecidit, stetit tamen: hoc enim ipsius in fide constantia, hoc in vero Dei cultu zelus, hoc ardens patiendi desiderium, hoc flagrantissimus *S*anguinem pro Christo fundendi amor, testatur! cadat licet corpus, defluant in cinerem membra, induant colorem funereum frons, oculi, vultus. *S*i tamen animus æream præ se ferat columnam, si mole suâ, quæ Christus est, stet firmus ac solidus, non cecidisse hominem, sed stare dicendum arbitror.

§. 8. *Fuerunt columnæ aureæ ob charitatem*

Columnæ *S*alomonis fuerunt vestitæ auro; Petrus & Paulus aurei fuerunt ob eximiam charitatem erga Deū & homines. Illas columnas inter alia ornamēta ornarunt

ornarunt aureæ catenæ; Petrum & Paulum ornant ferreæ, quibus ligati fuerunt pro Christo, & ideo omni auro sunt pretiosiores. Unde S.Chrysostomus in cap.4.ad Eph.hom.8.dixit. *Quod si quis mihi vel universi cœli, vel hujus catenæ, quâ Paulus vinctus, copiam, & optionem largitus esset, catenam hanc ego planè elegissem*, & ante. *Non enim caput ita splendidum reddit imposita corona, margaritis conspicua, ut catena ferrea, quæ propter Christum fertur; tum videlicet ipsis regiis illustrior erat carcer, in quo Apostolus attinebatur, ipse etiam cœlo.* Columnas Salomonis ornarunt coronæ, & malogranata, Petrum, & Paulum nobilissimæ virtutes, & coronæ perseverantiæ, quibus, quia legitimè certarunt, & usque ad finem, ad mortem usque, ille Crucis, hic gladii, perseverarunt, pro omni æternitate sunt gloriosissimè coronati.

§. 9. *Coronata liliū ob puritatem.* Supersunt columnarum lilia, in quibus singularem invenio rationem, ob quam Rex Regum, introitum mystici sui templi his duabus columnis, sive SS.Petro, & Paulo voluerit exornare. In Romanis nummis, armis, vexillis, symbolis & columnis sæpius sculpta sunt lilia cùm hâc epigraphe: *Spes publica.* Vel, *Augusta spes*, idem elogium inscribere possumus his duabus fortissimis columnis Ecclesiæ, *spes publica.* Nam Petrus negavit Christum: atrox Scelus! nihilominus factus est petra Ecclesiæ. Paulus fuit publicus persecutor Ecclesiæ; nihilominus electus est, ut esset vas electionis, & Apostolus Gentium, qui nomen DOMINI portavit per orbem terrarum; quis hic non cum eodem Rom.11.v.33. exclamet, *O altitudo divitiarum, Sapientiæ & Scientiæ DEI.* Sed ideo istis columnis Christus D. ingressum Ecclesiæ ornavit, ut etiam gravissimi peccatores non terrerentur, sed ad asylum Ecclesiæ, & Sanctissima Sacramenta spe, & fiduciâ pleni confugerent. Atque ideo peccatores animat S.Paulus suavissimis illis verbis 1. Timoth. cap.1.vers.15. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod CHRISTUS JESUS venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* D. Augustinus. *Nemo acrior inter persecutores,* quàm Paulus, tamen salvus factus est, ut exultent peccatores, pergit enim Apostolus, v.16. *sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primùm ostenderet omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt in vitam æternam.* Gratulor itaque hodierna die Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, quod illã Christus Jesus in spẽ augustã & publicã, elegantissimis his columnis, fortissimo Petro, Sapientissimo Paulo exornarit.

Gratulor palatio CHRISTI JESU, quod illa nactum sit solidissima firmamenta, quæ nulla unquam potestas labefactabit. Gratulor Ecclesiæ, quod inde petram assecuta sit in Petro pro miseris mortalibus, quos nimiùm variarum exagitant tempestatum procellæ; inde Sapientiæ academiam in Paulo, pro iis, quibus animus est, seriò curas studiumque ad Sacram Christi fideique Christianæ doctrinam percipiendam, adjicere. Gratulor denique, quod in S.Paulo lucem invenerit clarissimam pro iis, qui ambulant in tenebris §. 10. *Hic § gratulatur Ecclesiæ de his columnis.*

nebris errorum, atque ignorantiæ; asylum verò in Petro, pro iis, quos sectarum, variarumque in orbe hæresum improba invidia in formidinem, vel turpem etiam fugam, quandoque conjecit.

§. 11. *Binæ columnæ Apocalypticæ ex cap. 10.* Duarum columnarum iterum fit mentio cap. 10. v. 1. Apoc. *Vide alium Angelum fortem descendentem de cælo amictum nube, & iris in capite ejus; & facies ejus erat sicut sol, & pedes ejus tanquàm columnæ ignis, & posuit unum pedem super mare, alterum super terram, & habebat in manu suâ libellum apertum.* Conveniunt interpretes in sensu mystico Angelum hunc esse Christũ D. descendit de cœlis, cum in utero Virginis factus est homo; nube sive purissimâ carne illum vestivit Beatissima DEI Mater; fortis, quia terror, & victor est hostium, Dæmonis, mortis, peccati, inferni. Iris in capite ejus, quia totus est misericors, facies ejus sicut sol, quia lucem inhabitat inaccessibilem: apertus liber denotat Evangelium. Duas verò columnas tanquam ignis, dico esse gloriosos duos Apostolos Petrum, & Paulum, his fabrica mystici Corporis Christi, sive Ecclesiæ tota innititur. Hæ duæ columnæ per orbem terrarum sustentant librum Evangelij: igneæ sunt columnæ, quia ambo fuerunt accensi igne spiritus sancti, igneæ, quia potentes, efficaces in prædicatione Evangelij, igneæ, quia arcem idololatriæ everterunt, & combusserunt: ut merito Ecclesiæ Romanæ matri nostræ de his duabus igneis columnis, de *SS.* Petro, & Paulo ex animo aggratulemur.

Confirmatur hic locus ex v. 15. c. 5. Cant. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundata sunt super bases aureas.* Jeremiæ 1. vers. 18. vocantur *columna ferrea* cap. 52. v. 17. & 4. Reg cap. 25. vers. 13. *columnæ æreæ.* Exod. 38. vers. 10. *æneæ* 3. Reg. 7. v. 2. *columnæ cedrinæ* Cant. 3. v. 10. *argenteæ*, plurimis locis *Igneæ.* Omnia hæc, marmor, æs, aurum, ferrum, chalybs, cedrus, argentum, ignis, denotant columnarum fortitudinem, ut bene dixerit David Ps. 74. v. 7. *Ego confirmavi columnas ejus*, tales columnæ Ecclesiæ sunt Petrus, & Paulus, ex auro, ex marmore, ex ære, verbo, ita confirmatæ, super bases, tam solidas, ut portæ inferi nunquam contra illas sint prævalituræ. §. 12. *Columna marmorea ex Canticis.*

§. 13. *Contra quas conspirat Orcus.* Ite jam, & in interitũ Ecclesiæ Romanæ Catholicæ conferte capita malevoli, ite invidæ stryges, & Erynnes, ite damnatæ hæreses, ite Scelerati Politici, & Athei. Ite quicunque orthodoxam Christi Ecclesiam odio plusquam Vatiniano prosequimini, nil vestra proficient consilia, nil machinamenta, nil distinctiones, aut exceptiones frivolæ, nil furiæ, nil blanditiæ, nil subdola ingenia, nil ratio vivendi politica. Stabit Ecclesia Romano-Catholica, quamdiu inconcussæ steterint binæ ejus columnæ Jachin & Booz. Stabunt hæ verò, quamdiu ipse steterit Deus, nulla illas concutiet temporum malignitas; cum nimis manifestum prostet divinæ Veritatis oraculum, quod ad Romanam Ecclesiam dictum volunt *SS.* Patres, scripturarumque sacrarum interpretes, *Ego confirmavi columnas ejus.*

Judicum 16. v. 30. fit mentio duarum

§. 14. *Columna quas diruit Samson.*

rum columnarum, inter quas Philistym fecerunt stare Samsonem in civitate Gaza. His duabus columnis innitebatur domus, in quâ festivas celebrarunt epulas, & domus erat plena virorum & mulierum, circiter tria millia utriusque sexus. *Samson verò apprehensis concussisque fortiter columnis dejecit domum, omnesq; interfecit, sed & ipse cecidit.* Fateor, & nostræ duæ columnæ, Petrus, & Paulus in hâc mortali vitâ ceciderunt, Petrus, cum jussu Neronis affixus est Cruci. Paulus cum ejusdem jussu ferali gladio percussus est. Sed O felicem ruinam cum his columnis cecidit domus idololatriæ. Cum his columnis cecidit Babylon & regnum Luciferi, surrexit verò domus Ecclesiæ, de novo fundata super columnas, quas nullus unquam hostis subvertet: In signum victoriæ, Petro pendenti in Cruce pulcherrimi astiterunt Angeli cum sertis & coronis. In signum triumphi, resectum Pauli caput ter exiliit; ad quemvis saltum crystallinus erupit fons; videtur Romæ in hodiernum usque diem, ex vulnere pro sanguine lacteus effluxit humor. *Sanguis Petri, & Pauli fuit deinde semen, & germen Christianorum.*

§. 15. *Columnæ hæ, sive SS. Petrus & Paulus ornarunt Romam.*

Juxta illud S. Leonis ser. 1. de hoc festo. *Duo ista præclara divini seminis germina, in quantam sobolem pullularint, beatorum Martyrum millia potestantur, quæ Apostolicorum æmula triumphorum, urbem nostram purpuratis undique lateque purpurantibus populis ambierunt, & pulcherrimo diademate coronarunt.* Verum de admirabili hâc Christianæ legis per Apostolos propagatione ago alibi: Modo satis superque ostendi Petrum, & Paulum à Christo Jesu constitutos esse Principes, sive columnas super orbem terrarum.

§. 16. *Columnæ hæ ornantur variis emblematibus.*

Sed antequam ad finem decurram, faciam quod Romani facere soliti fuerunt, qui suas columnas in orbe erectas pulchris symbolis, & picturis exornarunt, ut illi, qui Romæ fuerunt, viderunt in columnis Trajani, & Antonini. Inter illa columnarum emblemata invenio, I. Naviculam in mari fluctuantem, cujus navarchus Sol, ridens nubes & fluctus. Scio Mysticos per hunc solem intelligere D. Providentiam, quæ mundũ instar naviculæ per varios casus, & varia rerum discrimina gubernat. Verùm hodie dico, Navicula est Ecclesia fluctuans inter ventos & fluctus hæresum, & persecutionum, sed non est, cur timeat, navarchi sunt duo Soles, Petrus, & Paulus.

§. 17. *Aliud Emblema.*

2. Inter columnarum symbola reperio rete Timothei; sicut piscatores retibus capiunt pisces, sic Timotheus suâ comitate, clementiâ cœpit populos, provincias & regna. Hoc symbolum appingo peculiariter columnæ S. Petri; piscator fuit, sed suâ eloquentiâ, seu zelo, & fervore, & eximiâ sanctitate, non pisces, sed urbes, provincias, & regna integra felicissimo suo reti inclusit.

§. 18. *Aliud.*

3. Pro tertio symbolo honoris modò mihi placet Aquila insidens pyræ, cum lemmate, [illegible]ergit ad astra. Fundamentum symboli est hoc, cùm mortuorum Imperatorũ, & Regum cadavera comburebantur, tandem vi flammarum soluta Aquila, quia ligata erat, volabat in aëra: vult symbolum dicere, heroûm animas veluti aquilas evolare ad cœlum; tales

tales Aquilæ fuerunt Petrus, & Paulus, Reges, Principes, Heroes, ideo per gloriosissimum agonem evolarunt ad Superos.


§. 19. *Aliud.* 4. Columna super petram inter fluctus maris, & furores ventorum est symbolum constantiæ; sic Veteres illam depinxerunt, Virginem stantem in tali columnâ cum inscriptione, *In motu immota maneo.* Tales columnæ fuerunt invictissimi athletæ Petrus, & Paulus.


§. 20. *Aliud.* 5. In alio symbolo depicta est columna sub Sole, cum epigraphe, *Tantùm volvitur umbra.* Umbræ sunt machinamenta vestra in hasce columnas, improbi, perfidi, malesani hæretici, tantùm volvitur umbra, non columnarum aliqua, non Christi Ecclesia, non vera Religio, ac fides Catholica.


§. 21. *Alia emblemata.* 6. Suum sibi vendicat familiare symbolum D. Basilius, qui sagittarium describit, emissis in rupem sagittis, reverberatisque vulneratum cum lemmate. *Lædentem lædit.* Nimirum quisquis rupem vel Apostolicas columnas convellere machinatur, nemini, nisi sibi ipsi injuriam infert, neminem lædit alium aut sauciat, nisi semetipsum.

7. Sed omnium meo quidem judicio præclarissimè hanc suis in Emblematis exhibet, non minus eruditione, quàm stemmate nobilis fœmina Georgia *Moneta.* Itaque binas illa repræsentat columnas, quarum altera à vento, & tempestate fracta humi jacet cum inscriptione, *Nolite,* nimirum confidere in mundi potentia, quæ fragilis est, modica, infirma, caduca. Ab alterâ verò parte aliam collocat columnam, fortiorem illam ac multis partibus solidiorem priore circa apicem duabus alis ornatam, cum lemmate, *Non confundit.* Ita est mortales; hæc ultima nimirum columna, nostra est Ecclesia Orthodoxa; nec confunditur illa, nec confundit; duabus obrumbatur alis, duorum præsidio Apostolorum Principum, Petri, ac Pauli; quam illi oppositam statuit columnam hæresis; ea labilis est, fragilis, infirma, caduca!

Finio cum ardenti pectoris desiderio. Utinam hac in vita ita mentes nostras, moresque, firmissimis hisce fidei nostræ columnis affigamus! utinam à fortissima SS. Petri & Pauli in bono cōstantiâ, nunquā vel ad latum unguem discedamus. In hoc enim vitæ nostræ, felicitatisque gloria consistit, hoc omnibus ex animo precor, opto, desidero. §. 22. *Pium desiderium.*







CONCIO LXXV.

FESTO VISITATIONIS B. VIRGINIS.

Exurgens MARIA abiit in montana.

Luc. 1. v. 39.

Synopsis Concionis.

EXplicat Suavissimum Virginis Elogium, quod sit Mater misericordiæ.

§. 1. *Dum Virgo facta est Mater Dei, facta qu.q est Mater spiritualis omnium hominum.*

SOlent scripturæ Interpretes sanctique Patres in hodierno Evangelio quærere, quidnam præcipuè Cœlitum Reginam B. Virginem impulerit, ut post Conceptionem Filij Dei protinus surrexerit, atque in montana ad cognatam suam Elisabeth se contulerit, Virgo, quæ hactenus vel

vel in domo parentũ, vel in tẽplo semper latuit, Virgo ab hominibus dum vixit, vix visa, Virgo inter Angelos potius quàm homines educata! Una ex multis rationibus, præalijs mihi arridet, & sanè talis est, quæ placere omnibus calamitosis, peccatoribus autem vel maximè debet arridere. Momento quo facta est Mater DEI; momento quo in utero suo suscepit Filium naturalem Altissimi, ejusdem vera Mater, facta quoque est Mater omnium hominum; filius enim DEI filius est naturalis secundum carnem, nos verò per gratiam, & charitatem filij sumus adoptivi, fratres Christi. Facta ergo omnium & singulorum Mater Maria eodem momento in sinum misericordiæ suæ nos omnes conclusit.

§. 2. *Conglobata encomia hujus Matris.*

Et qualis mater? Mater amabilis, Mater pulchræ dilectionis, Mater honoris, Mater admirabilis, Mater desiderabilis, Mater dulcissima, Mater sapientiæ, Mater consolationum, Mater salutis, Mater viventium, Mater electorum, Mater gratiarum, sed præcipuè Mater misericordiæ.

§. 3. *Abit ad S. Ioannem nova Mater Misericordiæ.*

Abit ergo ad cognatam Elisabeth, in cujus utero, & simul in carcere, servitute & catenis peccati originalis pressus delitescebat parvulus Joannes, abit inquam Mater nostra ut suâ, & Filij sui præsentiâ à labe illâ liberetur, quod ut factum est, infans in utero matris præ gaudio exultavit, & expertus est, DEI & nostram Matrem verè esse Matrem misericordiæ, Matrem, quæ miseros, afflictos & peccatores præcipuo amore, & favore complectitur. Amabilissimum hunc titulum hâc concione explicabo, vel ideo quia in celeberrimo hoc templo Spirensi ob miraculosam B.V. statuam à S. Bernhardo quondam salutatam, nos quotidie in Laudibus, ut vocant, hoc ipsam titulo compellamus, *Salve Regina Mater misericordiæ!*

§. 4. *Pia salutatio ad B. Virginem.*

O voces suavissimas! ita, ita! ex corde! quot maris sunt guttæ, quot stellæ cœli, quot in cœlo cœlestes spiritus, toties *Salve Mater misericordiæ*, quot arborum folia, quot humi germina, quot aëris atomi, toties *Salve Mater misericordiæ*, ita, ita! ex cordis fundo! quot puncta cœlorum, quot instantia æternitatis, quot rerum possibilia, quot arenulas, quot guttas, quot folia, quot flosculos, quot animalia, verbo, quot Deus producere potest creaturas; toties ex intimo corde saluto, laudo, prædico, extollo & dico, *O Mater misericordiæ!* toties cum Elisabetha acclamo, *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui JESU!*

§. 5. *SS. Patres hunc titulum variis symbolis & modis loquendi explicarũt.*

Vix reperio elogium Magnæ Matris, quod SS. Patres tam variis, tamque nitidis similitudinib⁹, ac symbolis exponãt, quam hoc, quod sit Mater misericordiæ. S. Georg. Archiep. Nico. vocat *Olyvam plenam fructibus misericordiæ*, ex Eccl. c. 24. v. 19. *quasi Oliva speciosa in campis*. S. Bernardus Senensis. *Iridem*, non admirabilem tantùm & speciosum in decore suo, sed positum in cœlo, ut sit in fœdus misericordiæ, si fortè Divina Justitia aquis diluvii impios velit punire. Guilhelmus Parisiensis, *fontem*, ex quo peccatores hauriunt aquas misericordiæ; Idiota, *Solem*, spargentem undique serenissimos radios clementiæ super justos & impios. S. Joannes

nes Dam. *Columbam,* quæ super arcam Ecclesiæ itentidem volitat cum ramo Olivæ & pacis. S. Bonaventura. *Venam misericordiæ.* Richardus de S. Vict. ait, ejus ubera esse plena saccaro, melle & lacte misericordiæ, quo ipsam Misericordiam lactavit, & ideo verissimè Mater misericordiæ, sive Filij Dei. Alij vocarunt, *Vas pretiosum* plenum oleo, & balsamo misericordiæ. Andreas deniq; Cretensis, *Misericordiæ abyssum.*

§. 6. *Est abyssus & mare misericordiæ.* Hic titulus præ aliis placuit S. Bonaventuræ. cap. 5. Speculi. Dum ait, illo momento, quo B. Virgo concepit Filium DEI, impletum esse versum illum Ps. 41. v. 8. *Abyssus abyssum invocat*, id est, immensum mare gratiæ & Sanctitatis in Virgine, de cœlo in uterum traxit infinitum mare misericordiæ, sive Divinitatis. Illo momento, quo facta est unio hypostatica in utero Virginis, duo hæc maria in eodem utero ita inter se fuerunt mixta, & unita; ita Cor Virginis in illo mari misericordiæ est submersum, ut totum diffluxerit in aquas misericordiæ; inde ab illo usque momento facta est & ipsa Mare & abyssus misericordiæ S. Bonav. *Quis Mariæ immensitatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam non solum in gratia, & gloriâ, sed etiam in misericordia tam altissimam, tam latissimam, tam profundam operatus est.* S. Bernardinus ser. 4. de Ass. *Quis misericordiæ tuæ O benedicta longitudinem, & latitudinem, sublimitatem, & profundum queat investigare? nam longitudo ejus usque ad diem novissimum invocantibus eam subvenit universis; latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tuâ quoque misericordiâ plena sit terra. Sic & sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem; & profundum ejus sedentibus in tenebris, & umbrâ mortis obtinuit redemptionem!* imò, in hoc ultimo potissimum consistit & sublimitas, & profunditas, & longitudo, & latitudo, verbo immensitas Marianæ misericordiæ, quod etiam gravissimis peccatoribus sit Mater misericordiæ! quod Filij sui hostes, dummodo agant pœnitentiam, à sinu & ab uberibus misericordiæ suæ non excludat, neq; repellat.

§. 7. *Apostropha ad peccatores, ut fugiant ad B. V.* O quisquis, criminum tuorum conscius vultum attollere non audes, disce hodie sperare bene, disce optatam animæ tuę pacem, tranquillitatemq; accersere; disce modum, ac methodum, quâ te in irati Numinis favorem, ac benevolentiam rursum insinues. Nimirum id commodissimè facies, si ad eam, quæ amat dici Mater misericordiæ, cor, vultum, atque oculos convertas, si serio affectu ac precibus illius invoces patrocinium, si in illius te sinum conjicias, si huic abysso te immergas, de quâ auditum non est, quod ullo unquam tempore accedentem ad se animam, conscientiâ vitæ malè actæ vulneratam rejecerit.

§. 8. *Maria est asylum peccatorum, & similia encomia.* Nam, si peccatum est crimen læsæ Majestatis, & rebellio, vel proditio; Maria est asylum tutius, quàm fuerit templum Dianæ Ephesinæ, vel sepulchrum Thesei apud Athenienses, vel statua aliqua Jovis; vel etiam decem civitates refugij in libro Josue c. 21. v. 13. Salutemus illam cum S. Ephren. orat. de laud. V. *Ave asylum peccatorum, & hospitium! Salve mater misericordiæ.* Si peccatum est abominatio, & ingens confusio, ut peccator non audeat levare oculos versus cœlum, Maria est mediatrix & advo-

advocata, dicamus cum eodem Ephren, *Ave anima spes bona, ave Christianorum omnium fida salus; ave peccatorum & auxilio indigentium apud Deum adjutrix.* Si peccatum torrens est, qui animas infelices rapit in præcipitium æternæ damnationis, Maria virga est, quâ hunc torrentem tutò ad portum salutis transire possumus. Dicamus cum B. Petro Dam. ser. de Ass. *In Virgine, Virga, & baculo Crucis, peccatorum spes & consolatio sita est, quemadmodum Propheta ait, Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*

§. 9. *Prosecutio.* Si peccatum ignis est, qui miseram animam devastat, si ignis est, qui alterum ignem divinæ Justitiæ accendit, Maria fons est, & puteus, & fluvius, & mare, cujus aquis flagrantissima etiam incendia extinguuntur. Dicamus cum B. Petro Damiano, ser. de Nat. V. *Quis scit, quoties refrigeras iram Judicis, cùm justitia ignis à præsentiâ Deitatis egreditur.* Si peccatum naufragium est animæ, Maria portus est. Arnoldus Carnot. tr. de laud. V. *Naufragis omnibus tutus pœnitentia portus est Mater nostra misericordia!* Si peccatum pondus est ferreũ, quod cor peccatoris deprimit in terram; Maria magnes est, qui trahit in altum, si peccatum est mors animæ, Maria est mater vitæ, si peccatum sunt tenebræ, Maria est stella, est luna, est aurora, est sol. Si peccatum est venenum, Maria est antitodum, si peccatum est divortium, inter animam & Deum, Maria est cõciliatrix, si peccata sũt maculæ, Maria puteus est, cujus aquæ nos lavãt.

§. 10. *Fiducia peccatoris erga B. Virginem.* O Virgo, fateor, pluribus animam meam maculis comaculatam, sed quia te fontem diximus, animum nequaquã despondeo: nam scio quot in fontibus sunt guttulæ, tot in tuo gremio scaturiunt rivuli amoris, quot spargit radios Phœbus, tot in te fulgurant sidera clementiæ, quot cœlum facibus scintillat, tot in te radiant pietatis flammulæ. Jam cùm puteum habeam aquæ vivæ, non contristor à maculis; cùm conciliatricem in dissidiis, non timeo divortium, cùm antitodum in morbis, venenum non metuo, cùm lucem in nocte, tenebris non terreor; cum vitam in morte, ipsam quoque mortem non expavesco, cùm magnetem in corde, ferri pondera non curo, cùm in oculis cynosuram, non expecto naufragium; non incendium horreo, cùm fontem, non virgam formido, cùm torrentem; non confusione dejicior, cùm advocatam denique, non rebellionis violentiâ conturbor, cùm te meum recordor asylum, O Maria. O Mater misericordiæ!

§. 11. *B. Virgo Deum amarum reddit dulcem.* Hoc paulò ante adhuc addere volebam. Si peccatum Deum reddit amarum, juxta illud Oseæ 14. v. 1. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum.* Naturâ suâ amabilissimus est Deus; sed peccatis amarior, mundum submersit diluvio, Genes. 7. Sodomam de cœlo flammis evertit, c. 19. v. 24. sic & peccatum reddit amarũ nobis judicem. Sed dulcem Redemptorem Maria. Sic loquuntur SS. Patres, & modum loquendi explicant abscondito quodam secreto naturæ, cujus auctorem habeo Plutarchum. Aqua maris est salsa, insipida & amara; si tamen infundatur vasi ex cerâ candidâ & virgine, in eaque aliquamdiu per-

permaneat, sal mutatur in mel, salsedo in dulcedinem convertitur, aqua maris fit dulcis. Iram & furorem DEI, quo in impios in Veteri Testamento animadvertit, salso atque irato mari comparant SS. Patres; sed quamprimùm illud mare in virginali utero fuit inclusum, non nisi post novem mensium intervallum, quo tempore abditus latuit in Virgine DEUS, jam dulcis evasit Oceanus; O peccatores, quàm & vobis frequenter amarus esset DEUS, nisi suavem, dulcem, amabilem redderet Mater misericordiæ. Ad quod alludit Esdras lib. 4. secundum versionem Vatabli: *Mulier portentum pariet, & in dulces aquas salsa mutabuntur.* Peperit mulier portentum, cùm in stabulo peperit Filium DEI, cùm genuit misericordiam, facta Mater misericordiæ, quæ amaritudinem iræ divinæ convertit in mel misericordiæ, & gratiarum.

§. 12. *Misericordia filii quo mundo adscribenda Matri.*

Certè, quod Christus DEI filius tam erga peccatores sit pius, & misericors, debemus id aliquâ ratione B. Virgini, tanquam Matri misericordiæ in acceptis referre, quia inter nutrices & lactantes magna est symphatia, de quo latè agunt Avicenna, Galenus & alii Medici. Quales sunt matres, tales & proles, id quod usque adeo in bestiis etiam verum est, nam si hædulus nutriatur à caprâ tenerâ, tener & mitis evadit; si verò à caprâ hirsutâ sylvestri, & ipse ferus & indomitus crescit, equi generosissimi à generosa progignuntur equa. Sed quid mihi cum capris, & equis, dum de dulcissima ago Virgine. De hominibus, quod dico certum est. Romulus & Remus ad rapinas fuere proclives. Mater fuit lupa. Agis Rex velocissimus, lactatus lacte cervæ. Caligula fuit sitibundus humani sanguinis; ascribunt auctores lacti, quod puer bibit mixtum humano cruore. Refero hæc ut applicem Christo D.

§. 13. *Duplex Nativitas Christi. Secundum primam est terribilis, secundum alteram amabilis.*

Duplex in eo reperitur Nativitas; una fuit ab æterno, altera contigit in tempore. Illa fuit à Patre, hæc Matre Virgine sine patre. De illâ dicitur Ps. 109. vers. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te.* De alterâ Luc. 1. vers. 31. *Ecce concipies in utero & paries filium.* In prima nutrix fuit Justitia, Esdræ lib 4. cap. 8. vers. 12. *Enutristi eum tuâ justitiâ.* Hinc iratus est vindex, ab illo tonitrua, fulgura, fulmina. In alterâ nativitate nutrix ejus fuit suavissima Virgo, dulcissima Mater misericordiæ; ab his uberibus, ab hoc lacte filius tam est dulcis, & mitis, ut dicere possit cum Jobo cap. 31. vers. 18. *Ab infantiâ meâ crevit mecum miseratio, & de utero Matris meæ egressa est mecum*, quasi diceret: Verum est, præteritis sæculis fui rigidus, iratus, amarus DEUS, sed quia deinde nactus sum nutricem, Matrem mitem, dulcem, suavem Virginem, ideo & ego modò sum mitissimus etiam erga gravissimos peccatores. O mitissima mater, quid ni te hic alloquar verbis Richardi de S. Vict. *Carnalia in te CHRISTUS ubera suxit, ut per te nobis Spiritualia fluerent, non lacte tantum, sed sanguine*, (notate dulcissima hæc verba peccatores contriti, *in te concrevit lac misericordiæ divinæ, & ex te nobis profluxit.* Ex quibus quid conficiemus aliud, quàm quod tam misericors sit JESUS, quod non continuo fulmen

fulmen de cœlo vibret in capita sceleratorum, quod tam clementer cum suis agat inimicis, quod iis non minus tempus, quàm gratiam ad pœnitendum paternè indulgeat, quod variis insuper & quotidianis eos augeat beneficiis; hæc inquam & plura alia ejusmodi divini amoris pignora suam ab uberibus Matris Virginis dulcedinem derivarunt. Agnoscite hoc tandem aliquando peccatorum sordibus immersi mortales, & ad lactéos tam amabilis Matris ac Dominæ rivulos, è quibus vestra scaturiet æterna felicitas, vos filiali affectu convertite.

§. 14. *Quomodo Christus D. fasciculus myrrha.*

Alludit ad hæc sponsus in v. 12. c. 1. Cant. *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea cōmorabitur.* Richardus à S. Laur. sic explicat, dilectus meus quondam fuit fasciculus myrrhæ, id est, asper, severus, rigidus, amarus, in puniendis peccatoribus, at postquam factus homo à meis pependit uberibus, postquam meo pastus est lacte, totus est suavis, & mitis. Sic ait citat. auctor. *Fasciculus myrrha fuit Christus in veteri lege, quia terribilis, sed inter Mariæ ubera factus est suavis & mitis*: Iterum ad vos se mea vertit oratio peccatores. O si vos cruenta Christi in Crucem suffixi vulnera nequicquam alliciunt, alliciant saltem lactea Virginis ubera! si ad Christum anhelandum dicitis; bene habet, anhelate ad Virginem prius, ecce in gremio Christum ipsa gerit, ac fovet infantulum inter ubera. Quod si propterea sinus Deiparæ thronus est, profecto non severitatis, sed clementiæ, non rigoris, sed amoris sedem, ac thronum experiemini, quid enim nisi dulce, ac lacteum ex lacteis speres rivulis, & quid nisi amabile, à Matre amoris, quæ amorem sinu gestat, qui cùm lac sugit maternum, de pœnis, ac suppliciis, quibus improbos afficiat in reverentiam suæ suavissimæ Matris, cogitare non potest. Ita totus suavis est Jesus, totus benignus, totus dulcis, bonus, amabilis; talis enim est Mater, tota suavis, tota benigna, dulcis, bona, verbo, Mater misericordiæ!

§. 15. *B. Virgo mitigat ignes divinæ Justitiæ.*

Pergo tandem in meo discursu. Si peccatum facit, ut ardeant radij divinæ Justitiæ, Maria est, quæ mitigat. Nunquam sol ardentius urit, quàm cum signum leonis percurrit, at dum domum Virginis ingreditur, temperatis & benignis radiis recreat orbem. Sol in leone fuit Deus in Veteri Testamento, Sol in leone, dum mundum diluvio suffocavit, Sol in leone ardentissimo, cum Sodomam combussit. Sol in leone, cum impios hiatu terræ absorbuit. Postquam verò ingressus est signum Virginis, postquam in virginali utero factus est homo, totus suavis est, & benignus. Terribilis ille Deus, terribilis ille leo, terribilis ille monoceros, in utero Virginis, inter ubera matris, in sinu puellæ, ut quievit, ecce tibi, plane quasi alius, non jam leo amplius, sed Agnellus. *Agnus, qui tollit peccata mundi.* Joan. 1. v. 29.

§. 16. *Confirmatur ex S. Antonino.*

S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 22. sic loquitur. *Sol Justitia Deus noster, in V. T. erat, ut leo terribilis, rugiens, peccatores terribiliter puniens; sed in uterum Virginis intrans, factus est totus benignus, suavis & humanus; filius benignissima Matris, filius Matris misericordia.*

§. 17. *Avertit à nobis fulmen iræ divinæ.*

Denique si peccatum, Deum vel Christum D. Judicem nostrum urget, ut puniat, si incitat, ut percuciat; Maria est Mater misericordiæ, quæ fulmina avertit,

avertit, quæ pœnas deprecatur, quæ irati Judicis ligat, & tenet brachia. De quo gloriatur Ecclesiastici 24. v. 16. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Super quæ verba S. Bonaventura ait in Spec. B. V. *Non solùm detinetur, sed detinet. Ante Mariam non fuit, qui sic detinere Dominum auderet.* Dixit quidem Isaias cap. 64. v. 7. *Non est qui consurgat & teneat te?* nec Abrahā detinere potuit, ne super impias urbes plueret ignes. Gen. 19. v. 24. Verùm hoc fuit, antequam Deus factus est homo, antequam amarus, ardens, terribilis Deus, in utero Virginis; factus est dulcis, mitis, suavis, benignus, misericors, postquam hoc factū est, ejus Mater, suavis, mitis, dulcis Mater, Mater misericordiæ brachia tenet, sed pœnitentes, divina stringit Justitia.


§. 18. *Confirmatur ex SS. Patribus.* Sic passim loquuntur SS. Patres, cit. S. Bonavent. *Maria detinet Filium, ne puniat peccatores.* S. Ambrosius sic Virginem alloquitur, *Te enim brachium, & manum extendente, divinæ ultionis gladius contrahitur.* S. Bernardus Ser. de V. M. *Nemo Domina, tam idoneus est, ut gladio Domini manus pro nobis objiciat, sicut tu amantissima.* Hugo Cardin. Hugo de S. Vict. in v. 10. Ps. 44. *Astitit Regina à dexteris tuis.* Sed antequam verba eorum referam, revoco vobis in memoriam ex Q. Curtio, apud Romanos moris fuisse, ut coram Judice Advocati, juxta reum starent, innuendo hâc statione se paratos ad reum quâcunque ratione defendendum. Jam audite verba cit. DD. *Bene astat à dexteris Regina nostra; nostra Mater misericordiæ, tanquam omnium patrocinatrix, ut gladium evaginandum in peccatorem impediat, ut peccatores protegat, ut gladium furoris Domini elevet, avertat & contrahat.*

§. 19. *Quare steterit juxta Crucem filij.* Vocula *Astitit* in memoriam mihi revocat similem vocem ex historia Passionis, *stetit juxta Crucem Mater JESU*, quæri solet, ex quo latere Filij steterit. Dico alias, stetisse ante Crucem, ante faciem Jesu, ut mœstissimis oculis illum contemplaretur, potuit ita stetisse aliquo tempore; alij enim dicunt, contulisse se deinde ad dexteram, vel ad sinistram. Ad dexteram stetisse affirmant, qui volunt eam stetisse mediam inter filium & bonum latronem, cui veniam & paradisum à filio obtinuit. S. Bernardinus Senensis, & cum eo Alexander de Ales putant stetisse ad sinistram, probāt ex illa querelâ Christi D. Psal. 141. v. 5. *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me.* Deinde ajunt; unde sit probabile stetisse Matrem ad sinistram, & quia cap. 25. v. 33. S. Matth. ait, *statuet oves quidem à dexteris, hædos autem à sinistris*; decuit profecto, Divinam bonitatem ita disposuisse, ut ad idem latus staret Mater misericordiæ ad protegendum eos, qui resipiscere vellent.

§. 20. *Quare hodie assistat ad ejusdem dexteram in throno gloriæ.* Perinde est quâ parte steterit; omni loco est Mater misericordiæ. Hodie ante thronum gloriæ, coram Filio Judice astat à dexteris, ut fulmen, quod minatur, removeretur. De quo gloriatur per sponsam Cant. 3. v. 4. *Tenui eum, nec dimittam.* Richardus de S. Laur. *Tenui eum, ne scilicet percuteret peccatores: nec dimittam, sed continuâ precum instantiâ furorem ipsius retinebo.* Quæso fatere peccator, an non erga te hoc hactenus fecerit Mater misericordiæ! agnovit S. Ger-

S. Germanus Patriarcha Constant. in adoratione Zonæ Deiparæ. *Tu autem, O summè misericors Domina, si tu nos deserueris, quònam confugiemus? quid de nobis fiet O sanctissima Deipara!*

§. 21. *Pia salutatio ad B. Virginem.* Salve ergo millies mihi dilecta, & electa millies Mater misericordiæ Maria! Salve viridis Oliva mea, posthàc, cùm te pacis indicem possedero, bellis non terrebor. Salve mea Iris! posthac colligo non fore diluvium tempestatemque animæ noxiam, aut periculosam. Salve Aurora mea! cùm tu mihi illuxeris, non ita porrò metuam tenebras, noctemque inferorum execrandam. Salve asylum meum! posthac hostium meorum, dæmonum præcipuè sub vitæ exitum, facile evadam insidias. Salve fons meus; ad te seu maculas contraxero, seu sitim perpessus æstuavero, audacter me conferam. Quid porro dicam, dignum te, tuaque dulcissimâ clementiâ, Virgo mea, Domina mea, Advocata mea Maria? quidquid dixero, non accedit ad meritum tui in me, omnesque peccatores, qui te invocant amoris! Finiam itaque cum tribus, sed affectu cordis, quàm possum ardentissimo prolatis voculis, *Salve Mater misericordiæ*! Hæc sit mea viventis tessera, hæc eadem sit & morientis; hæc mea sit in prosperis oda, in adversis solatium, in omnibus familiarissima tandem ad vitæ usque exitum parœmia.



CONCIO LXXVI.

FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Erat in civitate peccatrix,

Lucæ 7. v. 37.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUâ occasione conversa fuerit Magdalena; cur dicatur stetisse retro pedes Christi; cur ad eosdem se provolverit, & lachrymis rigaverit.

§. 1. *Depingit Magdalenam ad pedes Christi.*

§. 2. *Propositio. Quatuor puncta de illâ proponit hæc Concio.*

§. 1. *Depingit Magdalenam ad pedes Christi.*

SEntio cum S. Gregorio M. qui hom. 33. dixit: *Cogitanti mihi de Maria pœnitentia, flere magis libet, quàm aliquid dicere, cujus enim vel saxeum pectus, illa hujus peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? publica in civitate meretrix, momento alia in Principis Pharisæorum domo publicam agit pœnitentiam: omnibus inspectantibus se abjicit ad pedes Salvatoris, illos pretioso ungit unguento, illos lachrymis suis, seu copiosè manantibus ex fonte dolorum rivulis, irrigat; illos capillis capitis sui tergit, illos suavissimos inter amoris affectus suavissimis osculis demulcet.* Atque hæc tanto præstitit fervore, iis editis perfecti amoris signis, iis amarissimæ contritionis argumentis, ut mox Christus ipsemet asseverare nō dubitaret, remissa illi esse sua peccata. *Sic in lachrymis, pia pœnitens invenit,* (loquor cum S. Bern. ser. 30. in Cant.) *vitæ odorem, saporem gratiæ, indulgentiæ gustum, reconciliationis jucunditatem, suavitatem redeuntis innocentiæ, & serenatæ conscientiæ dulcedinem.*

§. 2. *Propositio. Quatuor puncta de illa proponit hæc Concio.*

Quamobrem non dubito, volupe vobis fore, paulo prolixius de his aliqua intelligere; id quod hâc concione ita præstare conabor, ut quatuor vobis scitu digna, nec minus ut spero proficua proponam mysteria. Et primùm quidem, quâ occasione ad meliorem vitæ morumq; frugem se receperit Magdalena. Deinde, quid sibi velit, quod retrò stetisse asseratur. Præterea, cur ad Christi pedes provoluta, ac denique cur lachrymis tam largas eo in loco habenas laxaverit. Vos dicentem more vestro benevolis animis auribusque accipite.

§. 3. *Magdalena publica peccatrix.*

Erat in civitate peccatrix. Sunt qui civitatem fuisse Jerosolymam existimant, alij Naim, in qua Christus D. paulò ante excitaverat à mortuis filium viduæ; ut ut sit, in alterutrâ vixit Magdalena, non luxui tantùm dedita, & vanitati, sed publica.

publica peccatrix, gravium scelerum rea, multarumque animarum ruina. S. August. S. Hieron. S. Ambrosius. S. Gregorius illam vocant *meretricem*, arbitrantes propter illam dixisse Christum *Meretrices & publicani præcedent vos in regno DEI.* Hanc impiam Magdalenæ vitam sacer textus non cœlat, ut pateat magis infinita Christi D. misericordia, quæ tantam ad se traxit, & convertit peccatricem Magdalenam.

§. 4. Adducitur à Martha Ad Concionem Christi.

Conversionis occasio hæc fuit, suasu sororis Marthæ, Magdalena venit auditum verba, sive Concionem Salvatoris, de cujus in dicendo suavitate, & eloquentia multa audiverat. Venit ex curiositate, incepit Christum audire, & opinione suâ celerius, cœlestibus fuit hamis irretita; nimirum fuit Christus D. Piscator, hamus aureus, aurea concio, piscis Magdalena. Venator fuit Christus D. ejus sermo telum & sagitta: vulnerata & læsa cerva Magdalena. Auceps fuit cœlestis Magister; eloquentia ejus aureum rete, volucris captiva Magdalena.

§. 5. In qua Christus D. illam respexit vultu terribili: hinc in Magdalena timor.

Sententia est non improbabilis, Christum D. sub concione, dum Magdalena mota raptaque suavitate, atque efficacia verborum, oculos fixius in eam conjiceret, aspexisse illam terribili illo vultu, scintillantibus illis oculis, iratâ illâ facie, quam aliquãdo in reprobos & impios, in valle Josaphat ingenti cum horrore reflecter. Hic aspectus miseram peccatricem tanto timore percul[s]it, tantis obruit terroribus, ut & cor palpitationem, & frons erubescentiæ purpuram, & oculi lacrymas, & vultus pallorem, & totum denique corpus formidinem contraxerit. Sensit verò magis in corde primum telum, quo cœlestis Venator peccatoris cor ferire solet, nimirùm, timorem Dei. Perge Magdalena, time! justissimæ tibi suppetunt causæ timoris. Deum offendisti, gravissimorum scelerum ream te constituisti, habes quod expavescas! quem præsentem intueris, tuus judex est, is hoc momento æternis te potest inferorum ignibus addicere, time, horrendum est incidisse in manus irati Numinis. Probabile est, Magdalenam territam tam truc aspectu, demissis oculis aliquamdiu humi consedisse, & animo secum versasse terribiles illas pœnas, quibus in rebelles Majestati suæ animas sævitura esset Justitia, tanti tamq; tremendi Judicis. Et ô me miseram! ajebat secum ipsa, ô mali facti atq; ominis infausti mulierem, nisi quamprimum ejus, cujus tantopere formido vultum atq; oculos intueri, ejusq; gratiam mihi liceat ac benevolentiam aucupari, perdita sum, nisi, quam hactenus malè vivendo amisi ad cœlum semitam, rursum ex hoc momento inire contendam.

§. 6. Mox Christus illam respexit vultu benigno, hinc Spes.

Sic illa, & mox oculos iterum in eandem retorquet benedictam faciem Salvatoris: & ecce mutata omnia, tum enim benignissimus Jesus illam aspexit vultu illo amabili, oculis suavissimis, quibus in valle Josaphat Beatos & Electos aspiciet: hinc in corde Magdalenæ novi motus, & affectus spei atque amoris, qui cœlestis Venatoris nova sunt spicula, novi amoris instrumenta. Perge, O jam felix Magdalena! perge illis tuis instare suspiriis, perge illos tuos affectus, ut spicula è cordis pharetrâ deprompta jaculari; feries, quẽ desiderat anima tua, dilectũ; perge sperare benè,

Apostrophe ad Magdalenam ut fidat Christo.

nec tua te scelerum patratorum vel magnitudo conturbet, vel dejiciat multitudo; quin illis cœlestibus spei atque amoris divini affectibus pro libito tuo indulgeas. Et verò sperandi causas habes complures: enim verò, ad quem te convertere cogitas, is venit salvas facere animas peccatrices. En vultum ejus amabilem! en frontem serenam! en binos solis æmulos oculos! *ecce Agnus DEI, qui tollit peccata mundi*! ecce Medicum salutis; gradum accelera, si ab infirmitate convalescere exoptas. Totam te posthàc castissimis consecra amoribus illius sponsi, qui totus bonus est, totus benignus, misericors, amabilis.

§. 7. *Christus in concione mentionem fecit de ove perdita* Inter hos Magdalenæ motus, ut Salvator noster eam moveret magis, & hinc ad spem veniæ, hinc ad sui amorem jam currentem & anhelantem concitaret, protulit pulcherrimam parabolam de ove perdita, de gaudio Pastoris, qui perditam reperit, de pastoris ejusdem amore, quo illam humeris impositam ad ovile refert. Luc. 15. v. 6. Addidit historiam de prodigo filio, recepto à Patre in gratiam, & sinum pristini affectus paterni. v. 22. ejusdem cap. O Magdalena, advertis, quò tuus collimet Salvator! tu perdita illa es ovicula, tu filia prodiga; sed revertere, hic pastor est, qui de te perdita ita indoluit, qui relictis cœlorum sedibus, & novem Angelorum choris tantisper desertis in hujus mundi eremum descendit, ut amissam quæreret oviculam, & inventam humeris imponeret, & humeris impositam in ovile reportaret. Pastor est, qui per avia & invia, per Spinas & dumeta, per nemora & saltus, per montes & valles, per lucida & opaca, per horrida viarum & lubrica, sumo tui amore captus se penetravit. Pastor est, suum prote Sanguinem inter Spinarū aculeos profundere paratus. Pastor est, indefesso diu noctuque studio, labore, vigilia tuæ salutis gratia exhaustus.

§. 8. *Hinc suavissimi motus in corde Magdalenæ.* Quid multis? Utinam Auditores, utinam, exprimere vobis possem (quamvis sentire & experiri mallem) illos motus & suavissimos affectus, timoris, doloris, detestationis, spei, amoris, quibus tum suavissimè imbutum fuit pectus Magdalenæ; equidem mihi persuadeo, erupisse sæpè numero, silente quamvis linguâ, in illa vel ejusmodi *Suspiria*: O Deus propitius esto peccatrici, O Deus peccavi in cœlum, & coram te, O misericors, miserator, & longanimis Dominus! puto, dum irriguis ex fletu oculis, suavissima Jesu lumina conspiceret, si non ore, at corde saltem dixisse.

§. 9. *Prosopopœja ejusdem valedicentis mundo.* O quanta tua est in me bonitas, quantus amor Jesu amabilis! Valete posthac amores profani! jam me sibi devinctam obtinet amor cœlestis! Valete jucunda mundi gaudia; jam mea erit summa voluptas Jesum diligere! Valete impura Veneris blandimenta, risus, amplexus, oscula, colloquia; Si cui posthac figam amoris basia, si quem meis stringam amplexibus, si cui placet arridere suavius, si cum aliquo gratiosa miscere colloquia, si cujus frui cupio blandimētis, solus is erit Jesus, ille unus meos abstulit amores, ille meos sibi vendicat oculos, meas genas, labia, linguam, brachia, pectus, & pectoris inquilinum cor. Absit ut vel uno temporis momento in alium posthac noster se amor derivet.

§. 10. *Inter lachrymas &* Finita Concione, Magdalena se domi cubiculo inclusit, hic aspirãte divinâ gratiâ,

proposita vita melioris induit lugubrem vestem.

gratiâ, dum clarius transactæ vitæ turpitudinem agnosceret, cœpit amarius, & profusius flere, quà data porta ruerunt lachrymæ. Ex scelerum detestatione, & dolore ortum fuit ingens propositum aliam instituendi vitam. Ex certis veræ pœnitentiæ signis illud cognoscere possumus. Depositis fericis, & auratis vestibus, nigro habitu sese induit; abjectis catenis, torquibus & annulis, remoto mundo muliebri universo, fune & sacco se succinxit, capillos aspersit cineribus, Specula confregit, totam vanitatis supellectilem exosa rejecit. Recrearunt me sæpissime pictores præcipui, qui vix quidquam pinxerunt elegantius, quàm Magdalenam in novo hoc habitu solitam, fixis in cœlum oculis peccata sua deflentem. Me quod attinet, videre mihi illam videor, cubiculo inclusam, sedentem in angulo, & ecce jam cœlo attollit oculorum aciem, jam iterum in terram demittit, jam auditur, imo è pectore promptum suspirium, O Jesu doleo! jam mœstum inter linguæ silentium fluunt calentes lachrymæ; modo suo fungitur officio dextera, & reum pectus iteratis ictibus tundit: modo iterum exclamat. *O JESU spes mea, spes sola, spes dulcis, & amica cordis mei!* inde verbis dolore plenis ipsa antri saxa lapidesque alloquitur, Et, O inquit duritiem cordis mei, quæ tanta fuit hactenus, ut vos præ illis molliora videamini saxa. Sed, ah! jam meæ estote testes pœnitentiæ; vos mihi post hac lectum subministrabitis, non plumæ, non mollia stragula aut culcitra. Sic fere illa.

Pœnitentis Magdalenæ descriptio.

Et inter hos pœnitentiæ affectus vehemens illam invadit desiderium videndi rursum Salvatorem, imò agendi cum illo coram. Vulnerata cerva anhelat ad fontem, ovicula ad pastorem, æger ad medicum, Magdalena ad Jesum Salvatorem. Et ait cum sponsa, Cant. 3. v. 2. *Surgam & circuibo civitatem, per vicos, & plateas, quaram quem diligit anima mea.* Intellexit dilectum suum accumbere mensæ in domo Simonis, eo itaq; advolat celerrimè. Quæso subeamus limina domus, immittamus pedem in locum convivij, ut quænam ibi in publico pœnitens egerit Magdalena videamus.

§. 11. *Plena desideriis videndi Christum, currit ad domum Simonis.*

Primùm ait Sacer textus; *Stans retro,* cum primùm Magdalena ingressa domum, Salvatorem conspexit, mox retro ad pedes decumbentis Jesu se abjecit plena scilicet pudore, confusione & verecundiâ, ut dicere possimus cum Davide Ps. 68. v. 8. *Operuit confusio faciem ejus.* Cum Jeremia cap. 15. v. 9. *Infirmata est, defecit anima ejus, confusa est & erubuit.* Vel cum Ezech. c. 16. v. 62. *Recordatur* (viarum suarum, sive præteritorum scelerum) *& confunditur, & non est illi ultra aperire os præ confusione suâ.* Vel cum Osea c. 2. v. 5. *filia fornicationis est, quia fornicata est, confusa est.* Verùm ne timeas Magdalena non confunderis æternum, in se sperantes Deus non confundit.

§. 12. *Amplectitur pedes. Descriptio ex S. Gregorio Nysseno.*

2. Ait sacer textus, quod se abjecerit retro ad pedes ejus, de quo eleganter S. Gregorius Nyssenus. *Stabat post tergum, dejectis luminibus, & effusâ comâ, pedes amplectens, lachrymisque perfundens, rebus ipsis tristem animum ostendebat.* Pedes amplectitur, velut altare, cui cogitat imponere commissa scelera; hinc

hinc propriis eluendæ lachrymis, hinc flammâ & igne amoris exurenda. Pedes amplectitur, in quibus scit latere fontes salutis, & vitæ æternæ. Pedes stringit, ut dilectum non dimittat, donec benedixerit. S. August. hom. 23. *Accessit, non ad caput, sed ad pedes; quæ diu malè ambulaverat vestigia recta quærebat.* S. Petrus Dam. ser. 29. *Osculatur Maria pedes Christi, & oculis inundantibus vestigia Redemptoris infundit*, ut sua eluat vestigia, ad pedes Christi se alligat capillis, ut inposterum in via mandatorum stet & currat firmiter. perge Magdalena, stringe hos pedes, sunt bases aureæ, sunt columnæ marmoreæ, quibus tuta & secura inniteris.

§. 14. Pedes Christi rigat lachrymis. 3. Hos pedes cœpit rigare lachrymis, non tam ut pedes Christi, quam turpes maculas cordis sui eluat hoc balneo. Jud. 2. v. 4. dicitur de Israëlitis, *Elevaverunt vocem suam & fleverunt, & vocatum est nomen loci illius, locus flentium seu lachrymarum: immolaveruntq; ibi hostias Domino.* Dicamus hoc de pœnitente Magdalena. Elevavit voces, non linguæ, sed cordis, & flevit. Aulam Simonis vel convivij, jam vocare possumus locum flentis Magdalenæ, ibi immolavit victimas contriti cordis. *Discubuit*, scilicet *JESUS, non tam manducaturus cibos cum Simone, quàm Magdalenæ lachrymas potaturus. Deus enim gemitus esurit, sitit lachrymas peccatorum*, ait S. Chrysologus serm. 93. Hinc cum ad Samaritanam dixit, *Mulier da mihi bibere*, Joan. 4. v. 10. potius lachrymas quam aquas petiit. S. Ambrosius l. de pœnit. *Præfert Dominus*, inquit, *apparatibus invitantis plorantis obsequium, magis delectatus mulieris facto, quàm prandio; ut qui cibi desiderio minimè ducebatur, confessionis epulis* (& lachrymis) *pasceretur.*

§. 15. Quæ Christo fuerant gratissima. Præclarè sanè S. Ambrosius, magis mulieris facto, quàm convivio delectatum, inquit, Dominum. Nimirum fercula sunt divina, conversio peccatoris. Lautitiæ, sunt suspiria pœnitentium; mel & nectar, & favus, & ambrosia est in ore Dei, cum hominum oculi fluunt lachrymis pœnitentiæ. O mortales! cur non & nos ejusmodi Deo nostro convivium apparamus? cur non illis dapibus Salvatorem mundi, in salutis nostræ negotio famelicum, ac sitibundum reficere conamur? Ita hodie conata fuit Magdalena. Et certè dicere possumus inter Magdalenam, & Simonē fuisse quoddam certamen, quisnam vel lautius, vel jucundius Christum reficeret; ille suaves apponit epulas, illa lachrymas. Hoc est, quod Laurentius Justinianus ser. de Magd. hisce voluit verbis innuere. *Tu, O Pharisæe fecisti conviviū, & meretrix coronata est, quia ploravit. Plus, inquit Dominus, valuit apud me fletus meretricis, quàm tua fercula.* S. Chrysologus ser. 9. ait Magdalenam flevisse, *ad delicias Deitatis.*

§. 16. Encomia lachrymarum. Non desunt aliæ causæ, ob quas Magdalena lachrymis habenas laxavit, de lachrymis contriti cordis dixit Clemens Alexandr. in exh. ad gent. *Ignita mali* (sive pœnarum) *jacula extinguamus aqueis cuspidibus.* Hugo Card. ad cap. 5. Matth. *lachrymæ violentæ sunt in precibus.* D. Thomas ad Luc. 14. vocat illas, *legatos ad Deum.* S. Anselmus, *lachrymæ pondera vocis habent, quæ impetrant;*

D. Chry-

D. Chrysost. hom. 5. de pœn. *Multus peccati ignis; sed modica extinguit eum lachryma.* Nam lachryma rogum extinguit peccatorum. Omitto alia. Perge tu O felix Magdalena & plora, vibrat fortassis Divina Justitia tela ignea; plora, his lachrymis extingues.

§. 17. *Apostrophe Ad Magd. ut amplius fleat.* Magna sunt fateor quæ petis; magna enim est scelerum tuorum magnitudo; magna debitorum, quibus animam tuā mundo ac Dæmoni obsidem dedisti, syngrapha; expectat te patulis diductus faucibus infernus; tu tamen contra ardentior ito, utere, quæ divinus tibi suggerit amor, præsidiis; expedi quæ hâc in necessitate plurimùm conducunt animæ saluti: si inflammatum tuâ libidine infernum despicis, age calidas affunde lachrymas, quibus stygias illas flammas possis extinguere. Ne timeas Magdalena, multa scelera, multus animi contriti dolor exuret, magna atque ingentia debita, ter maximum divinæ charitatis pretium obducet.


§. 18. *Flevit quia ardenter doluit.* Antequam à plorante Magdalenâ discedam, colligo cum S. Greg. M. *quod magno dolore ardeat, quæ flere etiam inter epulas non erubescat*, cum S. Petro Dam. ser. 29. *Pietatis* (& doloris, & amoris) *adipem, qui intus latitat, sic foras per oculos emanare.* Idem advertit S. Chrysost. hom. 6. in Matth. *Hæc quidem extrinsecus cuncta faciebat; ea verò, quæ in secreto Cordis agitabat, multò his erant ignitiora, multoque majora, quæ tantummodo Deus ipse cernebat.* Sed finio tandem cum S. Bernardo, *Felices lachrymæ, quas benigna manus Conditoris absterget; & beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt.* Eja Magdalena! his lachrymis opus est, his doloribus, his egregiis generosi amoris argumentis. Perge ut cœpisti, feliciter, indulge aliquid oculis, *est quædam flere voluptas.* Hâc certè in causâ vel maximè locum obtinet vetus illud diverbium. *Irriga pedes Christi benedictos, amarum illis affunde rorem, ut tibi dulcissimum vicissim cælestis gratiæ rorem refundant. Eja absterge purissimos Jesu pedes; illi te vicissim, cùm in crucem suffixi fuerint, non lachrymis, sed emanante copioso sanguine lavabunt.* O terque quaterque beatos oculos, quibus tanta à Deo est concessa felicitas, ut post exiguam lachrymarum pluviam, serenitatem animæ impetrent, nullis unquam tempestatibus violandam. Amarum mihi est à plorante Magdalena, & piissimis Domini pedibus avelli, avellor tamen.

§. 19. *Imitemur hoc speculum pœnitentiæ.* Supersunt capilli, quibus SS. pedes eosdem tersit, oleum, quod super Jesum effudit, oscula & amplexus castissimi amoris. Sed de his aliàs. Nostrum est Auditores hoc pœnitentiæ Speculum imitari; Estne in civitate, quæ oculis suis in omnem libidinem temerè projectis vitam egit dedecore probroq; plenissimam? Estne peccatrix in civitate, cujus sermones sunt de Venere, cujus mores, obscœnitas, cujus opera, turpitudo? Estne peccatrix in civitate, quæ alios adhuc innocentes ad crimen nefandum blandè vocat, tum incitat violentè, mox importunè sollicitat? Estne peccatrix deniq;, forsan hâc etiam in civitate, Moguntina, heu nefas! atq; utinam unam tantùm numerare liceret, utinam non complures ejusmodi labes existerent! peccatrix est? quæ de malitiâ, deque re

omnium maximè erubescendâ, tum in luxu vestium, tum in verborum levitate, atque ejus impudentiâ gloriatur?

§. 20. *Nobis quoque IESVS terribilis atque amabilis est.* Quisquis es, cave; vultu terribili Judex tuus te aspicit de cœlo! quid tremis? eleva oculos, si vis, idem Judex Salvator tuus est, vultum offert benignum, amabilem; sed mox statim surge, abi cum Magdalena ad Jesum tuum. Hic & non alius est resipiscendi modus. Hæc sola rest tuendæ salutis æternæ ratio! lachrymis opus est ad diluenda scelera. Oculorum imbrem affunde pedibus Christi, quos impiâ vitâ tuâ contaminasti. O peccatrix anima! sine lachrymis, sine fletu, sine illis præviis cùm animi dolore suspiriis, nequaquam ad amoris oscula licebit accedere, & quod consequens est, nequaquam licebit audire vocem illam Dei amabilem & gratiosam, quâ suavior & gratior ad aures Magdalenæ pœnitentis nulla unquam accidit, *dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Sed dilectionem ille, ut dixi, lachrymarum imber antecedat necesse est.

Ite auditores; *fratres* (his verbis S. Chrysologus suos dimisit Auditores) *si nos esse peccatores novimus, pedibus Christi demus lachrymas, spargamus capillos, figamus oscula, pietatis oleum totâ devotione fundamus, ut dicatur nobis, dimittuntur vobis peccata multa, quia dilexistis multum.* §. 21. *Adhortatio ad imitationem Magdalenæ.*



CONCIO LXXVII.

FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum.

Matthæi 20. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Proponit necessitatem, & laudes virtutis Patientiæ.

De

§. 1. S. Iacobus insignis miles Christi.

DE Sancto Georgio M. ait B. Petrus Dam. ser. 13. *Verè insignis hic miles Christi! qui minas Principum sprevit, carnificum tormenta contempsit, ferrum, ignes, gladios, ac diversa suppliciorum genera invictæ patientiæ Majestate calcavit. O augustam ab invicta patientia Majestate auctoritatem, quæ testem fidelem exaudit.* Simili planè elogio, meo judicio dignus est S. Jacobus Apostolus. Post Jesu Christi gloriosam ascensionem, in Judæâ & Samaria, ejusdem prædicans divinitatem, inter gravissimas Synagogæ persecutiones, gravissimos exantlavit labores, & invictæ patientiæ Majestate calcavit! inde in Hispaniam profectus, ibidemque non minori labore Christum prædicavit, in persecutionibus, in pericul s, in fame, in siti, in nuditate, semper sui similis, semper constans, invictus, generosus, atq; ita iterū omnia invictæ patientiæ Majestate calcavit.

§. 2. Plectitur capite cum insigni patientia.

Ex Hispaniâ reversus Hierosolymam, ab Herode, liberè Jesum Christum Deum professus, damnatus est capitis, sic securi percussus, primus Apostolorum Jerosolymis profuso sanguine testimonium Jesu Christo contulit. Gladium, ferrum, securim, mortem invictæ patientiæ Majestete calcavit. Eusebius Emyssenus hom. de S. Steph. *Beatus qui fumantem adhuc Dominici victimam sanguinis primus* (ex Apostolis) *honoravit, recenti sacrificio passionis.* Quàm virtus patientia, quam in glorioso nostro Apostolo laudare incepi, & nobis sit necessaria atque utilis, hâc Concione ostendam. Fuit cum de patientiæ proprietatibus, actibus atque essentiâ apud vos verba facerem: nunc itaque & necessitatem, ne quis fortè ab illius consortio subducat, pari ut spero fructu atq; animarū solatio explicandū aggredior.

Patientia valdè nobis est necessaria. Quod quidem verum esse (inquit S. Chrysost. hom. 33. in ep. 1. ad Corinth.) ipsa experientia docet, & primum de bonis temporalibus loquendo, certum est, quòd sine patientia ea consequi non possumus. Ut enim mercator, & miles, & agricola ditescant, quot labores oportet eos patienter exantlare? tolle illi stolerantiam, tolle patientiam, nunquam divitias acquirent. Sic qui bona spiritualia obtinere contendit, ut laboret necesse est, orando, meditando, operibus pœnitentiæ vacando, & in omnium virtutum muneribus se exercendo, quæ quantâ egeant tolerantiâ, quis non videt?

§. 3. Necessitatem ejus probat experientia.

Et sanè verba S. Pauli ad Hebr. 10. v. 36. clara sunt. *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem*, id est, ut finem, ad quem conditi estis, assequamini, & ad vitam perveniatis æternam, patientia vobis valde est necessaria; tot enim difficultatibus, tentationibus, adversitatibus, periculis, persecutionibus & tribulationibus vita Christiana referta est, ut nisi Christianus assiduâ patientiâ armatus incedat, ad metam Salvationis pervenire non possit. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, Matth. 10. v. 22. in tot autem adversis quis perseverare poterit sine patientia? ideo justus & electus comparatur auro, quod malleo persecutionis non cedit, reprobus autem similis est vitro, quod facillimè frangitur; sed quis mortalium mallei ictus sine patientiâ sustinere poterit?

§. 4. Confirmatur ex S. Paulo.

eo tendunt verba Salvatoris Luc. 21. v. 19. *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.* S. Cyprianus de bono patientiæ. *Neq; accipi potest dolorum & passionum corona, nisi præcedat in dolore & passione Patientia!* Breviter gentilis Seneca, sed *patiendum nobis est*, inquit, *dum in passionum stadio sumus.*

§. 5. *Hic mundus est stadium patientiæ.* Hoc stadium æterna Veritas vocat *mundum*, Joan. 16. v. 20. *In mundo afflictionem habebitis; & mundus gaudebit, vos flebitis*; mundus canet tripudia, victorias, triumphos; vos tristem lessum, & lachrymabilem odam dolorum, mũdus fruetur gaudiis hujus vitæ, ubique indulgebit lętitiis, ubiq; deliciis affluet, & voluptatibus; vos interim nil nisi pauperies sordida, nil nisi probrum, & ignominia, nil nisi dolor, & mœstitia manebit, jam vexabunt morborum agmina, jam malevolorum persequetur livor, & invidia; modò invadet rerum omnium egestas, mox alius instabit hostis; & hic vix abscesserit cùm alius ex alio succedet. O junctâ calamitatibus catenam! & tamen hæc, quoad mortalem hanc vitam degimus, evadere justis nec licet, nec expedit, & quis dubitet necessariam esse patientiam? animadvertitis, credo, quàm sine hâc duce actum sit de hominis felicitate: perspicitis, quantopere homini sit laborandum, ut, cum adversa ipsum premit fortuna, & sors vexat iniquior, non etiam iniquior animus, & mens impatiens fortius premat, atq; opprimat tandem, nisi id impedat patientia.

§. 6. *Encomia Patientiæ ex S. Chrysost.* Et præter hanc, innumeras alias utilitates adfert eadem virtus. S. Chrysostomus hom. 33. in ep. 2. ad Cor. *Patientia est scutum inexpugnabile, & turris firma, omnia mala repellens, & sicut in abyssum maris scintilla illata, huic quidem nihil obest, & ipsa extinguitur; sic in animum tolerantem, quidquid incidere, maximarum etiam rerum potest, facilè quidem absumitur, & ipse nihil prorsus conturbabitur, quia rebus omnibus solidior est patientia. Vir patiens, velut in portu sedens summâ semper fruitur tranquillitate: injice mulctam, nihil hanc petram movebis, contumeliâ pete, nondum turrim concussisti, plagas incute, nihildum adamantem illum perturbasti: ideò enim patiens, longanimis nominatur, quia longum & ingentem quasi animum in omnibus circumfert.*

§. 7. *In adversis est anchora.* Proinde in omni adversitate ad patientiæ remedium, tanquam ad sacram anchoram confugere debemus; hæc naviculam nostram inter fluctus etiam turbulentissimos firmat, & ligat ad petram, quæ Christus est, ut licet corpori sit malè, licet caro conteratur, liber tamen animus atque expeditus evadat, hoc efficit patientia! Refert Plutarchus in Apoph. Laconicis; Achesilaus Lacedæmoniorum Rex, cum arderet doloribus podagræ, & Carneades ejus familiaris eum inviseret, ac paulò post tristis recederet. *Manè*, inquit, *Carneades*, nihil enim inde huc pervenit, quod cum diceret, pectus suum indigitabat; sentiens quidem pedes dolere, sed animum dolore liberum atque immunem, hic est nobilissimus fructus patientiæ in viro Christiano, licet inimici damnũ inferant, licet infligantur pœnæ, licet alius ex alio nascatur dolor, tamen animus non succumbit, non cedit victus, non superatur, nec diris frangitur molestiis.

Sed

§. 8. *Encomia ejus ex S. Cypriano.* Sed eleganti conglobatione S. Cyprianus virtutis hujus utilitatem & fructus enarrat. *Patientia, inquit, est, qua iram temperat, linguam frænat, mentem gubernat, pacem custodit* (impatientiæ enim operationes sunt prorsus contrariæ, excitat iram, laxat linguam, turbat mentem & pacem) *Patientia est, qua tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, facit in adversis fortes, contra injurias & contumelias mites, docet ignoscere delinquentibus, persecutiones tolerat, martyria consummat.*

§. 9. *Pauci sunt eximij in hâc virtute* Judicate an hâc virtute & vos conspicui, & ea, quæ narrat patientiæ encomia Cyprianus, mereamini?

Ego sanè existimo paucos admodum hâc in urbe, imò etiam in orbe terrarum reperiri, de quibus sine omni exceptione, & velut ex asse, integræ, quas refert citatus Præsul, laudes, possint prædicari! Nam peragremus, si lubet, mentibus nonnihil nostris ac cogitationibus urbem hanc, aut orbem; Deum immortalem, quot impatientiæ, rixarum, contentionum, præliorum fomites! quot inimicitiarum exempla! Examinate vosmetipsos Auditores, & ferte ex æquo calculum, vel candidum virtuti vestræ ac patientiæ, vel nigrum iræ atq; impatientiæ! enim verò si pacem non custoditis, sed turbatis; si amicitiæ vincula non conjungitis, sed dissolvitis, si iram non temperatis, sed magis indies, magisque accenditis, si linguam non fræno rationis compescitis, sed in omnem vel detractionum, vel rixarum licentiam effunditis; si mentem non eâ, quâ par est, ratione gubernatis; nolite vos in patientiæ scholâ discipulos profiteri; aliter quippe suos informat candidatos nobilis illa virtus Patientia.

De illa dixit S. Chrysost. t. 5. ep. ad Olymp. *Hac enim est corona perfectio, hoc virtutis cacumen, ista fortitudinis aperta probatio, hoc verissimum incrementum Philosophia, in scholâ Christi & aeterna Sapientia.* Veritas hujus axiomatis fundatur in c. 1. v. 2. S. Jacobi. *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestra patientiam operatur, patientia verò opus perfectum habet, ut sitis perfecti & integri in nullo deficientes.* §. 10. *Alia encomia ex S. Chrysost.*

2. Cor. 11. v. 12. ait S. Paulus. *Signa apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientiâ, in signis & prodigiis*, longè magis miranda, suscitationem mortuorum, expulsiones dæmonum, ægrorum curationes, & similia, non posuit primo loco, sed patientiam! hoc enim (inquit S. Chrysost.) Apostoli est specimen & argumentum, nempe omnia forti animo ferre. S. Justinus M. interrogatus, quodnam esset miraculorū Christi maximum? respondit. *Patientia ejus tanta in laboribus tantis.* Et Tertullianus invehitur in Judæos & Pharisæos, quod videntes Christum tantâ patientiâ ferre tantas injurias, non agnoverint esse Filium DEI. Certè non desunt, qui putent hanc Christi in Cruce Patientiam expressisse Centurioni illas voces, *Verè Filius DEI erat iste.* Imò propter eandem Diabolum suspicatum fuisse, altius quid sub illâ humilitate latere, ideoq; ejus mortem per Pilati uxorem impedire voluisse. Pari ergo ratione, cum Christianum videmus excellenti patientiâ præditum, cogitare possumus, illā virtutem §. 11. *Apostoli specimen est, fortiter ferre adversa.*

virtutum esse signum multarum aliarum, & magnæ sanctitatis, atque perfectionis argumentum non obscurum.

§. 12. Emblema. Sed juvat rem, per se licet claram, ut adhuc tamen clarius omnibus illucescat, uno vel altero emblemate illustrare, in quibus virtutis hujus tum præstantiam, tum utilitatem, & necessitatem velut in speculo videatis. Et primum quidem mihi suggerit Celsissimus quondam Dux Traieti Vespasianus Gonzaga, qui suam hâc de re sententiam, atque animi ad patientiam affectum, hâc in imagine exhibuit. Camelum pingi voluit Arabicum & gibbo tumidum, cui hanc adjecit epigraphen, *Juvat empta labore gloria.* Ita certè juvat, expertus ipsemet est auctor emblematis, nam cùm ultra se ad labores, & onera, ad molestias & difficultates, ad injurias perferendas, & adversitates, cùm gaudio submisisset, magis inde se elevatum, quam pressum, magis illustrem, quam contemptum, magis gloriosum, quam humilem reddi intellexit. Tanti refert dorsum habere cameli, posse multùm pro Christo tolerare, fortem rebus in adversis animum, dolorumque quasi onerum patientem ostendere, sed & idem expertus est is, cujus hodie festum agimus, sanctus Hispaniarum Apostolus Jacobus, dicere potest, *juvat empta labore gloria*, quando innumeris ipse difficultatibus superatis, nunquam non cameli fortitudinem, nunquam non egregiam in arduis atque molestiis patientiam præ se tulit.

§. 13. Aliud. Ita nimirùm elevat magis, quàm deprimit, magis exaltat, quàm humiliat patientia. Et hinc fortè natum existimo, quod Franciscus Maria II. Dux Urbini pro suo sibi symbolo delegerit Palmam, quæ impositum ramis lapidem sustineret; cum inscriptione, *Inclinata resurgo*, indicare volens fortem animum & in adversis patientem, paululùm deprimi, sed ut mox altius erigatur. Ita depressus fuit, quem paulò ante memoravi, Jacobus Apostolus, depressus, inquam, laborum, dolorum, persecutionum ac mortis demum ipsius pondere gravissimo. Inclinata fuit palma, sed resurrexit, erecta fuit denuo, viret jam cœlesti in paradiso; viret in hoc etiam orbe terrarum, potissimum autem in florentissimis Hispaniarum regnis, pulchrior, gratior, amœnior, gloriosior.

Supersunt nunc encomia varia, quibus SS. Patres patientiam, ejusque fructus deprædicant, & ipse sacer codex ait Eccl. 27. v. 6. *Vasa figuli* (vel aurum & argentum) *probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.* Sap. 3. v. 5. *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se, tanquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.* Tobiæ ait Angelus c. 12. v. 13. *quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* S. Gregorius. *Pœna interrogat, si quis veraciter amat, si quis Sanctus est, &c.* Tertullianus (de pat. c. 16. *Postquam diabolus (Jobo) pecunias abstulit, & eum nudum reliquit, & tamen audivit dicentem, sit nomen Domini benedictum, tunc victus cessit, & Jobum agnovit esse virum sanctum & perfectum.* §. 14. Aliud encomium Patientiæ.


§. 15. Patientia probat virtutes Iosephi. S. Bernardus ser. 4. de adv. *Sunt aliqui mites, sed quàm diu nihil dicitur, vel agitur, nisi pro eorum arbitrio: patebit autem, quàm longè sint à verâ mansuetudine, si*

ne, si levis occasio oriatur. Patientia probat virtutem. De Josepho pulchrè ait Zeno ser. de pat. *Joseph patiens invenitur, è pascuis cum à fratribus rapitur: patiens cum in puteum dimittitur, patiens cum venditur, patiens in carcere, patientior in regno, patientissimus, cùm fratres agnoscit.* Cœlestis profectò illa fuit patientia! irrefragabile argumentum excellentissimarum virtutum, quibus Josephus Deo fuit acceptabilis.

§. 16. *Abrahami.* Suam ac laudabilem obedientiam Abrahami & Isaaci, hujus ut imoleretur, illius ut immolaret, probavit patientia. Davidis in tot adversis casibus mansuetudinem, Jacobi, cum iratum fratrem Esau fugeret, longanimitatem, verbo, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, egregias virtutes probavit, aperuit, confirmavit virtutum Regina Patientia! S. Chrysost. hom. 33. in 1. ad Cor. c. 13. *Quid acerbius quàm videre filium insurgentem, & imperium affectantem, paterni sanguinis sitientem? at hoc pertulit beatus ille, & ne verbum effudit adversus parricidam, cæteraque militibus permittens, de invicti filii salute mandavit, servate mihi puerum Absolon. Firmum hoc charitatis* (dicamus virtutum omnium) *fundamentum fuit.*


§. 17. *Est incrementum Virtutum.*

Repeto initium fere mei thematis, *Patientia est necessaria*, sed est coronæ perfectio, virtutis cacumen, fortitudinis aperta probatio, verissimum incrementum omnium virtutum. Macti igitur animis Auditores Charissimi, Macti, quibuscum jam fortuna adversa duriùs videtur agere, quibus magna ac multa pro Christo patiendi indies præbetur materia, non infelicitatem hanc putate, si sapitis, sed summam, quam sperare potestis fortunam, si tamen patientia coronetur, si hæc virtutum probatio non deficiat. O terque quaterque beatos vos & felicissimos, si ita vitæ vestræ rationes ex Patientiæ regulis instituatis, ut quod aliis dolori est a cruciatui, vobis sit amori & gaudio. *Adhortatio ad Patientiam.* Hoc ea efficit, de quâ diximus hactenus, virtutum probatio, in hanc nos sortem extollit, in istum erigit statum tranquillitatis, Patientia.





CON-



CONCIO LXXVIII.

FESTO S. PATRIS IGNATII LOJOLÆ.

Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua.

Eccleſiaſtici 44. v. 1.

Synopsis Concionis.

AGit hæc Panegyris de converſione S. Ignatij, & primordiis ſanctiſſimæ vitæ.

§. 1. *Elias Puer nutritus fuit flammis, deinde vir igneus.*

§. 2. *Talis fuit S. Ignatius, prout novit Orbis.*

§. 3. *Puer nominavit nomen ſuum.*

§. 4. *D. Providentia erga Eccleſiam Luthero oppoſuit Ignatium.*

§. 5. *Ignatius defendit Pamplonam.*

§. 6. *Sternitur globo tormenti.*

§. 7. *A cujus igne reſuſcitatæ ſunt ſcintillæ gratiæ, ſopitæ ſub pulvere vanitatis.*

§. 8. *Remittitur à Gallis ad arcem Lojolam.*

§. 9. *Incipit legere vitas Sanctorum.*

§. 10. *Ingenti fructu.*

§. 11. *Confirmatur exemplo S. Auguſtini.*

§. 12. *Sanatur à S. Petro.*

§. 13. *Sanctis Ignatij propoſitis ſe opponit Sathan.*

§. 14. *Inter ſcrupulos apparet illi B. Virgo cum JESULO.*

§. 15. *Cum dono Orationis, & amore mortificationis.*

§. 16. *Deſerit ſuos, & mundum cum magno ardore Charitatis.*

§. 17. *Pergit Manreſam, inde ad montem Serratum.*

§. 18. *Poſt generalem Confeſſionem totâ nocte ſtat pervigil ante aram Virginis.*

§. 19. *Cauſæ ob quas Spiritus S. illum deduxit ad illum montem.*

§. 20. *Apoſtrophe ad S. Ignatium.*

§. 1. *Elias Puer nutritus fuit flammis, deinde vir igneus.*

MIrum narratur prodigiũ de nativitate Prophetæ Eliæ, viri illius ignei, atque ignei Verbi Dei præconis, nam paulo antequam in hanc lucem ederetur, Sabac pater illius ſibi videre viſus eſt viros quoſdam albis indutos, qui & novum infantem & modo in hanc lucẽ editum ſumma reverentia ſalutarent, ut oculis aſſuaviarentur, & flammas verſus

versus ubera materna conjicerent, imò infantis ori lacteos quasi rivos affunderent, vidit inquam Pater infantem cum lacte pariter & flammas sugentem. Quo ex viso non difficilis fuit prudentissimo parenti conjectura & præsagium, filiolum sibi natum fore Prophetam, qui ignes quondam, & flammas per mundum universum sparsurus esset, quod & eventus comprobavit, *factus est enim Elias quasi ignis, & verbum illius quasi facula ardebat.* Ecclef. 48. v. 1.

§. 2. *Talis fuit S. Ignat. prout novit Orbis.* Simile quidpiam & æquè prodigiosum reperio in ortu magni Parentis nostri, sanctissimique Patriarchæ, cujus hodie solennitatem celebramus, Ignatii. Quàm igneus hic vir fuerit, quàm flammeus Zelator gloriæ Dei, quæ incendia divini amoris, qui ubique refrixerat, accenderit & sparserit, novit hodie Europa, compertum habet Africa, Asia non ignorat, testatur America! noverunt utriusque mundi cardines, noverunt omnes cœli plagæ, noverunt boni omnes, de igneo hoc viro sibi congratulantes. In ipsa nativitate præsagium non defuit, dum cœlum igneum illi dedit nomen, & ingenti prodigio! inter miracula, quæ celebrem faciunt nativitatem S. Joannis Baptistæ, & hoc numerat sacer textus, dum lis esset cognatos inter & Matrem, quo potissimum nomine puer appellandus foret, Zacharias Pater scripsit, *Joannes est nomen ejus*, Luc. 1. v. 63. & soluta est lingua ex tetrico aliquot mensium silentio, prorupitque in Dei laudes, v. 68. *Benedictus Dominus Deus Israel*, acclamantibus interea vicinis. *Quis putas, Puer iste erit?* v. 66.

§. 3. *Puer nominavit nomen suum.* Simile quidpiam, si non majus contigit in nativitate S. Ignatii (narrant Escobar, Mendoza, Melchior de la Cerda, celebres Scriptores) parentibus inter se diffidentibus, qui vellent vocare eum, soluta est lingua, non patris, non matris, sed, ô prodigium! parvuli infantis ipsiusmet, qui è cunis clara voce profatus est, *Ignatius est nomen meum*, non dubito parentes & circumstantes cogitasse: *Quis putas, puer iste erit?* fortassis Angeli maternis uberibus aspersérunt flammas, fortè iidem cum lacte infuderunt ignes, quos dum sugeret pusio, exclamavit, *Ignatius est nomen meum*, flammas in hoc nomine advertit ille, qui pulcherrimum hunc anagrammatismum primus invenit. *S. Ignatius de Lojola, O ignis à Deo illatus!* hic igneus vir Pater & Patriarcha fuit sanctissimi mei Ordinis, minimæ Societatis JESU. Gratulentur sibi Principes, & Monarchæ hujus mundi de summis dignitatibus, ego mihi gratulor, quod sim indignissimus licet filius charissimi, sanctissimique Parentis mei Ignatii, si gloriari expedit, de hujus ego sancti Patris mei virtutibus gloriabor, in iis, & deprædicandis pro suggestu, & imitandis pro viribus; vocem meam, vires, laborem ac studia lubens, volensque impendam. Annue conatibus meis Sanctissime Patriarcha Ignati, & dictu rum de tuis illis ignibus, quibus post conversionem omni in vita exarsisti, dicentem è filiis tuis minimum, ita accende, ut & ego igneus in tui imitatione, & mei mecum Auditores in amore pariter, atque imitatione inflammati evadamus. Ego hac panegyri, quæ primam

mam tuam ad Deum conversionem exponit, ita reliquæ vitæ præludam, ut ab illa, quam tibi ipse præfixisti, regulâ, *Ad majorem Dei gloriam*, non deflectam.

§. 4. *D. Providentia erga Ecclesiam. Luthero opposuit Ignatium.*

Ab annis jam supra mille sexcentos, sexaginta quatuor Christus Salvator noster Ecclesiam suam mirabili sanè modo rexit atq; gubernavit, juxta illud Petro promissu, Matt. 28. v. 20. *Ego vobiscum sum usq; ad consummationem sæculi, &c. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* c. 16. v. 18. In hoc præcipuè eluxit suavis, & paterna ejus providentia; ut quoties Hæresiarchæ novis dogmatibus Ecclesiæ arcem, ac turrim oppugnarunt, viros excitarit magnos & gloriosos, qui illam turrim generosè defenderent, hostium assultus rejicerent, impetus validissimos reprimerent, conatus nefarios eliderent. Res constat ex historiis. Cum Diabolus Christi & Ecclesiæ hostis, ex orco contra illam emisit infame illud monstrum Martinum Lutherum; cœlum dedit, illique opposuit S. Ignatium, de quo notum est, quantum Ecclesiæ profuerit, quàm vigil fuerit atque sollicitus Pater, quàm latrans canis contra lupos.

§. 5. *Ignatius defendit Pamplonam.*

Cùm Lutherus Christi castra in Germania desereret, in Hispania, Ignatius strenuus Hispaniarum Regis miles, atque belli Dux, Pamplonam in Navarra, contra Gallos, gubernator defendebat. Agite Heroes, eja fortissimi Galli, eja gloriosi milites, Pamplonam oppugnate, sonent tubæ, strepant litui, tonent tormenta, vibrate tela, probate, num Ignatius ille Cantaber Heros, sit miles. Eja fortes & strenui Hispani, defensores Pamplonæ & regni Navarræ, Gallorum vires atque impetum incurrentis hostis nolite pertimescere, agite, defendite fossas, tuemini muros, propugnate propugnacula, ne cedite, jam Gallica vexilla vestris explicantur in agris, jam Franciæ lilia vestris conspiciuntur in hortis, jam in muros impetum facit hostis. Vos verò agedum viros exhibete, macti animis, sub quo duce prælie mini, cogitate; arcem defendite Ignatio auspice, ab hujus nutibus, virtuteque toti pendete.

§. 6. *Sternitur globo tormenti.*

Sed heu! benignis fortuna oculis liliatum conspexit exercitum. Gallici tormenti globus tetigit, & dejecit Ignatium, id est corpus, non animum, sed cum corpore Ignatii cecidit animus militum, cum his cecidit Pamplona in manus Gallorum, sub umbram liliorum. Infelix globus! qui talem militem prostravit, erro, felix fuit, non infelix, neque ulla unquam dextera ictum feliciùs libravit, nullus rei tormentariæ artifex pulchriorem in metam, certioremque collimavit, ac divina Providentia, quæ hunc globum direxit in tibiam S. Ignatii, ut caderet ille quidem, sed ex lapsu novos simul conciperet ignes, qui portis inferni deinde fuerunt, atque etiamnum existunt oppido terribiles.

§. 7. *A cujus igne resuscitata sui scintilla gratiæ, sopitæ sub pulvere vanitatis.*

In exordio dixi, Ignatium voce saltem & nomine fuisse igneum infantem. In Baptismate Spiritus S. animum Ignatii flammis quoque repleverat, sed heu! in florida juventute, cineres honorum, cineres opum & vanitatum illas flammas nonnihil sopiverunt, delituerunt aliquot

liquot annis, quibus vixit in aula Regis Hispaniæ, quis illas rursum excitabit? quis faciet, ut erumpant? in venis silicis scintillæ ignis sunt reconditæ, quæ non nisi percussione saxi vel chalybis eliciuntur. Idem contigit Ignatio, igneo globo percussus hic silex ignem concepit, qui mox in luculentum prorupit incendium. Tetigit hic globus Ignatium, & simul portas inferni: Antequam Spiritus S. die Pentecostes corda Apostolorum cœlestibus ignibus accenderet, præcessit sonus de cœlo, Act. 2. v. 2. Ignibus, quibus accensus est Ignatius, prælusit sonitus ignei tormenti.

§. 8. *Remittitur à Gallis ad arcem Lojolam.* Placuit etiam Gallis virtus strenui militis Ignatii. Mox itaque liberum dimiserunt ad arcem suam Lojolam, ubi medicorum curæ se commisit, ut vulneris tibiæque ex illorum chyrurgorumq; præscripto cura haberetur. Sic jacuit Ignatius corpore affixus lecto, sed animo & excelsis cogitationibus versabatur in acie, in præliis, inter milites & exercitus, rediissetque ad Martis castra, nisi ad vexilla Christi, & Crucis à Spiritu S. suaviter, & fortiter fuisset evocatus.

§. 9. *Incipit legere vitas Sanctorū.* Inter dolores Vulneris, ut tempus tereret, & tædii levandi causa libros petiit profanos, præsertim de re militari, ut vel in lecto copiis præesset, pugnaret, vinceret, nil nisi victorias & triumphos etiam æger machinabatur Ignatius. Verùm, quod fuit egregium divinæ providentiæ beneficium, libri in arce Lojolica reperti nulli præter duos, quorum alter Christi Salvatoris, alter Divorum Christi pugilum Confessorumq; vitas, atque exemplaria continebat, sed displicuerunt, ut fieri solet, initio homini in aula enutrito; deinde tamen dum eos volvit, dum revolvit, ruminat, sensit ignem in ossibus suis, & intimis fibris, ut paulatim eorum lectione delectaretur, sentiretq; intimos animi ardentis igniculos, & mox (Ps. 38.) cor ejus planè inter illum concaluit. Hoc fuit exordium Ignatiani incendii; hinc prima ista inflammata Ignatiani pectoris desideria! hinc illæ intercisæ ad amorem suum voces: *O Deus! O amor!*

Jacebat ille quidem lecto affixus ex vulnere, sed animus jam peregrinabatur in cœlis, cogebatur hærere etiamnum privatos inter parietes, at maluisset jam evolare in stadium pietatis, in apertos virtutum campos; desiderabat in Crucem agi cum Petro, & Philippo, exoptabat experiri feralem cultrum S. Bartholomæi, anhelabat ad lapides Proto-Martyris Stephani, suspirabat ad laureatos illos ignes Laurentii, subinde exclamabat cum S. Andrea, *Salve ò bona Crux!* me quoque suscipe discipulum! mox reos scelerum oculos, frontemque pudore suffusam in terram deprimebat, mox spei plenus in altum erigens, inde erumpens in suspirium, ex illo in testes contriti cordis lachrymas; post has iterum in librum inspicere, continuare lectionem, urgere amorem, ac mille demum pasci affectibus. §. 10. *Ingenti fructu.*

S. Augustinus cum lectione Scripturæ conversus fuisset, dixit l. 9. confess. c. 2. *Sagittaveras cor meum charitate tua, & gestabamus verba tua transfixa visceribus, & exempla verborum tuorum, congesta in sinum cogitationis nostræ; urebant & assumebant gravem torporem, &* §. 11. *Confirmatur exemplo S. August.*

accendebant me validè! idem ferè sancto meo Parenti Ignatio usu venit, quis enim expeditus ille jaculator, sagittam in ejus pectus tam dexterè collimavit? *Amor Divinus*. Quis tam luculentam, at salutarem cordi ejus plagam imposuit? *Amor*. Quis militares illos spiritus, ac martiam indolem ad mansuetudinem tantam revocavit? *Amor*. Quis sæculares Ignatii flammas in cœlestes ac divinas, tam lætâ simul ac mirâ metamorphosi commutavit? *Amor*. O amor, tibi debetur hæc palma, tuus iste triumphus, tua victoria. Pro arcu usus est illis, qui Sanctorum vitas, Divorumque res gestas complectebantur libellis, pro sagitta oculis lectoribus. Vicisti! triumpha! alius est Ignatius.

§.12. *Sanatur à S. Petro.* Dum medicorum curâ lentis procederet passibus, de cœlo implorat auxilium & obtinet, Ecce enim spectandum se illi exhibet Apostolorum Princeps D. Petrus, & suam afflicti Ignatii tibiæ sanitatem restituit. Neque sine causa à sancto Petro fuit curatus. Memini enim verborum sancti Ambrosii serm. 69. *Primum signum mirabilium suorum fecit Sanctus Petrus, claudo pedum restituendo vestigia. Diximus frequenter ipsum Petrum à Domino nuncupatum. Si ergo Petrus petra est, supra quam ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat, ut sicut in Ecclesia fides fundamentum continet, ita & in hoc claudo, fundamenta confirmet. Rectè in Christiano pedes curat prius, ut non trepidus jam, neque imbecillis, sed robustus possit incedere.* Sic tibiam Sancti Ignatii confirmavit S. Petrus, ut esset petra solidissima, supra quam moles tantæ machinæ, qualis est Societas, tot ventis impetenda, tot tentanda turbinibus, ædificari posset, & inconcussa subsistere; imò ut Ecclesiæ multis partibus in Germania labanti nova esset petra, & fundamentum. Sic censet Concilium Tarraconense in Hispania (Escobar à Imago primi sæculi l. 5. cap. 1.) Ducem Ignatium Deus singulari providentia his temporibus dedit Ecclesiæ, ut tanquam Atlas geminis humeris, pietatis & doctrinæ Ecclesiam sustentaret. Novi itaque hujus Atlantis tibias meritò confirmavit S. Petrus, dum sanitatem de cœlo illi restituit.

Jam verò sanitati restitutus quid agit Ignatius? audi, nova ardua! sublimia! cœlestia! divina cogitat, proponit, molitur, aggreditur. Advertit id Satanas, ideo officio suo non defuit, sed omni genere tentationum aggressus fuit Ignatium. Jam negotii, quod animo tractaret, magnitudinem objicere; jam periculorum instantium copiam; jam mundi blandientis illecebras; jam stemmatis atque familiæ dignitatem; jam consodalium mundi castra sequentium exempla; jam alias ex aliis difficultates repræsentare tartareus ille Veterator; Non rarò hisce illum cogitationibus intentum aggressus: Quid agis Ignati? tantosne in te turbines concitabis? tantis expones periculis, ludibriis, vicissitudinibus? & poterit tua prosequi imbecillitas? quæ audax ac prope temeraria meditatur generositas, (si tamen generositas) & non ut dixi, temeritas potius, nuncupanda est illa, quæ res tam arduas atque §.13. *Sancti Ignatii proposita se opponit Sathan.*

atque difficiles, imò tam indignas genere, ac statu tuo suscipere decernit. Vide verò, ne tuus iste te fervor præcipitem agit, vide ne species illa sit pietatis, & non pietas, deceptio & non correctio.

§.14. *Inter scrupulos apparet illi B. V. cum Iesulo.* Molestissima profectò fuit isthæc Ignatio interior inquietudo, & turbatio conscientiæ, quæ veluti tempestas cordi ipsius incumbebat, nubes quædam tristitiæ observabatur animo, & atra caligo scrupulorum; mox tamen lux pulcherrima de cœlo allapsa pulsis procul nubibus serenitatem reduxit. Nam dum in his angustiis tenerrimis precibus opem magnæ Matris imploraret, illa mox adfuit, & clienti nocte intempesta, pulcherrimâ in luce apparuit, quin etiam Jesulum ipsi infantem, amplexandum, stringendum, suaviandum, suavissimas inter cœlestesque delicias porrexit; ex quo momento mundus Ignatio desipuit, ex illo inquam momento ab omni voluptate animum abstrahere cogitavit. Pulcherrima illa visio, hinc Beatæ Virginis, hinc Jesuli, ex phantasia Ignatii; quasi spongia omnes species impuras induxit & delevit; *A quibus illi collatū fuit donū Castitatis.* in illa visione JESUS & Maria, hæc quidem lacte, ille verò sanguine omnem concupiscentiæ ignem in animo & corpore Ignatii ita extinxerunt, ut nullus deinde in vita tota motus castitati adversantes animadverterit. S. Isidoro Beata Virgo donum castitatis dedit in alba veste; S. Thomæ per Angelos cum candido cingulo, Sponso S. Dorotheæ cum floribus è paradiso, Sponso S. Cæciliæ cum Angelica harmonia, Sanctæ Catharinæ, cœlesti annulo digito inserto, ut etiam Hermanno Josepho: S. Ignatio tanto dono impertiit cum Jesulo, & igneus hic Puer in brachiis, super cor & pectus Ignatii illos ignes, quos igneus globus accenderat in corpore & tibia, accendit magis in corde. Eliæ Prophetæ Angeli pro lacte instillarunt flammas; Mater pulchræ dilectionis pro ignibus & lacte, suo Ignatio dedit JESULUM, lactis & ignium fontem.

Cum dono castitatis, Jesulus & Maria in hac visione Ignatio contulerunt donum ferventissimæ orationis, & amore mortificationis, ab hoc tempore lectus S. Ignatii fuit humus, cervical lapis, somnus exiguus & planè necessarius; cibus fuit panis, potus aqua. Ab hoc tempore ter quotidie flagellis in se desævit; septenas quotidie horas dedit orationi. Inter orandum autem frequenter igneus quidam splendor, ad instar luculenti ignis corpus ejus circumdare & circumvestire visus est, facies sæpe ita arsit & luxit, ut solis quodammodo æmula videretur. Inter ardores, & æstus divini amoris, sæpius ita raptus fuit à sensibus, ita à semetipso abstractus, totusque veluti absorptus in Deo, ut corpore à terra elevatus, atque in aëre suspensus hæserit. Nimirum tam anima, quàm corpore levis, quia totus igneus Ignatius. §.15. *Cum dono Orationis, & amore mortificationis.*

§.16. *Deserit suos, & mundum, cum magno ardore charitatis.* Verum quia videbat, se domi suæ, suis sequendi Christum desideriis, nequaquam ut vellet, respondere posse, extemplo quæ animo ante volverat reapse executus fuit, & amicis,

& cupiditatibus, & votæ anteactæ, & commodis nuntium, ut ajunt, remisit, ergo cum obvio quoque mendico pretiosas vestes commutat, ipse sacco amictus, fune præcinctus, pedibus nudus Manresam (parvum id est in Catalaunia oppidum) contendit, in itinere ardua quæque cogitans de rigorosa pœnitentia, de vita aspera, de summa humilitate, paupertate, obedientia, de exactissima perfectione & sanctitate. De igne charitatis dixit Theodoretus or. de caj. *Ignis quo plus accipit nutrimenti, eo majorem accipit operationem; ea enim accessione materiæ augetur; ita in Deum dilectio accenditur divinarum rerum contemplatione; & quo magis in rebus divinis versatus quis fuerit, eo magis accendit flammam devotionis.* Hoc advertit S. Ignatius, proinde se totum dedit contemplationi, considerationi vitæ Christi, & sanctis cogitationibus; ex his ex ore itentidem erumpebant jaculatoriæ orationes, seu sagittæ divini amoris, seu scintillæ charitatis, seu ardenter amantis voces, *O Deus quando diligam te! heu quàm sordet mihi terra, cum cœlum aspicio.*

§ 17. *Pergit Manresã, inde ad Montem Serratum* Non fallar, si singulas respirationes, singulas ad Deum aspirationes fuisse dixero: inter ejusmodi desideria appellit Ignatius Manresam, quam sibi ipse pro habitatione, in exordio vitæ dilegerat. Non procul ab illa urbe exurgit mons ille celeberrimus, quem à forma variisque sibi invicem veluti annexis scopulis, quasi gradibus serratum passim appellant. *Montis descriptio.* Mons inquam celebris ob altitudinem, quâ in ipsas usque nubes se ingerit; Mons celebris ob peculiarem favorem naturæ, quæ in medio montis amœnissimam vallem constituit, in qua crescunt arbores citreæ; in qua ex vivis saxis crystallini exsiliunt latices. Inter hos fonticulos, inter has arbores, hæc inter naturæ ornamenta, hac in valle suus quoque arti honos est, dum exstructum visitur monasterium S. Benedicti, & elegantissimum templum, in quo colitur miraculis perquam illustris Deiparæ statua. Thesaurus argenteus, aureus, gemmeus hujus loci describi non potest; sed celeberrimus est hic locus ob sanctitatem & gratias, quas ibi peregrinis & advenis communicat Mater gratiarum, Deipara Virgo.

§. 18. *Post generalem Cõfessionem tota nocte stat pervigil ante aram Virginis.* Hunc in locum venit S. Ignatius coram Dei Matre, sub ejus præsidio desertuurus militiam mundi, & Sanctissimæ Crucis vexillo semet asscripturus in signum, gladium & pugionem appendit columnæ, pendent ibi in hodiernam diem in perpetuam memoriam anathemata gloriosa. Hoc loco aliquot diebus confessione generali, & spiritu contribulato, ut loquar cum regio Psalte, Ps. 50. v. 29. animam expiavit. Nocte insequenti tota pervigil stetit ante statuam Beatæ Virginis, mane sub Communione, votum, quod de castitate conceperat, unà cum proposito sequendi Christum in summa perfectione renovavit. Vobis considerandum relinquo, quæ deliciæ, quæ voluptates, quæ solatia in ipsum de cœlo fuerint profecta. Nec sine mysterio ad hunc locum, hunc montem tam sanctum, velut in Solum & terram Virginis à Spiritu S. & Angelo bono deductus est, S. Ignatius, quia futurus erat Oliva fructifera

fera in domo Domini, hoc modo, ex mundo in agrum Christi & B. Virginis transplantari debuit.

§. 19. *Causæ ob quas spir. S. illum deduxit ad hunc montem.* Enimverò ad felicem transplantationem tria requiruntur. Solum bonum, Rigatio & calor Solis. Hæc tria hoc loco reperit S. Ignatius. Terram bonam in monte sancto. Rigationem ab aquis variis, à lachrymis contriti cordis, ab irriguis oculis, à lacte uberum dulcissimæ Matris; O dulces fontes! à sanguine quoque in SS. Eucharistia, O melleum fontem! solem invenit inter brachia Matris, Jesulum! O felicem transplantationem!

§. 20. *Apostrophe ad S. Ignatium.* Nunc ad te mea, quæ paulatim expirat, in fine suspirat oratio, Ignati! nunc coram te, in genua abjectus, coram te, Serrato in monte conversionis tuæ primitias dedicante, coram te excubante in obsequiis, non Hispaniarum, sed cœli terræque Regis, quin & Reginæ Matris ejus, coram te gloriosum affigente anathemata ad aras Virgineas; Ignati! coram te, ut uno omnia verbo complectar, ardente, mea se vota precesque conferunt, O, si qua in filios tuos Pietas, Pater sancte; O Ignati, quod à te desidero, est ignis, quo in prima tua conversione generosum arsit pectus; tuos ardores concupisco, ad tuas flammas anhelo. Tu probè nosti, quid sibi velint hæc mea suspiria! & mihi & Auditoribus meis volupe est succendi tuis ab ignibus! eja Ignati! aliquas saltem in filios, in clientes, in dilectos tuos scintillas sparge, ut ita hac in vita tecum ardeamus, quo in altera infelices illas tartarorum flammas, & nunquam finiendæ æternitatis incendia evadamus; & in cœlis æternùm tecum laudemus SS. Trinitatem, cui sit honor & gloria.



CONCIO LXXIX.

FESTO S. LAURENTII MARTYRIS.

Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit.

Joan. 12. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit de duplici flamma, & igne, quo arsit S. Laurentius.

§. 1. *An-*

§.1. *Angelus ascendens in flamma sacrificii.* PArentibus Samsonis, postquam genius cœlestis filium esset pollicitus, statim ipsi in signum grati animi exstruxerunt aram, & sublatam de grege victimam in illa in holocaustum accenderunt, sed contigit res mira; ait enim textus c. 13. v. 20. Jud. *Cumque ascenderet flamma altaris in altum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit.* Relinquo modo mentem S. Augustini, qui arbitratur hunc Angelum fuisse figuram Verbi Incarnati, quod involvens sese flammis amoris, in ara sive fornaci virginalis uteri, suum expressit desiderium, quo anhelabat pro salute humani generis in altari Crucis, in odorem suavitatis exuri.

§.2. *Fuit symbolum S. Laur. inter flammas evolantis ad cœlum.* Dico modo, Angelum hunc fuisse potius figuram gloriosissimi Martyris S. Laurentii. Etenim is, quia Christum negare renuit, jussu Tyranni imponitur, & ferreis catenis alligatur craticulæ; sufflantur prunæ, accenditur ignis, sævit ardor, furit flamma, quâ sanctissimum ejus corpus miserè, & crudeliter ustulatur, & dum flamma rogi ascendit in altum, Laurentii anima pariter in flamma ascendit in cœlos, ubi tyranni, tormentorum, flammarumque victrix æternos agit triumphos. Alterum dicas Eliam, qui 4. Reg. 2. v. 11. in curru igneo cum equis igneis per turbinem raptus fuit in cœlum. Verùm antequam eò ascenderet, in hac vita prius uri debuit, & duplici quidem ab igne, altero tribulationis in corpore, altero amoris divini in corde & anima. Quomodo S. Laurentius his ignibus conflagrarit, hâc vos Concione docebo: vos interim quo pacto animas quoque vestras divini amoris torres possitis efficere, benevolo me silentio dicentem prosequimini.

§.3. *Præter ignem, quo ardet corpus Sancti Laur. alius ardet in corde.* Et inprimis quidem observare oportet in S. Laurentio, quod D. Chrysostomus in Abrahamo, filium Isaacum ad sacrificium in montis verticem educente notavit; nam postquam vir Sanctus dixisset, ipsummet tristissimum parentem

rentem prætulisse necessarium ignem, ait hom. 47. in Gen. *Cæterum obsecro præterea ante sensibilem ignem, incendium internum, quod paulatim exardescebat, & justi mentem concremabat.* Pari ratione de S. Laurentio dico, *Videtis prunas & ignes sensibiles; quibus inclyti Martyris corpus exardescit; sed simul internum charitatis incendium, quo ejus mens & anima concrematur, attendite.* S. Ambrosius serm. 19. *ardebat extrinsecus Beatus Martyr tyranni sævientis incendiis, sed major illum intrinsecus Christi amoris flamma torrebat.* Hoc modo S. Laurentius totus fuit igneus, ejus caro ab igne sensibili, ejus anima à flamma charitatis.

§. 4. *De ovibus quarum pabulum est ignis.* Rem miram refert S. Macarius hom. 14. t. 2. bibl. Patrum. *Quidam sunt montes ignei*, inquit, *in quibus ignis permanet, & illic sunt animalia ovibus similia, quibus loco pabuli, potus, quietis, incrementi, vitæ, omnium denique rerum vice, ignis est, quæ si traducas in alium aërem, statim intereunt.* De veritate horum agnorum, modò non disputo, hoc certum est, igneum Agnum fuisse S. Laurentium: in sua craticula, hæc ara fuit, in qua innocentissimus Agnus, in holocaustum, & odorem suavitatis conflagravit, ejus pabulum fuit ignis, ejus potus, flammæ, ejus quies, ardores, ejus consolatio, incendium.

§. 5. *Vestibus ex illarū lana non nocet ignis. S. Laur. fuit talis Agnus.* De lana illarum ovium ait citat. auctor. Indumenta eorum ubi sordibus maculata fuerint, non aquâ sed igne lavantur, & inde puriora fiunt, & candidiora. Simile huic est, quod Rupertus Holcor in cap. 3. Sap. refert, lect. 33. his verbis. Papa Alexander habuit vestimentum quoddam de pellibus Salamandræ, quod quidem vestimentum quando ablui debuit non lavabatur in aqua, sed projiciebatur in ignem, & non comburebatur, sed fulgentius reddebatur. Talis profectò vestis, talis lana nostri fuit ardentis caro Laurentii. Ite carnifices, ite impii tyrannidos ministri, ite qui fomitem flammis illis sævissimis adjecistis. Agnus fuit Laurentius, abluitur in flammis, mundatur in ignibus, lavatur in prunis candentibus, imo & recreatur, & renovatur, tantùm abest, ut in cinerem inde, pulveremque vertatur. Fateor, arserunt flammæ, luxerunt ignes, incanduerunt ardentes prunæ; sed ad voluptatem Laurentii, non mœstitiam, non ad tormentum, sed gaudium, non ad dolorem denique, sed ad honorem. Ita noster ab ignibus purior pulchriorque exiit Athleta Laurentius.

Proinde S. Laurentio sic ardenti in craticula, accomodo illud symbolum Paradini, in quo duo stipites lauri ex confricatione scintillant, cum hoc lemmate: *flammescit uterque*, sic est, laurus est ejus anima, sed inter ignes ex confricatione craticulæ, & catenarum, & prunarum flammas uterque contrahit, corpus igne sensibili, anima flammis dilectionis divinæ accenditur. O pulchrum Angelis spectaculum, cum similibus flammis flagrat justus; hinc in igne tribulationis, hinc inter flammas amoris, per has scil. flammas Laurentius factus est pulchrior. Cant. 1. v. 14. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*, bis pulchrā vocat, sed undè illa sponsæ venustas, quæ adeo rapuit oculos spon- §. 6. *Symbolū Paradini.*

si? respondet Psellus; *quemadmodum qui aurum tractant & laborant illud in fornaces conjiciunt*, quia ut ait S. Ambrosius in Psalm. 118. *sic magis fulgor ejus augetur, sic animas curat, expolitq; Deus; & talis anima in hu ignibus fit ignea sedes Regis universorum.*

§. 7. S. Laur. pulcher, quia igneus. Tria hic velim observes. 1. Quod Sponsa pulchra extiterit. 2. Quod aurea. 3. Quod ignea. Talis est S. Laurentius pulcher, aureus, igneus, imò ignea sedes Christi, sed non nisi duplici ab igne, altero materiali, qui corpus adussit, supernaturali altero, & amoris igne, quo anima conflagravit. Pari ratione, hinc per ignem amoris animas nostras pulchras fieri, fieri aureas, fieri igneas, ut Deo placeant Sponso, necesse est.

§. 8. S. Laur. fuit aurũ, cui non nocet ignis. Pulchrè de auro ignibus probato ait Plinius l. 33. c. 3. *Præcipuam gratiam hujus materiæ esse arbitror, non in colore, vel pondere*, &c. hæc enim & aliis metallis insunt, & modo nobiliori, sed quia auro, nihil igne deperit, tuta enim in incendiis rogisque durante materia, quin imo quò sæpius arsit, profuit ad bonitatem. Tale aurum fuit S. Laurentius in craticula, nihil igne illi deperiit, non robur, non virtus, non constantia. Sævit flamma, sed durat, minatur Tyrannus, sed durat, in fide, in amore Christi, & quò magis arsit, profuit magis ad bonitatem & gloriam. *Pari ratione tu mi Christiane*, inquit S. Chrysost. hom. 14. ex variis in Matth. c. 2. *nunquam formides tentationem, si animam præparatam habes; non nocebit tribulatio; sicut enim aurum in camino non læditur, sic nec stabili animæ tribulatio nocebit.* Quid operatur caminus? aurum mundat, quid operatur tribulatio? tolerantiam, amplioremque patientiam; & quod ex eo nascitur, gloriam felicitatemque æternam. Locum hic habent verba Apostoli, *uniuscujusq; opus quale sit, ignis probabit.* Vultis scire, qualis fuerit S. Laurentius, quantusque? aspicite ignes, quibus uritur, hic ignis probat, quàm sit gloriosus pugil, quàm inclytus Christi Confessor, quàm nobilis Athleta.

At quales vos estis, Auditores? si dicere non pudet, prodet vitæ vestræ conditionem ignis, quo quisque correptus flagrat, vel cœli, vel tartari victima sunt, quibus ardet animus sceleratis facibus invidiæ! has flammas succendit Alecto, proditque eos esse servos peccati, auctores inimicitiarum, odiorum semina, emissarios cacodæmonis, ac prodromos veluti nuntios; Alios invasit nefandus ignis concupiscentiæ! His ludit in flammis Asmodæus, hinc omnia genera libidinum, hinc innocentium scandala, hinc pernicies parvulorum, hinc eæ, quas vel nominare nefas esse censeo, impudicitiæ. Alios nescio, quis Zelotypiæ incessit Spiritus ardens, hinc suspiciones, hinc diffidentiæ malorum in conjugio radix complurium; hinc discordiæ, hinc spinæ matrimonii pro rosis, hinc pro felicitate calamitas, sed redeo ad ignes, quibus Laurentius arsit. §. 9. Quibus ignibus multi ardeant.

De utroque igne eleganter S. Leo ser. in nat. Laur. *Nihil proficit sæva crudelitas: flammis ejus superari charitatis Christi flamma non potuit, segnior fuit ignis, qui foris ussit, quàm qui intus accendit.* Et S. Augustin. ser. 37. de diversis. *Quomodo B. Laurentius apposito extrinsecus igne,* §. 10. Flammæ non potuerunt superare charitatem S. Laur.

gne, non timeret, nisi intus flamma charitatis arderet. In comparatione fervoris, quo pectus ejus ardebat, exterior persecutorum flamma frigebat, quomodo enim ferret tantorum dolorum aculeos, nisi diligeret. Perquàm apposité internum opponit ignem externo Hipponensis Antistes. Animadvertite hoc quicunque in vobis nescio, quas ardentes concupiscentiæ scintillas sentitis; ut cuneus cuneum, sic ignem pellit ignis. Tartareum scilicet cœlestis, ignis ille inquam, de quo Salvator ait; *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur.* Luc. 12. v. 49. Enim verò cujus pectus flamma illa cœlestis occupavit, nihil illi detrimenti afferet Vulcanus infernalis, nihil movebunt nigræ faces invidiæ, nihil odiorum fomites accendent, nihil lædent impuræ Veneris tædæ, nihil horrenda tartarorum incendia inflammabunt.


§. II. *Confirmatur ex S. August.* Iterum sanctus Augustinus de sancto Laurentio ser. 30. de Sanctis. *Hoc igitur igne beatus Laurentius accensus flammarum non sensit incendium, & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnam non sentit.* O optatas flammas, ô ignium victor, ô domitor flammarum, ô lauro undique victrici similis Laurenti. En mea meorumque vota Auditorum! horremus profanos hujus mundi minimè mundi ignes! execramur fumosas libidinum faces! apage cum his flammis malesane livor! procul hinc damnata Zelotypiæ incendia! si juvat uri cum Laurentio, si flammis delectari, si mediis in ignibus ardere, dulce & decorum est, non nisi castos amamus ignes, en pectora nostra, ô Laurenti, en corda! tuis illis, quibus flagrasti internis ardoribus, his erga Deum amoribus uri, accendi, inflammari cupimus, vovemus, desideramus. Nimirum hæ illæ sunt flammæ, quarum robur, virtutemque describit

§. II. *Charitas S. Laur. fuit lampas ex Canticis.* Salomon sive Sponsus Canticorum cap. 8. vers. 6. *lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.* Versio græca apud Theodoretum sic habet, *scintillæ ejus scintillæ ignis, alæ ejus, alæ ignis, prunæ ignis, flamma ignis*; addit Theodoretus. *Ita fortis est charitas, quia primum volucris* (sive celer) *est, deinde circum alas suas habet flammam ignis, & scintillas ejaculatur.* Videtur amorem depingere, velut igneam avem vel aquilam, quales inter ignes artificiosas formari solent prægnantes pyrobolis, qui ubi accenduntur, celerrimè evolant in altum. Talis aquila inter prunas in craticula fuit sanctus Laurentius, scintillæ ejus sive piæ cogitationes amantis cordis scintillæ ignis; Alæ ejus, sive accensi pectoris desideria, alæ ignis, suspiria ignea: O quot & quales versùs cœlum scintillas ejaculatus est S. Laurentius! profectò lampades ejus, quibus cœlesti Sponso occurrit instructus, lampades ignis fuerunt lampadesque flammarum, quid ideo Laurentio fortius? præsertim cùm ignis ejus sit ex eo genere ignium, qui non extinguuntur, imo aquis magis accenduntur. Cum his flammis animi, cum hoc incendio pectoris conjunctus est ignis quo Martyris corpus exarsit exterius, & non appellem illum igneam quandam volucrem, quæ igneis alis volavit ad cœlum.

Arbitror de igne, vel S. Laurentii

solum esse Deum, quem Christiani colunt, prunæ enim mihi flores videntur. Mira certè, sed verissima prunarum candentium in rosas metamorphosis! Expertus hoc es, ante Tiburtium Martyrem, Levita Laurenti! Roseum putasti lectulum, non craticulam ferream, cui te imposuit Tyrannus sævissimus, in rosis nobilem efflasti Spiritum; in roseto tibi decerpsisti corollam roseam, in rosis pugnasti, superasti, triumphasti! nunc in omne ævum florentissimo rosarum Vere coronatus; nec aliud restat nobis, nisi ut & huic tuæ felicitati gratulemur, & ut nostras adversitatum flammas, quibus quotidie hoc in exilio torquemur & cruciamur, ita tuis apud Deum precibus sanctoque patrocinio, si non commutare in rosas, ita saltem temperare digneris, ut aliquis nobis cœlestis roseti decor, atque animi inter adversa pressi voluptas aspiret.

Apostrophe ad S. Laurent.



CONCIO LXXX.

FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS.

Maria optimam partem elegit.

Luc. 10. v. 42.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Gloria B. Virginis est ineffabilis.

§. 1. *Piæ cogitationes de Assumptione B. V. ejusdem descriptio.*

§. 2. *Gloria Virginis est ineffabilis: figura fuit thronus Salomonis, confirmatur ex SS. Patribus.*

§. 3. *Peculiare mysterium est, quod thronus fuerit rotundus, quia gloria Virginis circulus est, sine principio, & fine.*

§. 4. *Gloria Beatæ Virginis habet quandam infinitatem ex S. Bernardo.*

§. 5. *Gloria Christi in cœlis proponitur per lucem.*

§. 6. *Per eandem intelligere possumus gloriam Virginis. Encomia SS. PP. circa hunc titulum.*

§. 7. *Cœlum est jucundius ob præsentiam Mariæ.*

§. 8. *Confirmatur ex Sancto Petro Damiano.*

§. 9. *B. Virgo in gloria est proxima Filio.*
§. 10. *Peculiari gaudio SS. Trinitatis.*
§. 11. *Post DEUM nihil est pulchrius Maria.*
§. 12. *Ex S. Bernard. superat Virgo in gloria omnes Sanctos.*
§. 13. *Magnitudo Marianæ gloriæ soli Deo est cognita.*

§. 1. *Pia cogitationes de Assumptione B. V. Eiusdē descriptio.*

CElebramus festum gloriosissimæ Assumptionis B. V. ad cœlestia gaudia. *Et quis* (quæ-rit mellifluus Bernardus) *cogitare sufficiat, quam gloriosè Regina mūdi processerit, quanto devotionis affectu, tota in ejus occursum cœlestium legionum processerit multitudo, quibus ad thronum gratia canticis sit deducta, quàm serena facie, quàm divinis amplexibus suscepta à Filio, & super omnem creaturam exaltata! quis cogitare sufficiat, quo jubilo & gaudio totius curiæ cœlestis, Mariæ, veluti Reginæ cœli & terræ à Patre, Filio, & Spiritu S. imposita fuerit Corona gloriæ, quæ ab æterno, tali filiæ, tali Matri, tali Sponsæ fuit præparata. Quis illas æstimet gemmas quis stellas nominet, vel flosculos, quibus Mariæ regium diadema, SS. Trinitas exornavit?* Ingenti cœli terræque jubilo & applausu impleta fuit figura ex l. 3. Reg. c. 2 v. 19. ubi dicitur. *Surrexit Rex Salomon in occursum Matris suæ, & adoravit eam, & sedit super thronum suum, positusq; est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* Alium occursum hodie, si lubet, contemplamini Auditores, in quo surrexit non Salomon, sed Jesus Dei Filius, in occursum augustissimæ Matris suæ; videte mirificam adorationem, mirificas item & suavissimas salutationes Sponsi ad Sponsam, *surge, propera amica mea & veni, veni coronaberis.* Sponsæ verò ad Sponsum, *Ego dilecto meo, dilectus meus mihi, & ego illi;* audite admirabundas voces filiarum Sion. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, innixa super dilectum suum, deliciis affluens. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut Sol?* Cant. 6. v. 9. Quis hæc & talia æstimet? quis exprimat illam gloriam, ad quam hodie Beata Virgo à Filio est assumpta. Quanta illa sit, conabor hac Concione ex aliquot locis S. Scripturæ explicare, licèt sciam majorem illam esse, quàm ut à nobis vel explicari, vel comprehendi possit. Quò justiorem mihi, meisque Auditoribus causam atque occasionem esse animadverto; eam, quam vel linguâ exprimere ad dignitatem, vel mente complecti ad æqualitatem nemo potest gloriam, ac felicitatem augustissimæ cœlorum Reginæ filiali cum affectu gratulandi, de eaque ex animo congaudendi

§. 2. *Gloria V. est ineffabilis. figura fuit Thronus Salomonis confirmatur ex SS. Patribus.*

Gloria Virginis est ineffabilis. Figura fuit thronus Salomonis, quem *fecit ex ebore grandem, vestivitq; auro fulvo nimis.* 3. lib. Regum 10. vers. 18. *Et quid grandius Virgine Maria,* (B. Petrus Damianus serm. 1. de nativ. V.) *quæ magnitudinem summæ divinitatis intra sui uteri clausit arcanum. Verus thronus Verbi Incarnati.* Et tunc quidem, in Incarnatione simul fuit thronus immensæ gratiæ; hodie in Assumptione thronus est gloriæ. Melleis rursum verbis Sanctus

ctus Bernardus utraque hæc conjungit ser. 1. de Ass. *Felicia prorsus oscula labris impressa lactentis, cum ei virgineo Mater applaudebat in gremio. Verùm nunquid feliciora censebimus, quæ ab ore sedentis in dextera Patris hodie beata salutatione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens, osculetur me osculo oris sui.* Et S. Hier. de Ass. *Hæc est dies, in qua usque ad throni celsitudinem intemerata Mater, & Virgo processit, atque in regni solio sublimis post Christum gloriosa resedit.* S Bernardus serm. 1. de Assumpt. *Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Maria Christum suscepit, nec in cœlis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ Filius sublimavit.* Duo ex dictis vos advertere puto, primum est, B Virginem dum vixit in hoc mundo fuisse thronum Verbi Incarnati, & quod inde sequitur, infinitæ gratiæ, & sanctitatis, alterum est, evectam esse propterea hodie ad thronum sublimissimæ gloriæ, cujus figura fuit thronus Salomonis.

§. 3. *Peculiare mysteriũ est, quod thronus fuerit rotundus, quia gloria Virg. circulus est, sine principio & fine.*

In hoc præcipuè quod dicatur fuisse rotundus; in rotundo autem, sive in circulo nec principium, nec finem possumus reperire; & eodem modo gloria, ad quam hodie Mater Dei est sublimata, & quæ eam de hoc sæculo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem, de qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de illa. Hunc circulum gloriæ Marianæ videtur habuisse præ oculis Leo Imperator orat. 3. cùm dixit. *Et quis conetur magnitudinem hujus gloriæ metiri? circulus est, qui nec principium, nec finem habet. Mariæ gloria, mare est, quod exhauriri non potest. Mariæ gloria infinitatem quandam habet sine terminis.*

§. 4. *Gloria B. V. habet quandam infinitatẽ ex S. Ber.*

Agnovit S. Bonaventura in Spec. v. c. 5. *Quis immensitatem Mariæ potest mensurare? ecce quod dicitur Ecclesiastici 1. cap. Altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum abyssi, quis dimensus est? Cœlum est Maria, terra est, abyssus est. Et quis hujus cœli altitudinem, quis hujus terræ latitudinem, quis hujus abyssi profunditatem, quis inquam Mariæ immensitatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam in gratia, in gloria, in misericordia, tam altam, tam latam, tam profundam operatus est.* Quæ omnia licèt verissima sint, loqui tamen de illa gloria possumus, quantum licet, si non quantum libet.

§. 5. *Gloria Christi in cœlis proponitur per lucem.*

Apocal. 21. vers. 23. ait S. Joannes de cœlesti Jerosolyma: *Et civitas non eget Sole, neque luna, nam claritas DEI illuminat illam, & lucerna ejus est Agnus, & ambulabunt gentes in lumine ejus.* Et quænam illa lux vel claritas, splendidior Sole, lunâ & sideribus? cum S. Joannes vocat claritatem Dei, necesse est, Deum ipsum esse veluti Solem, qui pulcherrimam illam civitatem illuminabit, itaque Deus est veluti Sol; lucerna verò est, sanctissima Christi Humanitas, sive Christus Salvator, Rex gloriæ, & Agnus Dei, adeo radiat hic Agnus, ut civitas illa sole non egeat. Ita per pulcherrimam lucem nobis proponitur illa gloria immensa, quâ Christus Dominus in cœlis & fruitur, & eandem simul in omnes alios Cœlites derivat.

§. 6. *Per eandem intel-*

Pari ratione SS. PP. Augustissimam DEI Matrem in sua gloria vocant Solem,

ligere possumus gloriam Virg. Encomia SS. PP. circa hunc titulum.

lem, lunam, lucernam & lampadem lucidissimam. S. Bernardinus serm. 1. de Assumpt. *Maria præsentiâ totus illustratur orbis; adeo ut ipsa jam cœlestis patria, clarius rutilet Virgineæ lampadis irradiata fulgore.* Trithemius l. 1. de mira. V. c. 12. *Maria lux est, regni cœlorum splendidissima, nam sicut dies illuminatur à Sole in præsenti sæculo; sic tota curia Sanctorum illustratur ejus beatitudine in cœlo.* S. Chrysol. ser. 46. *Una puella sic Deum in sui pectoris caput, recipit, oblectat hospitio, ut pacem det terris, cœlis gloriam.* S. Anselmus l. de excellent. Virg. c. 8. *O dies tanti occursus gloriosa & felix! dies illa non solum te Domina ineffabiliter sublimavit, sed cœlum ipsum quod penetrasti, nec non cuncta quæ in eo sunt, novâ & ineffabili gloria decoravit, quia priorem gloriam ejus, ex tui præsentia, ultra quàm dici potest, aut cogitari, magnificavit. Ut inde quoq; cœlum videatur esse jucundius*, ait Leo Imperator.

§. 7. *Cœlum est jucundius ob præsentiã Mariæ.*

Latet aliqua in his verbis emphasis. Enimverò jucunda cœlorum facies apparet ex orbibus illis, quorum alter altero superior est, pulcherrimè radiantibus; sed jucundior est ex circulo, quem Marianæ pulchritudinis & gloriæ forma describit. Jucundum est cœlum, ex conspectu gemmarum illarum, quibus Sanctus Joannes in Apocalypsi cap. 21. vers. 21. constructas esse portas significat: ita ut hinc carbunculi fulgeant, inde luceant pyropi, achates, adamantes, sardonides; at jucundius est ex luce, quam undique & in omnes veluti angulos diffundit Maria. Jucundum cœlum est ex suavissimis Angelorum concentibus, cytharisque & cymbalis, & tubis, & organis, & fidibus, & vocibus. Jucundius ex dulcissima virtutum Mariæ harmonia. Jucundum ex lautissimis ferculis, quibus abundè instructa est mensa illa divina: jucundius ex fructu ventris Mariæ, ex dapibus illis Partheniis, Angelicis, divinis. Taceo innumeras alias jucunditatis ac lætitiæ, quæ ex Virgine, quasi fonte promanant in cœlis, prærogativas longè majores.

Breviter & nervosè B. Petrus Dam. serm. 1. de nat. Virg. *Summa gloria est, post Deum, te videre, adhærere tibi.* Honorius in vers. 7. cap. 7. Cant. *Statura tua assimilata est palmæ.* Arabicus Interpres sic legit. *Magnificata est fama tua ut palma.* Aquila. *Magnificata est resurrectio tua.* Christus fuit palma in Cruce, quia per eam adipiscitur homo victoriæ palmam; cui assimilata est, statura id est, altitudo gloriæ Mariæ, quia sicut ipse est Rex cœlorum, ita & ipsa est Regina Angelorum. De altissima gloria Virginis, nil dici potest gloriosius. Est enim suo modo similis gloriæ Filii Altissimi, hæc est infinita & sufficienter explicari non potest; ita nec gloria Virginis. Circulus est, qui nec principium, nec finem habet. §. 8. *Confirmatur ex S. Petro Dam.*

Proximè Mater accedit ad gloriam Filii. Vel prout S. Bernardinus Senensis advertit l. 3. de nomine B. V. vicinissima est Deo quadrupliciter. 1. In Incarnatione, per carnis identitatem, quia eadem caro, quæ fuit Virginis Matris, facta est caro Filii Dei, ideo illi dictum, *Dominus tecum.* 2. In conversatione, siquidem eum lactavit, eiq; ministravit §. 9. *B. V. in gloria est proxima Filio.*

nistravit. 3. In passione fuit vicinissima per intimam compassionem. *Stabat juxta Crucem JESU.* 4. In assumptione verò & in cœlis, vicinissima est Deo, & Filio suo per gloriam. Et tam vicina, ut solo Deo & Filio excepto, reliquis omnibus existat superior. *Imaginemur*, (inquit Sanctus Antoninus p.4.tit.15.) *Summitatem perfectionis gloriæ Beatorum esse in Seraphin, ordine supremo: ibi incipit perfectio, sublimitas, & excellentia gratiæ, & gloriæ Beatæ Virginis. Et quid amplius dicere possum O Domina gloriosissima? immensitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ considerare incipienti, & sensus deficit, & lingua fatiscit.*


§.10. *Peculiari gaudio SS Trinitatis.* Sublimique adhuc de Virginis gloria loquuntur illi sancti Patres, qui asserunt, ab augustissima Virgine in cœlis, non in Cœlites tantum & Angelos, sed in ipsam sanctissimam Trinitatem majorem quandam gloriam redundare. Inter quos Richardus à Sancto Laurentio super versum 2. Ps.47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus*, ait in sensu mystico sermonem esse de B. Virgine, quæ est civitas Dei, & mons sanctus ejus, sed cur Deus in illo dicitur nimis magnus, nimis laudabilis? eleganter citatus auctor quæstioni satisfacit his verbis: l. 2 de laudibus B.V. *Per ipsam & in ipsa, & ex ipsa Maria augetur gloria Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Unde in Psalmo, Magnus Dominus & laudabilis nimis dicitur, licet enim in omni creatura sit Deus magnus, & laudabilis nimis, tamen nominatim dicitur magnus & laudabilis nimis in civitate Dei nostri, quæ est Maria, de qua dicitur in Psalmo, gloriosa dicta sunt de te civitas Dei, quæ de se ipsa ait, Magnificat anima mea Dominum.* Tanta est inundatio Marianæ gloriæ, ut non solum in alios Sanctos exundet, sed & ipsa infinita, immensa, æterna sanctissimæ Trinitatis gloria, ab illa extrinsecè, ut Scholæ loquuntur, augeatur *per ipsam, & in ipsa, &c.*

§.11. *Post Deū nihil est pulchrius Mariâ.* Appositè S. Bonaventura in Speculo B.V. cap. 6. *Quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius est in gloria, hoc Maria est, hoc in Maria est, hoc per Mariam est.* Petrus Damianus serm. de Annunt. *Locum voluptatis, Mariam intelligo, in quo cumulavit omnes delicias, deliciarum Dominus; de cujus deliciis Spiritus Sanctus eructat, quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens* S. Guilhelmus in Cantic *Continet Maria abyssos immortalium gaudiorum, sed non ita continet sibi, ut non effundat in alios.* S. Bonavent. in Opusc. de laud. V. *Gloriosum gloriæ Mariæ privilegium est, quod post Deum major nostra gloria, & majus nostrum gaudium ex Maria est.*

§.12. *Ex S. Bernardino, superat Virgo in gloria omnes SS.* Fusissimè S. Bernardinus t.1. serm.6. art. 3. cap. 3. *Istud*, inquit, *est diadema & corona gloriæ, quâ Virgo super Angelos coronatur, ut intra Trinitatis gloriam ipsa sola, amplius sit evecta, ac plus sanctissimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, sentiat, ac fruatur, quàm omnis alia pura creatura simul sumpta; de cujus gloria post Filium participant universi; ut de Virgine dicere possimus quod sacer Codex dixit de Esthere, Adamavit eam Rex plus quàm omnes mulieres, habuitq; gratiam ac misericordiam coram ea super omnes*

mulieres, & elegit eam, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem atque jactantiam potentiæ suæ. Sicut enim (S. Bernard.) *Benedictus Jesus sedet à dexteris Patris, id est, in potioribus bonis paternis; sic ista Virgo gloriosa in potioribus bonis Filii sui Jesu juxta ipsum in throno sublimata consedit.*

§ 13. *Magnitudo Marianæ gloriæ soli Deo est cognita.* Finio hodiernam panegyrin de immensitate gloriæ, ad quam hodierna die augustissima Dei Mater & Virgo est assumpta, verbis sponsi ad sponsam Cant. 4. v. 1. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es, absque eo quod intrinsecus latet. Illud enim,* ait Richardus, *soli Deo cognitum est, nemini manifestum.* Pulchra es O Maria, & gratulor eximiæ pulchritudini tuæ, quæ circulus est, undiq; venustissimus, sed absque eo, quod latet sub hoc circulo; illud mihi exprimere non licet. Gratulor, ô gloriosa, tuæ venustati, quæ cœlum est ornatissimum: gratulor gloriæ, & honori, qui abyssus est, absque eis, quæ intrinsecus latent. Multa dixi, plura latent, abyssum hanc perscrutari mihi non licet. Solius hæc est Sponsi tui divini cognitio. Mihi sufficiat scire, quantum in hac vita mortali licet scire clienti tuo, de tua forma, gloria, dignitate; ita tamen scire, ut mei omnes affectus, mei amores, meæ cogitationes ac studia, post Deum, in te, quasi centrum amando, ac commendando ferantur. Hujus verò gloriæ, ut olim, Auditores, reddamur participes, nunc magnæ hujus Matris, & Virginis devoti esse clientes studeamus. Mariam geramus corde, geramus linguâ, geramus affectu. Laudemus ejus summam Majestatem, laudemus pulchritudinē, laudemus gloriam, laudemus & felicitatem, non verbis tantum, sed & moribus & factis, & vitâ Partheniâ; quæ ad æternam patriam, ad thronum augustissimæ cœli Reginæ aliquando nos perducet, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.



CONCIO LXXXI.

FESTO S. BARTHOLOMÆI APOST.

Erat pernoctans in oratione.

Luc. 6. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Oratio ad salutem est necessaria & jucunda.

§. 1. Pro-

§. 1. Proprietates nubis applicantur S. Barthol.

PLerique interpretes attribuunt sanctis Apostolis illud Isaiæ cap. 60. v. 8. *qui sunt isti, qui ut nubes volant.* Inter illos S. Bartholomæus pulcherrimam nubem repræsentavit. Nubes è terra à Sole elevantur, & attrahuntur in altum, ab eodem Sole liquefiunt, & resolvuntur in aquam, atque ideo roridæ dictæ, ideo terræ pluviam suppeditant, eamque irrigant & fœcundant, cum pluvia nubes frequenter fulgurant, terrent, detonant. Nubes quoque à ventis aguntur in diversas orbis partes, ex Oriente in Occidentem, ex Meridie in Aquilonem, & contra, & sunt in hoc motu velocissimæ. Ps. 103. v. 3. *Ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.* Ob has omnes rationes meritò dixi S. Bartholomæum fuisse nubem; nam intra diem naturalem, sive viginti quatuor horas, mens ejus sanctissima à Sole Justitiæ minimùm centies fuit elevata in altum; oratio enim nil aliud est, quàm elevatio mentis in Deum. In his cœlestibus desideriis, ab eodem Sole, instar roridæ nubis, cor S. Bartholomæi resolvebatur in aquas, hæ in pias lachrymas, quæ jugiter ex ejus oculis stillabant. Nubes rorida fuit S. Bartholomæus, ob aquas Verbi divini, quibus latissimas in Asia Provincias, Lycaoniam & Cappadociam irrigavit. Impiis & idololatris fuit nubes terribilis & tonans, dum gravissimis minis timorem DEI illis incussit.

§. 2. *Peragravit varias regiones, deditissimus orationi.* Neque uno loco hæsit hæc nubes, quando S. Apostolus impulsu, & motu Spiritus S. regiones varias peragravit, prædicans ubique Christum, & Evangelium. Fuit præterea nubes velocissima, in qua veluti triumphali curru, signum & vexillum S. Crucis per Asiam fuit circumlatum, quoad profuso sanguine illud reddidit gloriosius. Ut in Asiam cum Apostolo curratis, ut ibi prædicetis Evangelium, ut pellem & vitam pro fide detis, ut sanguinem fundatis, hæc & talia opera Heroica & ardua, ego à vobis hodie non postulo, Auditores, sed hoc, ut in laboribus & occupationibus vestris, animas vestras, vel desideria, veluti nubes, per ferventem orationem, per preces jaculatorias, ut vocant, ad Solem, qui Deus est, de die frequenter elevetis. Ideo thema sumpsi ex Evangelio Missæ. *Erat pernoctans in oratione.* Quorum verborum occasione, duo hæc, hac Concione exponere conabor. 1. Studium orationis esse nobis necessarium, si gratias ad salutem necessarias obtinere contendimus. 2. Esse quoque jucundum, quia vitam nostram alioquin laboriosam, jucundam atque hilarem reddit. Vos itaque de re tam necessaria atque jucunda, non molestè, spero, audietis dicentem.

§. 3. *Oratio est duplex, longior & brevior.* De utraque oratione mihi sermo est, & illâ, quæ longiori tempore protrahitur, & illâ, quæ paucis suspiriis, etiam unico quasi momento peragitur. Ad primum ordinem pertinent v. g. orationes matutinæ, & vespertinæ, auditio Sacri, recitatio rosarii, vel alicujus officii, certæ Litaniæ, aliæque preces, quas quivis Christianus, si Deo servit, si salutem amat, sibi seligere consuevit. Alterum ordinem constituunt piæ elevationes mentis in Deum, quibus etiam inter labores, inter studia, verbo, inter cujusque occupationes, Dei vel Christi Salvatoris nostri meminimus, illum vel laudando, vel benedicendo, vel agendo gratias, vel amando, vel aliquid denique flagitando. Pertinent huc pia ac frequentia suspiria, nunc ad Augustissimam cœli Reginam B. Virginem, & singulis quidem horis recitando salutationem Angelicam, nunc ad Angelum Tutelarem, & reliquos Cœlites atque Patronos. Huc etiam spectant piæ, & breves intentiones, quibus opera nostra Deo, vel Christo Salvatori offerimus, de quibus bene Cassianus: *Utilius*, inquit, *censeo; breves quidem orationes, sed creberrimas fieri, ut frequentius Dominum deprecantes jugiter eidem adhærere possimus.*

§. 4. *Magna est felicitas, per orationem semper posse agere cum Deo.* Prô quanta est hominum, etiamnum in hac mortali vita degentium, felicitas, facili negotio, & omnem quasi citra laborem, dilecto animarum Sponso JESU omni in loco ac tempore, pro libitu posse adhærere. Quanta illa esset amicorum, qui tenero se invicem amore complectuntur, voluptas, si nullo temporis articulo, imò ne momento quidem alter ab altero se separandum cognosceret! Ita, ita! continua Dei uti possumus consuetudine, continua frui præsentia, si ejusmodi precibus jaculatoriis, eum crebrò per horã, quasi præsentem compellemus, si brevibus, at ardenti ex pectore profectis su-

suspiriis, nosmet illi, & necessitates nostras, quibus in horas premimur & affligimur, commendemus.

§.5. *Orationibus jaculatoriis præcipuè satisfacimus præcepto semper orandi.*

Accedit, quod his oratiunculis satisfaciamus præcepto Christi D. Lucæ 18. v. 1. *quoniam oportet semper orare*, & consilio S. Pauli 1. ad Thessal. c.5. v.17. *sine intermissione orate*, & Ecclesiastici c.18. v.21. *Non impediaris orare semper.* Causam, ob quam ita, & toties orare nos oportet, insinuat S. Bernardus, *sicut nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur DEI beneficio, bonitate, & misericordia, sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria.*

§.6. *Invectiva in illos qui rarò cogitant de Deo.*

Rectissimè profectò, ex divina in nos beneficentia, hoc mutuum grati animi officium infert Bernardus. Non possum non hic perfunctoriè saltem perstringere, vel suæ potius commonere negligentiæ mortales illos, languidos, socordes, ingratos, ne quid dixerim pejus, quos cùm singulis pœnè diebus, imò momentis singulis divina bonitas, variis afficit, tum corporis, tum animæ beneficiis, rarò tamen pro iis gratias agunt, rarò ad auctorem beneficii Deum, vultum atque oculos convertunt, rarò & vix in septimana semel, atque utinam non rarius, tardiusque subinde corda sua, uno alterove suspiriolo aut affectu gratitudinis in benignissimum DEUM effundunt. O cæci! ô improbi mortales! homo hominem benefactorem amat, & assiduè quasi circumfert, si non in oculis, in pectore saltem & amore! & Deum, quo inter amicos neminem vel liberaliorem experimur, vel ditiorem, ita ingrati ex memoria atque animo dimittimus.

§.7. *In oratione oportet nos esse præcellentes.*

Itaque, ut ne in gratitudinis notam, labemque pessimam incurramus, utamur hâc crebrò & breviter, sed ardenter orandi methodo pulcherrima. Cùm verò hic orandi modus unum sit ex præcipuis operibus & exercitiis hominis Christiani, meritò cum Ecclesiastico moneo, vide ut in illo (cum S. Bartholomæo) sis præcellens, hoc inprimis necessarium nobis est, si gratias à Deo necessarias obtinere volumus. Liberalissimus est Deus; D. Nazianz. or. 40. *prompta & munifica est Dei natura.* Ad Rom. 10. vers. 12. *dives est in omnes.* Ephes. 2. v.4. *Deus qui dives est in misericordia*, habet Deus ubera plena lacte gratiarum, ob lactis abundantiam & pondus. Vidit S. Joannes Apoc. 1. v. 13. illa præcincta *Zonâ aureâ.* Oleaster ideo vocat *Deum uberum & mammillarum.* S. Jacobus c.1. v.5. *qui dat omnibus affluenter*, alii legunt, *benignè*, alii, *uberrimè, & largissimè*, S. Paulus ad Eph. 3. v.20. *Est autem qui potens est, omnia facere abundanter.* In Græco, *ei, qui potest super omnia facere abundantia.* Suaviter Sponsa de liberalissimis manibus sui Sponsi. *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ Hyacinthis.* Juxta Septuaginta. *Manus ejus orbes aurei*, id est, cœli pluentes aurea pluvia beneficiorum. Ps. 77. v.23. *januas cœli aperuit, & pluit illis manna.* Apoc. 1. v. 20. S. Joannes in aureis his manibus, præcipuè dextera, vidit septem stellas, pulcherrima symbola liberalitatis.

§. 8. *Liberalitas Salom.*

Figura quoque fuit liberalissimus Regum, Rex Salomon, de quo ait 3. lib. Reg.

Reg.c.10.v.13.*Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba omnia, quæ voluit, & petivit ab eo, exceptis his, quæ ultro obtulerat ei munere regio.* Pro verbis illis, *Omnia quæcunque voluit*, legit Vatablus, *Omnem voluntatem suam fecit*, addunt Septuaginta, *præter ea, quæ dedit ei secundùm manum Regis*, id est, regia munificentia. Etiam liberalissimum Salomonem infinitis partibus excedit liberalissimus Deus.

§.9. *Alexandri Magn.* Inter Reges profanos valde celebratur Alexander Magnus, hujus jussu Anaxarchus Philosophus à regio quæstore petiit centum talenta, cùm quæstor enormem petitionem referret ad Alexandrum, hic respondit. *Rectè fecit Anaxarchus, sciens se amicum habere, qui tantum dare & possit, & velit.* Cum Perillus unus ex amicis Alexandri ab illo petiisset dotem pro filiabus, jussit Rex dari quinquaginta talenta, & cum ille diceret, *decem esse satis*, Rex respondit, *Tibi quidem satis est tantum accipere, mihi verò non satis est tantum dare.* Cum alteri urbem donaret, isque diceret, *non convenit fortunæ meæ tantum donum*, ipse reposuit, *non attendo quid te deceat accipere, sed quid me deceat dare.*

§.10. *Omnes superat Christus D.* Sed ô, quid omnis illa mundi, Principum, Regumque munificentia, si cum Christi JESU erga nos liberalitate conferatur? gutta est, quidquid vel Alexander ille M. vel locupletissimus Salomon suis donatum voluit amicis, quæ JESUS meus in nos nequicquam meritos munera congessit, quæ adhuc congerit quotidie, quæ denuò adhuc congerere paratum se exhibet, modo nostris ab ipso precibus contendamus; ea infinitis quasi partibus majora sunt, & præstantiora: & si humana munera guttam ante nuncupavi, divina in nos merita, immensum meritò possumus vocare Oceanum, & pelagus infinitum. Agedum ergo Auditores, hic sit precum nostrarum finis, hæc spes nos ad crebra per diem, imò per horas etiam, quoad fieri potest, suspiria atque affectus moveat, incitet, impellat, & animosè exstimulet.

Hoc enim nobis advertendum est, D. Paulum, dum ait divitem esse Deum, in omnes; addere, *qui invocant illum.* Fluunt scilicet ubera divina lacte misericordiæ, sed illis, qui illa sugunt, ait S. Paulus, *Potens est facere omnia*, sed addit, *quæ petimus.* Dixit S. Jacobus, *qui dat omnibus affluenter*, sed addit. *Si quis autem vestrum indiget sapientiâ, postulet à Deo, & postulet in fide, nihil hæsitans.* Aperit Deus januas suarum divitiarum, sed pulsantibus, manus aureas extendit, sed eas apprehendere conantibus. Pluit manna, sed per orationem, præcipuè matutinam, colligendum est. Salomon dedit Sabæ munera regia, sed *quæ voluit, & petivit ab eo.* Juxta illud Sancti Joannis cap. 15. vers. 16. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* §.11. *Est dives invocantibus se.*

Latet mysterium in v.4. Ps.99. *Introite portas ejus, introite atria ejus.* Cato observavit, atrium in palatio regio significare illam partem domûs, in qua Reges suas pecunias, & thesauros asservabant, hinc servi, sive thesauri custodes, vocabantur Atriales, sive Atrienses; Tales portæ, talia atria nobis sunt §.12. *Quid sit atrium domus.*

sunt, quinque pretiosa & rosea Vulnera Salvatoris, in quibus latent thesauri Divinitatis, & omnium gratiarum, sed, introite, ingredimini, & quidem illo modo, quem ibidem David præscribit, *Introite in confessione*, *in Psalmis, &c.* id est, postulate, petite, sollicitate, instate.

Digressio ad Vulnera Christi

§. 13. *Deus miseretur omnium, qui ad se clamant.*

Et certè tam liberalis est Deus, ut verum sit illud Is. 30. v. 19. *Miserans miserebitur tui*, sed addit, *ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi.* Ps. 33. v. 16. *aures ejus* (scilicet patent) *in preces eorum.* Ps. 144. v. 18. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.* Is. 58. v. 9. *Invocabis & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet adsum.* Angelus Jacobo dedit benedictionem in Genesi, sed Oseas c. 12. v. 4. ait, *Invaluit Jacob ad Angelum*; tota scilicet nocte luctando, *& confortatus est, & flevit, & rogavit eum.* Sic extorsit benedictionem. Egregius est textus c. 4. v. 7. Deuteronomii, *Non est alia natio tam grandis, quæ habet Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Sunt interpretes, qui hunc locum sic legendum existimant. *Quis est populus magnus, cui Deus ita appropinquat*, (sive, erga quem est tam bonus, munificus, & liberalis,) *ut suscipiat orationem ejus in tempore tribulationis, sicut ipse Dominus Deus noster, in omni tempore, quo nos oramus.* Clarè David in Ps. 5. v. 4. *quoniam ad te orabo Domine, manè exaudies orationem meam.*

§ 14. *Deus non largitur beneficia, nisi oremus.*

Ex omnibus his & similibus Scripturæ locis patet, Deum liberalissimum nobis offerre suas gratias, & beneficia, sed non dare, nisi oremus, petamus, postulemus, invocemus, consequens est, Orationem continuam nobis esse necessariam, cùm continuò ejus gratiâ & beneficiis indigeamus. Finio primum punctum Concionis aureo simili, & aureâ sententiâ Divi Chrysostomi lib. 1. de orando Deo, cùm ait. *Oratio, ceu radix & fundamentum cæteris substernitur omnibus, non secus ac navim & domum, ea quæ substrata sunt, valida reddunt, & ne solvantur, continent. Ita vitam nostram orandi studium continet, & ubique firmam reddit, adeo ut absque hoc nihil nobis boni contingere possit, neque quod ad salutem conducat.* Idem S. Chrysost. l. 1. de orando Deum. *Cum videro quempiam non amare orandi studium, neque hujus rei fervida vehementiâq; cura teneri, continuo mihi palam est, eum nihil egregiæ dotis in anima possidere. Rursum, ubi quem conspexero, insatiabiliter adhærentem orationi, idq; in summis damnis numerantem, si non continenter oraverit, conjecto talem esse virtutibus præditum, ac Dei templum.*

Alterum punctum est, si vitam nostram, quæ sanè laboriosa est, reddere velimus facilem, jucundam, ac beatam, exemplo S. Bartholomæi simus dediti studio orationis. Ita nobis post Salvatorem auctor est Sanctus Jacobus in epist. sua cap. 5. vers. 13. *Tristatur aliquis vestrûm? oret.* Ipse Salvator noster, in summa tristitia, in lucta mortis, in angustiis supremis pendens in cruce oravit. Dum Sancto Bartholomæo acutissimis cultris sua pellis detraheretur, puto illum more suo ferventissimè orasse. Et quis vestrûm est, qui non tristetur? qui non subinde cultro mortificationis

§. 15. *Tristetur quis? oret.*

nis decorietur? qui non affigatur Cruci, ergo orate, hoc & non certius pristinam reducendi consolationem est medium, hæc & non melior animum turbatum placandi ratio.

§.16. *Hoc fecit David in persecutionibus cum magno solatio*

Id in magnis persecutionibus fecit David, adeo ut dixerit Ps. 76. v. 4. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum*: S. Greg. Naz. or. ad cives suos. *Et tu, memor esto Dei tui, & delectaberis*. O facilem medicinam! Ecclesiast. 38. v. 9. *Fili in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Deum, & curabit te.* Postquam Regius Psaltes in magna animi tribulatione ferventer orasset, ait Ps. 4. v. 1. *In tribulatione dilatasti mihi*, id est secundùm S. August. *ab angustiis tristitiæ in latitudinem gaudiorum deduxisti me.* De Anna Matre Samuëlis, postquàm in templo cum lachrymis orasset, ait textus, 1. Reg. 1. vers. 18. *Abiit mulier in domum suam, vultus illius non sunt amplius in diversa mutati.* Vatablus sic legit, *neq; fuit amplius mœsta.* Ante fuerat tristissima, afflictissima, animo amaro; sed post orationem plena consolatione, plena gaudio, plena lætitia, nec ullum amplius mœroris præ se ferebat signum.

§.17. *Dictum Vespasiani applicatur Christo D*

Suetonius ait in vita Titi Vespasiani: Admonitus Vespasianus ab amicis, quod nimia interpellantibus daret. *Non oportet*, respondit, *quemquam à Cæsaris alloquio discedere tristem.* Talis certè Imperator est benignissimus Salvator noster, petite magna, petite quæ vultis, petite ferventer, colloquimini illi cum fiducia, & affectu, nunquam tristes ab ejus alloquio discedetis.

§.18. *Transfiguratio Christi contigit sub oratione.*

Non sine peculiari causa S. Lucas meminit, transfigurationem Christi D. in monte Thabor contigisse sub oratione, versus 29. c. 9. sic ait, *facta est, dum oraret, species ejus altera, resplenduit enim sicut Sol.* Sic est, animus orantis est veluti Sol, qui nebulas, & tenebras tristitiæ suis radiis facillimè dissipat; sive, in anima orantis, veluti speculo resplendet Deus, & Christus D. veluti Sol, quo præsente tristitia in cordibus nostris stare non potest. Animadvertitis credo, Auditores, quàm copiosè faventem mihi, meoque proposito invenerim Scripturam sacram, sed necdum ad finem nostra decurrit oratio.

§.19. *Figura ex l. 1. Reg. 7.*

Elegantem certè figuram reperio l. 1. Reg. c. 7. v. 6. *Convenerunt in Masphat, hauseruntq; aquam, & effuderunt in conspectu Domini.* Effusionem hanc sic explicat Chaldæus. *Hauserunt aquas è puteo cordis sui, & abundè lachrymati sunt coram Deo, pœnitentes, & orantes, invocantes Dei misericordiam.* Hebræus legit. *planxerunt, vel ingemuerunt omnis Israel post Dominum.* Subdit deinde Textus. *Et requievit omnis domus Israël post Dominum*, id est, Deus illos consolatus est, percepere singularia in animo gaudia. Quæso, Auditores, cùm vobis malè est, cùm tristitia tentat cor vestrum, secedite in Masphat, ad aliquod templum vos conferte, procumbite in genua coram Venerabili Sacramento, haurite aquas è puteo cordis vestri, orate, clamate ad Dominum, ingemiscite: nec dubitate, sua menti quies & tranquillitas reducetur. Verissimus erit versus 24. cap 43. Ecclesiast. *Medicina omnium malorum*, (est oratio) *& ros obvians, ab ardore venienti, humilem efficiet eum.* Septuaginta. *Ros occurrens ab ardore lætificabit.*

Vi-

§.20. *Simile ab aridis flosculis refrigeratis à rore.* Videre hoc licet in flosculis, quos syrius ardor, atque æstus meridianus in squallorem quasi, mœroremque dejecit, sicut marcidi langueant, & morti, quàm vitæ propinquiores videantur. At verò, ubi aurea illa hora Auroræ advenerit, & frigidi sui roris guttulis languentes flores asperserit, mox ardore temperato à tristitia ad pristinos risus, à languore ad vigorem, à morte, quasi ad vitam revocantur. Ejusmodi ros est, Oratio, ardorem temperat calamitatum, internos animi languores depellit, vires, vigoremque restituit, nobilissima *malorum omnium* (ut verbis utar Ecclesiastici) *Medicina*. Cujus rei testem, suam cujusque afflicti conscientiam appello.

§.21. *Oratio lætificat Deum.* Verùm etiam ipsi Deo, oratio suavis est, & accepta. Gen.4. v.4. *Respexit Dominus ad Abel*, scilicet sacrificantem, & orantem. Aquila sic legit, *Accepit consolationem*. Symmachus, *Delectatus est*. Chaldæus, *Suscepit cum beneplacito*. De Sponsa, dum cœlestibus desideriis suspiraret ad cœlum, quærunt Angeli, Cant.3. vers.6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris.* S. Bern. ser. 59. ex parvis, per myrrham intelligit mortificationem, per thus orationem, juxta illud Ps.140. v.2. *Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Et illud Apoc.5. v.8. *habentes singuli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Sed observandum est, cit. v.6. ex c.3. Cant. ab aliis aliter legi, nimirum, *quæ est ista, quæ ascendit sicut palma*, vel, *quæ est ista, quæ ascendit sicut columna.* Quid fumo cum palma, cum columna? insinuantur nobilissimi fructus orationis. Anima, quæ dedita est orationi, in deserto hujus mundi, dum orat, ait cum Sponsa, Cant. 7. v.8. *ascendam in palmam*, vel sedebo sub arbore, & gustabo, quàm dulcis fructus ejus; atque hoc est, quod paulò antè ostendi, orationem nimirum esse matrem dulcedinis, & cœlestium consolationum. Eadem anima est veluti columna, id est fortis, contra omnes hostes, sed & de hoc alibi differo. Hæc interim palma, hæc columna est etiam virgula fumi, vel phiala aurea ante thronum Dei, in conspectu Agni, plena odoramentorum, quæ sunt ferventes orationes.


§.22. *Emblema* Fortassis hoc insinuare voluit illustris quondam Matrona, cui nomen Georgia Moneta, quæ suis in emblematibus virum repræsentat, qui laureatum cor Deo exhibet, nescio, an non in aurea etiam phiala, cum duplici inscriptione, quarum altera, ter sanctum Dei nomen, *Jehova*, refert, altera his clauditur verbis. *Portate, & glorificate.* Nimirum nostra sic corda DEO offerimus, cum assiduis illum precibus imploramus. Sic portamus nostra ad DEUM desideria, sic nostros veluti legatos, pia suspiria, devotosque in cœlum ablegamus animi, auctorem suum amantis affectus, denique sic DEUM nostrum glorificamus impensiùs, frequentiùs colimus, veneramur humiliùs.

§.23. *Oratio tẽpore tribulationis est Deo gratissima* Pro majori solatio hoc addo, nostras orationes tum Deo esse gratiores, cum tẽpore tribulationis ad illũ clamamus. Denique latissimus campus sese mihi ape-


aperit, sed unicum carpam flosculum ex Psalm. 101. v. 18. *Respexit Dominus in orationem humilium.* Pagninus vertit, *in orationem myricæ*, sive humilis virgulti, alii *in orationem cicadæ*. Et an hujus animalis voce delectatur Deus? lusciniæ fortassis voluit dicere David, hujus vocula est dulcis, suavis, illius stridula, obstrepera. Nobis quidem, sed non Deo, sensu mystico, lusciniæ cantant, dum non turbantur, cantant tempore veris, cùm omnia florent, in hyeme altum tacent, tales sunt ex orantium numero non pauci, cùm illis bene est, cùm omnia fluunt è votis, cicadæ verò cantant in æstate, tempore molestissimo, dum ardentissimo sole torrentur, & tam constanter, ut proverbium sit, *Cicadæ prius æstate taceant.* Sensu mystico, cicadæ sunt qui orant tempore tribulationis, cùm ardentius eos urit Sol adversitatum, cùm syrius ardor eos malè afficit, atque exsiccat, harum orationem respicit Deus, talium oratio illum delectat, audit cum consolatione, suscipit cum beneplacito.

§. 24. *Cicada supplet sonum fracta chordæ.* Rem in materia hac jucundam narrat Strabo. Eunomium cytharedum certasse cum Aristone ejusdem artis peritissimo, cùm vero Eunomius ob chordam subito ruptam de victoria periclitaretur, cicada felici casu supervolitans, in Eunomii cythara consedit, & fractæ cordæ sonum stridore suo supplevit. Historia hæc in memoriam mihi revocat SS. Patres, qui Christum in Cruce orantem & loquentem, compararunt cytharæ, septem chordæ fuerunt septem verba, chordæ omnia Christi membra, adeo in Cruce extensa & distorta, præcipuè SS brachia & pedes, chordæ fuerunt venæ & nervi in toto corpore. Verùm multos ex his ruperunt clavi, multos flagella lacerarunt, multos spinæ perforarunt, aliam lancea discidit.

Agedum itaque piæ animæ, hanc super cytharam sanctissimæ Crucis considеamus, misceamus & nostras quantumvis impolitas, & tremulas voces, cum suavissimo Christo Jesu concentu, volo dicere, cùm aliqua vos gravior premit adversitas, cùm Cruci configimur, cum varias variis ab hostibus persecutiones toleramus, eja emanet è faucibus vox illa dulcis, & quam non homines solum, sed & Angeli & Pater ipse cœlestis percipere desiderant, *Pater ignosce illis.* Aliàs exclamemus, *Ne statuas, &c.* aliàs suspiremus, *Memento mei*, aliàs, *in manus tuas, &c.* Hi sunt, non cicadæ alicujus terrestris, sed philomelæ cœlestis concentus: hæc veri, ac divini amoris carmina. Nec dubitate, delectabitur his voculis nostris piissimus Jesus, atque ita delectabitur, ut vicissim suavissimi amoris sui affectibus, nobiscum sit concertaturus, & demum ad æternas harmoniæ Angelicæ symphonias, cum ultimo in agone constituti, ejusmodi aliquod solatium desiderabimus, invitaturus. §. 25. *Apostrophe ad Audit.*



CON-



CONCIO LXXXII.

FESTO NATIVITATIS B. VIRGINIS.

De qua natus est JESUS, qui vocatur Christus.

Matth. I. v. 16.

Synopsis Concionis.

Nativitas B. Virginis confertur cum Neomenia Judæorum.

§.1. *Varia festa Judæorum.*
§.2. *Neomeniæ successit festum Nativitatis B. V.*
§.3. *Neomenia fuit Judæis festum lætissimum.*
§.4. *Erat festum remissionis.*
§.5. *Instituebantur convivia.*
§.6. *Aperiebatur porta Orientalis templi.*
§.7. *Fuit hæc porta figura B. V.*
§.8. *Porta speciosa. Applicatio ad B. Virginem.*
§.9. *Origo festi Neomeniæ fuit nova luna.*
§.10. *Nova luna variis ritibus salutata ab Ægyptiis.*
§.11. *Applicantur natæ Virgini.*
§.12. *Victoria Judith fuit causa ingentis lætitiæ.*
§.13. *Applausus cœli, & terræ.*
§.14. *Encomia B. Virginis desumpta à luce.*
§.15. *Hic §. applaudit B. Virgini.*
§.16. *Nova luna est mater roris.*
§.17. *Hic §. iterum applaudit B. V.*
§.18. *De manna & rore.*
§.19. *Apostrophe ad B. V.*

§.1. *Varia festa Iudæorum.* SCimus ex sacris literis varia fuisse festa Hebræorum, v.g. Pascha, Pentecosten, Festum tubarum, expiationis, tabernaculorum, encæniorum, præter alios dies solenniores, quibus Judithæ Heroicum facinus, Esthêris apud Assuerum gratiam, Mardochæi generositatem, & aliorum virtutem Heroum celebrabant. Quin etiam celebre illis extitit Festum

 Neo-

Neomeniæ, quæ græca vox est, ex νέος id est novum, & μὴν, quod mensem significat; ut Neomenia fuerit festum novi mensis, quem quia Judæi ordiebantur cum nova luna, Neomenia fuit dies novæ lunæ, quam solennitatem instituerunt, ut esset gratiarum actio Deo pro beneficio divinæ gubernationis, rogabantque Deum, ne porro illa ipsos gratia destitueret; Similia festa, sed modo longè nobiliore hodie celebrat Ecclesia.

§. 2. *Neomeniæ successit festũ Nat. B.V.*

De Neomenia ait D. Thomas 1.2. quæst. 103. art. 3. ad 4. *Festo Neomeniæ succedit festum B. Virginis, in quo primo apparuit illuminatio Solis, id est, Christi per copiam gratiæ.* Loquitur Angelicus Doctor de hodierno Festo Nativitatis Beatæ Virginis, quo die nata puella instar lunæ, & pulcherrimæ quidem lunæ, huic mundo illuxit. Salve, ô felix Puella! Nova luna salve! salve Maria! salve optatissimum sidus! Quomodo, & quare Nativitas hujus Virginis cum Neomenia conferri possit, hac Concione latius, Deo dante, exponam; si quidem me, pro eo, quo erga beatam hanc Virginem flagrare vos arbitror amore, benevolè tantisper atque attentè dicentem audieritis.

§ 3. *Neomenia fuit Judæis festum lætissimum.*

Festum Neomeniæ celebrarunt Judæi cum publico & extraordinario gaudio; unde palam per plateas inflabantur tubæ, juxta illud Ps. 80. v. 4. *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solennitatis vestræ.* Meliori jure nos hodierna die jubilamus, meliori titulo cum Davide dicere possumus, buccinate cœli, buccinate Angeli, buccinate montes, buccinate maria, in insigni die hodiernæ solennitatis. *In hoc festo,* (inquit Sergius Hieropolita or. in Nat. V.) *celebriq; luce buccinâ spirituali clangamus, etenim quæ præsenti die ex Davidico semine nascitur, vitæ mater est, expultrix tenebrarum.* Buccinate.

§. 4. *Erat festũ remissionis.*

Deinde hoc festum apud Judæos celebre fuit, ob privilegium immunitatis & remissionis. l. 1. Mach. c. 10. v. 35. *Omnes dies solennes, & sabbatha, & Neomeniæ sint omnes immunitatis & remissionis omnibus Judæis, & nemo habebit potestatem agere aliquid, & movere negotia in omni causa.* Gaudete itaque hodierna die Neomeniæ nostræ peccatores, quantumvis gravium scelerum rei, nata hodie Virgo est, vestra apud supremum Judicem Advocata, coram qua hostis noster diabolus, nullam aliquid evincendi potestatem obtinebit. Si vultis, hodiernus dies vobis erit dies veniæ, immunitatis, & remissionis, nascitur enim hodie Maria, ut sit Mater, refugium, solatium, & consolatio Peccatorum.

§. 5. *Instituebantur convivia.*

3. Hodierna solennitate, sive in Neomeniis Judæi instituebant convivia, & delicatioribus solitò cibis recreabantur, ideo Jonathas dixit Davidi, l. 1. Reg. 20 v. 5. *Ecce Calendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo juxta Regem ad vescendum.* Idem hodierno festo faciunt Servi, Clientes, & Cultores B. Virginis, comedunt delicatè, in convivio Angelico, vescentes Corpore & Sanguine Christi, per devotam Communionem.

4. Festis Neomeniæ aperiebatur porta Orientalis templi. Ezech. 46. v. 1. *Porta atrii interioris, quæ respicit ad Orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit*

sit, die autem Sabbati aperietur, sed & in die Calendarum, & adorabit populus terræ ad ostium portæ illius, Sabbatis & in Calendis coram Domino.

§. 6. *Aperiebatur porta orientalis templi.* Eja mortales, exultate Deo adjutori nostro (Pf.80. v.1.) *jubilate Deo Jacob; sumite Psalmum, & date tympanum; Psalterium jucundum cum cithara, buccinate tubâ*, in die hodiernæ solennitatis, quia aperta est Orientalis porta gratiarum, & janua vitæ, dum è tot annorum tenebris nova prodiit Luna, dum nata est Maria. *Per ipsam* (ait Dion. Carthus.) *habemus accessum ad Salvatorem, & Judicem nostrum, tanquam per piissimam portam omnibus patulam & apertam. Et sicut Christus est misericordia nostra; sic ipsa est Mater & Domina nostra, misericordiæ janua.* Eleganter S. Ephrem Syrus orat. de Deip. *Ave porta cælorum. & scala, ascensusq; omnium, sive reseramentum portarum cælestis Paradisi.*

§. 8. *Porta speciosa. Applicatio ad B.V.* Actorum 3. fit mentio portæ speciosæ, v.2. *& quidam vir, qui erat claudus ex utero Matris suæ, bajulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa.* Glossa ait, templi, id est, *cæli speciosa porta est B. Virgo Maria, de qua cantat Ecclesia. Felix cæli porta. Per hanc portam venit DEI Filius ad nos redimendum, & per eam deducit nos, ad glorificandum: si quis autem claudus est, ambulare non potens in vita morum, ponatur per devotionem ad ipsam: erigetur divinitus, & fortificabitur ad feliciter gradiendum.* Itaque Auditores, buccinate tubâ, exultate Deo, date tympana, date Psalterium, hodierna die, in lætissima Neomenia, aperta est hæc porta paradisi, porta cæli, porta misericordiæ, porta speciosa, dum nata est Virgo Maria. Non hæreo modo ad hanc portam, licet sit speciosissima, sed telam illam, quam cœpi, pergo contexere.

§. 9. *Origo festi Neomeniæ fuit nova Luna.* 5. Origo vel causa festi Neomeniæ fuit nova luna, putabant enim Judæi, illâ exoriente, peculiaria sibi conferri beneficia; Nostræ verò hodiernæ solennitatis causa iterum est Maria, quæ dum ex utero Matris sanctissimæ Annæ hodie prodit in mundum, & instar novæ ac primum exorientis Lunæ progreditur, & innumeras simul in orbem gratias inducit. Etenim Virginem natam novæ Lunæ in pluribus esse simillimam, facilè comperiemus, è quibus tria tantùm attingam.

§. 10. *Nova luna variis ritibus salutata ab Ægyptiis.* 1. Nova Luna apud veteres fuit insignis causa lætitiæ, hinc est, quod peculiaribus illam ritibus excipiebant. Nam Sacerdotes Ægyptii, teste Horo, per campos currebant cum cymbalis, & læto carmine illam salutabant, unde illud Senecæ, *at nos solliciti, lumine turbido, tractam Thessalicis carminibus rati, tinnitus dedimus.* Tibullus.

Cantus & è curru lunam deducere tentat,
Et faceret, si non æra repulsa sonant.

Effectus novæ lunæ. 2. Luna renascens novâ luce mundum irradiat. Plinius l.2.c.9. *Omnium admirationem vincit nobilissimum sidus, terrisq; familiarissimum, & in tenebrarum remedium à natura repertum.* 3. Dicit de illo Plinius, & pulchrius S. Ambrosius l.4. Hexam. c.7. *Cum serenior nox est, & luna pernox tunc largior ros fertur arva perfundere, & plerique sub aere quie-*

quiescentis quò magis sub lumine fuerunt lunæ, eò plus humoris se capite collegisse sentiunt. Nimirum luna est mater roris.

§.11. *Applicantur natæ Virgini.* Mysticæ Lunæ, natæ hodie Puellæ, & Virgini conveniunt hæc aptissimè, nam primò, admirabili gaudio hodie replevit cœlum & terram; id quod Germanus Patriarcha Constant. or. de Deip. his verbis asseverat. *Commune totius mundi gaudium ex justis hominibus Joachim & Anna, hodie nobis exortum est, laudatissima nimirum illa, omnisq; planè reprehensionis expers Virgo.* Nobilis in hoc puncto novæ lunæ, sive B. Virginis figura fuit Judith, cap. 15. vers. 9. Cæso Holoferne, *Joachim summus Pontifex de Jerusalem venit in Bethuliam, ut videret Judith*; illam nimirum Heroinam, quæ tantum tamque insigne pro Deo, ac populo facinus, non sine manifesto vitæ discrimine in se suscipere ausa fuisset, illam mulierem, quæ omnibus Jerosolymæ viris, quantumvis armatis, multis tamen partibus, & generosior extitisset, & fortior, illam, non gentilem quidem, sed Hebræam, si ita dicere fas est, Amazonem, quæ medios hostium cuneos, solo ancillæ comitatu perrumpere ausa, hostium ducem atque antesignanum Holofernem summâ prudentiâ circumvenisset, & circumventum suo ipsius gladio, virtute masculâ aut divinâ potius è medio sustulisset.

§.12. *Victoria Judith fuit causa ingentis lætitiæ.* Quæ Juditha cùm obviam occurrisset summo Sacerdoti & populo, vers. 10. *benedixerunt eam omnes una voce dicentes: Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, eris benedicta in æternum, & dixit omnis populus fiat, fiat!* subjungit textus, *omnes populi gaudebant, cum mulieribus & virginibus, juvenibus, in organis & citharis.* Tanti gaudii causa fuit victoria Judith, sed in umbra. Hodie nata est Puella, sed Heroina & Virago, vera & cœlestis Judith, Virgo Maria, quæ de infernali Holoferne, de serpente peccati Originalis gloriosum reportavit triumphum, cùm in conceptione in auratis calceamentis filiæ Principis, venenatum bestiæ contrivit & conquassavit caput; dum verò hodie in hunc mundum victrix procedit, in deaurata veste gratiæ, ornata gemmis, tam pulchra, tam venusta, tam gratiosa, ut cœlestium Spirituum ordines, imò creaturæ universæ buccinent tubis, ludant tympanis, canant tibiis, fistulent organis, psallant citharis, plaudant vocibus, suavissimis denique omnis harmoniæ modulis exultent. O si audire vel ad momentum temporis liceret Angelicas illas philomelas, illos cœlestes Orpheos, illos jucundissimos cœlorum Ariones, ut arcam hanc felicissimam puellam in hanc lucem editam, choros agant festivos, ut alis applaudant, ut suavissimis voculis aëra mulceant, ut Deum, Deique Matrem, quam parvulam in cunis suscipiunt, mille laudibus atque encomiis extollant, ut mille ipsam ornamentis, mille affectibus prosequantur.

Quid multis? in unum hoc thema, omnis incidit harmonia, omnes conspirant tubæ, concinunt voces, tympana consonant, conveniunt citharæ, Io! Nata est hodie Puella, cœli terræque decus, Regina Angelorum, mundi risus §.13. *Applausus cœli & terræ.*

&

& corculum, Io! nata est Dei Patris Filia, Filii Dei Mater, Sponsa Spiritus S. Mox ad ipsam, ad felicissimas cunas, omnis convertitur symphonia, Tu *gloria*, inquiunt, *Jerusalem cœlestis, tu populi honorificentia, &c.*

§.14. *Encomia B. Virg. desumpta à luce.* 2. Ob argenteos, candidosque radios, ob aureas luces, quibus nova Luna, sive nata hodie Virgo cœlos & terras irradiat, Sancti Patres eximiis eam extollunt encomiis. Damascenus vocat *Lucem justorum.* Joannes Geometra, *Virginem luciferam.* S. Bonav. *Stellam fulgentissimam pulcherrimorum radiorum.* S. Ephrem. *Aulam solis.* Iterum S. Bonav. *auream rhedam Solis mystici.* Buteo *lampadem gestantem lucem inextinguibilem.* Methodius. *Mulierem gestantem lucem splendidissimam in ulnis.* Theodorus Studita. *Lunam in nocte, peccatoribus: auroram diluculo, pœnitentibus; Solem in die, piis & justis:* Hymnus Græcus. *Columnam flammeam deducentem ad supernam vitam.* S. Bernard. *Radium Deitatis*, sed verba S. Ignat. Mart. sunt elegantia *Maria, dicam ego, nata hodie Puella est fornax inextinguibilis ignis divini, ex qua perbenignus Conditor ferventissimæ charitatis flāmas est ejaculatus in nos, quasi radios Solis*, vel in hodierna Neomenia, radios novæ & pulcherrimæ Lunæ. Vos Judices constituo Audit. an hæc lux, hæc lucifera, hæc stella, hæc aula Solis, hæc aurea rheda, hæc lampas, hæc flammea columna, hic radius Deitatis, verbo, an non de nata hodie Puella dici possit, jacet in cunis, ut pulchra nova luna. Eja agite.

§.15. *Hic §. applaudit B. Virgini.* Hodie in auras prodiit hæc lux justorum serenissima! jam dulcia tangite plectra, hodie fulgentissima hæc stella primum in mundo apparuit, Citharæ jam fila movete. Hodie primum reclusis cœlorum valvis divini Solis aula patere cœpit! Resonent jam clara tubarum. Hodie lampas illa argentea lucis æternæ custos refulsit. Jam tympana concrepet Orbis. Hodie mulier lucem in ulnis gestans splendidissimam, hodie luna in nocte, aurora in diluculo, hodie in die Sol, hodie columna illa flammea, hodie ille Deitatis radius, hodie illa ardentissima fornax amoris spectari cœpit, & amari! Nunc igitur Philomela frequens, nunc blandior Orpheus, Plectra, fides, citharasque move, nunc mille lepores, Mille voluptatum modulos & carmina funde. O nova Luna! ô felicissima Puella, ardens, lucens, radians in cunis; ecce corda nostra, ut in illa veluti scopum ferventissimæ charitatis flammas, & radios ejaculeris!


§.16. *Nova luna est mater roris.* Denique nova Luna est Mater roris; Virgo nata mater gratiarum. Hodie prodiit nubecula parva Eliæ, l. 3. Reg. c. 18. v. 44. *cum sonu multo pluviæ.* Vatablus, *cum strepitu multitudinis pluviæ, vel vehementis pluviæ.* Versio Hebræa, *cum impetu ingentis pluviæ.* De figura hac inquit Joannes Hierosol. l. de inst. monach. cap. 32. *Revelavit Deus Eliæ, quod quadam infantula, scilicet beata Maria, per illam nubeculam significata, & instar illius nubeculæ per humilitatem parva nasceretur, de humana natura peccatrice, designata per mare.* Nubecula eadem, licet parvula, deinde conversa est in mare, in fluvium, & præcipuè in fontem gratiarum, qui omnibus rivis charismatum fluit, & rore gratiæ scaturit.

Hinc illa encomia, quibus sanctissimi Patres natam hodie Virginem deprædicant, fontem hortorum & Paradisi, fontem fontis vivi, fontem signatum sigillo sanctissimæ Trinitatis, fontem clementiæ & pietatis, fontem inexhaustum aquæ viventis, fontem uberrimum, fontem misericordiæ, fontem totius consolationis, fontem dulcifluum miserationum, fontem vitæ sanctæ, fontem universo orbi medicinam offerentem, fontem immortalitatis.


§.17. *Hic §. iterum applaudit B. Virg.* Et ecce hodierna solennitate Neomeniæ, hodie cum nova luna fons hic scaturit in cunis; buccinate tubâ, hodie manarunt hi rivuli, plaudite, ludite, exultate, concinite. Hodie ex Annæ Matris utero prosiliit hæc unda gratiarum; adeste suavissimi Musicorum chori, adeste & vos mortales languidi; nam si medicinam & immortalitatem quæritis, in hoc fonte invenitur. Si in ægritudine pharmaca, fons hic propinat sanitatem, si in mortis periculo, salutem, fons vitæ est, si clementiam, manat miseratione, si charitatem, fons est gratiarum, si consolationem in afflictionibus, fons est consolationum.

§.18. *De manna & rore.* Antequam finiam, moneo; manna quod decidit instar roris, non decidisse in castra vel loca immunda, sed separata, & munda. 2. Decidisse in loca herbosa & florida. 3. Roris formationem magis in cœli temperie, ut Aristoteles loquitur, lucis clementioribus fieri, cum apertum & serenum est cœlum, neque ventorum turbines intervolant, fugit ros Aquilones, armat Austros, & inter Zephyros renidet. Ex quibus vos velim animadvertere, Auditores, in quænam corda ros novæ Lunæ, clementia inquam Mariæ, ac materni amoris dulcedo se insinuet. Nimirum munda diligit pectora, floribus virtutum insidet, pacificis cordibus delectatur, non inimicis, non contaminatis, non luculentis.

Eja offeramus hodie ad Parthenias natæ Deiparæ cunas ejusmodi pura & immaculata corda, dicamus, O felix Puella, accipe amores nostros, studia, actiones, conatus, corda atque omnia nostra accipe parvula Maria! Tua sint omnia, modo animas tantum nostras, in illo, vitam inter ac mortem, dubio articulo, clementiæ tuæ, favorisque dulcissimo rore aspergere, & æternum recreare digneris. §.19. *Apostrophe ad B. Virg.*



CON-



CONCIO LXXXIII.

FESTO S. MATTHÆI APOST.

Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?

Matth. 9. v. 11.

Synopsis Concionis.

AGit de una ex præcipuis causis, quare multi Christum vocantem non audiant.

§.1. *Quare Christus D. egerit cum peccatoribus.*

MIrum sanè, potuisse homines prudentes atque eruditos hâc uti interrogatione, *Quare*, &c. in promptu enim & vel pueris expedita esse poterat responsio. Quærit illos Jesus ad salutem animarum, quærit ad pœnitentiæ fructus, quærit ad morum, vitæque conversionem, Patet in Matthæo, quid quæsiverit Salvator, patet inquam, cum jam non usurarium & publicanum, sed Apostolum Christi, dilectumque discipulum atque Evangelistam suspicimus.

Eadem hæc est ratio, quod hodie ad com-

§. 2. *Et hodie libenter cum illis agit, illos vocando, &c.*

complures divertat peccatores amabilis Jesus! divertit autem, quando bonas de cœlestibus cogitationes injicit, quando pulsat ad ostium cordis, quando vel morbo graviore, aut alia quapiam adversitate eos invisit, quando animis mediante Concionatore inspirat seria vitæ melioris proposita. Sunt tamen interea pauci, qui cum Matthæo pulsanti aperiant; pauci, qui verba vitæ hauriant ad salutem, pauci, qui bonum Jesum vocantem seriò sequi, per dura, per aspera decernant. Quid verò causæ? hic agedum! præsenti in Concione nodus dissolvendus. Vos more vestro benevolis interim auribus animisque dicentem prosequimini.

§. 3. *Illa est cæcitas mentis. In quo consistat.*

Fontem hujus mali oportet inquirere. Complures illum monstrant SS. Patres & unus ex præcipuis est, Cæcitas quædam mentis, ob quam non intelligimus, quisnam ille sit, qui nos ad se vocat, & quænam sint illa bona, quæ nobis pollicetur. Consistit autem illa cæcitas in hoc, cùm quis non vult recipere lumen cœleste, vel etiam impedimentum objicit illustrationi divinæ, quâ Deus per se, per Concionatores, per conscientiam, per res alias, media necessaria ad salutem sufficienter proponit, non secus ac ille, qui claudendo fenestram radios Solis non cupit admittere.

§. 4. *S. August. rebellis luci divinæ.*

Hoc modo radiis cœlestibus diu rebellis fuit S. Augustinus, sed cæcitatem suam sic tandem deplorat in solil. c. 33. *Serò te cognovi lumen meum, serò te cognovi. Erat autem nubes magna, & tenebrosa ante oculos vanitatis meæ, ita ut videre non possem Solem Justitiæ & lumen veritatis: cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam. Quis inde me eduxit? quis accepit manum meam, ut inde me educeret? quis est ille illuminator meus, quis est ille? Tu es Domine Deus meus, misericors & miserator, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.* Ita cæcus quondam fuit magnus ille Ecclesiæ Doctor & Antistes S. Augustinus, illustratus tamen denique, & luce, quâ de cœlo est irradiatus. At quotusquisque hodie dum est, Auditores, cui non caligant oculi, quibus tenebræ plus quàm cimmeriæ non mentis aciem obfuscarunt? & ô quàm pauci cum eodem S. Præsule ad lucem aspirant cœlestem! ô quam paucis Sol oritur tam eximiæ sapientiæ! fallor, oritur ille omnibus; sed quæ hominum in malo est pertinacia, oculos illi nolunt attollere, malunt infelices noctuæ circumvolitare in densis ignorantiæ tenebris, plus noctem diligunt, quàm lucem, magis caliginem & nebulas sectantur, quàm radios, fugiunt, quam quærere oporteret, & quâ nihil in orbe pulchrius, nihil amabilius, claritatem.

§. 5. *Quomodo deinde agnoverit.*

Paulò post S. August. agnoscens beneficii magnitudinem, ait, *Et conversus sum, & vidi tenebras, in quibus fueram, & abyssum tenebrosam, in qua jacueram, & contremui, & expavi! & dixi, Væ, Væ tenebris meis, in quibus jacui. Væ Væ cæcitati illi, in qua videre non poteram lumen cœli! Væ, væ præterita ignorantiæ meæ, quando non cognoscebam te Domine. Gratias tibi ago, illuminator & liberator meus, quoniam illuminasti me, & cognovi te.* Ex his colligite, in quo consistit peccatoris cæcitas.

Nimi-

§. 6. *Damnatalis cæcitatis per similia.*

Nimirum abyssus illa est, in hac quamdiu submersi delitescunt (ultro autem ac sponte sua delitescunt) nullus unquam divinæ clementiæ radius ad eos penetrabit. Servitus est, huic qui se semel mancipavit, nisi vim sibi inferat, in pristinam Filiorum Dei libertatem haud facilè poterit vindicare. Gurges est, illo absorpti difficulter possunt emergere. Flamma est, sed non lucens, à qua nisi ocyus pedem dimoveas, in favillas ac cineres paulò pòst resolveris. Fel est, unica ejus guttula, omnium cœlestium voluptatum dulcedinem, omne mel, omnes cœli delicias, quas in hac vita ex solis licet haurire virtutibus, in amaritudinem convertit. Carcer est, hæc mentis cœcitas, in eo, vel in pleno meridie nil nisi tenebras, fœtorem, horroremque speres. Aculeus est, qui non ad virtutes, animæ decora, & ornamenta, sed ad scelera, ad flagitia, & ad omnem turpitudinem, quâ anima turpis in conspectu Dei efficitur, sollicitat, urget, propellit. Dæmon est in tali cœco pater tenebrarum, quid mirum, quod lucem odio, tenebras autem, in quibus jacet, amore prosequatur.

§. 7. *Opposita inter divinam inspirationem, & hanc cœcitatem.*

Pestiferi planè sunt cœcitatis hujus effectus. Est animæ lumen conscientia ad Deum impellens; sed à tenebris mentis extinguitur. Est pax cœlestis, inspiratio Angeli Custodis, sed à tenebris mentis extinguitur. Est radius invitans ad vitæ in meliorem correctionem divina clementia, sed rejicitur à pertinaci pectore. Est quidam splendor, sedula Confessariorum in monendo industria, sed subterfugitur ab obscuro animo. Est astrum quoddam, fervens Concionatorum oratio, sed non aspicitur. Est quidam Sol, in impios acerrimis pœnis animadvertens Justitia Dei, justos autem clementissimis misericordiæ radiis æternum exhilarans, sed ab ignobili & tenebrarum amante anima contemnitur, fugitur, horretur! Tanti est, excœcatam mentis aciem, & lucis inimicam animam nancisci.

§. 8. *Multos Deus punit cœcitate ut gravius ruant.*

Hoc prætereа, in hac mentis excœcatione est observandum, quod Deus in pœnam totius repudiati luminis, illud tandem planè subtrahat, unde frequentissimus in omnis generis peccati lapsus necessariò sequitur, S. Gregor. M. lib. 25. Mor. c. 9. *Ut qui illuminati rectè agere noluerunt, justè excæcati, adhuc faciant, ut amplius puniri mereantur.* D. Fulgentius l. de dupl. prædest c. 13 *Justè deseritur à Deo, qui deserit Deum.* S. August. de natura & gratia, c. 26. *Deus non deserit, nisi deseratur, & hoc firmiter & fideliter credat dilectio vestra, quia nunquam prius Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur.*

§. 9. *Ei, qui labitur in peccatum mortale non debet Deus gratiam efficacem.*

Fundamentum Theologicum est, quamprimum homo labitur in peccatum mortale, non debentur illi amplius efficaciores auxilii divini favores; quia tamen pius est Deus, & misericordia ejus super omnia opera ejus, non statim illos subtrahit, sed tandem cum nimia hominem cœcitas, atque execranda mentis caligo inveterata peccandi consuetudine inducta, involvit. Hæc est illa pœna, quam ob pervivaciam populi à Deo petiit Isaias c. 6. v. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur.* Miserabilis prorsus est status peccatoris, cùm Deus ita punit

punit peccatorem, cum excœcatum est cor, aggravatæ aures, oculi occlusi: nam cum *obscuratum est incipiens cor eorum.* Et S. Paulus loquitur ad Rom. 1. v. 21. & ad Eph. 4. v. 17. *sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris habentes obscuratum intellectum, alienati à vita Dei, per ignominiam, quæ est in illis, propter cœcitatem cordis ipsorum.*

§. 10. *Ingens pœna est puniri cœcitate mentis.* Ingens hæc est pœna. 4. Reg. 6. v. 18. Cingebant Syri Elysæum in Dothain, raptum in vincula & carceres, sed cum orans dixit, *Percute obsecro gentem hanc cœcitate*, exauditæ sunt calidæ ejus preces, *percussitq; eos Dominus ne viderent.* Itaque percuti cœcitate, privari facultate videndi, in summis esse malis judicabat Propheta. In Syro, peccatorem, in Elisæo Christum Salvatorem agnoscite. Væ tibi Syre! væ tibi, væ peccatrix anima! nam si sola te cœcitate percutiat Rex Regum, jam misera, perdita, desperata succumbes. Jam pœna omnium acerbissima in te animadvertit, jam idem tibi usu venit, quod infelicibus quondam Syris, qui in medios hostium cuneos educti cùm videre nec quicquam possent, cœcitate correpti, atroci omnes internecione sublati è medio perierunt. Ite nunc cœca gens, nihil divina imperia, nihil minas, nihil exempla Majorum æstimantes mortales! sat miseri estis, si vos cœcitate percussit Numen! Calamitosior non est eo, qui cùm miser sit ipse, se miserum esse, vel nescit, vel non animadvertit.

§. 11. *Tales cœci non facilè convertuntur.* Nimirum certissimum hoc nobis sit axioma; graves peccatores in sua cœcitate perseverantes, nec miserum suum statum agnoscentes, non facilè convertuntur. Matth. 27. v. 46. insinuat Evangelista Christum D. in Cruce, verba illa, *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me:* protulisse, cum fugiente Sole, terra cooperta esset tenebris: *à sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad nonam, & circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Origenes advertit, Christum D. noluisse in Cruce proferre hæc verba, dum lux esset, sed postquam tenebris afflictus universus terrarum orbis, sua quasi cœcitate correptus lugeret, quod sine mysterio non contigit, videtur illud præ aliis cum Origine advertisse sanctus Bonaventura in cap. 23. Lucæ. *Attendendum autem,* inquit, *quod in solis obscuratione intelligitur occæcatio Judæorum*, quo posito, dicunt Christum Dominum verba illa protulisse, in persona reproborum & excœcatorum Judæorum, quos adeo diligebat, ut eos haud aliter, quàm seipsum reputaret, juxta illud Aristot. in moral. l. 9. c. 9. *Alter ipse est amicus.* Itaq; cum Christus D. dixit, *Deus meus, ut quid, &c.* voluit dicere, *Quare dereliquisti populum meum*, in quo cum cœlesti Patre Christus D. egit, veluti cum medico, qui de infirmi salute desperans, eum deserit, & derelinquit, sciens, quod Judæis in sua cœcitate & tenebris nullum superesset salutis remedium. Verbo, perfidi Judæi, ob noctem animorum, ob moralem illam cœcitatem derelicti sunt à Deo, sine pœnitentia, de quo Christus in Cruce citatis verbis, conqueri voluit, ut ostenderet, quantus sibi inde dolor nasceretur, & quod i-

pse

ipse causa perditionis eorum non esset.

§.12. *Pœna, qua percussi sunt, qui crucifixerunt Christum*

Jam verò illum eundem, paulò antè allegatum ex Isaia versum, juvat repetere, quo iratus de populo suo ait Propheta: *Excæca cor populi hujus, & aures aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum*, placet enim mihi dubium S. Hieronymi, quomodo hæc verba cohæreant cum illis, quibus Deus toties, & serio impios vocat ad pœnitentiam, & respondet, hæc verba propriè intelligenda esse de illis, qui Filium Dei crucifixerunt, nam, *pro magnitudine sceleris, etiam pœnitentiâ indigni judicati sunt.* Sed quo putas medio divina usa fuit Justitia, ut de seria populi conversione, ac pœnitentiâ fuerit conclamatum? induxit eorum oculis nebulam, ne vel periculum, in quo versarentur, cognoscerent, vel imminentia suis capitibus supplicia viderent. O Impii! ô si tandem aliquando vestra illa maledicta cæcitas cessaret! O si rursum in oculos se vestros, imò in animos potiùs divinæ veritatis claritas infunderet! ô si videretis aliquando status illius, in quo miseri hæretis, mille discrimina, non dubito cum Matthæo protinus relictis, quæ hactenus vos retardarunt, mundi ac vanitatis instrumentis, Christum sequeremini; non dubito, ad meliorem vitæ frugem vos etiam hodie, etiam ante Solis occasum, etiam dum hæc apud vos dissero, reciperetis!

§.13. *Petrus in tenebris negavit Christum*


Matth. 25. v. 34. itu. us Christus D. in mortem, objecit discipulis suis, fore illa nocte, ut omnes fugiant; quod audiens Petrus ita exarsit, ut dixerit, *Etsi omnes scandalisati fuerint, non ego*, & dixit Christus Dominus, *Amen dico tibi, hac nocte, antequam Gallus cantet, ter me negabis.* Duo his verbis insinuat Christus Dominus, 1. Fore terribile peccatum, tam turpem negationem Petri. 2. Finiendum illud circa gallicinium. Perinde ac si diceret: Petre, non me latet rerum jam jam instantium eventus: non me fugiunt perpetranda hac nocte scelera; Petre, hac nocte, his in tenebris, in hac caligine aëris, tuam quoque mentem nefandæ tenebræ perstringent. O Petre! hac nocte, ô si lux illa cœlestis, quæ tibi hactenus refulsit, non evanesceret, sed heu video! jam prævideo funestam illam noctem, in qua Magistrum tuum ter negabis, sed age, ne ideo cadas animo, noctem jucunda dies excipiet, post tenebras specta lucem, cùm ter vocem Gallus ediderit, cùm aurea se aurora in orbem hunc nostrum reduxerit, cùm benignis te oculis aspexero, enimverò tum in amaras lachrymas, gemitus ac suspiria erumpes, tum clara, cum claro die, pœnitentiæ signa edere incipies. Dictis respondit eventus. Ita in nocte cæcutiit Petrus: ita in lucis ortu, divinis iterum radiis illustratus, pariter ac recreatus comparuit.

Basiliscus animal venenatissimum, reflexu radiorum suorum in speculo perimitur. Majolus. *Sic peccator, si in speculo conscientiæ, vel in piissimis oculis Salvatoris agnoscat venenum peccatorum, peccatis moritur: citò nox illa scelerum abominanda, in gratissimos salutis æternæ radios convertitur.* §.14. *Basiliscus suis radiis se occidit in speculo.*

§.15. *Descriptio Peccatoris cæci.* Excœcatum peccatorem eleganter describit caput 7.v.22.Proverb. sive juvenem amoribus cœcum, statim eam sequitur (scilicet voluptatem) *quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans, ad vincula trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus, velut si avis festinet ad laqueum, & nescit, quòd de periculo animæ ejus agitur.*

§.16. *Admonitio gravis ad peccatorem.* O Peccator! ad te enim hæc divina recitans oracula, non possum non extempore convertere sermonem meum. Tu ille ferociens bos, tu ille agnus lasciviens, tu ille fugitivus cervus, tu illa es cantillans avicula. Verùm nescis, heu nescis! quæ te fata propediem maneant. Dum ferocior cum bove vaccas sequeris; duceris ad macellum infelix victima æternæ mortis. Dum libidini licentius indulges, dum ambulas in pratis concupiscentiæ, in pascuis voluptatum, raperis ad vincula, ad feralem cultrum, ad necem, dum ardes, æstuas, anhelas sitibundus cum cervo, non ad fontem aquæ vivæ, sed ad impuros stagnantesq; scelerum, & Ægypti lacus, infixam geris non tergo, sed pectori sagittam, tantò periculosiorem, quantò minus illam vel sentis, vel evellere allaboras. Dum dulce canis philomela melos, dum jucunda quæque pangis modulamina, adest ferali instructa telo venatrix, adest, quæ te subito feriat, prosternat, auferat, mors minimè cogitantem, & quis tibi obsecro tunc sensus erit? quæ mens, aut cogitatio!

§.17. Perge infelix in tuis tenebris! Prov. 2.v.18. *Ad inferos semita tua*: in hac instar excœcati bovis, vel hirci tuis in infernum, ut & tu audias, & cantes cantilenam loci illius. Isaiæ 59.v.10. *Palpavimus sicut cæci, & quasi absque oculis attrectavimus, impegimus meridie, quasi in tenebris caliginosi, quasi mortui.* Heu nimium sero! nunc aures tandem arrigite impii, non ego jam loquar amplius, sed Isaias Propheta, jubente atque inspirante Numine, cui credere nolle impium, non posse intelligere miserandum est nimis. Itaque c.4.v.17. ait, *surdi audite, & cæci intuemini ad videndum*, en universus divini imperii catalogus, aliud nil à vobis exigit Deus, aliud nil desiderat, jubet, imperat, nisi ut & auditu, & visu apprimè instructi procedatis in medium. Audite, & videte, hæc una salutis vestræ ratio. Audite, quæ vestra vobis proponit pericula, Conscientia. Videte, quos vobis laqueos tendat auceps ille infernalis. Audite, quid de statu vestro, de tenebris animi, de cœcitate mentis sentiant sacræ literæ, quid loquantur Divi Pattres, quid experientia ipsa confirmet. Videte, quis tandem, & quàm lachrymabilis exitus, quis vitæ finis, quod præcipitium illis obversetur, qui in tenebris tam lubricum atque arduum iter ad æternitatem cōficere voluerunt. *Prosecutio*



CON-

CONCIO LXXXIV.

FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

Matth. 18. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Custodia Angelorum Custodum comparatur cum clypeo.

§. 1. *Visio Jacobi in somno.*

§. 2. *Pro aliquo solatio peregrinationis.*

§. 3. *Talis peregrinatio est vita nostra.*

§. 4. *Clypeus Lacedamoniis serviebat pro cunis.*

§. 5. *Talis clypeus est custodia Angelorum.*

§. 6. *Germani olim electum Imperatorem elevabant in clypeo.*

§. 7. *Ne inter homines & diabolos sit æqualitas, Deus nobis dedit Angelos Custodes.*

§. 8. *Quorum auxilio facilè vincimus.*

§. 9. *Pulcher locus ex Sancto Bernardo.*

§. 10. *Custodia Angelorum comparatur clypeo Myrtili.*

§. 11. *Clypeus custodit & arcet, pariter Angelus Custos.*

§. 12. *Et S. Cæcilia.*

§. 13. *Clypeus Achillis.*

§. 14. *Custodiunt nos Angeli, præsertim in agone.*

§. 15. *Emblema.*

§. 16. *Memoria præsentiæ Angelorum.*

§. 17. *Amant in nobis virtutes, præcipuè pacem, &c.*

§. 18. *Conari debemus Angelis esse similes.*

§. 19. *Adhortatio ad amorem Angelorum Custodum.*

No-

§. 1. *Visio Iacobi in somno.*

NOta est historia, quam refert c.28. v.12. Gen. S. Textus de Jacobo Patriarcha, qui dum iratā faciem fratris sui Esau fugeret, in itinere, ingruente nocte, procubuit in terram sub arbore; capiti pro pulvinari aliquot lapides supponens, & super durum lectum suavissimè dormivit. In suavi somnio & somno, *vidit scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, & Dominum innixum scalæ, Angelos quoque Dei ascendentes per eam.*

§. 2. *Pro aliquo solatio peregrinationis.*

Consentiunt SS. Patres, exhibita hæc fuisse Jacobo, pro aliquo solatio in tantis laboribus, & tam acri persecutione, ostendit Deus illi cœlum, quasi diceret, ne cadas animo Jacob, ecce Deus tuus, labores tuos videt, ipse remunerabit, & erit merces tua magna nimis. Ostendit Deus illi scalam, quasi diceret, Jacob ne timeas tribulatio, quam pateris scala est ad regnum cœlorum. Ostendit Deus illi Angelos, quasi diceret, Jacob ne timeas insequentem & iratum fratrem tuum Esau, plures tecum sunt, qui te defendant Angeli, quos vides de cœlo descendere, mittuntur, ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus suis, si opus est, portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.

§. 3. *Talis peregrinatio est vita nostra.*

Qualis fuit Jacobi, talis est vita nostra in hoc mundo, 2. Cor. 5. vers. 6. *dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino*, in hac peregrinatione persequitur nos, non unus Esau, sed diversi & & potentes Hostes, Caro, Mundus, Peccatum: in hac peregrinatione frequenter nobis quiescendum est sub arbore Crucis! dura sunt saxa, quibus incumbimus, sed sursum oculos, sic pergimus ad beatam illam patriam, sursum oculos, sic itur ad astra. Ecce Crucem; hæc scala est, per quam ad montem Sion conscenditur. Ecce Deum, qui nos intuetur, qui scalæ incumbit, nostrorum testis laborum, nostræ custos quietis. Sed nec angelici desunt Spiritus, vides ut illi per scalam Jacob, alii quidem ascendendo, descendendo alii, suum in nos amorem, suum charitatis Angelicæ studium, suam Deo in hoc obsequendo alacritatem, suum erga mortales affectum exhibeant! Erit hæc, in eorundem honorem Beatissimorum Spirituum, quorum gloriosus Dux atque Antesignanus est D. Michael, concionis nostræ materia, non minus ut spero utilis, quàm & vobis, & ipsis etiam ut spero, beatissimis Angelis nostris Custodibus, grata atque accepta.

Solatio nobis est custodia Angelorum.

§. 4. *Clypeus Lacedæmoniis serviebat pro cunis*

Lacedæmonii Amazones, infantes recenter natos, clypeis pro cunis imponere solebant, hoc contigit Herculi & Iphicto, illis Heroibus ab Alcmena, quæ cum ambos lavisset, & lacte potasset, posuit eos super scutum aureum. Cum heroina quædam Lacena filium mitteret ad bellum, scutum illi præbens, dixit, *cum hoc aut in hoc redi*, gloriosum enim apud gentem illam erat, sub clypeo mori pro patria, & in illo sepeliri, ad quem morem alludit Virgilius, cum canit de Pallante Arcadum Principe, à Rutilis interfecto:

Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Amorem matrum Lacedæmoniarum

§. 5. Talis clypeus est custodia Angelorum.

rum longè superat amor divinæ providentiæ erga homines. Prospexit Deus ab æterno, dum statuit creare hominem, fore illum, præcipuè post lapsum primi parentis, inermem, debilem, & imbellum, prævidit ponendas eidem ab hoste infernali insidias; sed prævidit simul propterea homini fore necessariũ forte, & tutum aliquod scutum, ideo nos fortissimâ Angelorum custodiâ instructos in aciem progredi voluit. Et dum nascimur, aureo imponimur scuto, dum vivimus, vivimus tuti sub hoc aureo scuto, dum morimur, si volumus, sub eodem mori possumus, tutissimi contra omnes assultus inimicorũ. Hoc volo dicere, quamprimum nascimur, Deus cuivis assignat proprium Angelum, qui aureo divini auxilii scuto nos protegat, quamdiu vivimus ex mandato Dei, iidem tutelares genii nobis assistunt, semper, ubique, in ædibus, in hortis, in campis, in pratis, in silvis, in montibus, vallibus, undis. Dies noctesq; in hoc unum intendi studium, ut nos fortiter defendant, protegant, custodiant, & præcipuè dum ex hac mortali vita emigrandum est, assistunt. Ah quis nobis hoc tribuat, ut aliquando cum, in, & sub hoc scuto moriamur!

§. 6. *Germani olim electum Imperatorẽ elevabãt in clypeo.*

Germanis olim familiare fuisse, testantur antiquitatum auctores, pronuntiatos Reges scutis excipere, atque in altum extollere, quod bellica inprimis virtute cœloque dignos exoptarint: Eadem vobis, jam inde à primis mundi exordiis, consuetudo est, O Angeli beatissimi! vos ut subditos curæ vestræ clientes, cœlo dignos præstetis, eos cum in omni illorum vita, tum vel maximè in fatali illo articulo, quo cum morte ac dæmone, miseris animis est colluctandum, scuto defensionis instructi comparetis vos trepidantes, illo potissimum tempore mortales scuto vestro excipitis, nisi fortè sponte sua, ad dæmonum castra infelices transierint; Vos illos cœlorum Principes Regesque creatis, vos in altum super ipsa astra extollitis clientes.

§. 7. *Ne inter homines & diabolos sit inæqualitas, Deus nobis dedit Angelos Custodes.*

Pulchrè de hoc discurrit Doctor Angelicus 1. p. q. 14. art. 1. argum. 2. *Non videtur æqua pugnæ conditio, ut infirmus contra fortem, ignarus contra astutum exponatur ad prælium.* Sed sunt homines infirmi, & ignari; dæmones autem potentes & astuti, cur ergo permittit Justitiæ custos, ut homines à dæmonibus impugnentur? Respondet: *ut non sit inæqualis pugnæ conditio inter homines & dæmones*, sit ex parte hominis talis recompensatio, principaliter quidem per auxilium gratiæ; secundario autem per custodiam Angelorum. S. Bernardus in Psalm. 90. serm. 12. *Etsi parvuli simus, & tam magna, & tam periculosa restet via, quid tamen sub tantis Custodibus timeamus?*

§. 8. *Quorum auxilio facilè vincimus.*

Non rarò accidit, ut majorem minor, quocum in arenam descenderat, in terram prosternat, id quod & glorioso Davidis, aliorum etiam pygmæorum exemplis, si opus foret, illustrarem. Gigantes certè altissimos superbissimosque esse cacodæmones, à quibus sub horam mortis nostræ, ad fatalem de cœlo vel inferno adeundo conflictum compellimur, nemo est, qui ignorat. Nos verò homunciones miseri, nos pygmæi, nos parvuli, nos infirmi pugiles,

les, veluti infantes palpitamus, tremimus, exhorrescimus, in singultus ac lachrymas erumpimus. Et fortassis deplorata esset victoria nostra, perdita salus, conclamatum de beatitudine æterna, nisi tales nobis à Divina bonitate Custodes, qui nobiscum, & pro nobis confligerent, assignati fuissent. Itaque non est quod metuamus porrò, gaudeamus potius, & Deum, nostrosque Custodes Angelos, æternis laudibus, piaque devoti animi gratitudine prosequamur.

§.9. *Pulcher locus ex S. Bern.* Nam, *Magna pietatis, & benignitatis judicium est*, exclamat S. Bonav. in Festo S. Mich. *deputare tales ministros humanæ fragilitati, sine quibus nullo modo esset tuta.* Quoties supremus exercitûs Dux quieti se tradit, ad fores tentorii in armis excubat miles præsidiarius, & lecta phalanx, quoties Princeps iter ab una in aliam provinciam expedit, comitatus custodiis progreditur, quoties in publicum procedit Cæsar, suis se stipatum videt ephebis, suo satellitio circumdatum. Nos nec belli Duces sumus, nec Principes, nec Cæsares, Auditores, & tamen, ô mira Dei circa nos providentia! suos in obsequia nostra famulos, suos satellites, suos ephebos ablegat, quorum unus sit labor ac studium, nos tueri, defendere, ducere, fovere, propugnare.

§.10. *Custodia Angelorũ comparatur clypeo Myrtili.* Apud Græcos celebris fuit clypeus Myrtili, quem Alciatus posuit inter sua emblemata, cum hoc lemmate: *Auxilium nunquam deficiens.* Myrtilus autẽ strenuus fuit miles, qui hoc clypeo innumeros vicit hostes, & cùm in mari in periculo esset naufragii, exiliit ex fracta navi, & in suo scuto enatavit ad littus. Unde Leonides Poeta,

Effugii geminum clypeo discrimen, in uno,
Cum premerer q; salo, cũ premerer q; solo

Talis clypeus est nobis custodia Angelorum, Auxilium nunquam deficiens. Et terrâ & mari. S. Bern. supra citat. quàm facilè transibit (in hoc scuto) qui manibus portatur Angelicis; quàm suaviter natat, juxta commune Proverbium, *cujus alter sustinet mentum, ne hauriat undas.* Natat citra ullum, vel corporis, vel animæ periculum, non ullum illi à fluctibus tentationum discrimen, non periculum à ventis adversitatum, non ullum aliquod ab omni tempestate accedere potest incommodum. Tanti refert forti scuto, forti Angelorum præsidio defensum, ad portum æternitatis, fractâ vitæ hujus mortalis cymbâ, appellere.

§.11. *Clypeus custodit & arcet, pariter Angelus Custos.* Alii scuto inter ingeniosas picturas inscriptum est lemma Ovid. l. 11. Met. *Custodit & arcet.* Talis est custodia Angelorum. S. Bern. in Ps. 90. ser. 5. *Quia homo undique circumdatus est tentationibus, scuto circumdabit te veritas ejus, ut quemadmodum undique bella, ita undique sint & præsidia.* Ideo Sponsa assimilatur turri David, sed quæ mille tecta est scutis. Omnibus inscribo, Angelus Custos tuetur, & arcet. *Experta est S. Theophyla.* Experta est S. Theophyla Virgo, quæ, cum sub Diocletiano, & Maximiano traheretur in lupanar, sic oravit: *Mi JESU, Amor mi, mi Sponse! ô fons castitatis, matura opem, & Sponsæ pudicitiam serva.* Hoc Virginis cor, hoc lingua, hoc oculi pleni lachrymis clamabant, *O JESU, O Amor, O Sponse! tuo me præsidio custodi.* Adfuit statim Angelus Custos cum aureo scu-

to,

to, & mox primus pudicitiæ tentator repentè ex animis corruit, alii nimio splendore excœcati sunt, denique alii cautiores, non miranda minus, quàm terribilia conspexerunt, nimirum juxta Virginem, formosissimum Angelum, cum scuto & cœlesti tessera, *Quis sicut Deus Christianorum?*

§.12. *Et S. Cæcilia.* Talem Custodem habuit S. Cæcilia, cùm dixit Valeriano. *Ego, Valeriane, in Angeli tutela sum, qui meam Virginitatem custodit*, quasi diceret, dum meus me Custos Angelus protegit, effervescat tyranni impietas: ardeant nefandæ faces libidinis, inflammentur tartareis ignibus corda malorum, nihil est, quod mea sibi metuat Virginitas, non vereor aliquam pudicitiæ meæ cladem vel levissimam, contemno hostem audacter, Angelici suffulta præsidii scuto. Dixit, & vicit Cæcilia, sed juvante Angelo, vicit Agnes, vicit Barbara, vicerunt innumeræ aliæ Agnum secutæ candidum Virgines candidissimæ! sed quod vicerint post Deum, Deique Matrem Virginem, huic Angelici subsidii clypeo in acceptis universæ referunt lubentes.

In Achillis quondam clypeo, si Homero credimus, insculpta fuit Vulcani arte, & ad vivum, ut inquiunt, exhibita cum Oceano tellus, & cum stellis cœlum. Si diva Cæcilia Virgo, si Agnes, si Barbara, suæ vellent pudicitiæ laudem in clypeo velut symbolo exponere, non dubito, suum quæque Custodem Angelum liliato in clypeo depingeret, cum epigrapha, *Niveum Custos defendit honorem.*

Et præstant hæc Angeli præcipuè in agone. Cyrillus Alexandrinus. *Adsunt nobis tunc exercitus, & potestates tenebrarum, ut ipsi animæ vel aspectus solus gravior sit omni pœnâ, quos intuens anima turbatur, fremit, horrescit, angustiatur, refugit. Taceo gravissima tentationum certamina, quibus tunc maximè contra animam insurgit, quas nisi divinâ gratiâ, & ope cœlestium Civium, sanctorum præcipuè Angelorum subnixi vincere non possumus, adeò saviet hostis horrendè!* §.14. *Custodiunt nos Angeli, præsertim in agone.* Verissimè tu quidem S. Pater Cyrille! nisi divinâ gratiâ, & ope Sanctorum Angelorum præcipuè, vix ac ne vix quidem hostium immanitatem licebit evadere.

§.15. *Emblema* Sed antequam ab hoc Angelico scuto discedam, atque ad alteram, quam de cultu SS. Angelorum intendo, partem me conferam, non possum non vobis rem scitu dignam, & à proposito meo haud multùm alienam exponere. Salii, Franci æstimantur, à quibus lex salica, sub pari Duce militantes, parmam aureo umbilico, notatam tulêre, quem ruber circulus, ac deinde latior alius violacei coloris ambiret: in cujus summo rosa erat, à medio lupi, hinc atque hinc dimidii duo, florem supra positum spectantes, extremo margine sanguineo clausi. An quod lupos vastatores, ad regni sese (quod flore indicatum) obsequium clypeo suo adductores speraret? an quod tanquam lupi, ad regni defensionem hostes aggressuri essent. Ut ut sit, illud ego non inelegans Angelici nostri scuti ac præsidii emblema interpretor. Quænam enim illa rosa, candida & rubicunda, nisi anima innocens, & roseo Christi sanguine redempta? quinam

illi lupi, nisi infernales genii? quis clypeus, nisi Angeli Custodis præsidium, sine quo pertimescenda est, ultimo potissimum agone, miseranda pernicies. Sed benedictus Deus, Deus, qui misit, mittitque etiamnum Angelos suos, quorum clypeos, nullæ adversariorum vires, nulla rabies, furorque perfringet.


§.16. *Memoria præsentia Angelorũ* Ob hæc omnia S. Bernardus serm. 12. in Ps. 90. nos monet. *Simus ergo devoti, simus grati tantis Custodibus, redamemus eos, honoremus eos, quantum possumus, quantum debemus.* Sed quomodo? hæc modo postulo. Dicat quivis cum Abbate illo in vitis PP. l. 7. c. 44. rogatus, quæ esset quotidiana ejus exercitatio, respondit: *Ego Angelum meum assistentem mihi juxta me expecto, & custodio meipsum, timeo eum, ut custodientem vias meas, & quotidie ascendentem ad Deum, & insinuantem actus meos, & verba, &c.* Epictetus gentilis, sed mente nobilissimus, eodem fere modo de genio tutelari disseruit. l. 1. c. 13. Procuratorem unicuique addidit genium, eumq; illi custodiendum tradidit, & talem quidẽ, qui nec dormiat, nec decipiatur. Cùm igitur fores clauseritis, & conclave tenebrosum effeceritis, cavete, ne unquam dicatis, vos esse solos; neque enim estis, sed Deus intus est, & vester genius intus est. O impure! quisquis es! cave illud impium, dictum incentivum plurimorum scelerum: *solus sum.* Non es solus. Putavit certè S. Bernardus, sufficere ad omne peccatum evitandum, inspectorem nostri Angelum contemplari. Quam doctrinã mellifluus Doctor videtur suxisse ex S. Ambrosio ser. 8. in Ps. 111. *quamvis in occasione sit peccandi, si quem fortè Spectatorem cognoverit facinoris sui, pudore inceptum deserit; quantò magis, si quis allevet mentis oculos, & consideret plena esse omnia Angelorum.*

Postulo. 2. Ut in his maximè nos exerceamus, quibus sancti Angeli maximè delectantur, de quibus S. Bernar. ser. 1. de Mic. sunt plurima, quæ eis placent, & quæ in nobis invenire delectat, ut est sobrietas, castitas, creber in cœlum gemitus, & orationes cum lachrymis, & cordis intentione. Attamen super omnia hæc unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis. Quidni maximè delectentur in his, quæ formam quandam civitatis suæ repræsentant in nobis, ut mirentur Jerusalem novam in terra. Contra nihil æque offendit, & ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones & scandala. §.17. *Amant in nobis virtutes, præcipuè pacem, &c.*

Postulo. 3. Cum D. Bonaventura opusc. de 7. itin. æter. Vult Dominus ut Angelis assimilemur, ut ardeamus amore cum Seraphin, Divinorum scientiâ fulgeamus cum Cherubim, Spirituales facti omnia judicemus cum Thronis: nobis ipsis dominemur cum Dominationibus, fortiter resistamus inordinatis motibus, cum Virtutibus: Regnum animæ in pace gubernemus cum Potestatibus, provideamus cum Principatibus, magna proximis exhibeamus cum Archangelis, minora indigentibus subsidia impertiamur cum Angelis. §.18. *Conari debemus Angelis esse similes*

Agedum Auditores dilectissimi, his mediis, illo nos fortissimo Angelorum Custodum præsidio non indignos red- §.19. *Adhortatio ad amorem Angelorũ Custodũ.*

reddamus, & salva erunt omnia, salva spes, & res salutis. Amemus Custodes Angelos, devinciamus eos nobis magis, magisque, quibus possumus obsequiis, officiis, precibus, amoribus, suspiriis. Nihil nos à concordia, quam unicè diligunt, avellat. Nihil à continuo divinæ præsentiæ exercitio memoriam abstrahat. Nihil ab amore Castitatis, quæ præcipuè virtus est, & gloria Angelica, abducat. Castitas enim res est Angelica, per hanc singulariter homines assimulantur Angelis. In carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. Denique nihil à consuetis, quibus sanctos Angelos à teneris, impensè colere, ac venerari didicimus, officiis, studiisque retardet. Ita nimirum fiet, ut nullo non tempore ac loco, sub illorum clypeis securi, atque incolumes, etiam cum ad luctam provocat adversarius, quiescamus.



CONCIO LXXXV.

FESTO SS. APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

Joann. 15. v. 17.

Synopsis Concionis.

Aliquot Encomia horum SS. Apostolorum.

§. 1. *Apprecatio charitatis, & pacis.*
§. 2. *Quam Christus D. præcipit.*
§. 3. *Hæc Concio profert tria Encomia SS. Apost. Sim. & Judæ.*
§. 4. *Fuerunt duo novi Machabæi.*
§. 5. *Applicatio.*
§. 6. *Instrumenta Martyrii.*
§. 7. *Hic §. applaudit Apostolis, & hortatur nos ad imitationem.*
§. 8. *Fuerunt duo radii, duæ faces, duo adamantes.*
§. 9. *Illuminarunt gentiles.*
§. 10. *Fuerunt duæ stellæ.*
§. 11. *Exorta tempestas sub martyrio.*
§. 12. *Fuerunt duo lilia.*
§. 13. *Ut in illis Deus laudetur.*

§ 1. *Apprecatio charitatis & pacis.*

PLacet Concionem præsentem ordiri illis verbis, quibus catholicam suam Epistolam exorsus est S. Judas, cujus hodie festum celebramus; sic itaque orditur: *Judas Jesu Christi servus, his qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Jesu conservatis & vocatis, misericordia vobis & pax, & charitas adimpleatur.* Hæc Judas Christi fidelibus fuit apprecatus; eadem ego meis opto Auditoribus. Nam sic spero, estis dilecti in Deo Patre, sic spero, & vos vocavit Christus Jesus, idem vos in visceribus charitatis conservat, proinde misericordia vobis, pax vobis, charitas vobis, & inter vos omnes. Charitatem hanc ego cum S. Juda exopto, Christus verò Salvator noster in hodierno Evangelio eam præcipit. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem, & hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos.* Fateor, proposueram de charitate hac, & mutua dilectione, suavia quædam proponere; sed quia existimo, gratius vobis fore, de gloriosis Apostolis Simone & Juda aliqua percipere, ex multis encomiis, quibus à SS. Patribus decorantur, tria elegi.

§. 2. *Quam Christus D præcipit.*

Primùm est, Simon & Judas fuerunt novi Machabæi, id est, strenui defensores Evangelii, æmulatores gloriæ Christi, & tandem gloriosi Martyres. 2. Simon & Judas fuerunt duo luminaria, duæ lucidæ stellæ & faces, quæ exorienti in Persia soli Justitiæ, præluxerunt. 3. Fuerunt duo odorata lilia, serico charitatis funiculo colligata. Hæc gloriosa encomia præsens Concio, dum vos interim pro more benevolè me audietis, aliquando prolixius, & fusius explicabit.

§. 3. *Hæc Concio profert tria encomia SS. Ap. Sim. & Juda.*

Primi encomii fundamentum ex sacris literis haurio, ex l. 1. Machab. c. 2. v. 50. Mathatias nobilis belli dux inter Machabæos, & acerrimus legis Mosaicæ propugnator, dum post multas hostium persecutiones, post multa prælia, advertit appropinquare sibi diem moriendi, quinque filios, Joannem, Simonem, Judam, Eleazarum & Jonatham ad se vocatos, sic fuit allocutus: *Nunc ergo, ô filii, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum, confortamini & viriliter agite, quia in ipsa gloriosi eritis. Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est, ipsum audite semper, & ipse erit vobis Pater. Et Judas Machabæus fortis viribus à juventute sua, sit vobis Princeps militiæ, & ipse aget bellum populi.* Profuerunt, ut fieri assolet, monita morientis Patris, confortati sunt ejus filii, egerunt viriliter veri æmulatores legis, strenui gentis Judaicæ propugnatores! præcipuè Simon & Judas; horum prælia, pugnas, contritos exercitus, devictos Duces, expugnata castra, occupatas urbes, victorias, spolia, trophæa, triumphos, in libris Machabæorum legere licebit; sufficiat modo paucis, cum sacro textu de Simone dicere ex cap. 5. l. 1. v. 7. *Simon commisit prælia multa cum gentibus, & contrita sunt gentes à facie ejus*, de Juda ex c. 3. v. 4 *Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione sua, &c. de præliis Judæ narrabunt omnes gentes.* Donec tandem animas

nimas dederunt pro testamento Patrum, pro lege, pro populo, pro Deo: Simon quidem per fraudem ab hostib' trucidatus, Judas verò in prælio sublatus è medio; uterque fortis, strenuus, gloriosus, fortis simul ac strenui, gloriosique parentis Mathatiæ filius!

§. 5. *Applicatio.* In nobili Duce Mathatia, agnosco belli nostri Ducem Christum JESUM, pugnavit Mathatias contra hostes Judeæ gentis, Christus D. contra hostes humani generis, vitam pro populo suo dedit Mathatias; vitam, Sanguinem, animam, omnia pro suis dedit JESUS. Quinque gloriosos, strenuos, fortes, filios populo reliquit Mathatias; Christus D. suæ Ecclesiæ duodecim gloriosos & strenuos Duces, duodecim Apostolos, & inter hos Simonem & Judam, ut nomine, sic factis & virtutibus novos Machabæos. Quamprimum in adventu Spiritus sancti, induti fuerunt virtute ex alto, post universi mundi divisionem & descriptionem, Simon profectus est in Ægyptum, id est, sedem, Regnum & metropolim errorum, superstitionum atque idololatriæ, Judas in Mesopotamiam, inde uterque in Babylonem & Persiam, ubi innumerabiles filios, (sic legimus in hodierno Officio) JESU Christo pepererunt, fidemq; in vastissimis illis Regionibus, & inter efferatas gentes disseminarunt, fervidi novi Evangelii æmulatores, acres Crucis Christi propugnatores, similes leonibus, sicut catuli leonum, qui in venatione sua novæ Legis reti, populos, & reges Christo cœperunt, donec post arduos labores, post sterilem Persiæ agrum, suis sudoribus irrigatum, post varias sacrificulorum persecutiones, & insidias glorioso martyrio Sanctissimum JESU nomen illustrarunt. Simon in fano Solis, Soli; Judas in templo Lunæ lunæ Persarum Diis jussus fuit immolare. O cœci Idololatræ! illudne Sanctis hisce viris facinus defertis? itane illos væcordes, aut dementes potius judicatis? alium Solem gloriosi hi pugiles adorant, Solem Justitiæ, Solem divinæ, & æternæ Majestatis. Dum uterque ruit in genua, ardentibus eorum precibus provocatum cœlum, superna vi, dejecit idola, Maurorum & Æthiopum specie, evolantibus inde dæmonibus cum ingenti ululatu, cum acri sacrificulorum exacerbatione, quorum jussu, Simon serrâ in partes fuit dissectus, Judas fustibus peremptus, sic uterque animam pro Evangelio dedit, uterque gloriosus Machabæus, uterque strenuus Athleta, uterque fortis Martyr.

§. 6. *Instrumenta Martyrii.* Serra & fustes fuerunt instrumenta martyrii, non sine mysteriis. Simon & Judas non leones tantum fuerunt, sed & Agni, quos Christus D. misit in medium luporum, quid mirum, quod hi Agni tam mansueti, mitesque à lupis fuerint discerpti & dissecti? non leones tantum & Agni, columbæ fuerunt, suadente Magistro, Matt. 10. v. 16. *Estote prudentes, sicut serpentes, simplices sicut columbæ,* has columbas sacrificulorum & barbarorum ungues serris dilacerarunt. Erant duo maturi botri illius, qui de se ait, Joan. 15. v. 1. *Ego sum vitis,* pulchri, maturi, fœcundi botri, pulcherrimæ, fœcundissimæ vitis! serra & fustes fuerunt torcularia, quibus dum premerentur, ex illis in cellam vinariam Spon-

Sponsi vinum effluxit charitatis, Simon & Judas fuerunt duo pulcherrima malogranata in horto Sponsi, plena carbunculis virtutum, sed absconditis, & clausis, serra, & fustes illa poma aperuerunt, sic carbunculi Apostolicarum virtutum radiarunt. Malogranata, Natura pulchrâ decoravit coronâ Simonem & Judam, Gratia coronâ martyrii exornavit.

Nostrum est, 1. Gloriosis his Apostolis ex animo aggratulari; nostrum est lætus vocibus illis accinere, ô novi Machabæi! ô fortes Duces! ô strenui pugiles! ô Evangelii propugnatores! ô leones! ô Agni! ô columbæ! ô botri! ô pulchra poma! ô coronati Martyres, ô gloriosi Apostoli salvete, & in cœlis in Duce vestro æternùm perennate. Nostrum est 2. Deum in illis laudare, nostrum est accinere ex Psalmis: Magnus, mirabilis, gloriosus, Sanctus DEUS in Sanctis suis, Magnus in Simone, Magnus in Juda. Nostrum est 3. illos imitari, id est, & nos esse debemus æmulatores gloriæ Dei, & nos cœlesti gratia confortati sub Crucis vexillo, contra hostes nostros generosè decertare. Venamur magnam prædam, animis intenti cœlestem gloriam sectamur, simus similes leonibus, & catuli leonum in venatione nostra: cogitemus Sanctos Apostolos Simonem & Judam, de cœlo nobis acclamare, confortamini, viriliter agite, date animas, & eritis nobiscum in cœlis gloriosi.

§. 8. *Fuerunt duo radii, duæ faces, duo adamantes.* Alterum encomium desumpsi ex S. Bonaventura & S. Laurentio Justiniano serm. de Simone & Juda; ab his enim vocantur duo radii, duo luminaria, duæ stellæ, duæ faces, duo ignei & lucidi adamantes. De Sanctis Apostolis universis ait S. Bonaventura; *Rex Regum per mundum dispersit Apostolos, ut sicut Sol in radiis apparet, sicut rosa in odoribus sentitur, sicut ignis in scintillis suis aspicitur, sic illorum virtutibus Christi potentia agnoscitur*, ex quo loco hæc pro Simone, & Juda formo encomia. Fuerunt in Ægypto, in Perside duæ pulcherrimæ rosæ, candidæ ob vitæ innocentiam, purpureæ ob sanguinis effusionem, quarum fragrantia illas barbaras nationes implevit bono odore Christi. Fuerunt duo radii, in quibus inter errorum nebulas, & idololatriæ densas tenebras, cæcis populis Sol Christus apparuit, fuerunt scintillæ in quibus Ægyptii, & Persæ ignem magnum conspexerunt. De Juda ait S. Bonaventura, propter quod cum Algarus Rex vidisset Thadæum scilicet Judam, cum vidisset in ejus vultu quendam nimium splendorem mirificè radiantem, adorans Deum, dixit, *verè Discipulus Christi JESU Filii Dei vivi.* Illi radii, istæ faces in facie, signum fuerunt ignis, qui ardebat in illorum cordibus, illius nimirum ignis, quem Christus D. venit mittere in terras. Luc. 12. v. 49.

§. 9. *Illuminarunt gentiles.* Ab illo igne, ab istis Apostolicis radiis decidêre scintillæ, quibus infidelium quoque corda fuerunt illuminata, & accensa, ideo Justinianus, postquam Simonem, & Judam vocavit igneos adamantes, addit, *concipimus ex his operandi constantiam, spei robur, amoris igniculum*; O gloriosi Apostoli, ô lucidi radii, ô faces cœlestes, ô flammeæ *Apostrophe ad Apostolos.* luces, nos glacie rigescimus, nos tepidas nimis

nimis amoris favillas sub cinere mortalitatis nostræ nutrimus, ecce corda nostra, eja igneis percutite adamantibus, eja spargite scintillas, illuminate radiis, vestris collustrate ignibus, accendite flammis divini illius amoris, vestris ardoribus nostros languores excitate, ut aliquando vobiscum, tanquam fulgidissimæ amoris divini lampades, in æternitatis templo mereamur suspendi: Jam verò stellas eosdem voco, non sine peculiari mysterio.

§.10. *Fuerunt duæ stellæ.* Antea insinuavi Persas adorasse Solem & Lunam, ad radios tamen horum siderum hærebant densissimis consepulti tenebris, quoad hora illuxit, à divina providentia ante sæcula constituta, quâ Persis oriri debuit verus Sol Justitiæ. Sed ut orienti soli prælucet stella matutina, sic Soli Justitiæ in Ægypto & Persia exorienti, pulcherrimæ duæ stellæ Simon & Judas, candidis radiis Evangelicæ doctrinæ, & nobilissimarum virtutum luce præluxerunt, ut nunc *fulgeat quasi splendor firmamenti, & quasi stella in perpetuas æternitates.* Dan. 12. vers. 3. Claudo hoc alterum Encomium Justiniani verbis: *Ipsos nobis Christus tanquã duo perlucida luminaria exposuit, pro suffragio, exemplo, & gaudio.* Quib⁹ verbis Justinianus partim laudat Apostolos, partim ad gaudium spirituale mentis, & imitationem (de quibus supra) nos provocat, ut & nos simus radii, in quibus Sol Christus appareat, ut simus rosæ, in quarum odoribus sentiatur Christus, ut scintillæ, in quibus ignis divini amoris conspiciatur, ut ignei adamantes, evibrantes scintillas, & flammas divinæ charitatis.


§.11. *Exorta tempestas sub martyrio.* Antequam ab hoc puncto discedam, hi Apostolici radii, & ignes in memoriam mihi revocant id, quod in illorum vita narrat P. Ribadineira. Dum Simon serrâ secaretur, dum Judas fustibus percuteretur, serenum & innube erat cœlum, sed protinus nubibus fuit involutum, ex quibus emissa tonitrua, fulgura & fulmina, idola, templa & sacrificulos Deorum disjecerunt. O sancti Apostoli! stat etiamnum in Ægypto, in Persia idololatria; agite vestris radiis & ignibus immane monstrum, tandem de cœlo fulminate, & in mille frusta comminuite. O gloriosi Apostoli, alibi stat Babylonica meretrix, infamis hæresis, eja de cœlo super bestiæ triceps caput fulmina ejaculamini. Multis in locis stat impietas, stant scelerum & vitiorum idola, utinam vestris tacta radiis & fulminibus funditus corruant.

§.12. *Fuerunt duo lilia.* Sed nunc tertium, quod D. August. mihi suggerit, encomium aggredior ser. 19. qui est de S. Joanne Baptista. *Sancti quasi lilia sunt suavissimi odoris, boni & candoris eximii, Candorem quidem habentes ex puritate, odorem ex suavitate, sicut Apostolus ait, quia Christi bonus odor sumus. Hæc lilia in Ecclesia, mutuâ sibi pace & charitate conjuncta, coronam Christo candidam contexuerunt, secundùm illud Apost. quo ait, Sanctos coronam esse, dicens: fratres, gaudium meum & corona mea, sic state in Domino.* Conveniunt hæc omnia sanctis Apostolis Simoni & Judæ, sed præcipuè illa verba, *lilia mutuâ sibi pace & charitate conjuncta.* Pulchri flores in florido serto, serico vel aureo colligantur filo, corda amantium aureo funiculo charitatis.

tis. Aureus hic funiculus corda duorum Apostolorum adeò conjunxit, ut in morte non sint separati, sed eodem die pro Christo sanguinem fuderint. Hoc dilectionis vinculo & nos mutuò colligari oportet, Auditores, ut in pulcherrimo cœlestis Sponsi serto, quod Electorum, præcipuè Martyrum corda, veluti flores contexunt, candida simus lilia.

§. 13. *Ut in illis Deus laudetur.*

Finio Concionem illis verbis, quibus Judas Apostolus Epistolam suam finiit: *Ei autem, qui potens est, vos conservare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ, immaculatos in exultatione, in Adventu Domini nostri JESU CHRISTI, soli Deo, Salvatori nostro, per JESUM Christum Dominum nostrum, gloria & magnificentia, imperium & potestas, ante omne sæculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum, Amen.*



CONCIO LXXXVI.

FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Matth. 5. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de excellentia, & magnitudine mercedis, quæ Beatis datur in cœlo.

§. 1. *Moyses misit exploratores terræ sanctæ.*

§. 2. *Applicatio ad Beatam Jerosolymam.*

§. 3. *Nemo in hac vita ejus magnitudinem potest comprehendere.*

§. 4. *Inspexit Regius Psaltes Ps. 15.*

§. 5. *Explicatur ille locus ex Hug. de S. Victore.*

§. 6. *Perfectio, & æternitas cœlestis gloriæ.*

§. 7. *Ejus descriptio ex Boëtio.*

§. 8. *Verba Christi. Intra in gaudium Domini tui.*

§. 9. *Omne gaudium est in cœlis.*

§. 10. *Quare vocetur gaudium Domini.*

§. 11. *Erimus in illo illi similes.*

§. 12. *Apostrophe ad Sanctos, ut benedicant Dominum.*

§. 13. *Dis-*

§ 1. *Moyses misit exploratores terræ sanctæ.*

NUmerorum 13. v. 3. locutus est Dominus ad Moysen dicens. *Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israël.* Electi sunt in illum finē de singulis tribubus viri principes, qui omni regione circuita, post dies quadraginta reversi sunt ad populum, & dixerunt v. 28 *Venimus in terrā, ad quam misistis nos, quæ revera fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognosci potest.* Attulerunt autem palmitem cum uva sua, quam portaverunt in vecti duo viri, de malis quoque granatis, & de ficis loci illius. Josue & Caleb hæc addiderunt. c. 14. v. 8. *Terra, quam circuivimus, valde bona est, si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem.* Similis terræ fit mentio in hodierno Evangelio. *Beati mites, quoniam possidebunt terram,* scilicet illam, quæ in sacris literis vocatur *terra desiderabilis, terra benedictionis, terra viventiū,* in qua Electi Dei, omnes Sancti, quorum memoriam hodie celebramus, Deum æternùm laudant.

§.2. *Applicatio ad B. Ierosolymam.*

A biduo, Auditores, cogitationibus meis fui explorator hujus terræ, & dicere vobis possum, revera fluit lacte & melle, defero mecum dulcissimas uvas, melleas ficus, pulcherrima malogranata, id est, suavissimas considerationes de Beatorum gloria, ex sacris literis, ex quibus cognoscere poteritis, qualis sit illa terra. O Auditores! reverà, valde bona est, si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam. Præcesserunt tot myriades Sanctorum, præcesserunt Patriarchæ, Prophetæ, Apost. Præcesserunt tot sancti Martyres, Confessores, Virgines, omnium memoriam hodierna luce solenniter celebrat Ecclesia; si propitius fuerit nobis Salvator noster, sequemur, & tradet nobis humum melle & lacte manantem. Inter alia dicere vobis possum, verissimum esse illud Christi D. in hodierno Evangelio: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Itaque hac vos Concione, in illorum bonorum partem deducam, & considerationem proponam, quæ regiam ad cœlum viam, quasi digito piis solet indicare mortalibus.

§ 3. *Nemo in hac vita ejus magnitudinē potest cōprehendere.*

Scio verum esse illud S. Augustini l. de Spiritu & anima c. 3. *Nemo in hac vita dignè pensare potest, quanta sit illa felicitas, Deum facie ad faciem videre, quanta suavitas, melos Angelorum audire, quanta jucunditas, omnium Sanctorum Societatem habere.* Scio magnam esse multitudinem dulcedinis illius gloriæ, sed in hac vita *illam abscondit timentibus se.* Ps. 30. v. 20. Scio, nemini in hac vita per-

permissum esse, civitatem illam auream, formosam Jerusalem, Electorum domum & habitationum ita introspicere, ut quanta illorum sit gloria, videat, & penetret, bonus tamen Deus, in aureis & gemmeis illis muris vel portis, rimas aliquas reliquit, per quas magni Sancti & amici Dei, in hac lachrymarũ valle, quasi umbram illius gloriæ conspexerunt. Introspexit per talem ruinam regius Psaltes, & dixit, Ps. 15. v. 10. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usq; in finẽ.* Vult David dicere, Electos in cœlo, ob visionem beatificam, esse plenos gaudio, nam emphasis latet in ly *adimplebis*. S. Augustinus hanc voculam sic explicat. *Adimplebit in cœlo lætitiâ Sanctos suos, ut ultra non quærant aliud*, id est, in æternum, de alia vel majori delectatione, & felicitate non cogitabunt. Sanctus Hieronymus sic explicat. *Adimplebis me lætitiâ, sive Sancti adimpleti sunt lætitia, quia tunc erit plena lætitia, ubi erit DEUS omnia in omnibus.* Deus suâ gloriâ, & gaudio Electorum mentes quasi penetrabit, quod fiet cum plena & adæquata lætitiâ, in qua Sancti aliud non desiderabunt.

Sunt tamen rimæ ex S. Scriptura, per quas licet inspicere.

§. 4. *Inspexit Reg. Psalt. Ps. 15.*

§. 5. *Explicatur ille locus ex Hug. de S. Victore.*

Optimè Hugo de sancto Victore lib. sent. cap. 5. *Adimplebis lætitia cum vultu tuo, quia in hac vita possumus aliquando lætari, sed impleri lætitia non possumus, quia etsi quædam sunt, quæ lætificant, plura sunt, quæ contristant.* In cœlo nihil est, quod vel in minimo Sanctum possit affligere, vel contristari, quia potius omnia illum oblectabunt, ex omnibus plenitudinem gloriæ derivabit. S. Bernardus serm. de tripl. gen. hom. *Beatitudo (vel adimpletio gaudii) est, ut nihil sit, quod nolis, & ubi totum sit quod velis.*

§. 6. *Perfectio & æternitas cœlestis gloriæ.*

Ut Regius Psaltes illam gloriam augeat, citato loco addit: *usque in finem*. Cassiodorus. *Ut simul significet perfectionem, & æternitatem illarum delectationum, quæ nullis erunt temporibus finiendæ.* Hugo de S. Vict. lib. de sent. c. 26. *In temporalibus bonis, delectationes quædam sunt, sed non usque in finem, quia in hac vita semper gaudium nostrum sequitur dolor, & omnis delectatio amaro fine terminatur: in dextera autem Dei delectationes usque in finem, quia in vita æterna, nec gaudia in mœrorem, nec delectationes in dolorem mutari possunt.* Sed de gaudiorum æternitate alibi ago, redeo ad plenitudinem.

§. 7. *Ejus descriptio ex Boëtio.*

Boëtio l. 3. de consol. phil. prosâ 2. *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Iterum S. August. ait. *Quidquid delectat, ibi est, omnes videlicet divitiæ, omnis requies, omne solatium; quid enim deesse potest, ubi Deus est? cui nihil deest. Omnes ibi amant DEUM; & in hac dilectione requiescunt, pleno Deo, adhærentes semper beatitudini.* Pleni DEO, ideo pleni dulcedine, pleni DEO, ideo pleni lætitiâ, & gaudio. Verbis mysterio plenis hæc expressit Christus Salvator noster notissimis illis verbis apud S. Matth. c. 25. v. 21. *Intra in gaudium Domini tui.* Observandum est in primis, quare cœlestis Magister utatur verbo, *Intra*, & hoc modo, non enim ait, intret in te gaudium Domini tui, sicut dicendum nobis videtur, gaudium enim est in homine, non homo in gaudio. Sed dicit *intra*, ut exprimat

§. 8. *Verba Christi, Intra in gaudium Domini tui.*

mat immensitatem & plenitudinem illius gaudii; non enim nos illud capimus, vel comprehendimus, vel intra nos concludimus; sed potius illud nos capit, & quasi in se solvit, sicut, qui in abyssum maris dejicitur, in illo submergitur: pari ratione beatus intrat pelagus gloriæ. Atque adeo beatitudinem imaginari nobis debemus, velut oceanum quendam, immensum, & infinitum, cujus nec principium, nec finis est, in hoc mari, quasi submersi sunt beati, ita tamen ut æternùm vivant felices, gloriosi, triumphantes.

§. 9. *Omne gaudium est in cœlis.* Meministisne sententiæ Job, cap. 20. v. 22. quâ proximè usus sum ad demonstrandam magnitudinem pœnarum inferni. *Omnis dolor irruet in eos*, id est, quidquid illos affligere poterit, erit ibi, quidquid poterit affligere memoriam, erit ibi, &c. Contra omne gaudium irruet in beatos; erit ibi, quidquid oblectare poterit. In memoria gaudium, in intellectu lætitia, &c. Omne gaudium.

§. 10. *Quare vocetur gaudium Domini.* Observanda deinde sunt illi verba Christi, *in gaudium Domini*, id est, gaudium Dei, non dicit, intra in gaudium mundi, vel gaudium, quod prætare possunt divitiæ, vel honores, vel voluptates, hæc gaudia sunt mel, sed mixtum felle, sunt rosa cum spinis. Inter has rosas, in hoc melle, plerumque plus latet tristitiæ, quàm lætitiæ. Tale mel, tale fel, tales rosæ, tales spinæ, & aculei longè exulant è cœlo. Gaudium Dei ibi est, hoc est, ipsummet gaudium, quo Deus gaudet, & beatus est, per eminentem, & sublimem quandam participationem, nam sicut Deus beatus est, quia seipsum clarè videt; sic & nos beati erimus, quia clarè, ac manifestè ipsum videbimus, sicuti est.

§. 11. *Erimus in illo illi similes.* Quod ingenti cordis hilaritate videtur exprimere voluisse S. Joannes Ep. 1. c. 3. v. 2. *Charissimi, nunc filii Dei sumus; & nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Similes ei erimus, in gaudio Dei, in Deo nulla potest esse tristitia, in Deo est plenitudo gaudii; & quia est gaudium per essentiam, ideo sicut impossibile est, Deum non esse Deum, sic est impossibile, ut gaudium Dei deficiat, sed eâdem necessitate æternùm gaudet, & cùm apparuerit nobis, similes ei erimus, gaudebimus plenè, & gaudebimus necessariò, & gaudebimus æternùm.

§. 12. *Apostr. ad SS. ut benedicant Domino.* Ut meritò ad Beatos cum Davide dicere possim ex Ps. 102. v. 1. *Benedicite Domino.* O S. Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli, benedicite Domino, ô SS. Martyres & Confessores, benedicite Domino, *Et omnia, quæ intra vos sunt, nomini sancto ejus*, laudate, benedicite, superexaltate, magnificate Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, *quia replet in bonis desideria vestra.* Benedicite illum, qui bonis cumulat cœlestibus memorias vestras; illum, qui serenissimo, & nunquam deficienti lumine suo plùs quàm mille solibus intellectus vestros illuminat, illum, qui voluntates vestras jucundissimis accendit amoribus, illum, qui oculos vestros divinissimo in omne ævû spectaculo recreat, qui aures suavissimis harmoniæ Angelicæ concentibus titillat, qui linguas melle dulcedinis cœlestis, & æternæ beatitudinis mannâ delectat. Illum benedicite, qui liquidissi-

mum vobis nectar, & ambrosiam propinat, qui odoribus vitæ cœlestis vos pascit. Illum benedicite Dominum, qui omnes mundi thesauros in vos liberalissimè confert, qui auro atque argento, qui gemmis atque unionibus exornat, qui quidquid humani cordis desideria sperare possunt, vel aspirare, venustum, amabile, honestum, gloriosum, ter illustre, in vestras delicias desiderari, & peti non patitur. Et de quo gaudio hujus mundi dici potest, quod repleat, quod omnibus desideriis satisfaciat? de nullo, solum gaudium, quo Deus & beati fruuntur, talia prædicari potest.

§. 13. *Differentia inter gaudia cœli & hujus mundi.* Alio si nili dicta declarat David Psal. 35. v. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ.* O diversitatem inter gaudia cœli, & mundi! potat mundus lacte & melle, sed omnes illius voluptates, guttæ tantum sunt, & adhuc non sine felle Voluptas cœli fons est, fluvius est, mare est, & totum melleum voluptatum hujus mundi, symbolum est flavescens vinum, quod suis in aurato scypho propinat Babylonica meretrix, sed advertite mysterium, omne illud vinum conclusum est in parvo calice. Apoc. 17. v. 4. *Et mulier erat circumdata purpurâ, habens poculum aureum in manu sua.* Voluptas cœli, non aureo scypho, sed nec terminis maris, vel fontis circumscribitur, est fons, est torrens, est mare sine principio & fine. Circumscribi non potest.

§. 14. *Tribulationes hujus mundi sunt calix* Pari ratione adversitates, & afflictiones hujus mundi in sacris literis vocantur calix & aqua, sed & hæ sunt guttæ Apoc. 7. v. 4. Septem Angeli effundunt iram Dei super terram, vulnera, sanguineas pluvias, pestem, ignes, tenebras, terribiles voces, fulgura, tonitrua, terræ motus: sed omnia hæc conclusa fuerunt intra parvas phialas: in hac vita modicum est, quidquid patimur. In inferno super damnatos ira Dei effunditur, non phialis, sed instar torrentis, instar pluviæ, pluet super peccatores laqueos. Contrà super Beatos in cœlis effundetur suavitas, & dulcedo Dei, nec hæc scyphis, vel phialis, sed fonte & torrente voluptatis. *Gaudia cœli torrens.* O infinitam Dei bonitatem! labores quoque, lachrymas, cruces, spinas in hac vita justis propinat, sed parvo vasculo, Matt. 20. v. 22. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Ps. 99. v. 6. *Potum dabis nobis in lachrymis in mensura*, cœlestis verò gloria Beatorum non calici comparatur, sed flumini & torrenti, qui plerumque superabundat aquis. Cœli voluptatem subinde in hac vita suis præbet degustandam.

§. 15. *Quo eximii Sancti etiam in hac vita fuerunt inebriati.* Gustavit Seraphicus Franciscus, cùm dies & noctes nil aliud dixit, quàm *Deus meus, & omnia!* Gustavit S. Xaverius, cùm præ abundantia, & ubertate dulcedinis cordis suspiravit. *Satis est Domine, satis est*, gustavit S. Ignatius, cùm identidem has voces cum lachrymis ingeminavit. *Quàm sordet mihi terra, cùm cœlum aspicio*, sed omnes hæ deliciæ, in hac vita, guttæ tantùm sunt; Sanctorum illorum corda velut aurea vasa capacia illius voluptatis. In cœlo Deus Beatos inebriat, non guttis, sed torrente, sed mari gaudiorum.

§. 16. *Æternitas cœlestis gloriæ.* Plenitudini, & magnitudini gaudii plerumque adjungitur ejus longitudo & æternitas, ut ante insinuavi, & ideo citato

tato etiam versu additur: *quoniam apud te est fons vitæ*, & in Apoc. c. 7. v. 17. dicitur, *Agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum*. Græca lectio habet, *ad viventes fontes aquarum*. Quidam fontes sunt qui non semper scaturiunt, sed certis temporibus deficiunt, hi non sunt fontes vivi, sed illi, qui semper novis aquis ebulliunt. Prioris fontis rivi sunt gaudia hujus mundi, facilè deficiunt, mox terminantur. Gaudia cœli sunt fons vivus, qui in omnem æternitatem non deficiet. S. Bern. ser. de fallac. præs. vitæ *Flumen* (vel fons) *est cœlestis gloria, sed quod affluat, non quod fluat & effluat; flumen vocatur, non quod transeat, vel pertranseat, sed quod abundet.* Uno vel altero emblemate rem expono.

§. 17. *Emblema* Et inprimis occurrit mihi fons ille, quem in suis de Deipara symbolis Masenius noster, manantem in terra inculta, locisque silvestribus describit cum lemmate, *Purus ab impura.* Quod etsi ille quidem ad intaminatæ Virginis laudes eruditè transferat, ego tamen ita gloriæ cœlesti, quâ Beati Cœlites æternum fruuntur, applicatum volo, ut ab impura terra, terrenisq; concupiscentiis fortiter calcatis, post immunda mundi hujus gaudia contempta, ad fontem purum, limpidum, crystallinum, fontem divinę gloriæ nos deducendos cogitemus.

§. 18. *Aliud.* Huic alterum adjungere placet emblema. Duos nimirum illos fontes, quos Mela refert in Insulis fortunatis scaturire, ex quorum altero qui gustat, risu in mortem solvitur, nisi ex altero mox puriorem aquam, & cum aqua salutem hauriat. Priori hoc apponit lemma: *Hinc tibi fata cave.* Posteriori hanc epigraphem: *Vita sed inde fluit.* En terrestris, simul ac cœlestis gaudii, gloriæq; expressam duobus hisce in fontibus imaginem. Mundana voluptas ad risum te invitat, allicit ad cachinnos, sed hinc tibi fata cave. Purior ille fluit, & pulchrior, cujus aquis nihil cum morbis, nihil cum doloribus, nihil cum morte commune esse potest. Et ejusmodi fons est sola, quâ Beati in cœlis fruuntur voluptas.

Non patitur tempus, me cœlestis gloriæ copiam, & plenitudinem ex pluribus locis S. Scripturæ declarare, potuissem enim illud proferre ex Is. 32. v. 18. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Potuissem allegare ex c. 3. v. 24. Baruch. *O Israël, quàm magna est domus Dei, & ingens locus Possessionis ejus, magna est, & non habet finem.* Sed finio, & ex dictis concludo cum S. Augustino serm. 7. de verbis secundùm Matth. *Hinc videndum est, quomodo amanda sit vita æterna: etenim amatur qualiscunq; vita, & ipsam vitam ærumnosam, & miseram homines finire timent, & pavescũt, hinc videndum quemadmodum amanda vita æterna. Disce ergo quærere vitam æternam, ubi in æternum cum Deo regnabis.* Hæc moneo, quia de multis dici potest illud S. Bernardi, *Hostis offert pomum, & subripit paradisum.* §. 19. *Quantum nobis amanda sit æterna patria.*

Momentaneam offert tibi voluptatem, Venus; sed ut eodē pacto æternis, quæ sperare poteras, gaudiis te privet. Quid agis mi Christiane? admittis inanis hujus mundi blanditias? jam contemnis æternas. Ad paludem hujus Ægypti te inclinas sitibundus? jam aquas salien- §. 20. *Inv. Eliva in illos qui ea lucapræsenti æternis.*

tes.

tes in vitam æternam, jam fontes illos perennis gloriæ negligis. Desideras carnis voluptates; jam spernis cœli delicias. Avidam extendis dexteram ad pomũ, quo te donare gestit, non amicorum aliquis, sed inimicus salutis æternæ! O te miserum! pro pomo perdis paradisum. Hæc nimirum hostis est nostri astutia, hæc versipellis fallacia, ut caducis illis bonis, ac momentaneis (si tamen bona dicenda sunt voluptates illæ, quæ miseras animas in æternam perniciem conjiciunt) ita oculis alludat nostris, ut cœlestia vel non videamus, vel per contemptum, quæ palmaris est infelicitas dicam, an stultitia? negligamus.



EXHORTATIO.

IN COMMEMORATIONE ANIMARUM.

Requiem æternam dona eis Domine.

Ex Hymno Ecclesiastico.

Synopsis Concionis.

PRoponit aliqua efficacia remedia, quibus piis animabus in tormentis solatio, & auxilio esse possumus.

§. 1. *Magnitudo tormentorum in Purgatorio movere nos debet ad compassionem erga pias animas.*

§. 2. *Anima ex Purgatorio monet Concionatorem, ut ferventer dicat.*

§. 3. *Efficacissimum medium est Sacrificium Missæ.*

§. 4. *Anima ex Purgatorio à B. Henrico Susone petit Sanguinem Christi.*

§. 5. *Applicatio.*

§. 6. *Alia Historia.*

§. 7. *Efficax quoque medium est sacra Communio.*

§. 8. *Animæ ex purg. assistunt altari sub sacrificio Missæ.*

§. 9. *Aliud medium est Oratio, cum memoria sanguinis Christi.*

§. 10. *Historia.*

§. 11. *Charitas S. Theresiæ erga animas. Earum gratitudo.*

Si

§. 1. *Magnitudo tormentorum in purgatorio movere nos debet ad compassionem erga pias animas.*

SI verum est, ut nullus dubito, quod dicit S. Augustinus, nullum in hoc mundo esse dolorem vel tormentum, quod comparari possit dolori vel pœnæ animæ alicujus in purgatorio. Si verum est illud S. Gregorij, pœnam unius talis animæ, majorem esse, quàm fuerint omnia tormenta Martyrum: Si verum est, eundem ignem, qui torquet animas damnatas, urere animas pias in purgatorio; cum sint animæ sanctæ, æternum olim beatæ ac felices; cumque nulla ex illis sibi ipsi opem ferre possit, & forte ex illis sit, tibi, mihive propinquitatis vinculo conjuncta, forte Matris aut Patris, aut Fratris, Sororisve anima; cum præter hæc omnia fieri possit, ut placeat divinæ Justitiæ, talem animam à cœlo abesse, & in Purgatoriis flammis viginti vel triginta annis commorari, necessarium planè judico, ut ingentem fervorem, ac desiderium juvandi illas animas concipiamus; semper quidem, & per totius anni decursum, sed hoc potissimum die, qui ab Ecclesia ad hunc finem peculiariter est institutus. Itaque quid præcipuè à vobis in animarum illarum gratiam requiram, quid in illarum solatium à vobis exigam, paucissimis vobis indicare constitui.

§. 2. *Anima ex purgatorio, monet Concionatorem ut ferventer dicat.*

Referunt Chronica Patrum Prædicatorum; celebrem ex illo Ordine Concionatorem, pridie hodierni festi fuisse aliquando sollicitum, quid sequenti die Auditoribus suis de animabus in purgatorio proponeret. In illis cogitationibus apparuit illi anima fratris alicujus defuncti, quem bene noverat, hæc retulit, se missam ab aliis animabus, omniumque nomine rogare, ut ferventer de materia hac ad populum diceret. Nulla quidem mihi anima apparuit Auditores, tamen quia mihi videor videre illos ignes, illos lacus ardentes, illum atrocium pœnarum carcerem, in quo Dei amici tantisper, dum contracta debita dissolverint, detinentur, dum afflictos fidelium animarum vultus mihi videor intueri, ah utinam! ferventer vos movere possem, ut bonis illis animabus in flammis succurratis. Si vultis, facilè potestis, in promptu sunt media.

§. 3. *Efficacissimum medium est sacrificium Missæ.*

Primum & efficacissimum est sacrificium Missæ, vel ut illud à Sacerdote offertur, vel prout à Laico, qui Sacerdos non est, devote auditur. Causa est. In tremenda hac oblatione offertur idem ille divinus Sanguis, quem Filius Dei in ara Crucis effudit, & obtulit. Animæ verò illæ magis refrigerari non possunt, quàm ab hoc sanguine. Imo Deo sic volente, multæ animæ in purgatorio ardent, quæ liberari non possunt, nisi sacrificio Missæ,

§. 4. *Anima ex purgatorio à B. Henrico Susone petit Sanguinem Christi.*

B. Henricus Suso ex Ord. Prædic. promiserat uni ex fratribus, post obitum se lecturum duo sacra. Mortuo fratre, Suso, ut fit, promissi obliviscitur, preces quidem aliquo tempore persolvit quotidie, sed Missæ sacrificia pollicita non obtulit. Adest ergo anima defuncti spectandam se præbet Henrico, conqueritur illum non servari promissum, sed interim se flammis illis purgantibus dirum in modum excruciari. Hic Suso prætendere, se quotidie pro ea solitas preces effundere, cui mox anima: *O frater*, ajebat, *Sanguine est opus, qui extinguat ignem, quem patior. Oratio tua*

bona est, sed non sufficit, nisi accedat Sanguis JESU Christi, qui offertur in Missa. Suso mox magnâ devotione legit sacrum, animaque rursum, sed gloriosa apparens, gratias egit, quam maximas.

§. 5. *Applicatio.* Ah Auditores, non dubito, orâstis sæpè pro animabus defunctis; forte dedistis eleemosynas, forte alia opera virtutum, & mortificationis obtulistis; interim tamen fieri potest, ut DEO volente, aliquæ adhuc patiantur, urantur; quid medij? Sanguine Agni est opus, qui in altari offertur, nisi hunc offeratis, forte illæ animæ, quas amatis, illæ parentum suavissimorum animæ, illæ animæ fratrum, sororumq;, illæ animæ vicinorum, intimorum, charissimorum adhuc viginti annis medias inter flammas ardentes versabuntur.

§. 6. *Alia historia.* Parisiis aliquando obiit religiosus quidam, nomine Angelus, cum tantâ æstimatione sanctitatis, ut quidam ex fratribus omiserit legere tria sacra, ad quæ vi legum tenebatur. O quàm diversa sunt judicia DEI à judiciis hominum! frater ille damnatus fuit ad purgatorium. Post aliquod tempus, permittente DEO, apparuit fratri suo cum lachrymabili voce; *Ah frater miserere mei!* cum alter quæreret, quid peteret, respondit, *tria sacra, quæ mihi debes; jam dudum essem in cœlo extra flammas, si illa pro me obtulisses, Ah si scires, quanam tormenta patiar! O si nossent homines, quomodo DEUS in altera vita puniat, non tantùm in inferno, sed etiam in purgatorio*, his dictis disparuit. Ah Auditores, non dubitate, ardent animæ in purgatorio, quæ lachrymabili voce ad vos clamant, *Miseremini mei*, Job. 19. v. 21. Scite vultis, quid petant! sacra, Missas, per illas Sanguinem Christi, & fortassis multæ ex illis sunt, quæ aliter liberari non possent, nisi per sacrificium Missæ.

§. 7. *Efficax quoque mediũ est sacra Communio.* Ejusdem Sanguinis Christi peculiariter participes reddimur in Communione sacrosanctâ. Comedimus enim in illa Carnem, & bibimus Sanguinem Christi, sed ita, ut guttas aliquas, vel ex sudore sanguineo, vel flagellatione cruentâ, vel ex SS. Vulnere dexteræ manus, aut sinistræ, vel lateris benedicti injicere possimus purgatorio, ideo Communio quoque est efficacissimum medium, illarum animarum saluti conducens. Magdalena de Pazis vidit aliquando animam ex purgatorio coram venerabili Sacramento, in veste interiori candidâ, sed pallium totum erat igneum, forte in pœnâ defectuũ, quos comiserat, vel tepidè nimis, vel absque sufficienti præparatione ad sacram Synaxin accedendo. Sed visio hæc in aliam me cogitationem adducit.

§. 8. *Animæ ex purg. assistunt altari sub sacrificio Missæ.* Puto dum nos astamus sanctissimo Sacramento, dum audimus sacra, dum communicamus, dum SS. Hostiam adoramus, simul DEO volente adesse animas ex purgatorio, sed inter ignes! & inter illos ignes nobis sunt supplices, ut quia ipsæ se juvare non possunt, nos juvamus per oblationem sanctissimi hujus Sacramenti. Franciscus de Puero JESU, in exercitiis bonorum operum dicere solebat. *O mi JESU, cupio hoc opere eripere animam è purgatorio*, quæso idem faciamus in omnibus operibus, sed præcipuè dum sacro missæ officio

officio interſumus, præcipuè dum ſacro Euchariſtiæ epulo reficimur, præcipuè dum Sacroſancta in miſſa elevatur Hoſtia, O JESU per tuum ego te infinitum amorem, quem in hoc diviniſſimo Altaris Sacramento nobis exhibes, oro atque obteſtor, miſerere animarum, pro quibus pretioſum Sanguinem in ara Crucis fundere non dubitaſti. Eja JESU, ſint tibi animæ meæ Matris, Patris, fratrumque, ſi forte purgatorio illo carcere detinentur, commendatæ. Potiſſimum tamen, & præ aliis hanc N. tibi, tuæque divinæ Clementiæ commendo, pro hac fundo preces, mitto ſuſpiria, ſacrum offero Miſſæ ſacrificium, pro hac myſterium illud cruentum olim, nunc incruentum offero; pro hac ſacram tui Corporis, & Sanguinis tui commmunionem percipio. Eja Jeſu miſerere animæ, quam pretioſo Sanguine redemiſti. Hic modus Aud. animabus in purgatorio eſt utiliſſimus.


§. 9. *Aliud medium eſt Oratio cum memoria Sanguinis Chriſti.* Quia verò non ſemper poſſumus intereſſe Sacris, vel aſſiſtere ſanctiſſimo Sacramento Altaris, vel quotidie communicare, alius eſt modus, peculiariter illas animas participes facere poſſumus pretioſi Sanguinis Chriſti, & eſt oratio, quæ offertur cum peculiari memoriâ effuſionum Sanguinis CHRISTI; parvam legi heri devotionem in parvo foliolo, cujus hic eſt titulus, *Fontes quinque Salvatoris aperti pro refrigerio Animarum in purgatorio.* *Quinque fontes Salvatoris aperti pro refrigerio Animarum.* Primus oritur in horto Gethſemani; canales ſunt oculi CHRISTI D. frons, genæ, collum, pectus, humeri, pedes, atque adeo omnia Salvatoris membra, quibus Sanguinem ſudat. Ah Auditores, ardent animæ in purgatorio, haurite ex hoc fonte guttas Sanguinis, & injicite purgatorio; ſic ſuſpirate: Mi JESU, ſanguineo tuo ſudore refrigera animas in flammis. Alter fons ſalit ad columnam, tertius inter ſpinas ex benedicto capite, quartus ex renovatis Vulneribus, ob detractionem veſtium, quintum fontem aperuerunt clavi, & lancea, in pedibus, manibus, & corde Chriſti. Ab his, & non aliis fontibus ſcaturit aqua vitæ, & refrigerii pro animabus in purgatorio. O rivuli divini! ô amoris fluenta cœleſtis! ardent divinæ Juſtitiæ faces, deſæviunt in purgantibus flammis pœnarum incendia, jacent mediis in ignibus conſepulti parentes noſtri, fratres noſtri, ſorores noſtræ, &c. quid agimus? ubi noſtra in parentes debita pietas? ubi in fratres amor? in ſorores affectus? in amicos charitas? Salvete limpidiſſimi Salvatoris mei fontes! ſalvete purpurei amoris rivuli! ſalve apertum JESU pectus, unâ, unâ opus eſt guttâ, ah demiſiſſimè obſecro, guttula parentis mei animam refrigeret.

§. 10. *Hiſtoria.* Tempus effluxit, vela contraho, Ludovicus Rex Germanorum diſceſſerat aliquot diebus in ſolitudinem, ut ſoli animæ vacaret; in ferventi oratione apparuit illi anima defuncti parentis cum hac voce. *Adjuro te in nomine DOMINI noſtri JESU Chriſti, libera me à tormentis, quæ hic patior, ut demum poſt triginta annos hic conſumptos veniam ad cœlum.* Ah Auditores, ſunt ex amicis veſtris, ſunt ex conſanguineis, &c. qui ſimili vos ratione dies noctesque compellant, qui veſtram ardenter requirunt opem, veſtram effla-

efflagitant charitatem, vestra suffragia desiderât. O si vel uno eos momēto intueri liceret! videret alius quidē dulcissimā Matrē flamis undique circumdatam, exclamantem audiret, *ô fili, adjuro te, &c. libera me à tormentis, &c.* alius fortassis conspicaretur patrem, alius fratrem, &c. agedum si qua nobis pietas, quod nobis id temporis factum vellemus, modò exhibeamus aliis.

§ II. Charitas S. Theresiæ erga animas. Earum gratitudo.

B. Theresia, cùm divinitus intellexisset, ardere aliquam animam in purgatorio, quam amabat, obtulit DEO omnia sua bona opera, & vidit illā è tormentis evolare ad cœlum! A nobis pendet, Auditores, ut eodem ex iisdem flammis plures evolent. De animarum, quas liberamus, gratitudine, ne dubitemus. Contigit devotum animabus in itinere à tenebris deprehendi: Rem miram! repente vidit duas faces ante se, duas post se, quæ domum illum incolumem deduxerunt. Cum obstupesceret, audivit hanc vocem, *vade in pace, sumus animæ ex purgatorio, voluimus esse grata pro tuis orationibus, nec præluximus solùm, sed aliud infortunium impedivimus, fuit, qui ex insidiis te voluit occidere, sed in nostra præsentia non potuit, prodest tibi pro nobis orasse.* His dictis disparuerunt. Et ô quantâ putas lætitiâ affectus fuit ille Amicus animarum? certè profuit illi orasse pro defunctis, proderit & nobis, similem charitatem illis exhibere, præsertim in tenebris, & umbrâ mortis.



CONCIO LXXXVII.

FESTO PRÆSENTATIONIS B. VIRGINIS.

Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti,

Lucæ 11. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

De vita B. Virginis in templo transacta.

§. 1. *Pulchra Symbola templi, & B. Virginis.*
§. 2. *Conglobata illorum repetitio in laudem ejusdem vita in templo, de qua agis hac Concio.*
§. 3. *In B. Virgine fuit ingens ardor pij amoris.*

§. 4. Cella

§. 1. *Pulchra Symbola templi & B. Virginis.*

EXordium hujus Concionis mihi suggesserunt elegantia verba S. Joannis Damasceni l.4. de fide Orth. c.15. *Adducitur ad templum trimula Virgo, in domo Domini plantata, veluti Oliva fructifera.* Ex vocula hac *plantata*, suaves colligo consequentias, v.g. Virguncula futura Mater DEI plantata est in domo Domini, ergo templum fuit mons Libani, B. Virgo, Cedrus. Templum fuit mons Sion, B. Virgo Cypressus. Templum fuit desertum Cades, B. Virgo Palma. Templum fuit urbs Jericho, B. Virgo rosa. Plantata fuit in domo Domini, ergo templum fuit campus B. Virgo Oliva speciosa, templum fuit vinea Engaddi, B. Virgo Vitis. Templum fuit hortus conclusus, B. Virgo flosculus, templum fuit areola, B. Virgo lilium. Templum fuit vallis, B. Virgo lilium convallium. Templum fuit silva, B Virgo malus. Templum fuit Paradisus, B. Virgo, arbor vitæ. Templum fuit terra benedicta, B. Virgo fructus honoris & benedictionis. Templum ager benedictionis, B. Virgo spica.

§. 2. *Conglobata illorum repetitio in laudem ejusdem vita in templo, de qua agit hac Concio.*

Sed qualis spica? qualis fructus? qualis arbor? qualis pomus? quale lilium? qualis flosculus? qualis vitis? qualis Oliva? qualis rosa? qualis palma? qualis Cypressus? qualis Cedrus fuit Maria? respondebo, postquam paucis ostendero, qualem vitam in templo ipsos undecim annos traduxerit innocentissima Virgo. Dicam autem illa, quę in sanctis Patribus, & piis Auctoribus, in hac materia invenire potui exquisita. Unde in me solitâ cum benevolentiâ audiendo, pro eo, quo Beatissimam Virginem plerique vestrum complectuntur amore, non eritis credo difficiles.

§. 3. *In B. Virgine fuit ingens ardor pij amoris.*

Arbitror bene dixisse Sophronium ser. de Ass. B. V. *Puto, quod quidquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, si totum adhibeas, non sufficiat, ut cogitare valeas, quanto indesinenter cremabatur ardore pij amoris.* Hæc nonnihil immutare placet, & dicere licet, quidquid in nobis est mentis & ingenij, intendamus, non tamen comprehendere, non eloqui poterimus, quàm sanctam, quàm Angelicam vitam, Angelorum Regina in templo duxerit. Piis meditationibus illâ expenderunt SS. Patres, & miris encomiis illam extu-

extulerunt. Aliqua protulisse operæ precium judico.

§. 4. Cella B. Virginis fuit cœlum, ejus liber speculum. Taulerus ser. de nat. B. V, ait. *Cœlestis hujus, ac beatissimæ Virginis cella, fuit cœlum, in quo cum universis desideriis suis, tota inclusa fuit.* Speculum venustissimæ puellæ, fuit Divinitas & DEI infinita Majestas, nullas namque imagines, nisi in Deum transformatas, & indutas DEUM, in se recepit. Liber ejus fuit S. Scriptura, in quâ præcipuè loca de venturo Messia, v. g. illud Isaiæ. cap. 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet*, magnâ suavitate meditabatur. Cingulum fuit admirabilis puritas animæ, & corporis, cum continua mortificatione. Ornatus, devotio illius fuit, soli quippe homini interiori vacabat, Cibus ejus, ut faceret voluntatem patris, qui in cœlis est, Conversatio & colloquia de rebus sanctis. S Bonaventur. *Omnis sermo ejus ita gratiâ erat plenus, ut Deus cognosceretur in lingua ejus*, Cant. 4. v. 11. *Mel & lac sub lingua ejus. In ore Mariæ* (in spec. lect. 11.) *non fuit fel, & venenum, sed mel & lac Spiritus sancti.* Bustus ser. 5. de Nat. Virg. *Omnia verba Mariæ fuerunt sancta, & ædificatoria, unde eam loqui audientes poterant ei dicere illud Joannis, cap. 6. v. 69. &c. Verba vitæ æternæ habes.* Desideria B. Virg. amandi DEUM, & serviendi Deo, præsertim venturo Messiæ, tam fuerunt intensa, ut *sæpe* (S. Amadeus hom. 4. de Laud. B. V.) *oblita ejus, ac potus, spretâque carnali necessitate, noctes insomnes egerit, ut Christum mente cogitaret, Christum in carne videret, cujus ardebat desiderio, cujus flagrabat obsequio.*

§. 5. Ejus somnus & quies. Somnus, & quies Virg. fuit unio ipsius cum Deo, quandoquidem cordis illius thesaurus solus Deus erat. S. Damascenus ser. 1. de Nat. B. V. *Cor purum, ac labis expers, Deum cernens, ipsius cupiditate semper flagrans.* Sanctus Ambrosius. *Cum quiesceret corpus, vigilabat animus, ut sponsa, quæ dixit, Ego dormio, & cor meum vigilat.* Talis fuit Maria, & ejus vita in templo.

§. 6. Digressio ad Virgines. Dicite virgines, & Matronæ Moguntinæ; estne DEUS vestrum speculum, vel Christus Crucifixus, ut in illo videatis imagines sanctas? si amatis specula vanitatis, non estis cultrices B. Virginis. Dicite, quales in manibus vestris libri atque libelli versantur? an hi sacras preces, an ad Deum, Sanctosque suspiria, an sanctè vivendi ac moriendi methodum continent? si ita, Magnæ Matris ac Virginis cultrices vos pronuntiabo: Secus, si famosos, si venereos, si obscœnos vestris manibus teratis libellos, atque eos vel impuris oculis hauriatis, vel obscœnis modulis ac cantilenis proferatis. Dicite, qualia gestatis cingula? qualia capitis, qualia colli & manuum, aut pectoris ornamenta? nam si de ornatu corporis magis, quàm de animæ elegantiâ laboratis, non jam Mariã imitamini, non ejus estis clientes.

§. 7. Ejus modestia. De conversatione verò quid dicam? quid de modestia in incessu, quid de sermonibus atque colloquiis, Verbàne vitæ, an mortis manant ex ore vestro? lacte, an veneno fluunt linguæ? cœlumnè, an terram sapiunt sermones vestri? agite Virgines, hæc vobiscum discutite, & an in Deiparæ Virginis clientelam vel receptæ sitis, vel recipiendæ, cognoscite. Ocu-

§. 8. *Oculi B. Virginis instillarunt amorem Castitatis.* Oculorũ Virginis fuissem penè oblitus, cum tamen pulcherrimi hi fuerint, de quibus Gerson ait, in aspectantium animis ingenerasse castitatem, & amorem Virginitatis, quasi frigidus quidam ex oculis ros Virgineus spiraret, vel effluerct à mente sua castissima, contra æstum, & flammas luxuriæ, unde Sponsus illos vocat Cant. 5. v. 12. *oculos columbarum*; in Hebraico, *rapientes, deprædantes, vim inferentes*, sed amore casto. S. Ambrosius de instit. Virg. cap. 7. *Mariæ tanta gratia fuit, ut non solùm in se Virginitatis gratiam conservarit, sed etiam iis, quos viseret, integritatis insigne contulerit.* Dicite Virgines, dicite Matronæ Moguntinæ, suntne tales vestri oculi? illisne custos virtutum modestia insidet virginalis? an contra non toleranda levitas cum periculosa curiositate conjuncta? Suntne oculi vestri bina specula, in quibus venustissima, tum modestiæ, tum puritatis imago relucet? An contra sunt duo crystalla ustoria, unde in innocentium corda juvenum turpissime sese incendia derivant? Suntne duo cœli, unde & motum accipiunt cogitationes sanctæ, & influxum hauriunt animæ intuentium? an contra sunt duo oceani, in cujus seu undosis fluctibus, seu fluctuosis undis plurimæ animæ naufragium subeunt æternum? Hoc examinate, hoc inquirite, hæc & emendate, quæcunque hâc oculorum levitate, infames in ipsis quandoque templis aliis scandalo estis, ad malum, non ad virtutem incitamento.

§. 9. *Apostrophe ad adolescentes.* Sed & vos Adolescentes, vos Magnæ Matris, nomine saltem tenus Sodales; inspicite virgineos Patronæ vestræ, ac Dominæ Mariæ oculos; & vestram pariter effrenem, atque omnia sine fronte, sine pudore, sine metu aspiciendi licentiam corrigite. Indignum profectò, reperiri juvenes, qui in locis DEO Sacris, in Ecclesiis ac sacellis, oculos potius in Adonidem, in puellam, in Amasiam, quam vel in CHRISTUM sub speciebus Eucharisticis, vel in Virginis Mariæ effigiem malunt defigere. Sponsa cœlestis oculos habuit virgineos; vos sæpè meretricios; illa oculos habuit columbarum, vos hircorum malcolentium? & adhuc dici amatis Sodales Parthenij? adhuc nominari vultis Clientes Mariani? Filij Deiparæ? pudeat vos hujus nominis; non clientes Mariæ, non Sodales, non Filij, sed Veneris potius atque Asmodæi, nisi oculorum vestrorum petulantiam maturè compescatis, mancipia dicemini.

§. 10. *Cor B. Virginis totum ignitum Pulchra Symbola.* De corde trimulæ Virginis ait S. Ildephonsus ser. 1. de Ass. *Veluti ignis ferrum, sic Spiritus Sanctus illud totum decoxit, incanduit, & ignivit, ita, ut in illo nihil sentiretur, nisi tantum ignis amoris DEI.* Sophronius supra cit. *Totam*, (totum virgineum corculum,) *incanduerat divinus amor, ita, ut in ea nihil esset, quod mundanus violaret affectus, sed ardor continuus profusi amoris.* Itaque cor ejus sic accensum, vel lampas fuit argentea, vel virgula fumi, vel ignis perpetuus, vel aurea Solis imago. Si lampas argentea, candore pariter, & ardore splendidè radians, omnium in se corda atque amores cor traxit virgineum. Si virgula fumi, præter odorem

odorem suavissimum, quo identidem fragrabat in cœlum, quasi cêtrum suum ascendendo perrexit. Si ignis perpetuus, nihil unquam de suo in Deum amore remisit, si aurea solis imago, nullis fuit tenebris obfuscata, nullis ab ardore suo ac lumine casibus humanis ejecta. *Nimirum*, ut pulchrè Sophronius, *totum cor incanduerat divinus Amor!*

§. 11. *Talis fuit Maria, ut imitemur.*

Sed memores estote notissimi dicti S. Ambrosij l. 2. de Virgin. *Talis fuit Maria! ut ejus vita omnium sit disciplina, atque exemplar.* Cujusmodi ergo sunt corda nostra, Auditores? videamus quibus ab ignibus succensa flagrent? advertamus, an cœlum, cœlestesque petant virtutes hæ flammæ, an contra in sordes, in turpitudines, in infernum descendant. De ignibus, quibus corda nostra inflammata ardent, facile est judicare; facile id licet colligere ex desideriis frequentibus, ex tot votis, suspiriis, amoribus. At verò, an omnes sint sanctæ flammulæ, an omnes scintillæ cœlestes, an omnes Mariani igniculi, hoc est, puri, virginei, Dei, Divûmque amantes, hoc, hoc inquam ipsum est, quod ex consideratione purissimi, purissimæ Virginis cordis, merito hodie dispiciendum censeo. Fornaces esse oportet corda nostra, & fontes, & hospitia, & palatia! sed fornaces, quæ divinis solùm, neque aliis ullis succensæ sint flammis. Nullas alias admisit dulcissimum cor Virginis in templo. Sed fontes, è quibus solæ crystallinæ, purissimæ Castitatis lymphæ emanent. Talis fuit fons Virginis Cor in templo, sed hospitia, in quæ soli affectus Mariani, Virginei, cœlestes divertant. Sed palatia, in quibus solus habitet amor divinus, hic solus habitavit in corde B. Virginis.

§. 12. *Desideria dulcissimi Cordis.*

Desideria dulcissimi cordis in dulcissima Virgine, dum habitavit in templo, pulchrè expressit S. Bonaventura, qui in persona Virginis ser. 2. sic loquitur. *Cùm Pater meus, & Mater mea dimiserunt me in templo, statui in corde meo habere Deum in Patrem, & devotè ac ferventer cogitabam, quid possem facere Deo gratum. Surgebam in noctis medio, & pergebam ante altare templi, & maximo desiderio petebam à DEO omnes virtutes, per quas efficerer gratiosa ante conspectum suum.* Discamus à trimula Virgine, quænam debeant esse desideria nostra, præcipuè in juventute, ut scilicet, quæ DEO grata sunt, faciamus, & virtutibus, quibus efficimur gratiosi in conspectu ejus, studeamus. Neque desideriis tantum contenta fuit beata Virgo, sed opere ipso pulcherrimis illis animæ ornamentis, sed Deo inprimis se gratiosam reddidit.

§. 13. *Virtutes B. Virginis.*

Quanta enim in una Virgine (ait sanctus Joannes Damasc.) *species virtutum emicant! secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium, Virgo intra domum, comes ad ministerium, quid exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam, congeminatos jejunio dies? verbo comprehendam omnia, vita ejus in templo, fuit continuum virtutum omnium exercitium.*

§. 14. *B. Virgo in templo Cedrus, Cypressus.*

Ex dictis, quæstioni in fine exordij propositæ, respondere nequaquam difficile judico. Cedrus fuit in templo, velut in monte Libani, per fidem. Cypressus fuit in templo, velut in monte Sion, per spem & fiduciam. Palma fuit

quasi

quasi in deserto Cades, per charitatem & sublimia desideria amandi DEUM. Plantata fuit in templo, veluti rosa per patientiam, oliva fuit per misericordiam, viola per demissionem, lilium per puritatem, lilium convallium per modestiam. Plantata fuit in templo veluti amœnâ silvâ Sponsi, tamquam malus ob fortitudinem. In templo veluti paradiso fuit arbor vitæ per gratiam. Spica in agro benedictionis, plena granis, sive donis Spiritus S. Talis fuit Maria.

§. 15. *Prosecutio.* Sed qualis Cedrus? *cedrus magna*, Ezech. 17. v. 22. *Cedrus sublimis*, ibidem. *Cedrus electa*, Cant. 5. v. 15. In his cedris, in monte Libani nidificant aves, & volucres generosæ, eja Sodales volate in altum, in hâc cedro nidos ponite. Et qualis Cypressus? *In altitudinem se extollens, super ipsos Cherubim in ascensu Altaris sancti*, Ecclesiastici 50. vers. 11. Qualis fuit palma? *florida* Ps. 91. v. 13. *exaltata*, Ecclesiast. 24. v. 17. eja cultores Virginis, apponite scalas cum Sponsâ, ascendite in hanc palmam, & apprehendite fructus ejus. Qualis in templo fuit rosa? *flos rosarum*, Ecclesiast. 50. v. 8. *Regina rosarum, decus rosarum. Rosa vernans cœlica amœnitatis*, ait Blosius. *Rosa recens sine spinâ.* Qualis fuit oliva? *fructifera*, Psal. 51. v. 10. *Speciosa*, Ecclesiastic. 24. v. 19. *Oliva projiciens flores suos.* Job. 15. v. 33. *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam*, vocavit Dominus Jerem. 11. v. 16. quæso Sodales, estote surculi, ut in Olivam hanc bonam inseri valeatis. Plantata est trimula Virgo in domo Domini, velut vitis, velut flosculus, velut lilium, sed qualis vitis? *Abundans* Psal. 127. v. 3. *frondosa*, Oseæ 10. v. 1. *umbrosa, odorifera.* Aliam umbram, alios flores, alios odores ego non cupio, sub hâc vite sedebo, & pulchritudinem ejus contemplabor. Quale lilium? qualis fuit flos? *Flos spineti gloria, flos campi, flos vitæ immaculatus, flos florum, lilium regale.* Qualis denique arbor? *pulcherrima*, Levit. 23. v. 40. *Magna & fortis*, Dan. 4. v. 8. *Arbor bona*, Matth. 7. v. 18.

§. 16. *Amor erga B. Virginem* Talis in templo fuit MARIA! sentio flammulas, & faculas, quas Virginis hujus pulchritudo cordi meo admovet, ut illam amem. O Maria quid me uris? cùm amem te, protestor, voce quantâ possum cum S. Bernard. *Captus sum amore hujus Virginis, & Matris Dei Mariæ, quam semper amavi, in quâ post Deum omnis mea spes, illam unicè diligo, illam inquiro, illam videre concupisco; hæc est amica mea, illa pulchra, illa dulcissima Virgo.*

§. 17. *Suavis Apostrophe ad eandem.* S. Bernardus super Salve Regina, *O dulcis Domina, cujus sola memoria affectum dulcorat, cujus magnitudinis meditatio mentem elevat, cujus pulchritudo oculum interiorem exhilarat, cujus amœnitatis immensitas cor meditantis inebriat. O Domina! quæ rapis corda hominum dulcore, nonne cor meum Domina rapuisti? ubi quæso posuisti illud? ut ipsum valeam invenire. O raptrix cordium, quando restitues mihi cor meum* (vel dabis tuum?) *sed cum illud postulo, mihi arrides, & statim tuâ dulcedine sopitus conquiesco. Cum in me reversus iterum illud postulo, me complecteris dulcissima & statim inebrior tui amore. Tunc cor meum non discerno à tuo, nec aliud scio petere, quam tuum.* Bene habet, in tem-

templo, in hâc cellulâ, in hâc aulâ, in his Sanctis Sanctorum, in dulcissimo Virginis corde, me piis cogitationibus involvam, & suavissimis indulgebo affectibus.

§. 18. *Prosecutio.* Dicam cum melleo Sancto. *O dulcis Domina!* tua me rapit modestia singularis, tua me forma delectat, pulchritudo recreat, sed ita, ut eam, quoad in hâc mortali vitâ licebit peccatori, in me ipso exprimere laborem. Dicam secundo, *O Domina*, quæ rapis corda hominum dulcore: posthac mihi pro tuis deliciis nulla sapiet dulcedo, te, sive vigilem, sive dormiam, seu forte premar adversâ, seu erigar secundâ, seu morbis affligar, seu recreer valetudine, semper clausam pectore atque oculis circumgeram. Dicam tertio, O raptrix cordium, nullo unquam tempore tam amens sim, aut infelix, ut, quod à me rapuisti cor, à te repetere ausim, tuum hoc sit, tuis spiret amoribus, tuis pascatur affectibus, tuis deliciis moveatur, tuis serviat nutibus, tuis virgineis manibus, ceu mollis cera, in quascunque libuerit figuras aptanda versetur.



CONCIO LXXXVIII.

FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Venite post me.

Matth. 4. v. 18.

Synopsis Concionis.

Affert causas, ob quas gloriosus S. Andreas adeo adamavit Crucem.

§. 1. *Insigne facinus Alberti Marchionis Brandeburgensis.*

§. 2. *Applicatur S. Andreæ, & ejus amori erga SS. Crucem.*

§. 3 *Natura & Gratia abscondunt suos thesauros.*

§. 4. *Regnum Cælorum thesaurus absconditus.*

§. 5. *S. Andreas in Cruce invenit delicias.*

§. 6. *Apostrophe ad animam piam, ut ibidem quærat quietem.*

§. 7. *Pro-*

§.7. Prosecutio.
§.8. Apes frequenter mellificant in truncis arborum.
§.9. Figura Sanctissimæ Crucis.
§.10. S. Crux est imago duplicis faciei.
§.11. Ursus appetit mel, pulchra applicatio.
§.12. Crux amœna arbor, varia encomia.
§.13. Est Palma.
§.14. Cruce alligant pij. De Syrenibus & Ulysse.
§.15. Andreas vicit minas, & blanditias Tyranni.
§.16. Utinam imitaremur.
§.17. Sanctissima Crux est causa lætitiæ.
§.18. Ligna Isaaci figura Sanctissimæ Crucis.
§.19. A Cruce solatium in morte.
§.20. Apostrophe ad Auditores.

§. 1. *Insigne facinus Alberti Marchionis Brandeburgensis.*

HEroicum, & gloriosum factum strenui militis in suâ historia refert Æneas Sylvius l. 2. fuit is miles, Albertus Marchio Brandeburgensis, hic aliquando in prælio victrici ense, & manu hostium cuneos adeo perfregit, talem sibi viam aperuit, ut penetrarit usque ad ipsum primarium vexillum, jamque hosti illud eripuerat, jam redibat ad suos cum nobili trophæo; sed dum ob lethalia vulnera animadverteret, se in terram prolabi, in hac generositate suâ dignissima hæc verba protulit, *Nusquã honestius moriar, quàm hic.* Sic inter hostes cum hostili signo in manibus cecidit, sed nomen gloriosi militis adeptus.

§. 2. *Applicatur S. Andreæ, & ejus amori erga SS. Crucem.*

Æque strenuum militem, & gloriosum pugilem ego hodie pronuntio S. Andream. Dum glorioso vexillo Crucis viam orbi aperuit, per Scythiam, per Epyrum, per Thraciam, donec tandem penetravit usque in Achaiam; & hoc signum ausus fuit ostendere ipsi Præsidi, & dicere: *Ego Crucis Christi servus sum, & Crucis trophæum optare potius debeo, quàm timere.* Iterum. *Magnum est mysterium Crucis. Ego si Crucis patibulum expavescerem, Crucis gloriam nõ prædicarem.* Tyrannus indignatus ob tam generosa dicta, Andream Cruci affigi jussit; & licet populus illum liberare voluerit, noluit Apostolus; pependit in ligno per tridudum, tandem dum expiravit, puto illum dixisse, *Nusquam honestius moriar, quam hic,* & hinc S. Andreas gloriosum meruit encomium Amatoris Crucis. Causæ, ob quas eam adeo adamavit, sunt variæ; sed unam aut alteram hâc Concione explicabo. Vos interim aures atque animos diligenter, ut soletis, advertite; audituri enim estis, quod vobis forsan paradoxon hactenus videbatur; nimirum invenisse B. Andream in Sanctissimâ Cruce opes, invenisse thesauros cœlestes, invenisse delicias ac voluptates, invenisse blandimenta potius, quàm tormenta.

§. 3. *Natura & Gratia abscondunt suos thesauros.*

Natura suas opes & divitias, suas delicias & dulcedines solet abscondere in visceribus terræ; nam auri argentique venis & fodinis Potosinos imposuit montes; uniones candidissimos inclusit conchis maris, dulces amygdalorum vel nucum nucleos corticibus involvit, mel recludit inter favos, saccarum tegit arundinibus. Quisquis aurum, gemmas, uniones appetit invenire, huic fodienda est improbo labore tellus, scindendæ illi rupes, frangendus cortex, premẽdus favus, conterenda arundo iis, qui

qui vel nuclei saporem, vel mellis suavitatem, vel saccari dulcedinem gustare desiderat. Pari ratione Gratia suas opes & divitias suas, delicias & suavitates abscondit non tamen inter rupes, & montes, non in conchis vel corticibus, sed in loco, de quo nos mundani minimè cogitamus.

§. 4. *Regnum cœlorum thesaurus absconditus.*

Ideo Salvator noster Matth. 15. v. 44. regnum cœlorum comparat cum thesauro abscondito in agro, ideo de solatiis cœlestibus ait David, Psal. 30. v. 20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Sed age, quænam tantorum ferax bonorum tellus? aut quo in agro defossi isti thesauri? ubi illa fodina, ex qua eruitur tanta non argenti, vel auri, sed illius, quæ auro pretiosior est, beatitudinis cœlestis copia? ubi illa rupes, in cujus penetrabilibus ejusmodi opes reperire licebit? ubi illa concha, quâ clauditur nobilissima hæc margarita? Age tu, cujus festum hodie agimus per orbem Christianum diem, Dive Apostole Andrea, age inquam, & hoc nobis, cujus scientissimum te scimus, mysterium edissere, hunc nobis agrum, hanc aurifodinam, hanc rupem, hanc monstra concham. Annuit votis nostris Apostolus, Auditores, & ecce, intentis in sanctam Crucem non digitis minus, quàm oculis, hic quærendos nobis esse divinos illos thesauros, hic inveniendam nobilem beatæ gloriæ margaritam significat. Et jam verbis etiam palam omnibus testatur exclamans; *Salve Crux pretiosa!* quasi diceret; aliis pretiosum est aurum, mihi pretiosior Crux est. Aliis in magno pretio sunt gemmæ, in majori æstimatione apud me Crux est. Iterum *Salve Crux, quæ in Corpore Christi dedicata es, & ex membris ejus, tanquam margaritis ornata.* q. d. Manus Sponsi tornatiles, aureæ plenæ hyacinthis, plus illam ornant quam gemmæ. Pretiosissimæ illæ guttæ defluentis Sanguinis pretio, & splendore superant carbunculos, ideo iterum Sanctus Andreas ait, *O admirabilis Crux! O Crux, quæ per totum mundum rutilas.* Sanctissima ergo Crux D. Andreæ, fuit dives aurifodina, in qua invenit aurum charitatis, argẽtum puritatis, gemmas omnium virtutum.

§. 5. *S. Andreas in Cruce invenit delicias.*

Quas delicias in Cruce invenerit, ostendit, dum Crucem salutat & amplectitur ut Sponsam, an non dulcedine plena sunt illa verba, *O bona Crux diu desiderata! sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & nunc concupiscenti animo præparata.* Videtur S. Crux fuisse petra fluens lacte & melle, quod etiam S. Paulus gustavit, dum dixit ad Gal. 6. v. 14. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi.* q. d. Ego divitias nõ cupio, nisi quas invenio in Cruce; nec alias delicias, nisi quas de Cruce Dominus mihi elargitur, quæ mihi præ cæteris omnibus longe suavius sapiunt. Has delicias desideravit Sponsa, cum dixit Cant. 1. v. 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Sed ubi ille locus quietis, in quo pascit amor? forte inter lilia? inter lilia libenter est Sponsus, forte in colle thuris, vel monte myrrhæ; forte in cella vinaria, ubi dispensatur vinum, quod germinat Virgines: Sed permittam hodie aliis lilia,

non

non invidebo aliis collem thuris; *S*ola mihi atque omnis cum gentium Apostolo 2.Timoth.5. v.4. in Cruce voluptas; hæc est Dilecti mei statio, hæc domus, hic lectulus. Quem etiam innuit vocula illa, *Meridies*, Meridies est, cum Sol est altissimus, in meridie ergo fuit cœlestis Sponsus, sive Christus Dominus, cum fuit altissimus, circa meridiem, circa horam duodecimam diei, exaltatus fuit in altum in Cruce; hæc ergo in meridie illi locus quietis, hic illum quærere, hic salutare oportet. Eadem plane quondam mens fuit S.Bernardo, cùm dixit: *Circumire possum cœlum & terram, mare & arida, & nusquã te inveniam, nisi in Cruce, ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie, in hac Cruce te invenit, quicunque invenit.*

§. 6. *Apostrophe ad animam piam, ut ibidem quærat quietem.* Quid agis anima Christiana? quid in omnem te partem versas impatiens, si qua te forte afflictio premit? quid frustra ad mundi confugis solatia? quid frustra à terrenis hisce Creaturis nequaquam solidum mentis gaudium emendicas? quid te variis anxia curis distorques? quid modò has, modò illas pervagaris ædes? an in illis invenies JESUM tuum? non ibi pascitur dilectus tuus, non cubat, nisi in amoris meridie; peragres licet totum terrarum orbem, omnesque ejus angulos quàm solertissimè excutias; non invenies quam quærit anima tua quietem, non JESU tuo potieris, nisi ad S.Crucem cum sancto Andrea te receperis.

§. 7. *Prosecutio.* Merito ergo gloriosus hic Apostolus ita adamavit Crucem, in quâ Christum, & cum illo omnes opes, atque delicias invenit. Scio animæ piæ, eundem sponsum quæritis ardenter, & quidem hoc sacro tempore Adventus inter lilia, sive in Virginali utero, qui virginea est concha, in qua novem mensibus latuit divinus ros, qui à Spiritu S. formatus est in gemmam, quæ Christus est; non prohibeo, ut hic Salvatorem, & cum eo cœlestes voluptates quæratis; sed ita quærite inter lilia, ut Crucis non obliviscamini: pulcherrima est Crux, cum liliis coronatur. Utrobique inter lilia, & in Cruce, cœlestis Sponsus suas abscondit delicias, utrobique illas possumus reperire.

Apes frequenter in silvis dum mellificant, pro domunculâ eligunt pulchrã arborem, in illa habitant, in illa laborant mel, in illâ construunt favos, in illa congregant thesauros mellis, in illâ melle pascuntur. Apis mihi fuisse videtur S. Andreas plenus melle dilectionis erga proximum, plenus melle ardentium desideriorum; sed domuncula, habitatio, & arbor illi fuit Sanctissima Crux. Arbor, quam apes eligunt, sæpe exterius est aspera, nodosa, horrida, sed intus latet mel. Talis arbor est SS. Crux, foris, & incipientibus ambulare in viâ Crucis, est aspera, dura, nodosa, sed intus, & paulatim proficientibus plena melle. §. 8. *Apis frequenter mellificant in truncis arborum.*

Figuram habemus in veteri Testamento, qui templum Salomonis ingrediebantur, primo ingressu nil videbant, quam Sanguinem victimarum, cultros, altaria, ignes, holocausta, longius verò progressos ad Sancta Sanctorum, suavissimus balsami, thymiamatis, & incensi thuris odor oblectabat. Non aliter SS. Crucem vobis imaginamini; §. 9. *Figura SS. Crucis.*

foris apparent clavi, lancea, spinea corona, vulnera, Sanguis. Incipientes exemplo Christi clavis debent affigi Cruci, membra eorum debent mortificari, debent sentire aculeos spinarum; post hæc SS. Crux sudat, & stillat balsamum, fragrat odore cœlesti.

§.10. S. Crux est imago duplicis faciei. Reperiuntur imagines, quæ duplices referunt formas & figuras, si diversis stationibus à dextera vel sinistra conspiciantur v. g. ex uno latere videbis faciem venustissimi Juvenis, ex altero, Mortis. Talis imago est SS. Crux; ex unâ statione videntur spinæ, ex alterâ lucidissimæ gemmæ; ex uno latere, cœlestis Spôsus & Amor coronatus spinis, ex altero totus pulcher, & gloriosus. Crux multis videtur esse patibulum, S. Andreæ fuit amœnissima arbor, plena melle. Quæso animæ piæ, hoc sacro tempore Adventus, estote & vos apiculæ plenæ melle devotionis, melle suavissimorum affectuum, melle liquidissimæ Charitatis: sed domus vestra sit SS. Crux, hæc sit arbor vestra. Scio, hoc mel etiam latet inter lilia, in Virginis utero, suavissimus ros est Verbum Incarnatum in conchâ absconditum, sed quærite simul in Cruce; nescio, quî fiat, aliquid peculiaris dulcedinis habet mel, quod in arbore SS. Crucis invenitur, licet cum summa difficultate.

§.11. Ursus appetit mel, pulchra applicatio. Similes in hoc nos esse oportet ursis. Animal hoc est appetentissimum mellis, subinde totum aggredi audet Apiarium, & velut in propugnaculum à plus quàm sexcentis apibus obsessum impetum facere, tantum ut melle pascatur. Sed heus, quò properas infelix urse! itane in tuum ipsius exitium te præcipitas? an nescis aculeos esse apibus, gulæ tuæ infestos? ignoras magnam parvis etiam animalculis iram, magnosque ad vindicanda dulcia furta stimulos inesse? non cogitas cruentam hanc f re mellei aggeris invasionem? Verum sit cruenta, sit cum difficultate conjuncta, sit hæc ardua oppugnatio, quid inde? non curat aculeos ursus amore mellis; non metuit stimulos, non conjunctam hostium copiam, non iram, non periculum, non dolorem, non vulnera, modo melle liceat frui. Talis ursus fuit S. Andreas, hic in Cruce etiam mortem ipsam non timuit, dum in illa mel quæsivit cœlestis gloriæ, mellea Crucis voluptas, quam deliberare fixum erat, animos addidit ad quosvis aculeos, labores, molestias, dolores ac vulnera, non minus constanter quam fortiter pro Christo superandi, & nos eandem gloriam inter aculeos tribulationum ac molestiarum quærere debemus. Sed redeo ad arborem Crucis.

Non sine causa Crucem comparo pulcherrimæ arbori; ante me fecit S. Chrisost. in Psal. 1. Ezechiel cap. 47. v. 12. illustri vaticinio describit templum, & præcipuè torrentem ex orientali parte prorumpentem, describit ripas pulchris arboribus consitas, præsertim pomis. *Et super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus*, cogitare possumus pulcherrimas fuisse arbores, inter illas unam, de qua in sensu mystico S. Hieron. ait, *horum omnium lignorum principatum tenet lignum vitæ.* His §. 12. Figura SS. Crucis.

positis

positis; dico cum S. Chrysost. Lignum vitæ est Christus, sed quem fructum dedit? respondet: *Vide eum Cruxifixum, & latus ejus compunctum, ex quo Sanguis, & aqua scaturit, pergit, gustate & videte, quod benignus est Dominus; speciosus est ut malum, suavis est, ut vinum, fructifer ut olea, fructu abundans, sicut malum punicum.* Eximia encomia S. Crucis, est malus, in quâ crescunt poma benedictionis. Vitis, è quâ dependent botri cœlestium suavitatum. Oliva, de quâ fluit oleum gratiarum; unde non miror S. Andream adeo properasse, & anhelasse ad Crucem, tantoque animi gaudio in illâ suffixum pependisse. Crux illi malus fuit, hujus dulces fructus, non amarum corticem spectabat. Fuit illi vitis, æternæ gloriæ racemos, botrosque vitæ beatæ in mente habebat. Fuit Olea; dolores suo oleo facillimè posse leniri cogitabat. Fuit malus punica; in ejus vulnere spectari fructuum ubertatem sciebat. Agedum piæ animæ, hisce cum Andrea oculis crucem intueamur, his eam affectibus, cogitationibus, his prosequamur amoribus; nec amaro ita terreamur à cortice, ut quæ intus in arbore latet, medullam negligamus, nec ita metuamus acu'eos, sine quibus cœlestes æternæ beatitudinis favos degustare, nulli unquam homini concedetur.

§. 13. *Est Palma.* Sed & palma est sanctissima Crux, de qua ait Sponsa, Cant. 7. v. 8. *Ascendam in palmam*, q. d. Et palmam video plantatam in horto Sponsi, & video suavissimos fructus inter aculeata folia absconditos, sed alta nimium est arbor! ergo dulcedinem illorum non gustabo? absit, scio quid faciam, huc date scalas, ascendam, & apprehendam fructus ejus. O pium, & jucundum exercitium Animæ piæ, hoc sacro tempore Adventus, cum S. Andrea scandere hanc palmam. Neminem terreat altitudo, cùm duas habeamus scalas æquè altas, Contritionis & Amoris. Scalam contritionis applicat, qui sæpius ingeminat cum Filio prodigo, Luc. 15. v. 21. Jesu *peccavi*, cum Magdalena, Luc. 7. v. 38. *doleo*, cum Publicano, Luc. 18. v. 13. *propitius esto mihi peccatori*, cùm Cæco, Marc. 10. v. 47. *Jesu fili David miserere mei.* Scalam amoris ad ipsum cor palmæ, ad benedictum latus Christi applicat, qui ait cum Thoma, Joan. 20. v. 28. *Dominus meus & Deus meus!* cum sancto Petro, Joan. 21. v. 17. *Domine amo te*, cum sancto Andrea, *salve mi Jesu in Cruce millies amate, & desiderate,* Quas dulcedines tales in Cruce inveniant, malo experiri, quâ multis explicare.

§. 14. *Cui se alligant pii. De Syrenibus & Ulysse.* Hoc scio, quia arbori sanctissimæ Crucis tales quasi sunt alligati, delicias & voluptates hujus mundi facillimè contemnunt. Audieritis quænam monstra sint Syrenes, dicunt esse Virgines in locis periculosis maris, tam suaviter cantantes, ut transeuntes ultro fluctibus se injiciant amore cantus deliniti. Desideravit Ulysses sine periculo audire suavem Musicam, ergo omnium nautarum cerâ obturavit aures, se prædurís funibus ad antennam mali jussit alligari, sic Syrenum cantus sine periculo audivit. Vita nostra est, quasi navis; malus & antenna sanctissima Crux; hâc navicula trajicimus periculosum mare.

O quæ

O quæ monstra! quæ nos alliciunt voluptatum Syrenes, ut in mare scelerum nosmet præcipitemus, tutissimè navigant (teste S. Paulino ep.4.) *qui vinculis charitatis, & funibus ad antennam Crucis se stringunt. Cui si nectamur voluntariis astrictis nexibus, obstructis auribus cordis, contra hujus mundi illecebras, tuti & innocuè scopulos voluptatum, quasi saxa Syrenum prætervehemur.* Videmus hoc in S. Andrea, nam rogatus à populo blanditiis, ut discederet à Cruce, non movetur, nimirum vinculis charitatis se alligarat.

§. 15. *S. Andreas vicit minas & blanditias Tyranni.* Instat interea Præses, & quà promissis, quà minis invicti animum Athletæ sollicitat, jam honores ei offert & dignitates, opes obtrudit ac divitias; non movetur Andreas, modo Principis favorem, ac gratiam pollicetur; Andreas contemnit, mox vultu atque oculis minas spirat, torvum intuetur, severius alloquitur, majores minatur cruciatus; videt alacrius Andreas, inde iterum convertitur ad blanditias, suadet facilem de cruce descensum; Andreas non movetur. Tanti est fortiter se aliquando funiculis divini Amoris sanctissimæ Cruci alligasse.

§. 16. *Utinam imitaremur.* O si eadem vobis esset mens, atque eadem in bono constantia, Auditores mei Moguntini! profectò sunt & aspera, & blanda, quare & vos à Cruce Domini absterrere moliuntur. Sunt amicæ Syrenes, quæ Moguntiam tanquam mare pernatant, sed periculosæ! sunt, quæ suaviter alliciunt. Societates, sed perversæ, sunt, qui aureos montes pollicentur, sed animarum tyranni. Multi, eheu! decipiuntur incauti, felix, quisquis ut securus hunc oceanum enaviget antennæ S. crucis semet alligare contendit, &c. Sed uno adhuc loco ex sacra Scriptura ostendam; quod dixi, in Cruce abscondita esse cœlestia gaudia, vel illorum esse causam sanctissimam Crucem.

§. 17: *Sanctissima Crux est causa lætitiæ.* Quis dubitat cor Abrahami Gen.22. v.12. insperatâ repletum fuisse lætitiâ, quando & audivit, & vidit Angelum, qui læta de cœlis imperia tulit, qui filium Isaac non immolandum, sed sanum ac vegetum servandum præcepit, qui huic amoris dramati epilogum esse addendum, non gladio funesto, non sanguine innocenti, non cæde dilecti nati, sed amore, sed amplexibus, sed osculis paternis exposuit. Ego quidem existimo, Abrahamum, ut antea erat mœstissimus, sic accepto hoc cœli nuntio, repente lætissimum sibi, Isaaco, Superis, Deoque applausisse. Isaacus ergo, cui Deus parcitum voluit, causa extitit lætitiæ. At quid Deum putas, impulit ad clementiam, ut non mactaretur, sed porrò diligeretur à Patre vivus Isaac? forte Abrahami suspiria, gemitus, precesque pro cordis sui delicio? fors ejusdem lachrymæ divinam flexerunt sententiam, an oculi forsan in cœlum erecti? an quod Isaac tam promptè atque expeditè ad mortem se compararit? an obedientiæ in utroque perfectio?


§. 18. *Ligna Isaaci fuerunt figura SS. Crucis.* Huic ut satisfaciam quæstioni, assentior D. Chrysostomo, qui ait, *ligna, quæ imposita fuerunt altari, in quo Isaac immolari debuit, fuisse composita per modum Crucis; quia hæc ligna, & hoc altare fuerunt figura Crucis, in qua deinde verus*

verus Isaac immolari debuit. Quamprimum Deus vidit Isaacum flectentem in altari Crucis, motus fuit, ut pepercerit, ut miserit Angelum, ut filium gladio subduci voluerit, hinc illud gaudium, & lætitia in corde Patris, in corde Filij voluptas Crux fuit causa gaudij in utroque.

§. 19. *A Cruce solatium in morte.* Duo possunt Animæ piæ desiderare hoc sacro tempore, DEI misericordiam, & veniam peccatorum, & quod inde nascitur, gaudium bonæ conscientiæ. Eja ad Crucem anhelate, properate, contendite, per hanc veniam scelerum obtinebitis, & veram quietem. O pulchrum spectaculum pro divinis oculis, quando anima Christiana cum S. Andrea, in patientia affixa est Cruci. Hinc tandem sequetur lætitia quædam, & cœleste gaudium in ipsa morte; De S. Andrea scripserunt Presbyteri Achaiæ: *Inter amplexus Crucis morantem, cunctis videntibus splendor nimius, sicut fulgur de cœlo veniens, ita circumdedit eum, ut penitus præ ipso splendore, oculi eum humani non possent aspicere. Cumque permansisset splendor fere dimidia horæ spatio, abscedente lumine, emisit Spiritum, simul cum ipso lumine pergens ad Dominum.*

§. 20. *Apostrophe* Utinam, Auditores, ad vos enim mea se demum vertit oratio, utinam ea quoq; nobis de cœlo felicitas aliquando obtingat, ut simili virtute ex hac mortali vita discedamus! *Ad Auditores.* quæ enim suavior, quæ honestior, quæ sanctior, quæ tranquillior mortis ratio esse queat, quàm, cùm, & pro Crucifixo Jesu, cumque ejus glorioso Apostolo Andreâ excelsam filiorum Dei mortem obire in Cruce! sed major est hæc forte gratia, quàm ut eam nostra scelera mereantur. Non cujusvis est adire Corinthum, & non omnium in crucem agi cum Jesu, & felicem in Cruce animam exhalare. Hoc saltem opto, & exigo, ut si non in Cruce, certè non sine Cruce moriamur. Apprimamus hanc cordibus nostris beatam Tesseram viventes, apprimamus & morientes. Sola in Cruce voluptas, cum Cruce vivere, cum Cruce mori! sola hæc est sanctè moriendi methodus, cui addiscendæ, omnes mecum singularem navare operam desidero, ut cum S. Andrea vivamus, & moriamur Amatores sanctissimæ Crucis, cui sit honor & gloria, Amen.





O quæ monstra! quæ n
luptatum Syro
nos

CIO LXXXIX.

ICATIONIS ECCLESIÆ.

est in loco isto. Genesis 28. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

annuæ dedicationes templorum.

frustra rident De-

entum habent in S.

imitantur Salomonem.

Dominus est in loco isto.

S est ubique.

ed peculiari modo in cælis.

Et in templis.

§. 8. *Templa sunt Aula Regis nostri.*

§. 9. *Et Curia. Alia Encomia.*

§. 10. *Cur frequentanda templa.*

§. 11. *Quâ modestiâ.*

§. 12. *Templum est locus terribilis, id est Sanctus, Religiosus.*

§. 13. *SS. Angelorum præsentia in templis*

§. 14. *Ad nostram Custodiam.*

§. 15. *Et ut illis in templis conemur esse similes.*

§. 16. *Iterum de præsentia Angelorum.*

§. 17. *Invectiva in immodestos in templis.*

§. 18. *Templum est porta cæli.*

§. 19. *Ecclesias debemus ingredi, quasi cælum.*

§. 20. *Oratio Salomonis in dedicatione templi.*

§. 21. *Quas gratias petiverit.*

§. 22. *Pro illis, qui orabunt in templo, applicatio.*

§. 1. *Adversarij nostri frustra rident Dedicationes.*

FRustra Adversarii nostri rident nos, quod dedicationem templorum nos Catholici annuâ solennitate celebremus. Frustra blaterat Lutherus in lib. ad nobil. Germ. *Ante omnia dedicationes funditus extirpari deberent, cum nihil aliud sint, quàm taberna, nundina, & aleatorum lusorumque scena.* Frustra in sua postilla ridet ritus & cæremonias, quibus ab Episcopo dedicantur Ecclesiæ, dum appellat *stultitiam & idololatriam*, monetque Magistratum, ut omnes dedicationes aboleat. Abusus neq; nos laudamus; non ideo tamen rectè inferas, similia Festa omninò esse abolenda, quemadmodum & Adversarij non abolent nuptias, convivia, & similes solennitates, licet occasio sint gravium scelerum.

§. 2. *Quæ fundamentum habent in S. Literis.*

Non puto, quòd rideant, cum in sacris Literis, l. 3. Reg. c. 8. v. 63. legunt, quod Salomon & Filij Israël dedicarint templum Domini cum magna Solennitate, quod piissimus Rex mactarit hostias pacificas, boum viginti duo millia, ovium centum viginti millia, quod fecerit ibi holocaustum & sacrificium, & adipem pacificorum, quod intulerit

tulerit arcam Domini cum tubis & cymbalis, &c. verbo, quod in dedicatione templi Salomon fecerit festivitatem celebrem, & omnis Israël cum eo. Neque unius diei solennitate contentus fuit Salomon, sed annuam instituit memoriam, ut populus deinceps memor esset illius diei, quâ templum primùm DEO fuerat dedicatum.

§. 3. *Catholici imitantur Salomonem*

Idem facimus nos Catholici, dum novæ templorum fabricę ad culmē sunt perductæ, pulcris ritibus, cæremoniis & formulis ab Episcopis consecrantur, & deinceps annuè, varias ob causas, dedicatio adornatur. Unam ex præcipuis deducam in hac concione ex citato themate c. 28. v. 16. Geneseos. *Verè Dominus est in loco isto*, ut scilicet templa magni æstimemus, ut piè, modestè inposterum magnâque cum reverentiâ DEO in templis serviamus.

§. 4. *Verè Dominus est in loco isto.*

His verbis Jacobi *verè Dominus est in loco isto*, c. 28. Gen. occasionem dedit somnium, quod habuit in patenti campo super lapides, quos capiti supposuerat; vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangebat cœlum. Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, dicentem, *Ego sum Dominus Deus Abraham; cumq; evigilasset Jacob de somno ait, Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam, pavensq; ait, quam terribilis est locus iste! non est hic aliud, nisi Domus Dei, & porta cœli.* Non intendo ego modo hærere in profundissimis mysteriis hujus somnij, præcipuè mysticæ illius scalæ, hoc unicum modo eruo argumentum. Si Jacob de loco illo, in quo vidit aliquam Speciem Dei, & Sanctos Angelos, exclamavit, *verè Dominus est in loco isto*, quid nos dicemus v.g. de hâc Ecclesiâ, cujus dedicationem hodie celebramus, in quâ non umbra tantum testamenti asservatur, sed ipse Deus sub augustissimi Sacramenti speciebus verè habitat? Cogitate, an non meliori ratione dicere debeamus cum Jacobo, *Verè Dominus est hic!* vel cum S. Chrysostomo ser. 36. in 1. ad Corinth. *Ecclesia est locus Angelorum, locus Archangelorum, regnum Dei, ipsum Cœlum, quod si non credis, aspice ad hanc mensam*, ponderemus non nihil omnia verba, vel tres partes citati versus 16. ex c. 28. Gen. Ut sciamus quid sentiendum sit de hâc Basilicâ.

Emphasis latet in illis verbis, *in loco isto*, certum quidem est, Deum nostrum esse ubique, Jeremiæ 23. v. 24. *Cœlum & terram ego impleo*, Psal. 138. v. 7. 8. 9. *Quo ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in Cœlum, tu illic es; Si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me.* Atque ideo pluribus probare articulum fidei, de quo nemo dubitat, supersedeo, sed scio etiam versum Psal. 10. v. 5. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in Cœlo sedes ejus.* In his scilicet duobus locis peculiari ratione, ob peculiares operationes, & excellentissimas gratiæ & gloriæ. §. 5. *Deus est ubique.*

De cœlo ait Isaias cap. 33. v. 21. *Ibi magnificus Dominus noster.* Ibi, ibi cum de facie ad faciem vident Beati Cœlites; magnificus in se ipso, divinissimaque natura; magnificus in Matre Virgine, in Angelorum choris, atque Archangelorum, in Patriarcharum cœtu, in turma Confessorum, in §. 6. *Sed peculiari modo in cœlis.*



CONCIO LXXXIX.

FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Verè Dominus est in loco isto. Genesis 28. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Cur institutæ annuæ dedicationes templorum.

§. 1. *Adversarij nostri frustra rident Dedicationes.*
§. 2. *Quæ fundamentum habent in S. Literis.*
§. 3. *Catholici imitantur Salomonem.*
§. 4. *Verè Dominus est in loco isto.*
§. 5. *DEUS est ubique.*
§. 6. *Sed peculiari modo in cœlis.*
§. 7. *Et in templis.*
§. 8. *Templa sunt Aula Regis nostri.*
§. 9. *Et Curia. Alia Encomia.*
§. 10. *Cur frequentanda templa.*
§. 11. *Quâ modestiâ.*
§. 12. *Templum est locus terribilis, id est Sanctus, Religiosus.*
§. 13. *SS. Angelorum præsentia in templis*
§. 14. *Ad nostram Custodiam.*
§. 15. *Et ut illis in templis conemur esse similes.*
§. 16. *Iterum de præsentia Angelorum.*
§. 17. *Invectiva in immodestos in templis.*
§. 18. *Templum est porta cœli.*
§. 19. *Ecclesias debemus ingredi, quasi cœlum.*
§. 20. *Oratio Salomonis in dedicatione templi.*
§. 21. *Quas gratias petiverit.*
§. 22. *Pro illis, qui orabunt in templo, applicatio.*

§. 1. *Adversarij nostri frustra rident Dedicationes.*

FRustra Adversarii nostri rident nos, quod dedicationem templorum nos Catholici annuâ solennitate celebremus. Frustra blaterat Lutherus in lib. ad nobil. Germ. *Ante omnia dedicationes funditus extirpari deberent, cum nihil aliud sint, quàm taberna, nundina, & aleatorum lusorumque scena.* Frustra in sua postilla ridet ritus & cæremonias, quibus ab Episcopo dedicantur Ecclesiæ, dum appellat *stultitiam & idololatriam*, monetque Magistratum, ut omnes dedicationes aboleat. Abusus neq; nos laudamus; non ideo tamen rectè inferas, similia Festa omninò esse abolenda, quemadmodum & Adversarij non abolent nuptias, convivia, & similes solennitates, licet occasio sint gravium scelerum.

§. 2. *Quæ fundamentum habent in S. Literis.*

Non puto, quòd rideant, cum in sacris Literis, l. 3. Reg. c. 8. v. 63. legunt, quod Salomon & Filij Israël dedicarint templum Domini cum magna Solennitate, quod piissimus Rex mactarit hostias pacificas, boum viginti duo millia, ovium centum viginti millia, quod fecerit ibi holocaustum & sacrificium, & adipem pacificorum, quod intulerit

tulerit arcam Domini cum tubis & cymbalis, &c. verbo, quod in dedicatione templi Salomon fecerit festivitatem celebrem, & omnis Israël cum eo. Neque unius diei solennitate contentus fuit Salomon, sed annuam instituit memoriam, ut populus deinceps memor esset illius diei, quâ templum primùm DEO fuerat dedicatum.

§. 3. *Catholici imitantur Salomonem*

Idem facimus nos Catholici, dum novæ templorum fabricę ad culmē sunt perductæ, pulcris ritibus, cæremoniis & formulis ab Episcopis consecrantur, & deinceps annuè, varias ob causas, dedicatio adornatur. Unam ex præcipuis deducam in hac concione ex citato themate c. 28. v. 16. Geneseos. *Verè Dominus est in loco isto*, ut scilicet templa magni æstimemus, ut piè, modestè inposterum magnâque cum reverentiâ DEO in templis serviamus.

§. 4. *Verè Dominus est in loco isto.*

His verbis Jacobi *verè Dominus est in loco isto*, c. 28. Gen. occasionem dedit somnium, quod habuit in patenti campo super lapides, quos capiti supposuerat; vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangebat cœlum. Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, dicentem, *Ego sum Dominus Deus Abraham*; *cumq; evigilasset Jacob de somno ait, Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam, pavensq; ait, quam terribilis est locus iste! non est hic aliud, nisi Domus Dei, & porta cœli.* Non intendo ego modo hærere in profundissimis mysteriis hujus somnij, præcipuè mysticæ illius scalæ, hoc unicum modo eruo argumentum. Si Jacob de loco illo, in quo vidit aliquam Speciem Dei, & Sanctos Angelos, exclamavit, *verè Dominus est in loco isto*, quid nos dicemus v. g. de hâc Ecclesiâ, cujus dedicationem hodie celebramus, in quâ non umbra tantum testamenti asservatur, sed ipse Deus sub augustissimi Sacramenti speciebus verè habitat? Cogitate, an non meliori ratione dicere debeamus cum Jacobo, *Verè Dominus est hic!* vel cum S. Chrysostomo ser. 36. in 1. ad Corinth. *Ecclesia est locus Angelorum, locus Archangelorum, regnum Dei, ipsum Cælum, quod si non credis, aspice ad hanc mensam*, ponderemus non nihil omnia verba, vel tres partes citati versus 16. ex c. 28. Gen. Ut sciamus quid sentiendum sit de hâc Basilicâ.

Emphasis latet in illis verbis, *in loco isto*, certum quidem est, Deum nostrum esse ubique, Jeremiæ 23. v. 24. *Cœlum & terram ego impleo*, Psal. 138. v. 7. 8. 9. *Quo ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in Cœlum, tu illic es; Si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me.* Atque ideo pluribus probare articulum fidei, de quo nemo dubitat, supersedeo, sed scio etiam versum Psal. 10. v. 5. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in Cœlo sedes ejus.* In his scilicet duobus locis peculiari ratione, ob peculiares operationes, & excellentissimas gratiæ & gloriæ.

§. 5. *Deus est ubique.*

De cœlo ait Isaias cap. 33. v. 21. *Ibi magnificus Dominus noster.* Ibi, ibi cum de facie ad faciem vident Beati Cœlites; magnificus in se ipso, divinissimaque natura; magnificus in Matre Virgine, in Angelorum choris, atque Archangelorum, in Patriarcharum cœtu, in turma Confessorum, in

§. 6. *Sed peculiari modo in cœlis.*

Martyrum exercitu, in Sodalitio Sanctarum Virginum. Magnificus in cœlis Deus! hoc astrorum probat multiplex pulchritudo, lunæ nitor, Solis claritas, firmamenti totidem gemmis, quot sideribus distincti, elegantia; Magnificus in convivo illo regio, quo convivas cœlites æternùm pascit. Magnificus in jucundissima Angelorum applaudentium harmoniâ; Magificus in argentea, aurea, gemmea supellectile; Magnificus in palatiis, aulis, muris, turribus, portis, quas insigniores numero duodecim, non jaspidibus, smaragdis, exstructas memorat Apocalypticus Joannes cap. 21. v. 21. 22. Verè Dominus est in loco isto, ubi tot magnificentiæ suæ decora, tot gloriæ suæ ornamenta, tot pompæ regalis insignia suis exhibet Spectatoribus.

§. 7. *Et in templis.* In terris verò ob operationes gratiatiæ, & realem præsentiam Christi in Eucharistia, peculiari modo est in templis. Merito paventes cum Salomone supra citato, quærere possumus, *Ergone putandum est, quod verè Deus habitat super terram? si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi.* Mirabile quidem, aliter tamen non est, verè Dominus est in loco hoc. 1. Per realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, in qua etiam peculiari ratione est Pater, Filius, Spiritus sanctus, & tota sanctissima Trinitas. Si hoc credimus, cogitemus, quomodo in tali loco, in præsentia sanctissimæ Trinitatis & Christi D. Regis nostri nos gerere debeamus. 2. Præter realem hanc præsentiam, Deus peculiarissimo modo est in templis, ob operationes gratiæ, quæ in illis fiunt. Quid enim? an non ingens est beneficium? an non excellens gratia, quam per justificationem consequimur? eam in templis præcipuè consequimur. Peccotorum remissio, quantum quamque divinum animarum errantium est emolumentum? eâ ut plurimum in templis donamur. Sacra Eucharistiæ perceptio, quantum afflictis solatium, quantum infirmis robur, famelicis alimentum, egenis subsidium, verbo, qualis cœna? atqui in templis potissimum, in DEO dicatis ædibus, vel illo reficimur cibo, vel præsidio juvamur, vel confortamur solatio, vel in regia cœna usque ad delicias tractamur. De tremendo missæ sacrificio, quod in illis peragitur, de Confirmationis Sacramento quid eloquar, quid de gratia matrimonij, de Ordine sacro, de Baptismi aquis salutaribus, quæ sacramenta ordinariè in templis conferuntur; An non verè Dominus habitat in loco isto? An non summo par est studio; summis honoribus pretiosas DEI domos, & templa afficere?

Templa Catholicorum sunt velut aula Regis nostri, ubi quotidianum, & magis propitium accessum, atque audientiam apud eum possumus obtinere. Tota ad Regem Hispaniæ pertinet Hispania, præcipuas tamen gratias in sua aula, palatio, quo habitat, impertitur. Totus orbis terrarum ad Regem nostrum Christum spectat, in templis tamen peculiariter nobis suæ exhibet benevolentiæ argumenta. Templa nobis sunt nostra Curia, ubi Dei volunta- §. 8. *Templa sunt Aula Regis nostri.* §. 9. *Et Curia, Alia Encomia.*

tem-

tem, & directionem pro concione audimus. Sunt nostrum asylum, ad quod in necessitatibus confugiamus, quale Moysi & Aaroni erat tabernaculum, cum populus eos vellet lapidare. Templa nostra nobis sunt publicum balneum, & salutares thermæ, in quibus partim per Baptismum, partim per pœnitentiam abluimur à peccatis. Sunt palatia, in quibus cum Rege Regum Christo Jesu nobiles habitant amici. Sunt throni, quos puerpera divini Sanguinis decorat, ornat, illustrat. Sunt campi, in quos excurrit cœlestibus stipatus deliciis divinus Amor. Sunt hortuli, in quibus flores virtutum colligit Sponsus noster amabilis. Sunt silvulæ, quas divinæ perflant clementiæ Favonii. Sunt Oceani, sed nullis horridi tempestatibus, nullis metuendi procellis, nisi quas forte scelera nostra concitant. Sunt arces, ad quas accedere non audet stygius ille hostis, cùm verè Dominus sit in locis istis!

§. 10. *Cur frequentanda templa.* Itaque si Principis gratiam ambimus, hæc frequentemus palatia; si desideramus honores, & dignitates, hunc agedum festinemus ad thronum, si quærimus solatia, evolemus in hos campos, si Zephyris delectamur, his vagemur in silvis; si amamus molles florum fasciculos, his deambulemus in hortulis. Si undarum malaciâ rapimur, in hos tranquillitatum oceanos salvi semper, atque incolumes navigemus.

Hæc si credimus, si prout æstimanda sunt, æstimamus, facile intelligemus, quâ modestiâ, decore, reverentiâ & devotione in templis instare precibus, quo affectu laudere Deum, quo animo verbum Dei excipere, quâ præparatione Sacramentis frui debeamus. Judicate, an non æqua sit causa, ob quam apud Catholicos instituta sit annua templorum dedicatio, ut scilicet semel saltem in anno, hæc in memoriam revocemus.

2. Jacob illum locum, in quo vidit Scalam, Dominum Scalæ innixum, ascendentes, descendentesque Angelos, appellavit *terribilem*, id est, religiosum, sanctum, magnâ reverentiâ, tremore & humilitate colendum. Multo magis nos de hoc templo, in quo videmus non tantum scalam, sive imaginem Crucifixi, in quo non species duntaxat Domini, oculis nostris objicitur, sed ipse Christus Dominus in venerabili Eucharistia, in quo circum altare assistunt millia millium cœlestium Spirituum, dicere possumus paventes, *quam terribilis est locus iste!* bene enim sic argumentamur. Si majestas figuræ, sive scalæ visæ in somno Jacobo repræsentata fuit, præ præsentiam multorũ Angelorum, si scalam veluti thronum cœlestes Spiritus ambiunt, quantò magis erunt in nostris templis, in conspectu & præsentia reali Regis, circa altare, circa sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ. §. 11. *Quâ monstiâ.*

§. 12. *Templum est locus terribilis, sanctus, Religiosus.* Facit hoc inprimis ad Majestatem, & Gloriam Regis, si magno stipetur satellitio, & hinc est illud Divi Cyrilli Alexandrini, *Ubi Rex est, ibi sit etiam aula*, & quò excellentior atque potentior est Rex, eò aula solet esse copiosior, proinde: ut S. Cyrillus cit. dixit, *Redundant Angelicis templa legionibus, scilicet circa & ante thronum Regis Regum in altari.*

altari. Præterea facit præsentia Angelorum ad pulchritudinem, & ornatum. Pulcherrima fuit arca fœderis, in veteri testamento ob varia, quibus modo percensendis haud placet inhærere, inter alia præcepit Dominus, circa arcam expandi cortinas, quibus intexti Seraphini. Figuram Venerabilis Sacramenti, Arcam satis ornarunt Seraphini picti in tapetibus, Cherubini aurei. Sed in nostris templis, coram ipso sanctissimo Sacramento, ipsi Seraphini, ipsi Cherubini, verè præsentes, illis, quibus par est, obsequiis assistunt. In verâ arca, id est venerabili Eucharistiâ, latet pulchritudo pulchritudinum, latet speciosus formâ præ filiis hominum; ad ornatum extrinsecum, innumeri astant Angeli. Terribilis est locus iste! dignus quem ingrediamur cum magna reverentia.

§. 14. *Ad nostrâ Custodiam.* Accedit & illud, quod astant Angeli ad nostram custodiam. Zachariæ. 9. v. 8. *Et circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi, euntes & revertentes*, in Hebraico. *Castra ponam domui meæ*, inumerabiles nimirum Angelos, ut & Regem suum in altari, & nos ad illum accedentes suâ assistentiâ custodiant, & defendant, & orationes nostras, atque preces Regi Regum offerant. Id quod pulchro simili explicat D. Chrysostomus, *Non convolant apes avidius ad alveare, ut mel conficiant, quàm ipsi Angeli, ut illud in anima tua conficiant.* Quàm jucundum est spectaculum, videre exercitium & labores apum. Evolant in campos, vagantur per melleas florum delicias, per efflorescentes naturæ thesauros, turmatim volatimque ruunt, in obvios quosque sine lege flores irruunt, roridum legunt succum, melle vescuntur; inhærent nonnihil flosculis, rosas exsugunt, violaria violant, crocum exsorbent, Narcissos exhauriunt, quo facto in sua se alvearia stridulo volatu iterum recipiunt. Ejusmodi fermè labor est, atque exercitium Angelorum in templis. Nimirum delicati sunt flosculi affectus nostri, suspiria, gemitus, preces, proposita meliora, ergo circumvolant melleæ cœli volucres, pascuntur melle devotionis nostræ beatissimi illi Spiritus, favos pœnitentiæ nostræ colligunt, & ad alvearium, Venerabilem inquam Eucharistiam, quæ mellis est officina cœlestis, reportant. Vel ex alveario cordis nostri, cum melle nostræ devotionis evolantes ad paradisum, illud deponunt coram sanctissima Trinitate, & inde mox ad nos redeunt, euntes & reverentes, ascendentes & descendentes; ad cœlum portant nostras devotiones, redeunt cum mille benedictionibus.

§. 15. *Et, ut illis in templis conemur esse similes.* Jam verò & ideo altari in templis nostris astant Angeli, imò à multis visi sunt velut ephebi, & formosi juvenes, in albis vestibus, cincti aureis Zonis, coronati floribus, cum ramis Olivæ vel liliis, ut sciamus, quales nos comparere oporteat in templis, in tali Societate, candidatos argento puritatis, inauratos auro charitatis, ornatos omni cultu virtutum. Quæ ratio S. Paulo placuisse videtur ep. 1. ad Cor. cap. 11. v. 10. Nam postquam egisset de modestia servanda in templis præsertim à fœminis in vestitu, addit *propter Angelos.* In præfatione quotidie dicunt Sacer-

Sacerdotes, *cum quibus & nostras voces jungimus, &c.* Regius psaltes dixit, *in conspectu Angelorum psallam tibi.* D. Chrysost. hom. 26. *Cogita, quos canendi socios habeas, sufficiat hoc tibi ad animi devotionem excitandam, cum perpenderis, te corpore circumscriptum, & carni implicatum, assistere tamen altari, ut cum incorporeis virtutibus omnium Dominum concelebres.*

§. 16. *Iterum de præsentia Angelorum* L. 4. Reg. cap 6. vers. 20. dixit Prophéta, *Domine aperi oculos hujus, ut videat, & aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus exercitu Angelorum.* Utinam Dominus & nostros aperiret oculos, præsertim dum sub sacro missæ Officio assistimus altari. D. Chrysost. hom. de non contem. Eccl. *Divinæ Communionis tempore, non soli homines, maximè horrendum illum clamorem Sanctus, Sanctus, Sanctus, vociferantur, sed & Angeli, & Archangeli, & procumbunt Domino, &c.* D. Gregorius l. 4. dial. cap. 58. *quis dubitat, in ipsa immolationis hora, ad sacris voces cœlum aperiri, in illo JESU CHRISTI mysterio, Angelorum Choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quoque ex visibilibus & invisibilibus fieri.*

§. 17. *Invectiva in immodestos in templis.* Hoc si firmâ fide credimus, ut sanè credendum est omnibus, cur non majori cum devotione sacrosanctis hisce mysteriis assistimus? cur non ab iis, quæ in loco, tantâ pleno majestate divinis adversari possunt oculis, levitatibus ac nugis abstinemus? Ecquis coram Principe nostro Electore, ita rusticum semet exhibere auderet, ut complures hodie dum in templis, coram cœli terrarumque Monarcha comparent, quando non orandi studio, sed nugandi, non ingemiscendi de peccatis causâ, sed vel tempus garriendo traducendi, vel oculos curiosis aliarum personarum, atque utinam sæpe, ne quid amplius eloquar, non inhonestis etiam aspectibus pascendo, templa frequetantur. Sed hoc nunc quidem obiter attigisse sufficiat, erit cum ex industria prolixiùs illud argumentum tractavero.

§. 18. *Templum est porta cœli.* Nunc ultimum, quod in mystica scala Jacob observandum præcipuè occurrit, aggredior. Vocavit ille locum illum, *portam cœli*, quia in illo, quasi patuit cœlum, & vidit illum, à quo plures & eximias obtinuit benedictiones. Et nos nostras Ecclesias vocamus tales portas, qui in illis præcipuè per communes orationes petimus, & obtinemus, quæ ad Dei gloriam, & nostram salutem desideramus. Scio ubique nos precibus posse ferventer, ac devotè incumbere. Job oravit in sterquilinio, tres pueri in fornace, Daniel in lacu leonum, David in terra deserta, Jeremias in puteo, Elias in monte, Josias in valle, Manasses in catenis, Sedecias in lecto, Susanna in via ad mortem, Jonas in ventre Ceti; nullus non locus huic ter sancto negotio aptissimus est habendus; hoc tamen certum; hoc à viris eximiâ Sanctitate proditum observatum reperio, ut cum peculiariter aliquid obtinere voluerunt, vel in summis angustiis, in publicis necessitatibus,

ad

INDEX ALPHABETICUS MATERIARUM.

Prior numerus cum litera C. denotat ordinem Concionum. Alter cum hoc signo §. paragraphos cujusvis Concionis.

Venit

Flos

Hære-

Imago

Venit

Davidis

Flos

Imago

L.

Cor

Solli-

T.

Thomæ

Invenies



INDEX THEMATUM

In festa ab Adventu usque ad Pentecosten.




INDEX THEMATUM

In festa à Pentecoste usque ad Adventum.

FINIS.





INDEX THEMATUM

In omnes Dominicas ab adventu usque ad Pentecosten.

INDEX THEMATUM.

In omnes Dominicas à Pentecoste usque ad Adventum.

Thema

INDEX THEMATVM.

F I N I S.

